EMMANUELIS ALVARI

E SOCIETATE JESU

DE

INSTITUTIONE GRAMMATICA

LIBRI TRES

PARISIIS. — TYPIS ADRIANI LE CLERE, VIA DICTA CASSETTE, 29.

EMMANUELIS ALVARI

E SOCIETATE JESU

DE INSTITUTIONE GRAMMATICA

LIBRI TRES

JUXTA EDITIONEM VENETAM ANNI 1575

PARISIIS
EXCUDEBANT ADRIANUS LE CLERE ET SOC.
SS. D. N. PAPÆ ATQUE ARCHIEPISCOPATUS PARISIENSIS TYPOGRAPHI
VIA VULGO DICTA CASSETTE, 29

M DCCC LIX

PRÆFATIO

Jure optimo labor hic, qualiscumque est, frustra susceptus in tanta librorum multitudine videri posset, nisi singularis illa virtus qua res parvæ crescunt, sine qua maximæ dilabuntur, nos tueretur. Etenim cum patribus nostris illud in primis propositum sit atque ob oculos perpetuo versetur, ut qui Societati JESU, ejusdem Dei Optimi Maximi beneficio, nomen dedimus, non solum in iis quæ propria ipsius sunt Instituti, verum etiam in rebus quæ minimi videntur esse momenti, concordissime vivamus; visum est ab aliquo nostrum Grammaticam artem scribendam esse, qua ubique terrarum, quoad ejus fieri posset, nostri uterentur. Quod onus cum mihi esset impositum, id equidem non meis humeris (scio enim quam sim imbecillis), sed sanctæ Obedientiæ viribus fretus, libenter suscepi. Nam ei qui sponte sua sui juris esse desiit, proprioque judicio atque voluntati propter Deum nuntium remisit, non tam inscitiæ nota quam nec obedientis animi crimen pertimescendum est.

Suscepto itaque onere, operam dedi ne officio meo deessem; fontes ipsos adii : M. Varronis Romanorum omnium eruditissimi, libros de Etymologia atque Analogia; duodecim Fabii Quintiliani de Institutione oratoria, qui mihi magnum adjumentum attulerunt; Auli Gellii Noctium Atticarum undeviginti; Probi, Diomedis, Phocæ, Donati, Prisciani Institutiones grammaticas, ut potui, perlegi, quorum postremus ante mille annos, Justiniani Principis ætate, Athenis floruit. Is, præter cæteros, decem et octo libros scripsit, in quibus passim hominum doctissimorum testimoniis utitur, quorum hodie aut nulla aut perexigua extant vestigia. Est ille quidem sermone inornato et incompto, sed multa ac varia eruditione. Labitur interdum, ut homo, maxime ubi latina præcepta, ut Græcus, ad Græcorum normam exigit; sed gravissimorum auctorum, quos tertio quoque verbo citat, præclara atque luculenta doctrina, ejus errata obteguntur penitus et obscurantur. De rebus vel minimis tenuissimisque, hoc est, primis elementis, qua fuit diligentia, testes locupletissimos, M. Varronem, C. Cæsarem, Plinium atque alios quamplurimos, producit. Nemo mihi quidem rem Grammaticam copiosius, nemo accuratius aut tractasse, aut plures veterum grammaticorum commentarios videtur pervolutasse. Quod ad recentiores attinet, eos potissimum evolvimus, qui nobis usui essent futuri.

Jactis ad hunc modum fundamentis, ex utrisque Grammatices præcepta delegimus, quæ Terentii, Ciceronis, Cæsaris, Livii, Virgilii, Horatii atque aliorum veterum testimoniis pro nostra tenui infirmaque parte confirmavimus. De his, si qui forte in hunc librum incidissent, breviter putavimus admonendos. Reliquum est, quoniam librorum infinitus est numerus, scribendorum nullus est finis, ut convenienter divinis præceptis congruenterque vivamus : ita enim fiet ut, in Libro vitæ conscripti, Dei Optimi Maximi conspectu, cui hoc opusculum dicamus, perpetuo fruamur.

AUCTORIS CARMEN AD LIBRUM

Si quis te criticus docto perstrinxerit ungue,
  Sint tibi censoris munera grata tui.
Grates lætus ages ; torvos nec contrahe vultus,
  Nec signa ingrati pectoris ulla dabis.
Si quid Aristarchus forsan laudaverit idem,
  Lumina dejicies, occupet ora rubor ;
Ne te mulceri flatu patiaris inani :
  Debetur soli gloria vera Deo.

IDEM AD CHRISTIANUM PRÆCEPTOREM

Paucis te volo, christiane Doctor ;
Aurem, quæso, benignus admoveto.
Mores si doceas pios, pudicos
Primum ; dein monumenta purioris
Linguæ, cum pietate copulata
Vera ; te faciet beatioris
Vitæ participem OMNIUM MAGISTER.

NOTITIA LITERARIA

EX OPERE CUI TITULUS :

BIBLIOTHÈQUE DES ÉCRIVAINS DE LA COMPAGNIE DE JÉSUS

PAR AUGUSTIN ET ALOIS DE BACKER, DE LA MÊME COMPAGNIE

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu de Institutione Grammatica libri tres. Olyssipone, excudebat Joannes Barrerius, typographus Regius, MDLXXII, in-4., ff. 245 (coté par erreur 245), sans la préface et le privilége. Cette première édition n'a pas l'Index qui se trouve dans les éditions suivantes. Les trois livres de cette grammaire sont : I. De Etymologia. II. De Syntaxi. III. De Prosodia.

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu de Institutione Grammatica libri tres. Venetiis, apud Basam, MDLXXV, in-4., pp. 526. A la fin, Venetiis, apud Jacobum Vitalem, MDLXXV.

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu de Institutione Grammatica libri tres. Venetiis, apud Hæredes Melchioris Sessæ, MDLXXXI, in-4., pp. 526. A la fin : Venetiis, apud Alexandrum Gryphium, MDLXXXI.

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu de Institutione Grammatica libri tres. Quibus nunc primum copiosissimus Index accessit. Venetiis, ex Unitorum Societate. MDLXXXV; in-4., pp. 526, sans l'Index.

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu de Institutione Grammatica libri tres, integri, ut ab Auctore sunt editi, nunc emendatius excusi. Coloniæ Agrippinæ, in officina Birckmannica, sumptibus Arnoldi Mylii, cIɔIɔxcvI, in-4., pp. 544, sans la préface.

De Constrvctione partivm Orationis liber. Emanuelis Alvari Lusitani ex Societate Iesv. Cum Privilegio Summi Pont. et Illustriss. Senatus Veneti ad annos xx, in-8. ff. 30. A la fin : Romæ apud Victorium Ælianum, ad instantiam Michaelis Tramezini. MDLXXII.

De Constructione octo partium Orationis liber Emanuelis Alvari Lusitani e Societate Jesu. Cum explicationibus Auctoris eiusdem. Cum priuilegio Summi Pontificis, et Illustriss. Senatus Veneti ad annos xx, in-8., 96 feuill. A la fin : Venetiis, apud michaelem Tramezinum. MDLXXIIII.

De Institutione Grammatica. Dilingæ, 1574.

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu de Institutione Grammatica libri tres. Ulyssipone, excudebat Antonius Ruberius, expensis Joannis Hispani Bibliopolæ, 1583, in-8., 187 feuill. L'approbation de cet abrégé est datée d'Euora, oje primeiro de Ianeiro, 1573.

C'est l'abrégé donné par Alvarez lui-même.

De Institutione Grammatica libri tres. Romæ, typis Bartholomæi Bonfadini, et Titi Diani, MDLXXXIIII, in-8., pp. 295.

De Institutione Grammatica libri tres. Quorum secundus nuper est ad veterum fere Grammaticorum rationem reuocatus. Romæ, apud Franciscum Zanettum, MDLXXXIIII, in-8., pp. 340, sans les lim.

De Institutione Grammatica. Wircemburgi, 1584, in-8.

Compendiolum Secundi et Tertii libri Grammaticæ Emmanuelis Aluari, e Societate Jesu, in quo breuiter, ac facile quæ a pueris memoriæ mandari debent, collecta sunt per Ludouicum Carbonem : additis per eundem Communibus Constructionis regulis, ex varijs auctoribus collectis. Venetiis, Muschius excudebat, M. D. LXXXIX, in-8., 40 feuill. Suit le Compendiolum, etc., sans pagination.

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu, de Institutione Grammatica libri tres, quorum secundus nuper est ad veterum fere Grammaticorum rationem. reuocatus. Adjectis nunc Compendiolo se-

cundi et tertij libri, et Communibus constructionis regulis, a Ludovico Carbone collectis, Ortographiæq. Aldi Manuccij, Paulli F. Aldi N. Epitome, atque Græco, et Hebræo Alphabeto. Venetiis, Muschius excudebat. M. D. XC, in-8., pp. 334, sans l'Epît. dédic. et la préf.

Vocabula Grammaticæ. Lugduni, 1594, in-12.

De Institutione Grammatica. Coloniæ Agrippinæ, ex officina Birckmannica, 1596, in-8. — Compluti, apud Joannem Gratianum, 1597, in-8.

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu, de Institutione Grammatica libri tres. Ad commodiorem rationem, clarioremque revocati : additis Scholiis et Prosodia carmine illigata. Ex Romano exemplari accurate recogniti, et copioso Indice locupletati. Lugduni, apud Abraham Cloquemin, M. D. XCVIII, in-8., pp. 168, sans les lim. — .....Liber secundus. Qui est de Constructione octo partium Orationis, ad veterum ferme Grammaticorum rationem revocatus. Editio quinta, ex Auctoris Commentario emendatior. Ibid., id., pp. 160. — .....De Institutione Grammatica Liber III. De Syllabarum dimensione. Editio quinta. Ibid., id., pp. 109, sans l'Index.

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu, de Institutione Grammatica libri tres. Lugduni, Pillehotte, 1598, in-8.

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu Institutionum Grammaticarum Liber tertius. De Syllabarum dimensione, etc. Dilingæ, excudebat Joannes Mayer, M. D. XCVIII, in-8., pp. 191. — Grammaticarum Institutionum Liber secundus. De Constructione octo partium orationis. Ibid., id., M. D. IC, in-8., pp. 380.

Grammatica. Eboræ, 1599.

De Constructione octo partium orationis Liber. Cum explicationibus Auctoris eiusdem, in-8., 96 feuill. A la fin : Venetiis, apud Michaelem Tramezinum.

De Constructione octo partium orationis. Coloniæ, apud Waltherum, 1602, in-12. — Uberlingæ, apud Georgium Neukirch, 1603, in-8. Augmenté par Balthasar Maderus. — Coloniæ, apud Georgium Vellerum, 1604, in-4. — Argentinæ, 1612, in-12. — Monasterii Westphaliæ, 1613, in-8. — Monachii, 1616.

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu Institutionum Liber primi Epitome. Syntaxeos item faciliora præcepta, ex eiusdem auctoris libro secundo descripta. Dilingæ, excudebat Joannes Mayer, M. D. XCVIII, in-8., pp. 247. (Edition avec les vers latins.)

Catalogus verborum difficiliorum Grammaticæ Emmanuelis Alvari, auctore Antonio Maria Torrigio Romano. Romæ, 1606, in-8.

Syntaxis linguæ latinæ. Antverpiæ, 1634, in-12.

Alvari Grammatica. Duaci, apud Bellerum, 1637, in-12.

Emmanuelis Alvari é Societate Jesu. De Institutione Grammatica libri tres. Romæ, ex typographia Heredum Corbelletti, 1641, in-16, pp. 462. L'abrégé d'Alvarez lui-même. — Ibid., id., 1648, in-12.

Alvari Grammatica. Lucernæ, 1650, in-12. — Antverpiæ, apud Jacobum Meursium, 1662, in-8.

Emmendatissima (*sic*) Emmanuelis Alvari e Soc. Jesu Grammatica cum Indice. Venetiis, 1669, typis Zaccariæ Conzatti, in-16, pp. 474, sans la table.

Syntaxis sive Institutiones linguæ latinæ. Cracoviæ, apud Stanislaum Piotrkowczyk, 1673, in-8.

De Institutione Grammatica. Genevæ, 1674, in-12.

Syntaxis linguæ latinæ. Antverpiæ, 1685, in-8.

Grammatica latina. Antverpiæ, 1687, in-8.

Emmanuelis Alvari Soc. Jesu de Institutione Grammatica Liber I. Cum facilioribus syntaxeos præceptis. Scholiis auctoris et Rudimentis prætermissis. Coloniæ Agrippinæ, in officina Birckmannica, 1698, in-8. D 4 après C. 5, dernière signature.

Emmanuelis Alvari Soc. Jesu Institutionum Grammaticarum libri primi Epitomes trium Coloniensis Academiæ Gymnasiorum consensione recepta, et in communem studiosæ juventutis usum, cum interpretatione Germanica singularum vocum excusa. Coloniæ Agrippinæ, in officina Birkmannica, 1695, in-8. I 5 après H 5, dernière signature.

Emmanuelis.... Grammatica, Liber secundus; sive de octo partium orationis Constructione Scholiis Auctoris prætermissis. Ibid., id., 1698, H 2 après G 5, dernière signature.

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu de Institutione Grammaticæ in tres libros divisa, pro tribus Discentium Classibus sive Scholis. Romæ, typis Francisci Mariæ Ascamitek a Kronenfeld, et Fran-

cisci de Rubeis, 1701. Superiorum Permissu, in-12, pp. 553.

Emmanvelis Alvari e Societate Jesv syntaxis sive Institvtionvm lingvæ latinæ liber tertius. In vsum Studiosorum Societ. Iesv. Permissv Svperiorvm. Antverpiæ apud Martinvm Nvtivm. Anno M. DC. XXX. Cum Gratia et Priuilegio. In-12.

Titre avec le chiffre de la Comp. de Jésus. — Texte, p. 3 à 145. — Suit la permission de J. Stratius, accordée à M. Nutius, d'imprimer pendant sept ans les livres classiques en usage dans les colléges des Jésuites. Cette permission date du 1er décembre 1627. — Sur le verso, le privilége accordé par Philippe, roi d'Espagne, et daté du 28 mars 1628, mentionne quelques livres classiques imprimés par notre typographe : P. Emm. Alvari Rudimenta, Grammatica, Syntaxis, et Prosodia, ac P. Iac. Gretseri Rudimenta, Grammatica, Syntaxis, Prosodia Græca, et reliquos libros qui in Societ. Iesv per Prouinciam Flandro-Belgicam intra decennium proximum præleguntur. — (Bibl. de l'Univ. de Louvain.)

Cité par M. N. *Essai sur l'imprimerie des Nutius*. Bruxelles, 1858.

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu Syntaxis sive Institutionum linguæ latinæ Liber tertius. Duaci, typis M. Mairesse, 1708, in-8., pp. 159.

Grammatica latina. Antverpiæ, 1725, in-8.

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu Prosodia sive Institutionum linguæ latinæ Liber quartus. In usum Studiosorum Societatis Jesu. Antverpiæ, apud viduam Henrici Thieullier, 1729, in-8., pp. 136. Syntaxis sive Institutionum linguæ latinæ Liber tertius. Ad usum studiosæ juventutis. In Gymnasiis Societatis Jesu. Ibid., id., 1730, in-8., pp. 140.

Prosodiæ Rudimenta ex Emmanuele Alvaro S. Jesu, multis passim additionibus illustrata. Accessere Regulæ speciales cognoscendæ quantitatis syllabarum. Auctore P. Richardo Hesio ejusdem Societatis. Coloniæ Agrippinæ, apud Joannem Kinckium, sub Monocerote. Anno MDCXXX, in-8., pp. 119.

Regulæ de Syllabarum quantitate; acc. ars metrica, etc. Opera Lud. Vaslet. Londini, 1730, in-8.

Grammaticarum Institutionum libri primi Pars altera : De Generibus Nominum, Declinationibus, Verborum Præteritis atque Supinis. Editio nova. Argentorati, apud Joannem Franciscum Le Roux, Almæ Univ. Cath. Typog. et Bibl. MDCC. XXXIX, in-8., pp. 77. — Liber secundus. De Constructione octo Partium Orationis. Editio nova. Ibid., id., pp. 180. — Liber tertius. De Syllabarum dimensione, etc. Editio nova. Ibid., id., pp. 110. — Index in Emanuelis Alvari e Societate Jesu Grammaticarum Institutionum Partis alterius Librum primum. De Generibus Nominum, Declinationibus Verborum, Præteritis et Supinis. Et librum secundum de Constructione octo Partium Orationis cum Interpretatione Germanica et Gallica. Ibid., id., pp. 146.

Prosodia sive Institutionum linguæ latinæ Liber quartus. Leodii, apud viduam G. Barnabé, 1741, in-12, pp. 112.

Em. Alvari, Soc. Jesu de Institutione Grammatica, sive de octo Partium Orationis Constructione Liber secundus. Hildesii, 1747, in-8.

Celeberrima et emendatissima Emanuelis Alvari e Societate Jesu Grammatica cum Indice atque cum futurorum mixtorum additione. Bassani, 1748, ex typographia Remondini, in-16, pp. 512.

Celeberrima et emendatissima Emmanuelis Alvari e Societate Jesu Grammatica cum Indice atque futurorum mixtorum additione. Utini, MDCCLIX. Typis Antonii a Pedro, in-12, pp. 404, très-petit caractère. La Grammaire d'Alvarez finit à la page 360.

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu προσῳδία sive Institutionum Grammaticarum Liber quartus. Ad usum Gymnasiorum Societatis Jesu, Provinciæ Gallo-Belgicæ. Duaci, typis J. T. Willerval, 1757, in-8., pp. 131.

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu Prosodia sive Institutionum linguæ latinæ Liber quartus. In usum Studiosorum Societatis Jesu. Antverpiæ, apud Bern. Abr. Van der Plassche, 1761, in-8., pp. 136.

Em. Alvari Soc. Jesu Manuductio ad artem Grammaticam prima ejusdem Principia utiliter complectens. Moguntiæ, 1766, in-8.

Emmanuelis Alvari principia seu rudimenta linguæ latinæ. Monachii, 1777, in-8.

Prima Grammaticæ Institutio ex Emmanuele Alvaro Societatis Jesu ad faciliorem puerorum usum locupletissime adaucta. Mutinæ, typis Hæredum Soliani (sans date), in-12, pp. 78. (Imprimé pendant le XIXe siècle.)

Indices Verborum, Nominum, Adverbiorum, Interjectionum et Præpositionum Syntaxis Emmanuelis Alvari, latinæ linguæ candidatis apprime necessarii. Antverpiæ, apud viduam Reneri Sleghers, in-12, sans année, sans pagination ; dern. signat. B 5.

Syntaxis sive Institutionum linguæ latinæ Liber tertius. Leodii, ex officina viduæ S. Bourguignon, sans date, pp. 132, in-12.

Curiosas advertencias da boa Grammatica do P. Manoel Alvares. Contem annotaçoens, regras universaes das primeiras, e meyas syllabas; regras particulares de Orthografia, mudança nas letras da composiçao, modo para contar Kalendas, Nonas, e Idus. Lisboa, por Jorge Rodriguez, 1619, in-8. Ibid., id., 1623. — Lisboa, por Antonio Crasbeeck de Mello, 1665, in-8. — Lisboa, por Antonio Rodrigues de Abreu, 1675, in-8. — Lisboa, por Antonio Alvares, 1671. — Lisboa, por Joao da Costa, 1677, in-8. — Lisboa, por Joao Galrao, 1694, in-8. — Lisboa, por Miguel Manescal, 1710, in-8. — Coimbra, por Jozé Antunes da ylva, impres. da Universid., 1713, in-8. — Lisboa, por Manoel Fernandes da Costa, impressor do Sancto Officio, 1736, in-8.

Bartholomeu Rodrigues Chorro est l'auteur de ce travail.

Josephi Soares e Soc. Jesu Explicationes in præcipuam partem totius Artis P. Emmanuelis Alvarez S. J. quæ Syntaxim complectitur. Ulyssipone, apud Michaelem Deslandes, 1689, in-4. — Tertia editio. Ibid., id., 1699, in-4. — Ibid., apud Michaelem Rodriguez, 1739, in-4.

Explicationes in præcipuam partem totius artis P. Emmanuelis Alvari e Societate Jesu, quæ Syntaxim complectitur, novis curis in lucem editæ a P. Josepho Suares Societatis Jesu Primario Rhetorices Professore. Ulyssipone ex prælo Michaelis Rodrigues, 1743, in-4., pp. 304. — Réimprimé plusieurs autres fois.

Explicationes in omnes partes totius artis R. P. Emmanuelis Alvares e Societate Jesu ad usum Excellentissimi Ducis Alafonensis. Ulyssipone, apud Michaelem Rodriguez, 1729, in-4.

La 2e édition augmentée parut sous ce titre :

Arte explicada I Parte Principios. Contem todosos Nominativos Linguagens, Rudimenta, Generos, Præteritos, e Declinaçoens dos Latinos, e Gregos com toda a explicaçao necessaria para a perfeita intelligencia dos Principiantes, os methodos de preguntar en cada principia para se saberem em breve tempo, e com facilidade. Lisboa, por Miguel Rodrigues, 1735, in-4.

Arte explicada II Parte. Syntaxa para ouzo do Excelentissimo Duque de Lasoens. Ibid., id., 1730, in-4. A la fin : Reposta Apologetica a humas Notas, o Censuras, que sahirao contra o Arte do Reverendo Padre Manoel Alvres. Ao Excellentissimo Duque de Alafoens. Ces notes furent publiées par Emmanuel Coelho de Souza. — Coimbra, por Luiz Seco Ferreira, 1739, in-4.

Arte explicada. Appendix da Syntaxa perfeita, e segundo Tomo da segunda parte. Escholios de Nomes, e verbos ad usum Excellentissimi Ducis Allafonsens. Lisboa, por Miguel Rodriguez, 1732, in-4. — Coimbra, por Luiz Seco Ferreira, 1739, in-4.

Arte explicada III Parte e 4 Tomo. Syntaxa figurada, Syllaba, e Versos com a mediçao ad usum Excellentissimi Ducis Allafonensis. Lisboa, por Manoel Rodrigues, 1732, in-4. — Coimbra, por Luiz Seco Ferreira, 1739, in-4.

Ce travail sur Alvarez est dû à Jean de Moraes Madureyra Feyjoo.

Fr. Gregorio do Spiritu Santo, religieux Bénédictin, abbé du collége à Coïmbre en 1695, composa l'ouvrage suivant :

Annotaçoes sobre a quantitade das syllabas conforme a Arte do Padre Manoel Alvarez, tiradas de muitos, e graves authores, e firmadas com copiosissimos exemplos dos melhores Poetas principalmente conferidas, e purgadas na fonte grega. Divididas em duas partes, na primeira das quaes se trata muito miudamente da combinaçao, e corrispondencia dos Dipthongos Latinos com os Gregos. Na segunda se explicao em Portuguez algunas Regras dignas de notar da Arte do Padre Manoel Alvares com muitas curiosidades apontadas sobre a mesma regra, tudo muito util, e necessario para aperfeiçao das Poesias, in-4. Ce ms. se conservait autrefois au monastère de Tibaês. (Machado, IV, p. 154.)

Commento sopra la Terza Classe di Grammatica del P. Emmanuele Alvaro da Michele Felsina. Roma, Angelo Bernabò, 1681, in-12.

I Precetto dell' Arte metrica di Emmanuelle Alvaro della Compagnia di Giesù col trattato de' metri d'Horatio Flacco spiegati con chiarezza ad

uso de Principianti da Vincenzo Bertocci Rietino Maestro di Grammatica in Roma. In Roma, per Gio. Battista Bussoti, 1686, in-12, pp. 129, sans les lim. — Même titre. Seconda Impressione diligentemente corretta. In Roma, per Gio. Francesco Buagni 1689. Con licenza dê Superiori e Privilegij. Si vendono nella Scuola dell' autore in contre all' oratorio della Chiesa nuova, e nella scuola del sig. Giulio Ugolini, al Piè di marmo, in-12, 8 ff. lim., p. 128.

Emmanuele (*sic*) volgarizzato et accresciuto dall' Accademico Arrischiato D. Gio. Lorenzo Guarnieri, Prete secolare da Rotigliano, Provinciæ di Bari. Dedicato alla Santissima Trinita. In Napoli, per Antonio Bulifon, 1688, nella stamperia di Gio. Francesco Paci, in-8., pp. 490.

Il Giardino Grammaticale raccolto nel P. Emmanuele Alvares della Compagnia di Giesù, ed in altri celebri Autori di detta Compagnia da Gio. Batt. Mangioni. Roma, Domenico Hercole, 1710, in-8.

Elementi Grammaticali estratti della famosissima Grammatica del Padre Emanuele Alvaro della Comp. di Gesù. Coll' Aggiunta di alcune cose, che possono essere di molto giovamento, e comodo a' Principianti. In Firenze, nella stamp. di S. A. R. per li Tartini, e Franchi, 1725, in-12, pp. 237.

Catalogo delli verbi latini più usati da M. T. C. posti con l'ordine del m. R.. P. Emmanuele della Compagnia di Gesù. Con suoi Preteriti, e Supini, e con l'Indice Latino, e Volgare nel fine. Di nuovo Ristampato, et accresciuto di Verbi, e Regole, con divisione e constructione del nome, per l'istesso Autore illustrato. Necessariissimo a tutti quelli, che desiderano breve acquistare la lingua latina Ciceroniana. Composto per il R. D. Pietro Brexi, e Licata, Professore della lingua latina. In questa nuova impressione diligentemente corretto, e da molti errori expurgato. In Venezia, 1726, appresso Andrea Poletti, in-12, pp. 272.

Volgarizzamento della Gramatica del Padre Emanuele Alvaro della Compagnia di Gesù col suo Testo latino innumerabili errori corretto; e restituito alla sua vera lezione; con Osservazioni, Addizioni, Antologie, e Commentarj da Domenico Menga Diviso in tre libri. In Verona, 1726, per P. Antonio Berno, in-12, pp. 187 pour 487,500 et 265, sans l'Epître dédic. L'appr. est de Padoue, 1723.

Elementi Grammaticali per imparare la lingua latina, estratti dalla Grammatica del Padre Emmanuele Alvarez della Compagnia di Gesù per comodo de' principianti. In Milano, 1755, nella Stamperia di Giuseppe Marelli, in-8., pp. 112.

Elementi Grammaticali estratti della famosissima Grammatica di Emmanuele Alvaro ad uso delle scuole. Lucca, tipografia Baroni, 1836, in-12.

Ex institutione Grammatica Emmanuelis Alvari Societatis Jesu, quæ ad inferiorem et superiorem infimæ classis ordinem spectant. Cum italica versione. Romæ, MDCCCXXXII. Ex Typographia Ven. Hospitii Apostolici apud Petrum Aurelium, in-8., pp. 309.

Ex institutione Grammatica Emmanuelis Alvari Societatis Jesu, quæ ad inferiorem et superiorem infimæ classis ordinem spectant. Cum italica versione. Editio I Taurinensis juxta Romanam anni MDCCCXXXII. Augustæ Taurinorum, ex typographeo Hyacinthi Marietti, 1836, in-12, pp. 328. — Editio II Taurinensis. Augustæ Taurinorum, ex typographia Hyacinthi Marietti, 1838, in-12, pp. 328. Même titre. — Editio I Placentina juxta Romanam, anni 1832. Placentiæ, ex typographeo fratrum del Majno, 1837, in-8., pp. 272.

Prosodia del P. Manuel Alvarez de la Compañia de Jesus. Ilustrada, y aumentada con las noticias, y observaciones mas curiosas de los Authores, que han escrito sobre este assunto. Para el uso de los Señores Colegiales del Seminario de S. Ignacio de Loyola de Valencia. Por el Licenciado Joseph Aparicio, Discipulo de dicho Seminario. En Valencia, por Jayme de Bordazar, 1698. A costa de Juan de Baeza, in-12, pp. 186, sans les lim.

Prosodia del P. Emanuel Alvarez, de la Compañia de Jesus, ilustrada y aumentada con explicaciones literales, y observaciones curiosas de los mas classicos autores que han escrito sobre este asunto, con otros tratados muy provechosos, Cervera, 1722, in-8., imprenta de la real universidad.

Rudiments de la langue latine composés sur la Grammaire du P. Emanuel Alvarez de la Compagnie de Jesus, par un Père de la même Compagnie. A Paris, chez la veuve d'Horace Molin, MDCCIX, in-8., pp. 176. A la fin : Lugduni, typis Marcelini Sibert, MDCCIX. — Même titre. Nouvelle édition, revûë, augmentée et corrigée

avec soin par l'auteur. A Lyon, chez Antoine Molin, MDCCXIII, in-4., pp. 136.

Emmanuelis Alvari Soc. Jesu Syllabus omnium Vocabulorum Latino Germanice. Friburgi, 1624, in-4.

Anweisung zur Lateinischen Sprach aus Emanuelis Alvari S. J. Institutionibus Grammaticis. München und Ingolstadt, 1754, in-8.

Alvari Institutiones Grammaticæ. Monachii, 1748, in-8. — Ejusd. opus. Augustæ, 1749, in-8. — Ejusd. Principia et Rudimenta. Augustæ, in-8.

Der umsonst lehrende Haus-Præceptor, oder teutsche Rudiment und Grammatic R. P. Alvari. Ulm, 1751, in-8.

Epitome Grammaticæ Alvari, cum interpretatione Germanica. Nurembergæ, 17...., in-8.

Des R. P. Emmanuelis Alvari e Societate Jesu Vollständige Lateinische Sprach-Kunst, auf die grund-und ordentlichste Lehr-Art mit vielen newen Vortheilen und grosser Erleichterung selbige edle Sprache bald grundlich zu fassen : Im Teutsche übersetzt von Hermani Theodori Husemann, Jurium Candidati, und dem Verstand der Teutschen Nation, absonderlich deren, so erst eine andere neben ihrer Mutter Sprach erlernen wollen, vollkommentlichst durch klare Lehr-Säz kürzlich bequemet, aber zu genauer Verständlichkeit derselben, und Ubung eine reine Latinität zu erlangen, durch auserlesenste Ciceronianische und dahero zuverlässige Exempla weitläuffiger erkläret. Wienn, zu finden bey Adam Damer in Zwettelhoff, Anno 1725, in-8., 12 ff. limin., pp. 696.

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu principia, seu Grammaticæ Institutiones. Budæ, Nottenstein, 1732-1735, 3 parties.

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu principia, seu Grammaticarum Institutionum Liber primus. Budæ, typis Veronicæ Nottenstein, 1749, in-12, pp. 228; en hongrois et en allemand.

Emm. Alvari Institutiones Grammaticæ. Budæ, 1805, pet. in-8. A la fin, vient un vocabulaire des racines latines avec la traduction hongroise et allemande.

An introduction to the Latin Tongue or the first book of Grammar, composed in latin by Emmanuel Alvarez of the Society of Jesus And Translated in to English for young students of the same Society. London, printed by Henry Hills, Printer to the King's Most Excellent Majesty, for his Houshold and Chappel : For him, and Matthew Turnei at the haml in High Holborn, 1686, in-12, pp. 131.

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu de Institutione Grammaticæ libri III, s. l. s. a., in-12, pp. 204. — Idem, Posnaniæ, 1577, in-8. — Idem, ibidem, 1586, in-8. — Idem, Vilnæ, 1764, in-8. — Idem, ibidem, 1767, in-8. — Idem, s. l., 1772.

De Institutione Grammaticæ Libri III. Editio nova et correctior. Posnaniæ, typ. S. J., 1697, in-12, pp. 20 et 261. — Idem, Vilnæ, typ. Acad., 1782, in-8., pp. 381.

Institutionum Grammatices Libri I^mi pars prior. — De nominum substantivorum declinatione, s. a. s. l., in-8., pp. 185.

Institutionum Grammatices Liber II. De octo partium orationis Constructione, s. a. s. l., in-8., a pag. 189 ad 310. — Idem, Posnaniæ, 1578, in-8. — Idem, ibidem, typ. J. Wolrabi, 1586, in-8., pp. 351.

Institutionum Grammatices Liber III. De syllabarum dimensione, s. l. s. a, in-8., a pag. 311 ad 368. — Idem, Posnaniæ, typ. M. Neringk, 1527, in-8. — Idem, ibidem, typ. J. Wolrabi, 1786, in-8., pp. 192.

Institutionum Grammatices Liber I, scholiis authoris prætermissis. Vilnæ, 1592, in-8., pp. 50.

Institutionum Grammatices pars prior. De partium declinabilium inflexione, scholiis authoris omissis. Vilnæ, 1592, in-8., pp. 68.

De Institutione Grammatices Libri III, nunc denuo revisi et a mendis accurate expurgati. Brunsbergæ, typ. S. J., 1711, in-8. — Nunc denuo revisi et a mendis accurate expurgati. Brunsbergæ, typis Coll. Soc. Jesu. Anno M. DCCLXVI, in-8., pp. 432. — Calissii, typis Coll. S. J. 1767, in-8. et in-16.

R. P. Emmanuelis Alvarez e S. J. de Institutione Grammatices Libri III. Editio nova, correctior et cum ad fontes ipsos studiose exacta, tum e recentissimis Italicis, Germanicis, aliisque optimis editionibus, ac aliunde etiam illustrata. Sandomiriæ, typ. S. J., 1766, in-8., pp. 336. — Idem, ibidem, 1764, in-8. — Idem, Calissii, 1764, in-8. — Idem, Vilnæ, in-8. — Idem, Calissii, typ. S. J., 1768, in-8., pp. 336. — Idem, ibidem, 1770, in-8., pp. 472 et 11. — Idem, ibidem, 1773, in-8., pp. 463. — Idem, ibidem, 1777, in-8., pp. 306 et 284. — Idem, ibidem, 1777, in-8., pp. 473.

Idem. Editio nova correctior. Wilnæ, typ. Acad.

S. J., 1767, in-8. — Idem, ibidem, 1773, in-8. — Idem, ibidem, 1777, in-8. — Idem, ibid., 1783, in-8. — Idem, ibidem, 1784, in-8. — Idem, Polociæ, typ. S. J., 1790, in-8. — Idem, Wilnæ, 1790, in-8. — Idem, Polociæ, typ. S. J., 1784, in-8, pp. 272. — Idem, Vilnæ, 1793, in-8.

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu de Institutione grammatica linguæ latinæ Libri tres. Polociæ, in Privilegiata a sua Imperatoria Majestate Typographia Colleg. Soc. Jesu. Anno 1794, in-8., pp. 272. — Ibid., idem, 1809, in-8.

Grammatyka jezyka lacinskiego X. Emmanuela Alvara S. J. Polock Dr. X. X. Jesuitow, 1805, in-8. — [Grammatica linguæ latinæ P. Emmanuelis Alvari S. J. Polociæ, typ. S. J., 1805.]

Grammatika iezyka lacinskiego X. Emmanuela Alvara S. J. w Polocku w Druk XX. Jezuitow, 1815, in-8. — Ibid., 1819, in-8.

De Institutione Grammatica P. Emmanuelis Alvari S. J. latine, polonice et germanice. Calissii, 1682, in-8. — 1734, in-8. — Idem, Calissii, 1772, in-8. — Pul-Alwaryk, czyli grammatyka lacinska z polskim, s. l. s. a., in-8. [Dimidium Alvari seu grammatica latina cum polonico, s. l. s. a.], in-8.

Auxilia tyronum latine discentium, ex Emm. Alvaro S. J. decerpta. Premisliæ, typis Coll. S. J., 1769, in-8.

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu Institutiones Grammaticæ pro Illyricis accommodatæ a Patribus ejusdem Societatis. Romæ, Fr. Caballus, 1637, in-16.

Emmanuelis Alvari e Societate Iesu de Institutione Grammatica libri tres. Coniugationibus accessit interpretatio Iapponica. In Collegio Amacusensi Societatis Iesu cum facultate superiorum. Anno M. D. XCIII, pet. in-4., 170 feuill. Ce volume, d'une rareté extrême, est imprimé sur papier de Chine plus fort que le papier chinois ordinaire, et porte l'impression sur les deux côtés, tandis que les cahiers chinois ont d'ordinaire deux feuilles unies ensemble. La conjugaison des verbes réguliers est divisée en trois colonnes, latin, japonais et portugais. Le reste de l'ouvrage est en latin.

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu de Institutione Grammatica libri tres in Compendium redacti ab Horatio Tursellino Societatis Jesu. Romæ....

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu de Institutione Grammatica libri tres, olim ab Horatio Tursellino ejusdem Societatis, in Compendium redacti, priore editione restituti, editio altera diligentior. Mediolani, 1755, ex Typographia Bibliothecæ Ambros., apud Joseph Marellum, in-12, pp. 439, sans la table.

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu de Institutione Grammatica libri tres olim ab Horatio Tursellino ejusdem Societatis in Compendium redacti priori editio (*sic*) restituti. Editio prima romana. Romæ, MDCCLXVIII. Ex Typographia S. Michaelis ad ripam, sumptibus Pauli Junchi Hær. Dizzarini. Superiorum Permissu et Privilegio, in-12, pp. 437.

Emmanuelis Alvari S. J. Institutionis Grammaticæ Libri III, hac editione innumeris mendis, quibus scatebant expurgati, et in pristinum splendorem restituti. Catinæ, 1777, in-12. « Quest'è una delle tante ristampe dappertutto moltiplicate della celebre grammatica dell' *Alvaro*, ridotta a compendio dall' elegante *Orazio Tursellini*, per uso delle scuole Gesuitiche, e da altri in più lingue tradotta, da altri in più gaise modificata. In quest' edizione trovansi i precetti annunsiati in versi esametri per aucto della memoria. » (P. Narbone, Bibliografia Sicola, IV, 258.)

Libri tres de Institutione Grammatica Emmanuelis Alvari in Compendium redacti ab Horatio Tursellino ad S. J. Scholas frequentantium eruditionem. Regii, apud Josephum Davolium et filium, 1823, in-12, pp. 569, sans les lim.

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu de Institutione Grammatica libri tres, olim ab Horatio Tursellino ejusdem Societatis in Compendium redacti, hac vero editione, quæ ad normam editionis Bibliothecæ Ambrosianæ Mediolanensis in lucem prodit emendatissime restituti. Romæ, 1824, ex typographia Hospitii Apostolici, apud Carolum Mordacchinium, in-12, pp. VIII-469.

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu de Institutione Grammatica libri tres, ab Horatio Tursellino ejusdem Societatis olim in Compendium redacti. Neapoli, ex typographia Gallicana, 1826, in-12, pp. 471.

Emmanuelis Alvari Soc. Jesu Institutio Grammatica ab Horatio Tursellini S. J. in Compendium redacta. Romæ, 1832, ex typis Ven. Hosp. Apost., apud Petrum Aurelium, in-8, pp. XVIII-428.

Emmanuelis Alvari Soc. Jesu Institutio Grammatica, ab Horatio Tursellino S. J. in Compendium redacta. Editio prima stereotypa Taurinensis

ad fidem edit. Rom. anno 1832. Taurini, ex typis Hyac. Marietti, 1839, in-12, pp. XVI-464.

Alvari Emmanuelis de Grammatica Institutione libri tres, olim ab Horatio Tursellino in Compendium redacti, hac editione restituti, mendis innumeris sublatis. Bassani, suis typis Remondini edidit, 1840, in-12, pp. 378.

Tursellino, Grammatica di Em. Alvaro compendiata e trasportata in italiana favella. Milano, 1777, in-12.

Grammatica di Emanuele Alvaro della Compagnia di Gesù Compendiata da Orazio Tursellino della medesima Compagnia trasportata in Italiana favella ad uso delle scuole. Edizione novissima. In Pavia, 1801. Nella stamperia Bolzani, in-12, pp. 164, sans la table.

Antonii Vellesii e Soc. Jesu, Commentarius in Emmanuelis Alvari Grammaticam latinam. Evoræ, apud Samuelem de Lyra, 1596, in-4.

Emmanuelis Alvari e Societate Jesu, de Institutione Grammatica libri tres. Antonij Velesij Amiensis ex eadem Societate Jesu Eborencis Academiæ Præfecti studiorum operâ aucti et illustrati. Eboræ, ex Typographiâ Academiæ. An. 1659, in-8., pp. 321. A la fin on a ajouté un dictionnaire latin-portugais de tous les mots contenus dans la Grammaire. Le privilége royal est du 10 février 1596. Les autres approbations sont de 1657, 1658 et 1659.

« Hos de Institutione Grammaticâ libros Commentariis copiosis illustravit Antonius Vallesius et ipse Lusitanus : exindeque Compendia duo formarunt linguæ latinæ Richardus Hesius, et Richardus Richardi, hic Italus, ille Germanus, uterque Jesuita. » (ANTONIO.)

Limen Grammaticum, seu Prima Litterarum rudimenta ab Emanuelis Alvari Institutionibus excerpta a J. B. Fageo. Patavii, apud Joan. Bapt. Pasquali, sans date, in-8.

Limen grammaticum, seu Prima literarum rudimenta ad puerilia studentium ingenia exercenda. Panormi, 1776, in-8. — Catinæ, 1798, in-8. — Panormi, 1820, in-8.

Limen Grammaticum, seu Prima litterarum rudimenta ab Emanuelis Alvari Institutionibus olim excerpta a Joanne Baptista Fagæo ad puerilia studentium ingenia in ipso Grammaticæ limine utiliter exercenda. Nunc demum in hac novissima editione purgatis jam pluribus erroribus, addita sunt quam plurima tum quoad nominum declinationes et verborum conjugationes, tum quoad alia quæ desiderari videbantur ad clariorem rerum explicationem pro faciliori incipientium captu. Accedunt nunc primum accentus ad moderandam pronunciationem necessarii. Bassani, suis typis Remondini edidit, 1839, in-8, pp. 152.

Efflatio pulveris adversus Emmanuelis Alvari Grammaticas Institutiones ab Orlando Pescettio Veronæ excitati. Qua plus centum septuaginta reprehensiones a Jacobo a Fossa Regiensi Collegij Gregoriani Nolano ex commentarijs, et responsis admodum R. Sacerdotis Mariani Benedicti a S. Vito Prædestinæ Diœcesis confutantur. Monachii, apud viduam Bergianam impensis Joannis Hertsroy, 1616, in-8, pp. 64. Il reproduit en partie l'ouvrage de Pescettius, imprimé : Veronæ, apud Angelum Tanum, 1609; la réponse occupe 464 pages.

Animadversiones et notæ in Emmanuelis Alvari grammaticas institutiones. Authore Francisco Bagnario Vistulo J. U. D. Humaniorum Literarum Professore publico. Illustrissimo et Reverendiss. Domino Benedicto Monaldino S. Rauen. Ecclesiæ Præposito dicata. Cæsenæ, typis Digni, 1704, in-12, pp. 213. — C'est probablement l'ouvrage de Dominique Lazzarini de Macerata : « Vennero dal Facciollati e dal P. Zaccaria attribuite all' abate Domenico Lazzarini, ma a tale sentimento si oppone il Fabroni nella vita che di lui scrisse, Vitæ Ital., tom. XIV, pag. 110, nota 1. » (MELZI, *Dizionario di Anonimi* ec., I. 109.)

Le P. Emmanuel Aguilera S. J. répondit à ces critiques par l'ouvrage suivant :

Bagnarius Pædagogus ad Scholam revocatus, et in ea egregie elisus et castigatus a Fabio, et pueris infimæ classis, ob ineptissimas animadversiones, et notas in Emmanuelis Alvari Grammaticas Institutiones. Vindice Cornelio Ferrandino Castaldensi Human : Litter. : publico Professore. Taurini, M. DCC. IV. (sans nom d'imprimeur). Superiorum permissu; in-12, pp. 447, sans l'Épît. dédic. et la Préf. « Con una raccolta in fine di satirici epigrammi, in data Augustæ Vindelicorum, 1705, che diconsi dello stesso P. Aguilera. » (MELZI, I, 403.)

Emmanuel Coelho de Sousa publia en 1729 quelques critiques de cette grammaire. Le P. Franco y répondit par sa Contramina :

Contramina Gramatical com que se desvanecem diversas notas, e assumptos, que hum Curioso im-

primio contra os Gramaticos, em especial contra a nunca assas louvada Arte de Gramatica Latina do Doutissimo P. Manoel Alvres da Sagrada Companhia de Jesu, pella qual estuda Grammatica a maior parte de Europa, e contra o Promptuario de Syntaxe do P. Antonio Franco da mesma Companhia. He esta Obra a todos os Gramaticos, muy provietosa em ordem a perfecta intelligencia de diversas difficuldades Gramaticaes por Francisco da Costa Eborense. Evora, na Officina da Universidade, 1731, in-8., pp. 196, sans la préf. et la table.

Riposta a Contramina Grammatical do Padre Antonio Franco que sahio en Evora, 1731, in-8.

Riposta a Apologia que fez Joao de Moraes Madureira Feijo-o Mestre de Grammatica do Excellentissimo Duque de Lafoens publicada em Coimbra, 1739, pela Arte do Padre Manoel Alvares, in-4.

Anti Prologo critico e apologetico, no qual a luz das mais claras razoes se monstrao desvanecidos os erros, descuidas e faltas notaveis, que no insigne P. Manoel Alvares presumirao descubrir os RR. AA. do Novo Methodo da Grammatica Latina, dirigido aos mesmos Reverendos Padres por Manoel Mendes Moniz, natural da villa de Dornes, Escrivao Proprietario dos Orfaos do seu Termo, Guarda dos Estudos publicos desta Corte no Real Collegio de Santo Antao, etc. Lisboa, na Officina de Miguel Manescal da Costa, 1753, in-4., pp. 158, sans la préf. et les lim. Cette dispute commença par la publication du livre intitulé : « Novo Methodo da Grammatica Latina, » publié par les Pères de l'Oratoire. Dans la préface ils relevèrent des fautes ou prétendues fautes du P. Alvarez.

Diego Barbosa Machado, Bibliotheca lusitana, t. IV, 53, parle en ces termes de la Grammaire d'Antoine Pereira de l'Oratoire :

« Novo Methodo da Grammatica latina para uso das Escolas da Congregaçao do Oratorio na real casa das Necessidades. Lisboa, por Miguel Rodriguez, 1752, in-8. O prologo consta de cento et sete paginas, onde o author descubrio mais de cem erros na Arte latina do Padre Manoel Alvares Jesuita. Et ibi pelo dito Impressor, 1744. Et ibi, pro Francisco Luiz Ameno, 1756, in-8.

« Novo Methodo da Grammatica Latina Part. 2 que comprehende a Syntaxe. Lisboa, por Miguel Rodrigues, 1753, in-8. No Prologo responde, e convence a hum papel intitulado *Mercurio grammatical*, escrito contra o Prologo da primeira Parte do *Novo Methodo*.

« Defensa do Novo Methodo da grammatica Latina contro o Anti Prologo Critico. Dividida em duas partes por Francisco Sanches. Lisboa, na offic. de Miguel Rodrigues, 1754, in-4., pp. 191 et 99.

« Collectio verborum familiarium cum Lusitanorum, tum Latinorum in usum Scholarum Congregationis Oratorii. Ulyssipone, Typis Michaelis Rodrigues, 1755, in-8. Sahio segunda vez *auctior et castigatior*, ibi na dita Impressao, 1757 : nella responde a Notas de hum Papel, que sahira contra a primera ediçao. »

Editto di S. M. F. il Re di Portogallo per cui si aboliscono le scuole minori de' Gesuiti e si proibisce in loro metodo d'insegnare, e se ne prescrive uno nuovo. In Lisbona, 1759, nella stamperia di Michele Rodriguez, in-8., pp. 61. Cet édit défendit d'enseigner la grammaire du P. Alvarez.

Pro Institutione Grammatica Emmanuelis Alvari Oratio, in recurrente post ferias Augusti studiorum instauratione, habita Calissii, per P. Joannem Bielski Soc. Jesu in Scholis Primitialibus Publicum Artis Rhetoricæ Professorem. An. MDCCXLVI, in-4., pp. 26. Jocher, I, 72, d'après Janocki, ajoute: w Kaliszu w Jesuitów.

Emanuelis Alvari e Societate Jesu liber de Mensuris, ponderibus et numeris. Le P Franco le publia à la fin de son Indiculus de Pomey. Evora, 1716, in-8.

De Mensuris, Ponderibus et Numeris, et Prosodia Alvariana aucta et emendata, a J. W. London, 1719, 1726, in-8. — Dublin, 786, in-12.

« Quanta doctorum virorum approbatione Emmanuelis Alvari, e Societate Jesu, tres de Grammatica libri excepti sint, quantaque omnium laude commendati, nemini puto, quem aliquid hujus rei tangit, ignotum esse. Nova enim et nostri seculi Grammaticis ignota, ex antiquis adytis eruta, in lucem protulit, eaque antiquorum scriptorum, Varronis præcipue aliorum*que* qui, Varronis ætatem secuti, latinæ linguæ fontes aperuerant; Quintiliani, Probi, Gellii, et eorum qui cum dignitate rem Grammaticam tractarunt, testimoniis confirmata; idque non tam ad puerorum, qui doctrinæ capaces non sunt, instructionem, quam ad locos magistris indicandos, unde pleniorem ejus doctrinæ copiam haurire possint, et caput altius erigere quam adhuc communis docentium usus vulgo consuevit. Tum ipsa præcepta quæ pueris explicanda proponuntur, ea orationis dignitate brevitateque pertractat, ut te non puerilia Grammaticæ præcepta, sed alicujus areopagi aut romani senatus decreta, legere existimes. Nec mirum hominem, præter ejus vitæ sanctitatem aliosque excellentes laudes tum ingenii, tum probitatis, multa etiam doctrina excultum, atque in omnium scriptorum genere versatum, etiam in hac materiæ tenuitate *leonem ex unguibus agnosci.* »

(Marianus Benedictus apud Barbosa, *Bibliotecæ Lusitanæ*, tomo 3°.)

EMMANUELIS ALVARI

E SOCIETATE JESU

DE INSTITUTIONE GRAMMATICA

LIBRI TRES

LIBER PRIMUS

1. Cum præclarum illud Horatii dictum, l. I, ep. 2, v. 69 :

> Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
> Testa diu,

verissimum esse re ipsa quotidie experiamur, dabit in primis operam præceptor ut discipuli, etiam nunc tirones et latinæ linguæ rudes, jam inde a principio optimæ pronuntiationi assuescant. Quod quo facilius assequatur, studiose diligenterque observabit quibus præcipue vitiis laboret ea regio, in qua sibi commissam juventutem instituet : nam singulis fere nationibus domestica quædam ac nativa insunt vitia, quibus latini sermonis splendor obscuratur atque pene obruitur. Nostrates pueri, si magistrum diligentem ac bene pronuntiandi studiosum nacti fuerint, non male equidem pronuntiant; sin vero in eum inciderint qui officio suo desit, ac de auditorum progressu parum sit sollicitus, barbare literas *m* et *n* extremas sonant. Utuntur enim litera nescio qua notha et adulterina, cujus literæ P. Nigidius apud A. Gellium, l. XIX, c. 14, mentionem facit. « Inter literam, inquit, *n* et *g* est alia vis, ut in nomine *anguis*, et *angaria*, et *ancora*, et *increpat*, et *incurrit*, et *ingenuus*. In omnibus enim his non verum *n*, sed adulterinum ponitur : nam *n* non esse lingua indicio est. Nam, si ea litera esset, lingua palatum tangeret. » Hæc ille. Loquitur, ut vides, non de extrema litera *n*; sonus tamen et pronuntiatio eadem prorsus est quæ nostratium *m* et *n*, cum sunt ultimæ : eodem enim modo barbari *m* et *n* extremas pronuntiant.

D, *t*, itidem extremas sæpe numero intactas omittunt; interdum posteriori vocalem *e* adjungunt, *este*, *abeste*, pro *est*, *abest* dicentes. *C* ultimæ eamdem vocalem addunt, eamque sono accedente ad literam *q* pronuntiant, *hice*, *hœce*, *hoce* effutientes. Quos ne primam quidem nominum formam patietur præceptor ediscere, nisi prius hanc barbariem penitus exuerint : nam cum pronomen *hoc* crebro sit usurpandum, opus est ut id ante optime pronuntient quam memoriæ infigant. In mediis vocalibus *c* ante *t* vix attingunt : *pactum*, *dilectum*, *dictum*, *ductum*, quæque sunt generis ejusdem, *c* litera privantes. Eadem injuria afficiunt *p* ante *t*, et *aptus*, *ineptus*, *scriptus*, *ruptus*, *carpsi*, *nupsi*, siquidem in his et similibus verbis vix auditur *p*. Iidem alterum *s* nonnunquam supprimunt : *dissero*, *dissolvo*, *dissipo*, *dissidium*, et nonnulla id genus perperam sonantes. *U* post literas *q* et *g*, cum liquescit, ita opprimunt vel potius extinguunt, ut *quare*, *quam*, *aqua*, *lingua*, et alia ejusdem generis verba fœdissime corrumpant. Jam vero *x*, quocumque loco fuerit, pronuntiantes, pingue quiddam et peregrinum sonant, usque eo ut cum, verbi causa, *dixi* pronuntiarint, credas te non romanum, sed arabicum verbum audivisse.

In his atque cæteris vitiis exstirpandis nervos omnes vigilans et industrius præceptor contendet. Varia remedia excogitabit quibus os linguamque rudem informet; attentissimo animo suos tirones legentes audiet; curabit ut *m* pressis labris sonent; docebit *n* ita pronuntiandum, ut lingua palatum tangat; etiam atque etiam instabit, urgebit,

ut *hic, hæc, hoc* ita pronuntient, ut vocalem quam de suo addunt, procul abjiciant; *x* in pristinum statum restituet ac frequentissime inculcabit compendium esse duarum literarum *c* et *s*, neque aliter *dixit* pronuntiandum esse, quam si per *c* et *s* scriberetur : *dicsit*. Rubiginem in elementariis ludis contractam diligentissime deteget; in his enim multa variaque pronuntiationis monstra nascuntur; hinc frequentes illi barbarismi : *Deio, meio, Deium, meium, meia, meiam, meias,* nostratibus in ore sunt, siquidem *i* post *e* pronuntiant, quoties dictio in syllabas *eum, eo, eos, eam, ea, eas* desinit. Hinc *eitiam* tertio quoque verbo pro *etiam*. In iisdem syllabariis scholis pleraque omnia, quæ supra diximus, orta sunt vitia : nam dum verba articulatim syllabatimque potius mandunt quam sonant, literas alias detrahunt, aliis alias permutant, sonos fingunt novos et inauditos. Quare congerenda est magna verborum silva, quorum pronuntiatio difficilior sit, quibuscum tamdiu novi palæstritæ luctabuntur, donec devicta et prostrata fœdissima barbaries e palæstra gymnasioque extrudatur et in perpetuum relegetur. Hoc idem Fabius, l. I, c. 1, in fine, vehementer præceptoribus commendat, his verbis : « Non alienum fuerit exigere ab his ætatibus, quo sit absolutius os et expressior sermo, ut nomina quædam versusque affectatæ difficultatis ex pluribus et asperrime coeuntibus inter se syllabis catenatos et velut confragosos, quam citatissime volvant; χαλεποί græce vocantur. Res modica dictu; qua tamen omissa, multa linguæ vitia, nisi primis eximuntur annis, inemendabili in posterum pravitate durantur. »

Latinum Alphabetum vel syllabatim dictare non erubescet; alioquin id quod sæpe usu venit, post multos annos *a*nalphabeti reperientur, *eme, ene, erre,* et alia his deteriora literarum nomina perridicule usurpantes. Quod si professor id existimabit humilius esse quam ut suum gymnasium deceat, potiusque ad elementarios abecedariosque magistros spectare, meminerit et se et eam quam profitetur artem ab elementis literisque nomen traxisse. Nos certe, quoniam in eadem versamur, ipsum non nudis formis, sed plenis nominibus libentissime subjiciemus :

A, Be, Ce, De, E, Ef, Ge, Ha, I, Kappa, El, Em, En, O, Pe, Qu, Er, Es, Te, U, Ix, Ypsylon, Zeta.

Multa denique, ne longior sim, tirunculis discenda, multa dediscenda sunt, pro variis nationum linguis et vitiis, quæ præceptor pro sua prudentia ac eruditione etiam atque etiam considerabit.

DE NOMINUM DECLINATIONE

PRIMA DECLINATIO

2. Musa, nomen declinationis primæ, generis feminini, numeri singularis, sic declinabitur :

Numero singulari.			*Numero plurali.*		
Nominativo	hæc	Musa.	*Nominativo*		Musæ.
Genitivo		Musæ.	*Genitivo*		Musarum.
Dativo		Musæ.	*Dativo*		Musis.
Accusativo		Musam.	*Accusativo*		Musas.
Vocativo	o	Musa.	*Vocativo*	o	Musæ.
Ablativo	a	Musa.	*Ablativo*	a	Musis.

Hæc musa jucunda. | *Hæc ferula acerba.*

Paucis post diebus :

Hæc musca dulcis.
Hæc ferula minax.
Hic nauta vigilans.
Hic poeta optimus.

Ne pueri otio diffluant, curabit præceptor ut substantivum nomen cum adjectivo domi conjungant et declinent, quorum nominandi casus tantum ipse dictabit; ubi redierint, rationem reposcet, inspiciet diligenter an emendate scripserint, errata studiose corriget, laudabit diligentes, indiligentes excitabit. Adjectiva ne inepta sint, ne multa, ad summum duo, ut : *Puer diligens et ingeniosus.*

3. Veteres illi ac nobiles grammatici, vel Ciceronis florentissima ætate, nominibus declinandis *pronomen* sive *articulum* (nam utroque modo a Terentio Varrone, l. VIII, 45, dicitur) *hic, hæc, hoc* casibus omnibus præponebant, quo tum nominum genera, tum casus notabant; non quod Græcorum more Romani articulos in oratione adhiberent, sed ut expeditius rem grammaticam tractarent; ne, si virile, muliebre ac neutrum genus, nominandi, interrogandi, dandi, cæterosque casus sæpius inculcarent, legentibus tædium afferrent. Qua declinandi ratione M. Varro, Romanorum eruditissimus, frequentissime utitur in iis libris quos de Ling. lat. scriptos reliquit; in quorum uno, l. X, 80 : « Dant, inquit, non habere casus *mox* et *vix; nequam* habere, quod dicamus : *hic nequam,* et *hujus nequam,* et *huic nequam.* » Idem in eodem, 15, ubi de naturali et voluntaria declinatione agit : « Naturam dico, cum universi acceptum nomen ab eo qui imposuit, non requirimus quemadmodum is velit declinari, sed ipsi declinamus, ut *hujus Romæ, hanc Romam;* » in eodem, 8 : « Dicitur enim *hic lepus* et *hoc nemus;* si ejusdem generis essent, utrique præponeretur idem, ac diceretur aut *hic lepus* et *hic nemus,* aut *hoc lepus* et *hoc nemus.* » P. Nigidius, quem M. Tullius, propter excellentem et ingenii et eruditionis præstantiam, coluit atque plurimi fecit, in quarto et vigesimo Commentariorum grammaticorum, apud Gellium, l. XIII, c. 25 : « Si *hujus,* inquit, *amici,* vel *hujus magni* scribas,

unum *i* facito extremum. Sin vero *hi magnei, hi amicei,* casu multitudinis recto, tum ante *i* scribendum erit *e*, atque id ipsum facies in similibus.» Eodem modo Fabius, l. I, c. 7, 14; Probus, l. II, p. 1439; Gellius, l. XIII, c. 25, locuti sunt, et qui post eos præcepta grammaticæ tradiderunt. Donatus, edit. II, p. 1749, non solum articulos casibus, sed ipsis etiam articulis, casuum appellationes præposuit hoc modo : nominativo : *hic* magister; genitivo : *hujus* magistri; dativo : *huic* magistro. Diomedes, l. I, p. 314, veterum ritu, articulis contentus fuit.

Quid ergo, dicat aliquis, tibi in mentem venit, ut a gravissimorum hominum sententia recederes? Ego vero tantum abest ut ab eorum sententia recesserim, ut ipsos etiam in his commentariolis ad imitandum mihi potissimum proposuerim. Quibus igitur rationibus adductus, pueris declinationum formas, prætermissis articulis, ediscendas proponis? Nimirum quia satis superque arbitror casuum vocabula ipsis casibus præponere, articulos vero nominum tantum positionibus rectisque casibus : aliud est enim rationem viamque tradere qua latinam linguam discas, aliud grammaticæ quæstiones explicare nodosque difficiles expedire. Hic et articulis licet utare, et aliis quæ grammaticorum quidem sunt propria, sed a latini sermonis cultu et elegantia longe alienissima; illinc omnia quæ potius impedimento quam emolumento esse possunt, omnino, quoad ejus fieri poterit, removenda sunt. Quorsum enim ea pueri memoriæ mandent, quæ nullam ipsis utilitatem sint allatura? Quid attinet nomina articulis infarcire, quorum nullus in oratione latina sit usus? Quod si priscis illis temporibus id studio fuit ludimagistris, ut pueros nomina in casus inclinantes articulis, tanquam crepitaculis quibusdam, oblectarent, nemini id mirum videri debet, siquidem ea ætate latinam linguam cum lacte nutricis sugebant. Nobis vero non idem licet, qui musas non domi natas, sed multo sudore partas colimus.

Quæ cum ita sint, ea doceantur quæ brevi eis usui futura sunt. Incipiant jam nunc, loco articulorum, mobilia nomina cum fixis conjungere, et in ipso primo aditu vestibuloque Grammaticæ adjectivi ac substantivi nominis consensum concordiamque degustare, ac rectæ constructionis partem, licet imprudentes, experiri : ita enim fiet ut assidua exercitatione tum expeditius, tum facilius et scribant et loquantur. Quæ me causa movit ut declinandi initium a muliebri vocabulo facerem, ut, vel primo ipso die quo grammaticam attigissent, aliquem sui laboris fructum perciperent : nam adjectiva, si ejusdem sint formæ atque exitus, sine ullo labore cum substantivis copulantur, ut *ferula acerba;* sin autem figura ab iisdem discrepent, non statim, sed paucis post diebus, declinanda sunt, ut *ferula minax, musa dulcis.*

SECUNDA DECLINATIO

4. Dominus, nomen declinationis secundæ, generis masculini, numeri singularis, sic declinabitur :

	Numero singulari.		*Numero plurali.*
Nom.	hic Dominus.	*Nom.*	Domini.
Gen.	Domini.	*Gen.*	Dominorum.
Dat.	Domino.	*Dat.*	Dominis.
Acc.	Dominum.	*Acc.*	Dominos.
Voc.	o Domine.	*Voc.*	o Domini.
Abl.	a Domino.	*Abl.*	a Dominis.

Hic dominus justus. | *Hic dominus bonus.*

Aliquot post dies :
Hic dominus prudens.

Hic animus generosior.
Hæc populus procerissima.

TEMPLUM, nomen declinationis secundæ, generis neutri, numeri singularis, sic declinabitur :

	Numero singulari.		*Numero plurali.*
Nom.	hoc Templum.	*Nom.*	Templa.
Gen.	Templi.	*Gen.*	Templorum.
Dat.	Templo.	*Dat.*	Templis.
Acc.	Templum.	*Acc.*	Templa.
Voc.	o Templum.	*Voc.*	o Templa.
Abl.	a Templo.	*Abl.*	a Templis.

Hoc templum sanctissimum.

Hoc ingenium eximium.

Suo tempore :

Hoc templum ingens.

Hoc ingenium illustre.

Hic admonendi sunt tirones neutra nomina tres casus habere similes, nominandi, accusandi et vocandi, eosque numero multitudinis *a* litera terminari ; cætera in suum locum differantur.

TERTIA DECLINATIO

5. SERMO, nomen declinationis tertiæ, generis masculini, numeri singularis, sic declinabitur :

	Singulariter.		*Pluraliter.*
Nom.	hic Sermo.	*Nom.*	Sermones.
Gen.	Sermonis.	*Gen.*	Sermonum.
Dat.	Sermoni.	*Dat.*	Sermonibus.
Acc.	Sermonem.	*Acc.*	Sermones.
Voc.	o Sermo.	*Voc.*	o Sermones.
Abl.	a Sermone.	*Abl.*	a Sermonibus.

Hic sermo elegans.
Hic sermo quotidianus.

Hæc virtus admiranda.
Hæc oratio elegantior.

Nec existimes voces *pluraliter, singulariter* barbaras esse : jam enim Quintiliani ætate natæ erant. Audi ipsum l. VIII, c. 6 : « Est etiam huic tropo quædam cum synecdoche vicinia. Nam cum dico *vultus hominis* pro vultu, dico pluraliter, quod singulare est ; quod plurale est, singulariter. »

Tempus, nomen declinationis tertiæ, generis neutri, numeri singularis, sic declinabitur :

	Singulariter.		*Pluraliter.*
Nom.	hoc Tempus.	*Nom.*	Tempora.
Gen.	Temporis.	*Gen.*	Temporum.
Dat.	Tempori.	*Dat.*	Temporibus.
Acc.	Tempus.	*Acc.*	Tempora.
Voc.	o Tempus.	*Voc.*	o Tempora.
Abl.	a Tempore.	*Abl.*	a Temporibus.

Hoc tempus brevius.
Hoc tempus pretiosum.
Hoc tempus velox.

Hoc nomen celebre.
Hoc flumen rapidum.

Parens, nomen declinationis tertiæ, generis communis, numeri singularis, sic declinabitur :

	Singulariter.		*Pluraliter.*
Nom.	hic *et* hæc Parens.	*Nom.*	Parentes.
Gen.	Parentis.	*Gen.*	Parentum.
Dat.	Parenti.	*Dat.*	Parentibus.
Acc.	Parentem.	*Acc.*	Parentes.
Voc.	o Parens.	*Voc.*	o Parentes.
Abl.	a Parente.	*Abl.*	a Parentibus.

Hic et *hæc civis.*

Hic et *hæc hostis.*

His nominibus adduntur adjectiva non conjunctim, sed separatim; ut :

Hic civis romanus.

Hæc civis romana.

Quorsum, dices, hæc forma? Num aliter *parens* inflectitur quam *sermo?* Non quidem; sed ut, jam inde ab ipso tirocinio, intelligant adolescentuli esse quædam nomina generis communis; id quod etiam a veteribus grammaticis accepimus.

QUARTA DECLINATIO

6. Sensus, nomen declinationis quartæ, generis masculini, numeri singularis, sic declinabitur :

Singulariter.

Nom.	hic Sensus.	*Acc.*	Sensum.
Gen.	Sensus.	*Voc.*	o Sensus.
Dat.	Sensui.	*Abl.*	a Sensu.

Pluraliter.

Nom.	Sensus.	*Acc.*	Sensus.
Gen.	Sensuum.	*Voc.*	o Sensus.
Dat.	Sensibus.	*Abl.*	a Sensibus.

Hic sensus hebes.
Hic sensus tardus.
Hic census tenuis.
Hæc anus delira.

Hic vigilandum est ludi magistro ne discipuli ex *censu sensum* faciant aut contra : solent enim literas *c* et *s* facile permiscere ac confundere; quod vitium longe lateque patet.

Genu, nomen declinationis quartæ, generis neutri, numeri singularis. sic declinabitur :

Singulariter.		*Pluraliter.*	
Nom.	hoc Genu.	*Nom.*	Genua.
Gen.	Genu.	*Gen.*	Genuum.
Dat.	Genu.	*Dat.*	Genibus.
Acc.	Genu.	*Acc.*	Genua.
Voc.	o Genu.	*Voc.*	o Genua.
Abl.	a Genu.	*Abl.*	a Genibus.

Hoc genu flexum.
Hoc genu tumens.

Dictabit præceptor nonnunquam præcepta recte scribendi faciliora, exempli causa : ante *b*, *p*, *m*, semper scribendam esse literam *m*, ut *ambo*, *campus*, *commodum*. Nunquam eamdem consonantem in initio aut exitu dictionis geminari. Si eadem in medio geminetur, non esse utramque initio aut fine versus scribendam, sed alteram in fine, alteram initio.

QUINTA DECLINATIO

7. Dies, nomen declinationis quintæ, generis masculini, numeri singularis, sic declinabitur :

Singulariter.		*Pluraliter.*	
Nom.	hic Dies.	*Nom.*	Dies.
Gen.	Diei.	*Gen.*	Dierum.
Dat.	Diei.	*Dat.*	Diebus.
Acc.	Diem.	*Acc.*	Dies.
Voc.	o Dies.	*Voc.*	o Dies.
Abl.	a Die.	*Abl.*	a Diebus.

Hic dies lætissimus.
Hic dies illustris.
Hæc res domestica.
Hæc res familiaris.

Dies generis esse incerti nemo est qui nesciat; sed quia femininum genus raro multitudinis numero reperitur, hoc loco virili fuimus contenti.

DE NOMINUM ADJECTIVORUM

DECLINATIONIBUS DIRECTIS ET OBLIQUIS

8. Bonus, bona, bonum, nomen mobile declinationis primæ et secundæ, numeri singularis, sic declinabitur :

Singulariter.

Nom.	Bonus,	bona,	bonum.
Gen.	Boni,	bonæ,	boni.
Dat.	Bono,	bonæ,	bono.
Acc.	Bonum,	bonam,	bonum.
Voc.	o Bone,	o bona,	o bonum.
Abl.	a Bono,	a bona,	a bono.

Pluraliter.

Nom.	Boni,	bonæ,	bona.
Gen.	Bonorum,	bonarum,	bonorum.
Dat.	Bonis,	bonis,	bonis.
Acc.	Bonos,	bonas,	bona.
Voc.	o Boni,	o bonæ,	o bona.
Abl.	a Bonis,	a bonis,	a bonis.

Qui primam et secundam nominum formam memoriæ mandaverit, existimet se etiam hanc mandasse. Nam *bonus,* ut *dominus; bona,* ut *musa; bonum,* ut *templum* declinatur. Quare curet magister ut discipuli ita in suprascriptis formis exerceantur, ut, cum huc pervenerint, ne in his directis transversisque ordinibus aliquid inesse novi arbitrentur : sic enim declinantur ut

Dominus, musa, templum.
Domini, musæ, templi.
Domino, musæ, templo.
Dominum, musam, templum ;

et reliqua eodem modo.

Si veterum grammaticorum vellemus persequi vestigia, nihil erat cur hanc et proximas adjectivorum formas superioribus adjungeremus : illi enim mobilia nomina, quæ ternas aut binas figuras haberent, non conjunctim, sed separatim singula per se declinabant : *hic bonus,* exempli causa, ut *hic dominus; hæc bona,* ut *hæc musa; hoc bonum,* ut *hoc templum;* unde hæc adjectiva primæ et secundæ declinationis appellantur. *Hic* et *hæc brevis,* ut *hic* et *hæc parens; hoc breve,* ut *hoc tempus;* aut singula per se : *hic brevis,* ut *hic sermo;* itidem *hæc brevis.* Quod etiam apud Varronem, de Ling. lat., l. X, 44, videre est : sic enim quosdam ordines disponit :

« Hic albus, huic albo, hujus albi ;
Hæc alba, huic albæ, hujus albæ;
Hoc album, huic albo, hujus albi. »

In eodem, l. X, 62 : « Ejus casus literarum discriminibus facilius reliquorum varietatem discernere poterit, quod ei habent exitus aut in *a,* ut *hac terra;* aut in *e,* ut *hac lance;* aut in *i,* ut *hac levi.*» Verum quoniam hæc declinandi ratio nonnullas habet opportunitates, non existimavi prætermittendam esse, relicturus tamen docentibus judicium

suum. Primum enim sciunt adolescentuli esse quasdam, ex quibus ternæ figuræ fiant, quarum prima generis sit masculini, altera feminini, tertia neutri; alias a quibus duæ, ut *brevis* et *breve*, quarum prior generis communis, posterior neutri; esse demum alias quæ una figura casu recto singulari sint contentæ, quæ omnia genera complectantur, unde et omnis sint generis. Deinde hoc pacto adjectiva a substantivis facilius secernunt et internoscunt quam definitionibus, teneris ingeniis parum idoneis. Ad extremum, ut planius intelligant quæ paulo post de nominum generibus dicenda sunt, cum de partibus orationis, quæ *rudimenta* vocantur, agendum erit. Ne mireris quod declinationes tum directas et obliquas, tum directos et transversos ordines appellarim : sic noster Varro appellat, l. X, 22 : Sunt enim, si formam ipsam inspicis, « uni transversi, alteri directi, ut in tabula solet in qua latrunculis ludunt. Transversi sunt, inquit idem, qui ab recto casu obliqui declinantur, ut *albus, albi, albo;* directi sunt qui ab recto casu in rectos declinantur, ut *albus, alba, album.* » Hæc ille.

9. Subjecta nomina eodem modo declinantur, nisi quod casus interrogandi syllaba *ius*, dandi vero *i* litera terminatur.

Alter, altera, alterum; alterius, alteri.
Alius, alia, aliud; alius, alii.
Solus, sola, solum; solius, soli.
Totus, tota, totum; totius, toti.
Unus, una, unum; unius, uni.
Ullus, ulla, ullum; ullius, ulli.
Nullus, nulla, nullum; nullius, nulli.
Uter, utra, utrum; utrius, utri.
Neuter, neutra, neutrum; neutrius, neutri.
Uterque, utraque, utrumque; utriusque, utrique.
Alteruter, alterutra, alterutrum; alterutrius, alterutri.

Hæc priscis illis temporibus usitatam ac tritam declinandi rationem servabant : *alter, alteri, altero; alius, alii, alio;* et cætera eodem modo. Lege Priscianum, l. VI, p. 694, ubi nonnulla exempla ponuntur. Huc etiam spectant cætera quæ ex nomine *uter* componuntur : *utercumque, uterlibet, utervis.* Genitivo *neutri* utitur Varro l. II de Analog. : « Maris, inquit, et feminæ, et neutri (1). » Item Probus, l. I, p. 1392; Diomedes, l. I, p. 319; Donatus, in libello de VIII partibus; Phocas, p. 1692; cæterique veteres, quod a priscis acceptum suo jure conservarunt et retinuerunt.

Hæc et nonnulla alia quidam ex recentioribus de sententia atque auctoritate Varronis, Probi, Diomedis, Donati, Servii, ac cæterorum bene sentientium grammaticorum, docent esse pronomina. Quod ad Varronem attinet, nullam de his mentionem facit in libro de Analogia, cum de pronominibus, quos articulos appellat, multis locis disseruerit. Probus, in libro quem *Artium instituta* inscripsit, in quo de pronominibus agit, ne verbum quidem de iisdem fecit. Donatus in priore libello de Octo partibus orationis, quem alii Primam artem, alii Primam editionem vocant, quatuordecim tantum pronomina posuit, in quibus nullum horum est. In posteriore, quam Priscianus Secundam artem, alii Secundam editionem appellant, hæc ad verbum de his et nonnullis aliis nominibus scripsit, p. 1753 : « *Neuter, uter, unus, omnis, alter, alius, ullus, ambo, uterque,* sunt qui nomina, sunt qui pronomina existiment; ideoque articulis in declinatione non indigent. » Servius in commentariolis quæ in hanc ipsam posteriorem artem scripsit, p. 1786, negat, præter unum et viginti pronomina quæ ipse enumerat, esse alia; in quibus nullum ex his numeravit. Sergius, doctus et antiquus grammaticus, qui in eamdem artem scripsit, sic inquit p. 1848 : « *Neuter, alius* et reliqua constat esse nomina, quoniam Probus viginti et unum dicit esse pronomina, in quibus ista non computantur. » Hæc ille. Solus Diomedes ex veteribus, quos quidem legerim, hæc inter pronomina recenset, l. I, p. 321.

(1) Sic H. Steph., l. VIII; Muller, l. IX, 62 : « Maris et feminæ et neutra. »

Priscianus, l. XIII, pp. 953, 959, 970 et 971, aliquot locis docet esse nomina, quamvis ea quidam, similitudine declinationis decepti, inter pronomina numeraverint : nam *unius*, *uni ; solius*, *soli*, et reliqua, quod ad patrium et dandi casum attinet, pronomina, ut *illius*, *illi ; istius*, *isti*, referunt atque imitantur. Si quis forte in l. VIII de Ling. lat. legerit nomen *unus*, *unius*, *uni* a Varrone sine articulis declinatum, ne ideo existimet pronomen esse : alia enim simul eodem loco inclinat in casus, quæ sine ulla controversia nomina sunt; quæ declinandi ratio nobiscum facit; et ne quærendo loco defatigeris, audi ipsum Varronem, l. VIII, 63 : « Relinquitur, inquit, de casibus, in quo Aristarchei suos contendunt nervos. Primum si in his esset analogia, discant debuisse omnes nominatus (*sic interdum appellat nomina*) et articulos habere totidem casus; nunc alios habere unum solum, ut literas singulas omnes; alios tres, ut *prædium*, *prædii*, *prædio ;* alios quatuor, ut *mel*, *mellis*, *melli*, *melle;* alios quinque, ut *quintus*, *quinti*, *quinto*, *quintum*, *quinte;* alios sex, ut *unus*, *unius*, *uni*, *unum*, *une*, *uno*. Non esse ergo in casibus analogias. » Hactenus ille. Hic, ut vides, nominatus, id est, nomina cum nominibus conferuntur, non articuli, id est, pronomina cum articulis : nam idem Varro, l. X, 30, ait articulos carere vocandi casu ; quem hic apertissime vides : nam senos habet casus *unus*.

TERTIA NOMINUM ADJECTIVORUM DECLINATIO

10. Acer, acris, acre, nomen adjectivum, declinationis tertiæ, numeri singularis, sic declinabitur :

	Numero singulari.				*Numero plurali.*	
Nom.	hic Acer,	hæc acris,	hoc acre.	*Nom.*	Acres,	acria.
Gen.	Acris.			*Gen.*	Acrium.	
Dat.	Acri.			*Dat.*	Acribus.	
Acc.	Acrem,		acre.	*Acc.*	Acres,	acria.
Voc.	o Acer,	o acris,	o acre.	*Voc.*	o Acres,	acria.
Abl.	ab Acri.			*Abl.*	ab Acribus.	

Sic declinantur *alacer*, *celer*, *equester*, *volucer*, *silvester*, *saluber*.

Si nomen adjectivum habuerit tres formas, prima erit generis masculini, altera feminini, tertia neutri. Varro in libro de Ling. lat. modo ternas figuras, l. IX, 55; modo tres formas, l. VIII, 47, appellat. Quoniam proxime adjectiva primæ et secundæ declinationis, quæ ternas formas habent, posuimus, visum est non incommodum, quæ tertiæ declinationis totidem figuras haberent, primo ponere, deinde quæ duas, postremo quæ unam.

Brevis, breve, nomen adjectivum, declinationis tertiæ, numeri singularis, sic declinabitur :

Numero singulari.

Nom.	hic *et* hæc Brevis,	hoc breve.	*Acc.*	Brevem,	breve.
Gen.	Brevis.		*Voc.*	o Brevis,	o breve.
Dat.	Brevi.		*Abl.*	a Brevi.	

Numero plurali.

Nom.	Breves,	brevia.
Gen.	Brevium.	
Dat.	Brevibus.	
Acc.	Breves,	brevia.
Voc.	o Breves,	o brevia.
Abl.	a Brevibus.	

Si adjectivum nomen duas habuerit formas, prior erit generis communis, posterior neutri.

Nonnulla e proximis etiam huc spectant, ut *hic* et *hæc alacris*, et *hoc alacre; celebris* et *celebre; salubris* et *salubre.*

Eodem modo declinantur *brevior* et *brevius*, et alia ejusdem formæ comparativa, quæ pene sunt infinita.

Felix, nomen adjectivum, declinationis tertiæ, generis omnis, numeri singularis, sic declinabitur :

Numero singulari.

Nom. hic, *et* hæc, *et* hoc	Felix,	
Gen.	Felicis.	
Dat.	Felici.	
Acc.	Felicem,	felix.
Voc.	o Felix.	
Abl.	a Felice *vel* felici.	

Numero plurali.

Nom.	Felices,	felicia.
Gen.	Felicium.	
Dat.	Felicibus.	
Acc.	Felices,	felicia.
Voc.	o Felices,	o felicia.
Abl.	a Felicibus.	

Si nomen adjectivum unam tantum habuerit formam, erit omnis generis.

Misceantur nonnunquam omnes gradus, ut *felix, felicior, felicissimus* : sic enim fit lingua celerior et exercitatior; ita tamen ut cum aliquo substantivo conjungatur.

Poeta bonus, melior, optimus.
Scurra malus, pejor, pessimus.
Digitus parvus, minor, minimus.
Vir magnus, major, maximus.

Facilis, facilior, facillimus.
Difficilis, difficilior, difficillimus.
Humilis, humilior, humillimus.
Similis, similior, simillimus.
Dissimilis, dissimilior, dissimillimus.

Cum sextus casus nominum quæ literis *n* et *s* terminantur, in *e*, ut Verrius Flaccus, auctor gravissimus, docet (apud Charisium, l. I, p. 101), fere exeat; cumque genitivus multitudinis eorumdem nominum raro ab oratoribus imminuatur; siquidem *diligentium, elegantium, ingentium*, et alios id generis casus, plenos, non imminutos, *diligentum, elegantum*, etc., ferme usurpant; in locum nominis *prudens* substituimus *felix*, ne imperitis errandi ansam daremus. Non negamus esse quædam, quorum ablativus etiam *i* litera finiatur, cujusmodi sunt *ingens, recens, vehemens;* de quibus atque participiis, quæ ejusdem sunt positionis, fusius suo loco diximus. Hinc enim tantum nobis admonendus fuit lector de hac exemplorum permutatione. *Felix* in primis placuit, quod eo Diomedes, l. I, p. 278, et Donatus, II edit., p. 1746, usi fuerint.

NOMINA ANOMALA

11. Nomina anomala, quod ad rem attinet, dicuntur quæ a similium declinatione, aliqua ex parte, deflexerunt, ut *domus*, exempli causa, quamvis sit quartæ declinationis, et simile his nominibus *manus, tribus;* tamen ab eorum declinatione deflexit, cum aliqua ex parte nomina secundi ordinis imitetur.

Item *duo, duæ, duo; ambo, ambæ, ambo,* ita quidem cum adjectivis primi et secundi ordinis consentiunt, ut ab eis etiam discrepent. Verum de analogia et anomalia suo loco, Deo juvante, nonnihil dicemus.

	Numero singulari.		*Numero plurali.*
Nom.	hæc Domus.	*Nom.*	Domus.
Gen.	Domi *vel* domus.	*Gen.*	Domorum *vel* domuum.
Dat.	Domui.	*Dat.*	Domibus.
Acc.	Domum.	*Acc.*	Domos *vel* domus.
Voc.	o Domus.	*Voc.*	o Domus.
Abl.	a Domo.	*Abl.*	a Domibus.

Quæ voces locum, quæ officium, quæ utrumque significent, procedente tempore discent pueri: quare nihil aliud hic ab eis quam declinandi ratio exigatur. *Harum domuum* et *has domus* reperies quidem, sed rarius.

Duo *sic declinatur :*

Pluraliter.

Nom.	Duo,	duæ,	duo.
Gen.	Duorum,	duarum,	duorum.
Dat.	Duobus,	duabus,	duobus.
Acc.	Duos *vel* duo,	duas,	duo.
Voc.	o Duo,	o duæ,	o duo.
Abl.	a Duobus,	a duabus,	a duobus.

Ambo *eodem modo declinatur.*

Pluraliter.

Nom.	Ambo,	ambæ,	ambo.
Gen.	Amborum,	ambarum,	amborum.
Dat.	Ambobus,	ambabus,	ambobus.
Acc.	Ambos *vel* ambo,	ambas,	ambo.
Voc.	o Ambo,	o ambæ,	o ambo,
Abl.	ab Ambobus,	ab ambabus,	ab ambobus.

Duo et *ambo* accusandi casus generis masculini potius ad poetas quam ad alios scriptores pertinent. Cic., Fam., l. III, ep. 4, 2 : « *Duos* enim duarum ætatum plurimi facio : Cn. Pompeium, filiæ tuæ socerum, et M. Brutum generum tuum. » Sic enim habent libri correcti, non *duo*, ut quidam legit (1).

Plus, quod numero singulari neutrum est, plurali vero, *hi* et *hæ plures*, et *hæc plura*, anomalum quidem est genere, sed non declinatione; quare huc minime spectat.

(1) *Duo* legunt Lemaire, Orellius et edit. Teubneriana. Apud alios legi *duos* annotat Orellius ; inter illos Olivetus.

DE PRONOMINUM DECLINATIONE

12. Pronomina distribuit M. Varro, l. VIII, 45, in *finita* et *infinita;* illa *pronomina*, hæc *provocabula* appellat; utraque *articulos.* Infinita et provocabula vocat, quod ponantur pro vocabulis, quæ infinita sunt; finita vero et pronomina, quod pro nominibus ponantur, quæ finita sunt. Articulos autem, quod sint veluti quidam nodi et articuli orationis : nam nomen et verbum membra sunt præcipua, ex quibus corpus orationis constat. Dicam apertius : quæ recentiores nomina *appellativa* sive *communia* vocant, eadem Varro *vocabula* appellat; quæ illi *propria*, hic *nomina.* Idem *vocabula, infinita; nomina, finita* dicit. Audiamus ipsum Varronem (quem Fabius, l. X, c. 1, 95, Romanorum eruditissimum ac linguæ latinæ peritissimum appellat) de Ling. lat., l. VIII, 80 : « Sequitur, inquit, de nominibus, quæ differunt a vocabulis, ideo quod sunt finita, ac significant res proprias, ut *Paris, Helena;* cum vocabula sint infinita, ac res communes designent, ut *vir, mulier.* » Idem in eodem, 43, 44 et 45 : « Quare quod ad universam naturam verborum attinet, hæc attigisse modo satis est; quod ad partes singulas orationis, deinceps dicam; cujus quoniam sunt divisiones plures, nunc ponam potissimum, jam qua dividitur. Oratio secanda ut natura in quatuor partes : in eam quæ habet casus, et quæ habet tempora, et quæ habet neutrum, et in qua est utrumque. Has vocant quidam *appellandi, dicendi, adminiculandi, iungendi.* Appellandi dicitur, ut *homo* et *Nestor;* dicendi, ut *scribo* et *lego;* jungendi, ut *et* et *que;* adminiculandi, ut *docte* et *commode.* Appellandi partes sunt quatuor, e quibus dicta a quibusdam *provocabula*, quæ sunt ut *quis, quæ; vocabula*, ut *scutum, gladium; nomina*, ut *Romulus, Remus; pronomina*, ut *hic, hæc.* Duo media dicuntur *nominatus;* prima et extrema, *articuli.* » Vides quemadmodum prima et extrema, hoc est, provocabula et pronomina, appellet *articulos.* Illud etiam obiter notabis, duo media, id est, vocabula et nomina, appellari *nomina.* Itaque nomen hic complectitur et propria et appellativa.

Audiamus cætera quæ sequuntur : « Primum genus est infinitum, secundum ut infinitum, tertium ut finitum, quartum finitum. » Primum genus, hoc est, provocabula, appellat infinitum; secundum, id est, vocabula, ut infinitum; tertium ut finitum, id est, nomina; quartum finitum, hoc est, pronomina. Idem in l. X, 30, postquam de articulis egit, hæc adjungit : «Proprium illud habent, quod partim sunt finita, ut *hic* et *hæc;* partim infinita, ut *quis* et *quæ.* » Et in eodem, 20 : « Ut in articulis duæ partes, finitæ et infinitæ; sic in vocabulis (1) duæ, *vocabulum* et *nomen :* non enim idem *oppidum* et *Roma*, cum oppidum sit vocabulum; Roma, nomen. » Cum dixit *in vocabulis duæ, vocabulum* propria et appellativa comprehendit, ut supra *nomen.* Itaque vocabulum et nomen interim apud Varronem in eadem re dicuntur. Probus, grammaticus in primis nobilis, qui etiam Gellium et Suetonium ætate antecessit, tertium genus addidit, *minus quam finitum*, l. I, p. 1404 : itaque pronomina distribuit in *finita* et *infinita*, et *minus quam finita;* quem postea Diomedes, l. I, p. 316; Donatus, in edit. II, p. 1752; Servius, in Artem II Donati, p. 1785, secuti sunt.

« *Finita* est, inquit Diomedes, (qualitas) quæ notat certum numerum et gestum dirigit ad certam personam, ut *ego. Infinita* est, quæ certam non recipit personam, sed cuilibet potest aptari, ut *quis, quæ, quod. Minus quam finita* est quæ certis et incertis personis aptari potest, ut *ipse.*» *Ego, tu, ille*, appellant cæteri finita; Probus, l. I, p. 1402, pronomina personalia, quod idem est. Sergio, in Art. I Donati, p. 1847, non probatur Probi divisio : ait enim pronomina omnia aut esse finita aut infinita; Donatumque melius in priore libello in has duas partes divisisse; quod quidem Donatus initio dicit, sed in pronominibus declinandis, edit. II, p. 1752, etiam minus quam finita vocat. Sed, ne nimium sim grammaticus, qui plura volet ipsos adeat quos citavi.

---

(1) Sic Henr. Stephanus, lib. IX. Muller vero sic : in *nominatibus* duæ...

Unum superest necessario explicandum : provocabula etiam pro nominibus, hoc est, pronomina infinita, ut *quis, quæ, quod*, etiam pro propriis nominibus, licet confuse, posse poni. Cicero ad Atticum, l. III, ep. 12, 6 : « Volo etiam exquiras quam diligentissime poteris, num quem accusent, num cui succenseant. Quid dico, num cui? num Pompeio ? » Vides ut provocabulum *cui*, interprete eodem Cicerone, ponatur pro nomine Pompeio ? Quidam recentiores provocabula appellant quævis pronomina.

Quod ad numerum pronominum attinet, alii, ut supra diximus, unum et viginti; alii plura, alii pauciora posuerunt; nos, quæ plerique omnes admittunt, ex tam multis selegimus; quibus nemo veterum, quos quidem viderim, certas declinationum formas attribuit, præter unum Priscianum, qui, l. XIII, p. 955, ea in quatuor formas distribuit. Sed cur certi eis adscribantur ordines, cum singula singulis constent vocabulis? Deinde cum ultima litera vel syllaba genitivi alias formas ab aliis separet, qua ratione tria primitiva *mei, tui, sui* a derivativis separabimus ? Postremo, cum hæc declinationum distinctio nullam afferat pueris utilitatem, non video cur multitudine præceptorum sint obruendi. Quare more veterum simpliciter ea declinabimus, nulla facta ordinum mentione.

DE PRONOMINUM PRIMITIVORUM DECLINATIONE

13. Ego, pronomen personæ primæ, numeri singularis, sic declinabitur :

	Singulariter.		*Pluraliter.*
Nom.	Ego.	*Nom.*	Nos.
Gen.	Mei.	*Gen.*	Nostrum *vel* nostri.
Dat.	Mihi *vel* mi.	*Dat.*	Nobis.
Acc.	Me.	*Acc.*	Nos.
Abl.	a Me.	*Abl.*	a Nobis.

Tu, pronomen personæ secundæ, numeri singularis, sic declinabitur :

	Singulariter.		*Pluraliter.*
Nom.	Tu.	*Nom.*	Vos.
Gen.	Tui.	*Gen.*	Vestrum *vel* vestri.
Dat.	Tibi.	*Dat.*	Vobis.
Acc.	Te.	*Acc.*	Vos.
Voc.	o Tu.	*Voc.*	o Vos.
Abl.	a Te.	*Abl.*	a Vobis.

Interrogandi casus *mis* et *tis* consulto omisimus, quorum neque grammaticorum proceres, Probus et Diomedes, ullam mentionem fecerunt.

Sui, pronomen personæ tertiæ, numeri utriusque, sic declinabitur :

	Numero singulari.		*Numero plurali.*
Gen.	Sui.	*Gen.*	Sui.
Dat.	Sibi.	*Dat.*	Sibi.
Acc.	Se.	*Acc.*	Se.
Abl.	a Se.	*Abl.*	a Se.

Hæc tria docent veteres esse omnis generis, quod cum omnibus generibus jungantur : *Ego vir, femina, mancipium* hoc feci ; quo pacto facile probassent *animal* esse omnis generis, cum iisdem adjungantur, siquidem : *Vir animal*, *femina animal, mancipium animal* hoc fecit. Videntur hæc potius substantivorum naturam redolere.

Pronomina Hic, Iste, Ille, Ipse, Is, Idem, quæ aliqua ex parte primam et secundam nominum adjectivorum declinationem imitantur, sic declinantur :

	Numero singulari.				*Plurali.*		
Nom.	Hic,	hæc,	hoc.	*Nom.*	Hi,	hæ,	hæc.
Gen.	Hujus.			*Gen.*	Horum,	harum,	horum.
Dat.	Huic.			*Dat.*	His.		
Acc.	Hunc,	hanc,	hoc.	*Acc.*	Hos,	has,	hæc.
Abl.	ab Hoc,	hac,	hoc.	*Abl.*	ab His.		

	Numero singulari.				*Plurali.*		
Nom.	Iste,	ista,	istud.	*Nom.*	Isti,	istæ,	ista.
Gen.	Istius.			*Gen.*	Istorum,	istarum,	istorum.
Dat.	Isti.			*Dat.*	Istis.		
Acc.	Istum,	istam,	istud.	*Acc.*	Istos,	istas,	ista.
Abl.	ab Isto,	ista,	isto.	*Abl.*	ab Istis.		

	Numero singulari.				*Plurali.*		
Nom.	Ille,	illa,	illud.	*Nom.*	Illi,	illæ,	illa,
Gen.	Illius.			*Gen.*	Illorum,	illarum,	illorum.
Dat.	Illi.			*Dat.*	Illis.		
Acc.	Illum,	illam,	illud.	*Acc.*	Illos,	illas,	illa.
Abl.	ab Illo,	illa,	illo.	*Abl.*	ab Illis.		

	Numero singulari.				*Plurali.*		
Nom.	Ipse,	ipsa,	ipsum.	*Nom.*	Ipsi,	ipsæ,	ipsa.
Gen.	Ipsius.			*Gen.*	Ipsorum,	ipsarum,	ipsorum.
Dat.	Ipsi.			*Dat.*	Ipsis.		
Acc.	Ipsum,	ipsam,	ipsum.	*Acc.*	Ipsos,	ipsas,	ipsa.
Abl.	ab Ipso,	ipsa,	ipso.	*Abl.*	ab Ipsis.		

	Numero singulari.				*Plurali.*		
Nom.	Is,	ea,	id.	*Nom.*	Ii,	eæ,	ea.
Gen.	Ejus.			*Gen.*	Eorum,	earum,	eorum.
Dat.	Ei.			*Dat.*	Eis *vel* iis.		
Acc.	Eum,	eam,	id.	*Acc.*	Eos,	eas,	ea.
Abl.	ab Eo,	ea,	eo.	*Abl.*	ab Eis *vel* iis.		

Numero singulari.

Nom.		Idem,	eadem,	idem.
Gen.		Ejusdem.		
Dat.		Eidem.		
Acc.		Eumdem,	eamdem,	idem.
Abl.	ab	Eodem,	eadem,	eodem.

Plurali.

Nom.		Iidem,	eædem,	eadem.
Gen.		Eorumdem,	earumdem,	eorumdem.
Dat.		Eisdem *vel* iisdem.		
Acc.		Eosdem,	easdem,	eadem.
Abl.	ab	Eisdem *vel* iisdem.		

Cur non dicitur *ipsud*, ut *illud*, *istud?* quia apud priscos *ipsus*, *ipsa*, *ipsum*, ut *bonus*, *bona*, *bonum*, dicebatur; consuetudo tamen *ipsus* rejecit, *ipse* vero probavit; vide Diomedem, l. I, p. 318. *Ei* et *eidem*, nominandi casus multitudinis, merito a Diomede et Donato prætermissi sunt, quos tamen Priscianus, l. XII, p. 946, non omnino rejecit; quibus licet utare, cum apud bonos auctores legeris, id quod non facile assequeris. *Iisdem* multo usitatius est quam *eisdem*, etiam apud Ciceronem; de utroque scribit idem in Oratore, c. 47, 157, sic: « *In templis isdem* probavit (Ennius); at *eisdem* erat verius, nec tamen *eisdem* opimius : male sonabat *iisdem*, impetratum est a consuetudine ut peccare suavitatis causa liceret. » Hæc ille. Ennius, cum dixit : *in templis isdem*, maluit uti verbo imminuto *isdem*, quam pleno *eisdem* vel *iisdem*; male sonabat eo loco *isdem*. Ipse tamen Cicero, ut dixi, fere non aliter loquitur, adeo ut Diomedes et Donatus *eisdem* ob eam causam videantur minime probasse.

DE DERIVATORUM DECLINATIONE

14. Meus, mea, meum; Tuus, tua, tuum; Suus, sua, suum; Noster, nostra, nostrum; Vester, vestra, vestrum, declinantur ut nomina adjectiva primæ et secundæ declinationis.

Numero singulari.

Nom.		Meus,	mea,	meum.
Gen.		Mei,	meæ,	mei.
Dat.		Meo,	meæ,	meo.
Acc.		Meum,	meam,	meum.
Voc.	o	Mi,	mea,	meum.
Abl.	a	Meo,	mea,	meo.

Numero plurali.

Nom.		Mei,	meæ,	mea.
Gen.		Meorum,	mearum,	meorum.
Dat.		Meis.		
Acc.		Meos,	meas,	mea.
Voc.	o	Mei,	meæ,	mea.
Abl.	a	Meis.		

Veteres *mius* dicebant, unde vocativus *o mi*; vide Diomedem, l. I, p. 319, Charisium et Celsum apud Priscianum, l. XIII, p. 962.

Hæc tria *vocativo carent :* tuus, tua, tuum; suus, sua, suum; vester, vestra, vestrum. — Noster, nostra, nostrum; *vocativo :* noster, nostra, nostrum.

Nostras et Vestras, pronomina derivata, omnis generis, declinantur ut nomina adjectiva tertiæ declinationis.

Singulariter.

Nom. hic, *et* hæc, *et* hoc	Nostras.
Gen.	Nostratis.
Dat.	Nostrati.
Acc.	Nostratem *et* nostras.
Voc.	o Nostras.
Abl.	a Nostrate *vel* nostrati.

Pluraliter.

Nom.	Nostrates *et* nostratia.	*Acc.*	Nostrates *et* nostratia.
Gen.	Nostratium.	*Voc.*	o Nostrates *et* nostratia.
Dat.	Nostratibus.	*Abl.*	a Nostratibus.

Hic, *et* hæc, *et* hoc vestras *vocativo caret.*

Nostras, vestras, Arpinas, Capenas, Cassinas, Privernas et multa alia ejusdem generis priscis illis temporibus plena fuerunt : *nostratis, vestratis, Arpinatis,* et cætera eodem modo. Cassius Hemina in III Annalium apud Priscianum, l. XII, p. 943 : « Hos libros si quis *nostratis* sapiens. » Cato in I Originum apud eumdem, l. VII, p. 762 : « Si quis mortuus est *Arpinatis*, ejus heredes sacra non sequuntur. » Idem in eodem : « Sed lucus *Capenatis.* » Neutrum desinebat in *e* (ut placet grammaticis) : nullum tamen, quod sciam, ponunt exemplum. Eruditius seculum maluit imminutis quam plenis uti, ita ut figura una omnia genera complecteretur. Cicero ad Atticum, l. XVI, ep. 13, 1 : « Cum venissem diluculo ad pontem Tirenum, in quo flexus est ad iter *Arpinas.* » Livius, l. V, c. 24 : « Corneliis Faliscum bellum, Valerio ac Servilio *Capenas* sorte evenit. » Et l. VIII, c. 19 : « Eodem anno *Privernas* bellum initum. »

Sextus casus sæpe in *e* desinit. Cicero, pro Cluent., c. 16, 46 : « C. et L. Fabritii fratres gemini ex municipio *Aletrinate.* » Idem pro Vareno apud Priscianum, l. VII, p. 768 : « C. Ancharius Rufus fuit e municipio *Fulginate.* » In eodem : « In præfectura *Fulginate.* » Livius, l. V. c. 12 : « In *Capenate* agro. » Valerius Maxim., l. VI, c. 9, 14 : « Ex illo Mario tam humili *Arpinate.* »

15. Provocabulum sive pronomen relativum Qui, quæ, quod, sic declinabitur :

Numero singulari.

Nom.	Qui,	quæ,	quod.
Gen.	Cujus.		
Dat.	Cui.		
Acc.	Quem,	quam,	quod.
Abl.	a Quo *vel* qui.	qua *vel* qui,	quo *vel* qui.

Numero plurali.

Nom.		Qui,	quæ,	quæ.
Gen.		Quorum,	quarum,	quorum.
Dat.		Queis *vel* quibus.		
Acc.		Quos,	quas,	quæ.
Abl.	a	Queis *vel* quibus.		

Provocabulum relativum *qui, quæ, quod,* separavimus ab interrogativo *quis,* ne permista et confusa declinatio pueris tenebras offunderet.

Potuit quidem latina lingua relativis carere, nisi elegantiæ rationem habuisset : quotus enim quisque, etiam ornatæ et elegantis orationis hostis, fastidium ferret, si antecedentia vocabula et nomina tertio quoque verbo repeterentur ? In horum itaque locum provocabula et pronomina, non necessitate exigente, sed elegantia repetitionum tædium horrente atque reformidante, substituta sunt.

16. Quis provocabulum, sive pronomen interrogativum, sive infinitum, sic declinabitur :

Numero singulari.

Nom.		Quis *vel* qui,	quæ,	quod *vel* quid.
Gen.		Cujus.		
Dat.		Cui.		
Acc.		Quem,	quam,	quod *vel* quid.
Abl.	a	Quo,	qua,	quo *vel* qui.

Numero plurali.

Nom.		Qui,	quæ,	quæ.
Gen.		Quorum,	quarum,	quorum.
Dat.		Queis *vel* quibus.		
Acc.		Quos,	quas,	quæ.
Abl.	a	Queis *vel* quibus.		

Quis modo interrogativum est : Terent., Andr. act. I, sc. 6, v. 267 :

> *Quis* hic loquitur?

modo infinitum : Virg., Eclog. III, v. 103 :

> Nescio *quis* teneros oculus mihi fascinat agnos.

Qui interdum pro *quis* ponitur. Cic., pro Domo sua, c. 11, 27 : « *Qui* tantus fuit labor? quæ simultas ? » Idem, pro Planc., c. 23, 55 : « Neque enim qui illi nummi fuerint, nec quæ tribus, nec *qui* divisor ostenderis. » Terent., Phorm. act. V, sc. 8, v. 910 :

> Nam *qui* erit rumor populi, si id feceris?

Idem, Andr. act. V, sc. 2, v. 856 :

> Nescio *qui* senex modo venit.

Cui, apud priscos, etiam fuit genitivus; unde *quisquis, cuicui.* Cic., pro Sexto Roscio com., c. 34, 95 : « Vereor enim *cuicuimodi* es, T. Rosci, ne ita hunc videar voluisse servare, ut tibi omnino non pepercerim. » Idem, ad Attic., l. III, ep. 22, 4 : « Tu ad me velim omnia quam diligentissime, *cuicuimodi* sunt, scribas. » Et in Tuscul. l. V, c. 41, 121 : « Equidem me etiam conscripturum arbitror (ubi enim melius uti possumus hoc, *cuicuimodi* est, otio ?) ; » pro *cujuscujusmodi* est. Vide Prisc., l. XIII, p. 959. Dativus *queis* parum videtur usitatus, cum interrogative aut infinite accipitur.

Distulimus in hunc locum provocabulum *quis* vel *qui*, propterea quod a quibusdam inter nomina, ab aliis vero inter pronomina numeretur. Pronomen quidem esse infinitum affirmant Probus, l. I, p. 1403; Diomedes, l. I, p. 319; Donatus, edit. II, p. 1952; Servius, in Art. II Donati, p. 1785, ac cæteri veteres grammatici. Varro, l. VIII, 45, provocabulum, ut paulo ante diximus, et infinitum *articulum* appellavit. Probus, p. 1403, 1405, non solum *quis* vel *qui*, sed etiam *quantus, tantus, qualis, talis*, pronomina infinitæ qualitatis nominat. His addidit Diomedes, l. I, p. 317 et 322, *cujas, quotus, totus*. Donatus, in posteriore libello de Octo partibus, p. 1752, adjungit *cujus, cuja, cujum; quot, tot*. Priscianus tamen, qui ætate Justiniani Cæsaris scripsit, ait, l. II, p. 581, veteres grammaticos græcos fuisse deceptos, qui hæc putaverint esse pronomina, eorumque errores Latinos fuisse secutos; se vero Apollonii et Herodiani, qui veterum errata correxerint, sententiæ accedere. Idem, l. XIII, p. 970, longa disputatione idem nititur confirmare, cujus disputationis hæc fere est summa : pronomina pro nominibus propriis dumtaxat poni, ut : *Cicero scribit,* IDEM *recitat;* at *quis* non esse pronomen, cum accipiatur tum pro proprio, tum pro appellativo, ut : QUIS *fecit? Virgilius poeta.* Cujus argumentum quanti sit non difficile est intelligere. Cur enim non dicam : *Orator orationes scribit*, IDEM EAS *recitat? Idem* pro *oratore* accipitur, et *eas* pro *orationibus*, quæ nomina sunt appellativa. Cic., I de Offic., l. I, c. 19, 63 : « Itaque viros fortes *eosdem* bonos esse volumus. » Idem, ad Attic., l. II, ep. 1, 1 : « Mihi venit obviam tuus puer; *is* mihi literas abs te reddidit. » Sed hæc apertiora sunt quam ut confirmatione egeant. Quare pronomina pro propriis et appellativis accipiuntur, sed frequentius pro propriis; qua de causa a Varrone pronomina vocantur, quod nimirum pro nominibus, hoc est, propriis, sæpius ponantur. *Quis* vero, provocabulum, quod frequentius pro vocabulis, hoc est, appellativis, accipiatur. Vide quæ paulo ante de hac re scripsimus.

Donatus, in libello de Octo partibus, declinat : *quis* vel *qui, quæ* vel *qua,* et plurali numero genere neutro, *quæ* vel *qua;* item accusativo *quæ* vel *qua*. Potius Diomedem sumus secuti, qui, l. I, p. 316, merito *qua* prætermisit, cum tantum in compositis nonnullis reperiatur.

17. *Composita ex provocabulo QUIS, cum præcedit :*

Quisnam, quænam, quodnam *vel* quidnam; cujusnam, cuinam.
Quispiam, quæpiam, quodpiam *vel* quidpiam; cujuspiam, cuipiam.
Quisquam, quæquam, quodquam *vel* quidquam; cujusquam, cuiquam.
Quisque, quæque, quodque *vel* quidque; cujusque, cuique.
Quisquis, quidquid; cujuscujus; cuicui; quemquem, quidquid; a quoquo. *Pluraliter*. Quiqui, quorumquorum, quibusquibus, quosquos, a quibusquibus.

Composita ex QUIS, cum sequitur :

Aliquis, aliqua, aliquod *vel* aliquid; alicujus, alicui.
Ecquis, ecqua *vel* ecquæ, ecquod *vel* ecquid; eccujus, eccui.
Nequis, nequa, nequod *vel* nequid; necujus, necui.
Siquis, siqua, siquod *vel* siquid; sicujus, sicui.

Composita ex provocabulo QUI.

Quicumque, quæcumque, quodcumque; cujuscumque, cuicumque.
Quidam, quædam, quoddam *vel* quiddam; cujusdam, cuidam.
Quilibet, quælibet, quodlibet *vel* quidlibet; cujuslibet, cuilibet.
Quivis, quævis, quodvis *vel* quidvis; cujusvis, cuivis.

Quædam ex supradictis rursus componuntur :

Unusquisque, unaquæque, unumquodque *vel* unumquidque; uniuscujusque, unicuique.

Ecquisnam, ecquænam, ecquodnam *vel* ecquidnam.

Sergius, in posteriorem libellum Donati, p. 1848, de Octo partibus orationis, declinat *quisquis* quemadmodum hic vides, quem Laurentius, l. III, c. 16, affert; verisimile est omnes casus fuisse in usu; sed cum infinita prope volumina antiquorum interierint, mirum non est si pauci tantum reperiantur. Terent., Hecyr. act. I, sc. 1, v. 65 : « Quin spolies, mutiles, laceres, *quemquem* nacta sis. » Sic Plautus, Pœn. act. II, v. 37. Ablativus *quoquo* usitatissimus est. Cic., pro Rab. Post., c. 8, 21 : « *Quoquo* consilio fecit, fecit certe suo. » Idem, ad Quint. Fr., l. I, ep. 2, c. 4, 14 : « Tu, *quoquo* modo, quoniam Ephesi est, hominem investiges velim. » Idem *quiqui* numero plurali usus est ad Att., l. XVI, ep. 8, 1 : « Veteranos, *quiqui* Casilini et Calatiæ sunt, perduxit ad suam sententiam. » Livius *quibusquibus*, l. XLI, c. 8 : « Nam, et ne stirpem domi relinquerent, liberos suos *quibusquibus* Romanis in eam conditionem ut manumitterentur, mancipio dabant. » *Quisputas* omisimus, propterea quod parum sit usitatum. *Quidcumque* non videtur esse in usu, maxime cum *quodcumque* etiam substantive ponatur.

Cum provocabulum *quis* sequitur, feminina singularis numeri et neutra multitudinis pro *æ* diphthongo fere *a* admittunt, ut : *siquis, siqua, siquod;* pluraliter *siqui*, *siquæ, siqua.* Cicero frequenter *ecquæ* pro *ecqua* numero singulari utitur. Ad Attic., l. VII, ep. 8, 4 : « Quod quæris, *ecquæ* spes pacificationis sit; etc. » Idem ad Quint. Fr., l. I, ep. 4, 2 : « Perspicis profecto *ecquænam* nobis spes salutis relinquatur. » Idem tamen, Acad., l. II, c. 26, 86, dixit : « *Ecqua* poterit in agnoscendo esse distinctio? » Idem, ad Fam., l. XV, ep. 14, 4 : « Sed *siquæ* sunt onera tuorum, si tanta sunt ut ea sustinere possis..., etc. » *Ecquisnam*, *ecquænam*, *ecquodnam* et *ecquidnam* apud eumdem præcipue leguntur. In Vatinium, c. 16, 38 : « Omnia quæ velis consecuturum; ecquid audieris? *ecquisnam* tibi dixerit? » Idem, de Fin., l. IV, c. 24, 67 : « *Ecquænam* fieri possit accessio? » Idem, X Phil., c. 9, 19 : « *Ecquodnam* principium putatis libertatis capessendæ? » Idem, in Topic., c. 21, 82 : « *Ecquidnam* honestum sit : ecquid æquum revera; an hæc tantum in opinione sint (1)? »

(1) Aldus quidem et Paulus Manutius scripserunt, *ecquæ.... distinctio*, et l. I in Verr., c. 24, 63 : *Ecquæ* virgo sit. « Sed utrobique, ait Vossius (art. Gramm., l. VI, c. 8), a Roberto Stephano, item a Sebastiano Gryphio, ac denique a Dionysio Lambino *ecqua* per *a* est excusum. Etiam in Vaticano codice locus iste primæ Verrinæ *ecqua*, non *ecquæ* habet. Ac Muretus quoque in eopse loco Manutiani exemplaris, quod dono ipsius Pauli acceperat, ex *ecquæ*, deleto *e*, fecit *ecqua;* uti qui codicem eum vidit, Marianus Benedictus (Responso ad Orlandum Pescettam pro Emman. Alvarez, p. 34 et 35) testatur. Imo et epist. 8, lib. 7 ad Attic. : « Quod quæris, *ecquæ* spes pacificationis sit, Lambinus *ecqua* rescripsit, cum prius *ecquæ* scribi soleret. » Hæc Vossius. In iis vero quæ Alvarez ex Cicerone affert, scripsit Orellius ad Attic. *ecqua* spes; Teubner, *ecquæ*; ad Quintum, uterque *ecquænam;* item in Acad. *ecquæ;* ad Fam., l. XV, *siquæ;* de Fin., *ecquænam;* in Verr., *ecqua* virgo sit.

DE

VERBORUM CONJUGATIONE

18. « Nomina declinare et verba in primis pueri sciant; neque enim aliter pervenire ad intellectum sequentium possunt. » Hæc Fabius, l. I, c. 4, 22. De nominum declinatione hactenus dictum est; de verborum antequam dico, oratos etiam atque etiam eos velim qui hoc declinationis commentariolum, chartas evolvendi magis, ut sæpe fit, quam legendi animo, in manus sumpturi sunt, ne me longiorem putent, atque de re trita et vulgata pluribus verbis egisse, quam res ipsa postularet. Nam si secum ipsi reputent quam multæ, quam variæ, quam novæ et inauditæ opiniones quotidie exoriantur, non, ut opinor, nobis vitio vertant, si in veterum gravissimorumque auctorum sententiis non solum numerandis, sed etiam pro nostra tenui parte exponendis aliquantulum fuerimus immorati. Etenim si res, ut jam cœpit ire, longius processerit, brevi futurum est ut verba ipsa penitus extinguantur. Quid enim aliud superest, modis omnibus, contra Varronis, Fabii omniumque veterum sententiam, funditus sublatis? Jam vero si non modo veterum ac nobilium grammaticorum, verum etiam jurisconsultorum de temporum significatione controversias cum animis suis iidem cogitent, in bonam, ut spero, partem, nostram hanc cunctationem accipient. Quid? Q. Scævola, Brutus, Manilius, dum accuratissime disputant sitne verbum *surreptum erit* ad ante, an post facta referendum; præteritumne, an futurum tempus adsignificet, otiosi existimandi sunt? P. Nigidius, Ciceronis æqualis, civitatis Romanæ doctissimus, ut Gellius, l. XVII, c. 7, testatur, dum in eodem modo explicando, tertio et vigesimo commentariorum grammaticorum sese torquet, nonne apertissime nos docet verborum naturam non leviter attingendam, sed penitus ac radicitus excutiendam? Prætereo quæstionem illam in Saturnalitiis conviviis A. Gell., l. XVIII, 2, positam, qua cognita et perspecta, multi nodi solvuntur : Verba *scripserim, venerim, legerim,* sintne præteriti an futuri, an utriusque temporis? Mitto alia ejusdem generis, quæ, ne longus sim, non invitus prætermitto. Ii vero qui non solo chartarum numero contenti erunt, mihi in primis exorandi sunt ut, si quid in ipso statim ingressu offenderint quod a recentiorum placitis alienum videatur, tantisper assensionem sustineant, dum quæ in primam verborum declinationem scripsimus, diligenter perlegant.

Inscripseram hoc commentariolum : *De verborum declinatione;* solet enim Varro, l. X, 31, 32, et Fabius, l. I, c. 4, 27, 29, etiam cum de verbis est sermo, tum declinationis nomine, tum declinandi verbo uti; ne tamen grammaticis fastidium moverem, malui inscriptionem perdere.

DE VERBI SUBSTANTIVI DECLINATIONE

19. Cum præteritum perfectum et ulterius, in patiendi verbis necessario ex substantivo verbo supplenda sint, prudenter mihi videntur fecisse qui ipsum in quatuor conjugationum tanquam vestibulo collocarunt; quorum me sententiæ haud pœnitet esse, etiamsi aliud veteribus placuisse minime ignorem.

SUM, VERBUM SUBSTANTIVUM,

modi indicativi, temporis præsentis, numeri singularis, personæ primæ, sic declinabitur :

MODUS INDICATIVUS.

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Sum,
Es,
Est.
Plur. Sumus,
Estis,
Sunt.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Sing. Eram,
Eras,
Erat.
Plur. Eramus,
Eratis,
Erant.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Fui,
Fuisti,
Fuit.
Plur. Fuimus,
Fuistis,
Fuerunt *vel* fuere.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing. Fueram,
Fueras,
Fuerat.
Plur. Fueramus,
Fueratis,
Fuerant.

FUTURUM.

Sing. Ero,
Eris,
Erit.
Plur. Erimus,
Eritis,
Erunt.

Futurum perfectum, sive exactum, ex Varronis sententia, l. IX, 96 : *Fuero.*

Assuescant jam nunc pueri aliquid latine dicere, ne verbum ipsum sine fructu memoriæ mandasse videantur : ita enim ad cætera ediscenda alacriores erunt. *Nihil est virtute pulchrius. Nihil unquam fuit virtute amabilius.*

MODUS IMPERATIVUS.

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Es *vel* esto,
Sit.
Plur. Simus,
Este *vel* estote,
Sint.

FUTURUM.

Sing. Esto tu *vel* eris,
Esto ille *vel* erit.

Plur. Estote *vel* eritis,
Sunto *vel* erunt.

Terent., Eun. act. I, sc. 2, v. 84 :

Bono animo *es*.

Ecquid hæc imperativi species nova tibi videtur? Lege quæ in primam verborum declinationem scripsimus : nam spero fore ut plenissime intelligas nihil contra aut veterum grammaticorum sententiam, aut auctorum usum a nobis dictum esse.

MODUS OPTATIVUS.

20. Quid attinet toties ad primæ conjugationis scholia te rejicere? Nisi etiam Quintilianum, l. IX, c. 3, 11, hanc optativi dispositionem probasse cognoveris, omnem in me culpam transferto. Ne mireris easdem voces lusitanas variis temporibus subservire, quos etiam apud Latinos interdum reperies, cujus rei causa est ipsa optandi affectio, quæ sæpenumero ita perplexa est, ut vix discernas ad quodnam potissimum tempus spectet. Præteriti perfecti hæc et similia esse poterunt : Audio tres milites tantum *fuisse* desideratos. Utinam non *fuerint* multo plures ! *Queira Deos que nao* fossem *muito mais!* Pater tuus melius valebat proximis diebus. Utinam *fuerit* plane confirmatus! *Queira Deos que* seja *jà sao de todo!* Verbum *seja*, beneficio adverbii *jà*, ad præteritum relatum est.

TEMPUS PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Sing.	Utinam	Essem,
		Esses,
		Esset.
Plur.	Utinam	Essemus,
		Essetis,
		Essent.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing.	Utinam	Fuerim,
		Fueris,
		Fuerit.
Plur.	Utinam	Fuerimus,
		Fueritis,
		Fuerint.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing.	Utinam	Fuissem,
		Fuisses,
		Fuisset.
Plur.	Utinam	Fuissemus,
		Fuissetis,
		Fuissent.

FUTURUM.

Sing.	Utinam	Sim,
		Sis,
		Sit.
Plur.	Utinam	Simus,
		Sitis,
		Sint.

MODUS CONJUNCTIVUS.

21. Si conjunctivo præponatur particula *cum*, eum Lusitani indicativo explicant; exempli causa : *Cum sim* pauper, nemo amicitiam meam expetit; *Como* sou *pobre, ninguem deseja minha amizade. Cum essem* pauper, nemo amicitiam meam expetebat; *Como* era *pobre*, etc. *Cum sis* bonus, existimas omnes tui similes esse; *Como* sois *bom, parecevos que todos o sao. Cum* diu *fueris* miles, non miror te interdum minas jactare ; *Como* fostes *muito tempo soldado*, etc. *Cum* antea *fuissem* pauperrimus, parvo contentus eram. *Como dantes* fora *muito pobre, contentavame com pouco.*

Utuntur etiam eleganter gerundiis, cum interpretantur hunc modum : Audes ista dicere, *cum sis* vir nobilis! *Atreveis vos a dizer isso*, sendo *vós homem nobre!* Poteramne tibi opem ferre, *cum essem* pauper? *Podia vos ajudar* sendo *eu pobre?* Non miror te lente convalescere, *cum* diu *fueris* ægrotus; Sendo *vós, ou* estando *tanto tempo doente.* Incidi in gravissimum morbum, *cum* nunquam antea

fuissem ægrotus; *Nao* sendo *até entao doente*. Tandem mortem obiit, *cum* annos prope viginti membris omnibus captus *fuisset*. *Finalmente acabou*, havendo *perto de vinte annos que estava entrevado*. Locutiones illæ, *como seja*, *como fosse*, et aliæ ejusdem generis, iis qui lusitane sciunt minime probantur. Non miror te ista dicere, *cum sis* miles; *Nao me espanto dizerdes isso*, como *se* jais *soldado*, inauditum est : *Nao me espanto dizerdes isso*, pois sois *soldado*, vel jà que sois *soldado*, dicitur bene lusitane.

Cum ergo huic modo particula *cum* præponitur, eam in lusitanas *como*, *pois*, addito indicativo, convertes; aut uteris gerundiis. Quando aut illis aut his utendum sit, usus te docebit. Non miror te lente convalescere, *cum* diu *fueris* ægrotus : Como estivestes *tanto tempo doente*, *nao me espanto convalescerdes tao de vagar*. *Nao me espanto convalescerdes tao de vagar*, pois estivestes *tanto tempo doente*. *Nao me espanto convalescerdes de vagar*, sendo *ou* estando *tanto tempo doente* : hic et particulæ et gerundia locum habent. Illustravimus hunc modum tam multis exemplis, ut intelligant qui de lusitanæ linguæ, maxime hoc loco, inopia conqueruntur, ei sæpenumero non tam verba deesse, quam qui ea velint exquirere.

Habet conjunctivus etiam voces proprias *seja*, *fosse*, quibus locus est, cum eas particulæ *ut*, *ne* et aliæ nonnullæ præcedunt. Nunc te rogo *ut sis* liberalis; olim *ne esses* prodigus, rogabam. *Agora rogo te que* sejas *liberal ; os annos passados rogavate que nao* fosses *prodigo*. Cic. ad Attic., l. VIII, ep. 15, 3 : « Plura scriberem, *si* ipse *possem ;* » *se podéra*. Terent., Adelph. act. V. sc. 8, v. 938 : « *Si* tu *sis* homo, hic faciat; » *Se fordes homem*. Itaque *sim*, nulla præposita particula, potest reddi lusitane *eu sou*, *seria*, *for*, *sendo eu ; essem*, *eu era*, *fora*, *fosse*, *sendo eu*. Quo pacto pueris lusitanis hæc duo tempora, si fieri posset, ediscenda essent, sublatis, inquam, particulis. Nam si particulam præponas, et voces has omnes adjungas, non cohærent ; fit enim solœcismus aut certe solœcophanes, si dicas : *Como eu seja*, *como eu fosse*. Quare in margine ponemus etiam alias particulas, ut tirones intelligant variam esse horum temporum interpretationem.

CONJUNCTIVI MODI TEMPUS PRÆSENS.

Sing.	Cum	Sim,
		Sis,
		Sit.
Plur.	Cum	Simus,
		Sitis,
		Sint.

Quamvis sim, *si sim*, *nisi sim*.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Sing.	Cum	Essem,
		Esses,
		Esset.
Plur.	Cum	Essemus,
		Essetis,
		Essent.

Si essem.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing.	Cum	Fuerim,
		Fueris,
		Fuerit.
Plur.	Cum	Fuerimus,
		Fueritis,
		Fuerint.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing.	Cum	Fuissem,
		Fuisses,
		Fuisset.
Plur.	Cum	Fuissemus,
		Fuissetis,
		Fuissent.

FUTURUM.

Sing.	Cum	Fuero,	*Plur.*	Cum	Fuerimus,
		Fueris,			Fueritis,
		Fuerit.			Fuerint.

MODUS POTENTIALIS, PERMISSIVUS SIVE CONCESSIVUS.

22. *Potentialis* modus, *permissivus*, sive *concessivus*, digni quidem sunt, propter eorum singularem ornatum et elegantiam, qui non solum, ut cæteri, pleni ac integri perscribantur, sed etiam ut aureis literis exarentur : plus enim splendoris soli et venustatis orationi quam cæteri omnes afferunt. His tamen angustiis circumscriptos, ne rei novitate offendantur, præceptoribus exhibemus, optionemque damus ut vel intactos omnino prætereant, vel, si visum fuerit, auditoribus suis præcipiant ut memoriæ eos mandent. Fuerintne cogniti veteribus grammaticis, et an eodem nomine appellati; item quæ eorum sit vis atque natura, omniumque temporum exempla, suo loco invenies.

MODI POTENTIALIS TEMPUS PRÆSENS.

Sim.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Essem.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Fuerim.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Fuissem.

FUTURUM.

Fuerim.

MODI CONCESSIVI, SIVE PERMISSIVI, TEMPUS PRÆSENS.

Sim.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Essem.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Fuerim.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Fuissem.

FUTURUM.

Fuero.

FUTURUM ALITER.

Fuerim.

MODUS INFINITUS.

23. Modus *infinitus*, ut plenius suo loco videbis, quinque habet tempora, quorum præsens et imperfectum voce una; perfectum itidem et plusquam perfectum una continentur. Lusitani omnia tempora circuitionibus apertissime discernunt : indicativum, particulam *que* præponentes : Aiunt te esse ducem; *Dizem que sois capitao.* Aiebant te esse ducem; *Diziao que ereis.* Aiunt te fuisse ducem; *Dizem que fostes.* Aiebant te fuisse ducem; *Diziao que foreis.* Aiunt te fore *aut* futurum ducem; *Dizem que sereis* ou *que haveis de ser capitao.* Interdum utuntur subjunctivo : Vellem te esse omnibus virtutibus ornatum; *Queria que fosseis*, etc. Locutiones illæ : *Dizem serdes capitao ; dizem haverdes ser capitao*, quæque sunt generis ejusdem, linguæ lusitanæ peritis haudquaquam probantur. Lusitano infinito locus est cum verbis *possum, debeo, cupio, volo, nolo, malo ;* et aliis ejusdem significationis jungitur, idque in præsenti et imperfecto ; nam perfectum et plusquam perfectum circuitione explicantur, ut : Cupio esse probus ; *Desejo de ser virtuoso*, præsens est. Cupiebam esse probus; *Desejava ser*

virtuoso, imperfectum est; utrumque verbum, latinum et lusitanum, una voce contentum est.

Futurum cum verbis sperandi, promittendi, jurandi suppletur ex voce præsenti, addita præpositione *de*, ut : Spero me futurum virum doctum; *Espero de ser*. Interdum eadem voce præsenti lusitana explicatur plusquàm perfectum, ut : Poterat jam fuisse mortuus, profectus, etc.; *Podera jà ser morto, partido*, etc. Nam illa : *Haver sido morto, partido*, et his similia, quibus nemo qui modo lusitane sciat utitur, e bætico, ut diximus, barbare in lusitanum conversa sunt.

INFINITI MODI TEMPUS PRÆSENS ET PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Esse.

Scio me esse rudem.

PRÆTERITUM PERFECTUM ET PLUSQUAM PERFECTUM.

Fuisse.

Scio me fuisse rudem.

FUTURUM.

Fore, *vel* futurum, am, um esse.

Scio me semper fore rudem.

PARTICIPIUM FUTURI TEMPORIS.

Futurus, a, um.

Participium *ens* formavit novum Sergius Fulvius, ex græco ὤν. Vide Quintilianum, l. VIII, c. 3, 33. Gerundia (1) vel participalia verba *essendi, essendo, essendum*, quæ in libello Donati de Octo partibus orationis leguntur, argumento sunt non ab ipso, sed ab alio nescio quo, conjugationum exempla, aut certe verba anomala addita fuisse : nusquam enim apud veteres leguntur.

(1) Ista gerundia nec in Pustchii nec in Lindemanni Donato reperiuntur. Respexit forsan ad paradigmata illa conjugationum quæ n. 65 dicit incertum an sint ipsius Donati.

TRES FUISSE DUMTAXAT APUD VETERES

GRAMMATICOS CONJUGATIONES

24. Veteres illi atque illustres literati (sic enim olim Grammatici, ut auctor est Suetonius in libello de Illustribus Grammaticis, c. 4, dicebantur) tres tantum verborum declinationes statuerunt; quarum postremam in correptam et productam distribuentes, tertiam correptam appellabant, quam nunc tertiam simpliciter dicimus; tertiam vero productam, quam quartam appellamus; quo modo Probus, l. II, p. 1479; Phocas, p. 1711, 1714, 1716; Diomedes, l. I, p. 337, 338, et Donatus in posteriore libello de Octo partibus orationis, p. 1755, loqui consueverunt. Hinc facile intelligitur locus ille Plautinus in Mercat. act. II, sc. 2, v. 32 :

Demiph. Hodie ire in ludum obcæpi literarium,
Lysimache; ternas scio jam. — *L.* Quid ternas ? —
[*D.* Amo.

Videsne etiam priscis illis seculis *amandi* verbum in scholis fuisse decantatum?

DE MODIS VERBORUM.

25. Cum *modus* (ut grammaticis placet) nihil aliud sit quam voluntas vel animi affectio per vocem adsignificata, mirum est eos tam multas, tam varias hominum voluntates et affectiones tam paucis modis circumscripsisse, ad quas rem prope infinitam conantur revocare; quam recte ipsi viderint. Certe voces non paucæ sunt quarum elegantiam admireris quidem, sed modum non facile

agnoscas. Ex plurimis nonnulla exempla subjiciemus.

Liv., l. VI, c. 14 : « Tum vero, inquit, nequicquam hac dextra Capitolium arcemque servaverim, si civem commilitonemque meum, tanquam Gallis victoribus captum, in servitutem ac vincula duci videam. » Terent., Hecyr. act. III, sc. 4, v. 424 :

Denique hercle aufugerim
Potius quam redeam, si eo mî redeundum sciam.

Quintil. l. X, c. 1, 107, de Demosthene : « Et fortasse epilogos illi mos civitatis abstulerit; sed et nobis illa quæ Attici mirantur diversa latini sermonis ratio minus permiserit. » In eodem, 105 : « Ciceronem cuicumque eorum fortiter opposuerim. » Virg., Æn. VIII, 643 :

. . . . . At tu dictis, Albane, maneres.

Idem, ibid., IV, v. 603 :

Verum anceps pugnæ fuerat fortuna; fuisset.
Quem metui moritura? faces in castra tulissem,
Implessemque foros flammis, natumque patremque
Cum genere extinxem, memet super ipsa dedissem.

Idem, ibid., VI, v. 62 :

Hac Trojana tenus fuerit fortuna secuta.

Cic., Prior Acad., l. II, c. 36, 115 : « Age, restitero Peripateticis, qui sibi cum oratoribus cognationem esse, qui claros viros a se instructos dicant Rempublicam sæpe rexisse; sustinuero Epicureos tot meos familiares, tam bonos, tam inter se amantes viros; Diodoto quid faciam stoico, quem a puero audivi? » Idem ad Attic., l. IX, ep. 10, 5 : « Ego quidem tibi non sim auctor, si Pompeius Italiam relinquit, te quoque profugere. » Portius Latro, Declam. in Catilinam, c. 2 : « Verum ea dicendi voluptas olim sapientissimo viro M. Catoni plane contigerit, necnon et Galbæ.... nobiscum vero sententia nostra bene ageretur, etc. »

Quæ cum ita sint, mirum non est, si alii plures, alii pauciores modos statuerunt. Quintil., l. 1, c. 5, 41, ait quosdam sex, alios octo fecisse : « Id per omnes, inquit, orationis partes deprehendimus, frequentissime in verbo, quia plurima huic accidunt. Ideoque in eo fiunt solœcismi per genera, tempora, personas, modos, sive cui status eos dici seu qualitates placet, vel sex, vel, ut alii volunt, octo. » Hic obiter notabis *modos*, tum *status*, tum *qualitates* a nonnullis fuisse appellatos, modumque ipsum attributum esse verbi, et, ut apertius cum Quintiliano loquar, modum verbo accidere, id quod recentiores quidam prorsus negant. Varro, l. X, 31, modos verborum *species* appellat : « Quinta, inquit, *species* optandi, ut : *dicerem, facerem; dicam, faciam.* Sexta imperandi, ut *cape, rape, capito, rapito.* » Diomedes, l. I, p. 328, docet quosdam sex, alios septem, nonnullos octo, quosdam novem, alios denique decem statuisse, quorum appellationes, ne longior sim, prætermitto; si vacat, Diomedem legito. Nos quinque, quem numerum, ut idem etiam auctor erit, plerique amplexi sunt, pueris ediscendos proponemus, in scholiis tamen nihil eorum prætermissuri quæ ad rem facere videbuntur.

DE TEMPORIBUS.

26. Tempora tria sunt : *præsens* sive *instans*, *præteritum*, *futurum*. *Præsens* dicitur cum adhuc aliquid agimus; *præteritum*, cum agere desivimus; *futurum*, cum acturos nos pollicemur. Verum quoniam sæpe fit ut quæ agere desivimus, partim inchoata, partim perfecta relinquamus, opus fuit duobus temporibus, ut altero inchoatam, altero vero perfectam actionem significaremus; unde illud *præteritum imperfectum*; hoc, *perfectum* merito appellatum est, ut : *scribebam, scripsi*. Sunt præterea nonnulla jam quidem absoluta et perfecta, non simpliciter tamen, sed respectu præteriti perfecti aut imperfecti; quæ etiam suo tempore indigebant, quod *plusquam perfectum* sive *ulterius* vocatur; ut : jam *scripseram* cum tu scripsisti. Quo tempore tu scribebas, jam ego scripseram. Cic., Fam., l. VIII, ep. 6, 5 : « Hoc nondum *fecerat*, cum priorem partem epistolæ scripsi. » Senec., l. III, declam. 4 : « Servavit me, quem sæpe *servaveram*. » Cic. ad Attic., l. VIII, ep. 9, 4 : « Cum hæc scribebam, Pompeius jam Brundusium venisse *poterat*. »

Varro, l. IX, 99, et l. X, 33, 48, futurum in *infectum* (sic enim solet ille imperfectum

appellare) et *perfectum* distribuit; siquidem docet tria esse tempora infecta, ut *pungebam*, *pungo*, *pungam; discebam*, *disco*, *discam;* et totidem perfecta, ut *pupugeram*, *pupugi*, *pupugero; didiceram*, *didici*, *didicero;* cujus sententiæ quidam accedentes, futurum hoc *exactum* appellarunt, atque sex tempora indicativo adscripserunt, cum quibus hæc et nonnulla alia loca facere videntur. Cic. ad Attic., I. IX, ep. 15, 3 : « Cum tu hæc leges, ego illum fortasse convenero. » Idem, Verr. act. II, l. III, c. 66, 154 : « Venio nunc ad epistolam Timarchidis liberti istius, et accensi; de qua cum dixero, totum hoc crimen decumanum peroraro. » Idem ad Fam., l. X, ep. 19, 2 : « Qui Antonium oppresserit, is hoc bellum teterrimum periculosissimumque confecerit. » Idem, Divinat. in Verr., c. 7, 23 : « Da mihi hoc : concede quod facile est, quod honestum, quod non invidiosum; quod cum dederis sine ullo tuo periculo, sine infamia illud dederis, ut is absolvatur cujus ego causa laboro. » Idem, in Verr. act. II, l. II, c. 62, 151 : « Da mihi hoc : jam tibi maximam partem defensionis præcideris. » Idem ad Fam., l. II, ep. 12, 1 : « Etsi, cum tu hæc leges, ego jam annuum munus confecero. » Terent., Adelph. act. II, sc. 3, v. 233 :

. . . . . Ubi illinc rediero,
Nihil est, refrixerit res.

Frequentissime tamen vox hæc nihil aliud significat quam futurum infectum, nisi forte sensus aliquis nobis incognitus latet. Cic. ad Fam., l. XIII, ep. 67, 2 : « Feceris igitur mihi gratissimum, si ei declararis quanti me facias. » Idem, in eodem, ep. 63, 2 : « Id mihi fratrique meo gratissimum feceris. » Ibidem, ep. 51 : « Virum bonum tuaque amicitia dignum tibi adjunxeris. » Terent., Andr. act. II, sc. 4, v. 398 :

. . . . Si te æquo animo ferre accipiet, negligentem feceris.

Ibid., v. 399 :

. . . . Interea aliquid acciderit boni.

PRIMA CONJUGATIO

AMO, VERBUM ACTIVUM,

modi indicativi, temporis præsentis, numeri singularis, personæ primæ, conjugationis primæ, sic conjugabitur :

MODUS INDICATIVUS.

27. Cum hoc modo indicemus, rogemus, respondeamus, fateamur, pronuntiemus, definiamus, merito a grammaticis *indicativus;* a Varrone, l. X, 31, tum *rogandi*, tum *respondendi species;* a Quintiliano, l. I, c. 6, 7, *modus fatendi;* a Probo, l. I, p. 1407, et Donato, II edit., p. 1754, *pronunciativus;* a Diomede, l. I, p. 328, *finitivus;* a Prisciano, l. VIII, p. 819, *definitivus* appellatur; quem etiam Diomedes, Probus, Donatus, Priscianus *indicativum* nominant. Huic modo omnes quinque tempora attribuunt, præter Varronem, l. IX, 96, et qui in ejus sententiam ierunt; nam, cum futurum perfectum sive exactum addant, sex ei adscribant necesse est.

28. INDICATIVI MODI TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Amo,
Amas,
Amat.
Plur. Amamus,
Amatis,
Amant.

Amo modestiam tuam. Amo te propter singularem tuam virtutem. Has et his similes locutiones ducent pueri per omnia tempora, ut : *Amabam modestiam tuam, amavi modestiam tuam*, etc. Neque primas aut secundas pronominum personas exprimant, doceanturque nunc dumtaxat Latinos id raro facere ; nam suo tempore, quando sint exprimendæ docebuntur. Neque sit magister sollicitus de nominativi et verbi consensu ; priusque, si fieri poterit, discipulos doceat bene latine loqui, quam causas bene loquendi.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Amas, s *mutata in* bam, *fit* amabam ; *sic* docebam.

Sing. Amabam,
Amabas,
Amabat.
Plur. Amabamus,
Amabatis,
Amabant.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Amavi,
Amavisti,
Amavit.
Plur. Amavimus,
Amavistis,
Amaverunt *vel* amavere.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Amavi, i *in* e *et addita* ram, *fit* amaveram ; *sic in cæteris conjugationibus.*

Sing. Amaveram,
Amaveras,
Amaverat.
Plur. Amaveramus,
Amaveratis,
Amaverant.

FUTURUM.

Amas, s *in* bo, *fit* amabo ; *sic* docebo.

Sing. Amabo,
Amabis,
Amabit.
Plur. Amabimus,
Amabitis,
Amabunt.

Futurum perfectum, *sive exactum qui volet addere, erit* Amavero.

29. Secundam personam præteriti perfecti utriusque numeri, et tertiam multitudinis sæpissime auctores imminutam potius quam plenam usurpant ; ut *amasti, amastis ; audisti, audistis, audierunt ; recreastis, recrearunt ;* quod idem de iis quæ a præterito fiunt dictum sit, ut *amaram, audieram, audiero ; amassem, audissem.* Prima et tertia singularis conjugationis tertiæ, et quartæ etiam, imminuuntur, ut *petii, petiit ; perii, periit ;* sed hic, optimus magister, usus in consilium adhibendus erit ; sunt enim quædam quibus plenis libentius quam imminutis utuntur oratores, ut *munivi, audivi.* De hac imminutione lege Ciceronis Oratorem, c. 47, 157 : « Quid, quod, inquit, sic loqui, *nosse, judicasse* vetant, *novisse* jubent et *judicavisse?* quasi vero nesciamus in hoc genere, et plenum verbum recte dici, et imminutum usitate. » Vide de eadem re Fabium, l. I, c. 6, 17.

Imminutiones illæ, *dixti, misti, amisti, promisti, tersti, evasti, prospexti, luxti, vixet, extinxem, surrexe, promisse, divisse,* pro *dixisti, misisti, amisisti, promisisti, tersisti, evasisti, prospexisti, luxisti, vixisset, extinxissem, surrexisse, promisisse, divisisse*, poetarum sunt propriæ. Priscianus, l. X, p. 885, admonet hanc verborum imminutionem locum non habere in verbis, quibus inest *v* litera, ut *lavo, faveo, moveo, solvo, volvo ;* nec enim *lasti, fasti, mosti, solsti,* patitur latini sermonis munditia, pro *lavisti, favisti,* etc. Reperias tamen interdum modo conjunctivo aliquid hujus generis, siquidem Horat. l. I, Sat. IX, 48, *submosses* dixit, pro *submovisses,* et l. II, Sat. II, 45, *commorit* pro *commoverit.* Cic., in Verr. act. II, l. III, c. 18, 45 : « Glebam *commosset* in agro decumano Siciliæ nemo, si Metellus hanc epistolam non misisset. » Idem pro Planc., c. 37, 90 : « Ego omnium parricidarum tela *commossem?* » Cic., Fam., l. VIII, ep. 15, 1 : « Ecquando tu hominem ineptiorem quam tuum Pompeium vidisti, qui tantas turbas, quum tam nugax esset, *commorit?* »

Quidam *amavere, docuere* et id genus alia ad

dualem numerum spectare crediderunt, hoc est, utendum esse his vocibus, cum de duobus tantum esset sermo; quorum errorem Fabius, l. I, c. 5, 42, refellit. Cicero in Orat., c. 47, 157, utriusque vocis meminit his verbis : « Nec vero reprehenderim *scripsere alii rem*, etsi *scripserunt* esse verius sentio; sed consuetudini auribus indulgenti libenter obsequor. » Hac imminutione interdum idem ipse Cicero utitur, Verr. act. II, l. I, c. 6, 15 : « Quo in numero e vobis complures *fuere.* » Ibid., c. 22, 59 : « Socii vero nationesque exteræ spem omnium tum primum *abjecere* (1) rerum ac fortunarum suarum. »

30. Futurum indicativi quidam *promissivum* modum appellarunt, quod eo promittamus nos aliquid facturos; qua appellatione frequenter utitur Diomedes, l. I, p. 328, 339, 344. Donatus, in II edit., p. 1754, hunc modum non recipit, quamvis eo nomine aliquando futurum ipsum appellet. Ponitur frequenter et eleganter pro futuro conjunctivi. Cic., Fam., l. II, ep. 7, 1 : « Nunquam labere, si te *audies.* » Terent., Andr. act. II, sc. 4, v. 398 :

Si te æquo animo ferre *accipiet*, negligentem feceris.

Idem, Adelph. act. V, sc. 3, v. 821 :

. . . . . Omnia hæc si *voles*
In animo vere cogitare, Demea,
Et mihi, et tibi, et illis dempseris molestiam.

Sallust., Bell. Jug., c. 10 : « Equidem ego vobis regnum trado, firmum, si boni *eritis;* si mali, imbecillum. »

Ego sane, si per criticos liceret, vellem alterum futurum, nimirum *ro* syllaba finitum addere, non diversa, sed eadem significatione, nisi forte aliqua perfectio et absolutio lateat : est enim ejus usus adeo frequens ut non minus huic modo quam conjunctivo debeatur. Terent., Andr. act. IV, sc. 1, v. 641 :

. . . . . Atque aliquis dicat : nihil *promoveris.*
Multum; molestus certe ei *fuero* atque animo morem [*gessero.*

Cic. ad Attic., l. II, ep. 24, 5 : « *Respiraro*, si te *videro;* » et illa : negligentem *feceris, dempseris* molestiam, et alia prope infinita, ejusdem sunt generis.

(1) Lemaire, *abjecere;* Orellius, Teubn., *abjecerunt.*

MODUS IMPERATIVUS.

31. Quamvis hoc modo jubeamus, imperemus, prohibeamus, mandata legesque demus, deprecemur, hortemur, auxilium denique et misericordiam imploremus, grammaticis tamen visum est ut ab imperando potissimum diceretur. Mirum est quam varie modus hic a græcis, latinis et hebræis grammaticis tractetur, siquidem Græci præsens, et præteritum, et utrumque aoristum ei tribuerunt. Veteres Latini præsens et futurum ei tantum adscripserunt, quorum quidam in *imperativum* et *mandativum* diviserunt; alii primam personam pluralem addiderunt, nonnulli eamdem subtraxerunt. Fuerunt qui tertiam personam huic modo minime convenire affirmarent, propterea quod præsentibus proprie imperemus, et per eos absentibus. Ex recentioribus quidam, futuro sublato, præteritum addiderunt; alii, sublato præsenti, futurum tantum ei reliquerunt. Restat nunc ut aliquis eum præsenti, præterito et futuro spoliet, qua certe spoliatione grammaticorum lites sedarentur, nec deinceps novæ tragœdiæ excitarentur. Nam cum eædem voces, et iis quæ statim fieri imperamus, et post centum annos recte accommodentur, non facile præsens tempus a futuro discernas. Quare Hebræi iis incommodis occurrentes, nulla facta temporis præsentis, præteriti aut futuri mentione, duas voces imperativo tribuunt : alteram qua secundam personam singularem, alteram qua eamdem multitudinis explicant; de genere virili loquor, nam totidem muliebri attribuunt : etenim apud ipsos genus masculinum et femininum, more nominum, admittunt verba. Tertiam vero a futuro indicativi mutuantur.

32. DUO ESSE TEMPORA IMPERATIVI, PRÆSENS ET FUTURUM, DE SENTENTIA VARRONIS ALIORUMQUE VETERUM.

Quando aliqua tempora huic modo necessario attribuenda sunt, dabimus operam ne a veterum sententia discedamus; simul videndum erit an cum causa id recentiores quidam fecerint. Probus quidem, alter Latinorum Aristarchus, quem in Grammaticorum illustrium numerum Suetonius Tranquillus, c. 24, retulit, qui a Gellio, Diomede aliisque viris doctis, ut testis locupletissimus sæpenumero citatur, ei duo tantum tempora, præsens et futurum, attribuit, l. I, p. 1410, 1411; cum

quo Diomedes, l. I, p. 329; Donatus; Servius, in Art. II Donati, p. 1791; Priscianus, l. VIII, p. 806, quorum ultimus ante mille triginta annos floruit, mirifice consentiunt. Neque M. Terentium Varronem, cujus libros M. Tullius, si quando de re aliqua paulo accuratius esset disputaturus, solitus erat diligenter evolvere, in alia fuisse sententia paulo inferius planum faciemus.

Porro futurum duplex est : alterum, *to* syllaba terminatum, ut *amato*, *doceto*; alterum, quod cum futuro indicativi, voce quidem, congruit; sed cum imperium mandatumque adsignificat, huc procul dubio spectat, ut *amabis*, *docebis*. Cic. ad Attic., l. II, ep. 18, 3 : «Tu hoc *silebis*.» Quintil., l. I, c. 1, 5, de nutricibus loquens : « Has primum *audiet* puer, harum verba effingere imitando *conabitur*. » Ibid, c. 1, 25 : « Quapropter optime sicut hominum, pariter et habitus et nomina *edocebuntur*. » Si enim imperandi modus is est quo imperamus ac mandamus, quidnam causæ esse putem cur hoc tempore fraudandus sit ? Nam si hinc ideo rejiciendum est, quia vox ipsa ante modo fatendi adscripta fuit, conjunctivum temporibus privemus, cum eadam ipsa optativo ante fuerint attributa. Modos itidem permissivum ac potentialem, quibus romana lingua mirum in modum illustratur, ex numero modorum ejiciamus atque ex latini sermonis finibus exterminemus, propterea quod voce cum subjunctivo consentiant.

33. AMA, AMATO SIMILESQUE VOCES SÆPE RECIPROCARI; ITEM QUID INTER AMATO ET AMABIS, CUM EST FUTURUM IMPERATIVI, INTERSIT.

Hoc tamen inter utrumque interest, quod *to* syllaba finitum, maxime secunda persona, et præsens, reciprocantur, atque alterum pro altero crebro ab auctoribus usurpatur; usque eo ut in eadem periodo, atque adeo eodem versu, simul locum habeant. Q. Cicero, in eo commentariolo in quo Marco fratri præcepta petendi consulatus tradit, frequentissime utrumque miscet : « *Cura*, inquit, c. 8, 29, ut tui cupidi sint, *elaborato, appetito, allegato,* summo beneficio te affici *ostendito* (1). » Virg., Eclog. IX, v. 23 :

> Tityre, dum redeo (brevis est via), *pasce* capellas ;
> Et potum pastas *age*, Tityre; et inter agendum
> Occursare capro (cornu ferit ille) *caveto*.

(1) Orellius et Teubner : « Summa cura ut tui cupidi sint elaborato. »

Plaut., Pœn. act. V, sc. 2, v. 116 :

> *Ago.* Mi patrue, *salve*. *Pœn.* Et tu *salveto*, Agorastocles.

Neque, si alterum pro altero ponitur, et utrumque eodem sensu in eadem periodo cernitur, continuo existimandum est unicum dumtaxat esse tempus. Habent sane Græci suum præsens, habent primum et secundum aoristum, quibus non solum utuntur pro præsenti, sed etiam præsens ipsum et aoristum in eadem periodo, atque adeo in eodem versu, eadem prorsus significatione, non raro ponunt ; nemo tamen ad hunc diem ex duobus aoristis et uno præsenti tempus unum facere est ausus. Præterea videas gravissimos auctores interdum præsens conjunctivi pro futuro ejusdem modi usurpantes ; neque tamen ob eam causam quis utrumque unum esse tempus dixerit. — At *sunto, agunto* interpretantur grammatici *sint*, *agant*, et a præsenti indicativi fiunt addita *o* litera. — Hoc eodem argumento *valebis, curabis, exspectabis,* et sexcenta alia, docebunt qui futurum tempus imperativo subtrahunt, præsentis esse temporis. Cic. ad Fam., l. VII, ep. 20, 2 : «Sed *valebis*, meaque negotia *videbis*, meque, diis juvantibus, ante brumam *exspectabis*. » Hæc enim iidem ipsi pro *vale, cura, exspecta* posita esse docent. Neque ratio formandi tempora ad rem facit, cum futurum indicativi a præsente, et subjunctivi a præterito formetur. Nec Servius cum illis facit, ut qui in Donati Artem II, p. 1791, disertissimis verbis docet *agant* præsentis esse temporis ; *agunto*, futuri. « Imperativus, inquit, duo tantum (habet tempora) : *præsens* et *futurum*, etc. ; » et paulo post : « In tempore futuro, tam in numero singulari quam in plurali prima persona deficit; secunda vero et tertia in numero singulari uno modo proferuntur, ut *legito tu*, *legito ille*, ut est apud Virgilium, Æn. V, v. 314 :

> Tertius Argolica hac galea contentus *abito*.

Nam, si dicam : *legito*, *legat*, *legito* quidem erit tempus futurum ; *legat* vero, præsens. Item tertia persona numeri pluralis his regulis continetur. Indicativo modo tempore præsenti, tertia persona numero plurali *o* accipit, et facit hanc personam imperativi modi per omnes conjugationes : amant, *amanto* ; docent, *docento* ; legunt, *legunto*; nu-

triunt, *nutriunto;* quod servaverunt majores, ut Horatius, Arte poet., v. 100 :

> Et quocumque volent animum auditoris *agunto.*

Nam, si diceret *agant*, tempus præsens ostenderet, non futurum. » Hæc Servius ad verbum. Diomedes, cujus testimonio nituntur sententiam suam confirmare, copiose de futuro imperativi agit l. I, p. 329, atque inter alia ita inquit : « Quem sermonem nonnulli consueverunt *mandativum* potius quam *imperativum* dicere, quoniam præsenti tempore imperare solemus ut fiat; in futurum vero magis mandare. » Hæc ille. In qua sententia fuit Cornelius Fronto, p. 2197; sic enim in differentiis ait : « *Videte et videtote; videte* imperat, *videtote* mandat. » *Agunto, amanto, legunto* et cætera hujus generis negat Diomedes hoc loco esse mandativa sive futuri temporis; siquidem docet futurum imperativi proprie secundam personam utriusque numeri tantum habere, et has voces præsenti attribuit; quamvis easdem voces in declinandis verbis semper futuro, ut cæteri omnes grammatici, attribuat. Sed, ut eo unde digressi sumus, redeamus, licet præsens et futurum, ut dixi, reciprocentur mutuasque tradant operas, videas tamen auctores sæpe futuro proprie utentes.

Cic. ad Attic., l. IV, ep. 8, 4 : « Ubi nihil erit quod scribas, id ipsum *scribito.* » Idem ad eumdem, l. I, ep. 12, 4 : « Tu velim sæpe ad nos scribas; si rem nullam habebis quod in buccam venerit, *scribito.* » Idem ad Fam., l. XVI, ep. 6, 1 : « Cum valetudinis rationem, ut spero, habueris, *habeto* etiam navigationis. » Idem, Verr. act. l. II, c. 33, 81 : « Cum hæc confessus eris quæ in foro palam Syracusis in ore atque in oculis provinciæ gesta sunt, *negato* sane, si voles, pecuniam accepisse. » Idem, in Vatin., c. 4, 10 : « Tum memoriter *respondeto* ad ea quæ de te ipso rogaro. » Idem, ad Fam., l. XVI, ep. 26, 2 : « Etiam si quid scribas non habebis, *scribito* tamen. » Terent., Hecyr. act. V, sc. 2, v. 770 :

> Sed tu cum satura atque ebria eris, et puer ut satur sit [*facito.*

Ibid., act. I, sc. 2, v. 76 :

> Senex, si quæret me, modo isse *dicito*
> Ad portum, percontatum adventum Pamphili;
> Audin' quid dicam, Scirte ? si quæret me, uti
> Tum dicas; si non quæret, nullus dixeris.

Ovid., Metam. IX, v. 378 :

> Cumque loqui poterit, matrem *facitote* salutet.

In his locis futurum imperativi cum futuro alterius modi jungitur. Nostrates etiam futuro imperativi his locis et frequentius et elegantius utuntur. *Isso mesmo me escreveras. Entao responderas aoque te perguntar*, etc.

Alterum futurum, quod, ut diximus, voce simile est futuro indicativi, sæpe præsenti explicari potest. Cic., Fam., l. XV, ep. 18 : « *Valebis* igitur, meque, ut a puero fecisti, *amabis.* » Idem, Fam., l. VII, ep. 20, 2 : « Sed *valebis*, meaque negotia *videbis*, meque, diis juvantibus, ante brumam *exspectabis.* » Idem, Fam., l. IX, ep. 22, 5 : « Tu me *diliges*, et *valebis.* » Idem, Att., l. IV, ep. 7, 3 : « Quid superest ? Etiam. Puerum Ciceronem *curabis* et *amabis*, ut facis. » Idem ad eumdem, l. XIV, ep. 19, 6 : « Tu Atticæ salutem *dices.* » Idem ad eumdem, l. VI, ep. 4, 3 : « Piliæ et puellæ Ceciliæ bellissimæ salutem *dices.* » In eodem, ep. 5, 4 : « *Valebis* igitur, et puellæ salutem Atticulæ *dices.*» In eodem, ep. 2, 10 : « *Valebis* igitur, et valere Piliam et Cæciliam nostram *jubebis* literis. *Salvebis* a meo Cicerone. » Pleraque ex his locis quispiam præsenti permutet; ego vero malim cum Cicerone futuro uti, quod mandatis dandis maxime est accommodatum.

Nonnulla tamen sunt loca in quibus præsens ita locum habet, ut futurum hoc secundum excludat. Idem ad eumdem, l. II, ep. 23, 3 : « Si dormis, *expergiscere*; si stas, *ingredere;* si ingrederis, *curre;* si curris, *advola.* » Plaut., Merc. act. II, sc. 3, v. 111 :

> *Quiesce*, inquam, istanc rem ego recte videro.

Virg., Æn. IV, v. 593 :

> . . . . . *Ite*,
> *Ferte* citi flammas, *date* vela, *impellite* remos.

Idem, ibid., IX, v. 37 :

> *Ferte* citi ferrum, *date* tela, *scandite* muros.

Idem, ibid., X, v. 294 :

> Nunc, o lecta manus, validis *incumbite* remis.

Hæc loca futurum sine dubio respuerent. Ex his planum, nisi fallor, factum est duplex esse futurum formæ imperandi, quod *mandativum* modum,

ut diximus, nonnulli appellarunt, propterea quod mandatis dandis maxime sit appositum; quorum utrumque Virgilius cum præsente paucis carminibus complexus est. Æn. II, v. 547 :

Cui Pyrrhus : *Referes* ergo hæc et nuntius *ibis*
Pelidæ genitori; illi mea tristia facta
Degeneremque Neoptolemum narrare *memento*.
Nunc *morere*.

Vides mandativa *referes, ibis, memento,* quam proprie sint apposita? Jam vero illud *Nunc morere* tam præsens est quam quod præsentissimum. Idem, ibid., IX, v. 740 :

Olli subridens sedato pectore Turnus :
Incipe, si qua animo virtus, et *consere* dextram;
Hic etiam inventum Priamo *narrabis* Achillem.

Plautus in Mercat. act. II, sc. 2, v. 6, præsenti quidem tempore servum in villam jubet ire, futuro vero mandata dat :

I tu hinc ad villam, atque istos rastros villico
Præsto ipsi *facito* coram ut tradas in manum.
Uxori *facito* ut nunties, negotium
Mihi esse in urbe, ne me exspectet : nam mihi
Treis hodie liteis judicandas *dicito* :
I, et hoc *memento* dicere.

34. IMPERATIVI MODI TEMPUS PRÆSENS.

Amas, s *ablata, fit* ama; *eodem modo* doce, audi.

Sing. Ama *vel* amato,
Amet.
Plur. Amemus,
Amate *vel* amatote,
Ament.

FUTURUM,

Vel potius MODUS MANDATIVUS sive LEGITIMUS, hoc est quo præcipue mandata, præcepta legesque dantur.

Amat, *addita* o, *fit* amato ; *sic in cæteris conjugationibus.*

Sing. Amato tu, *vel* amabis,
Amato ille, *vel* amabit.
Plur. Amatote, *vel* amabitis,
Amanto, *vel* amabunt.

Prima persona singularis hic locum habere non potest, nisi quis sibi tanquam secundæ imperet, seque tanquam alterum alloquatur; sic Melibæus se alloquitur, Virg., Eclog. I, v. 74 :

Insere nunc, Melibæe, pyros, *pone* ordine vites;

et Terent., Adelph. act. V, sc. 1, v. 767 :

Ædepol, Syrisce, te curasti molliter,
Lauteque munus administrasti tuum;
Abi.

Secundæ personæ præsentis temporis secundam futuri *to* syllaba terminatam adjunximus, propterea quod sæpenumero, ut diximus, reciprocentur, atque altera pro altera ponatur.

Tertiæ personæ non ausi sumus tertiam futuri addere, quod fere nunquam reperiatur apud eos qui soluta oratione scripserunt, exceptis legislatoribus, ut leges Duodecim Tabularum docent, et eæ quas Cato de Re rustica scripsit oleæ pendentis, c. 146; legendæ, c. 144; faciundæ, c. 145; vini pendentis, c. 147, et id genus cæteræ. Multæ etiam sunt apud Ciceronem, de Leg., l. III, c. 3, 6 : « Justa imperia *sunto;* iisque cives modeste ac sine recusatione *parento.*» Ibid., c. 3, 8 : « Regio imperio duo *sunto:* iique præeundo, judicando, consulendo Prætores, Judices, Consules *appellantor.* Militiæ summum jus *habento*, nemini *parento,* ollis salus populi suprema lex *esto.*» Eadem poetæ legibus ferendis utuntur. Virgilius, Æn. V, v. 308, ubi leges præmiorum ab Ænea indicuntur, sic ait :

Omnibus hic erit unus honos, tres præmia primi
Accipient, flavaque caput *nectentur* oliva.
Primus equum phaleris insignem victor *habeto.*
Tertius Argolica hac galea contentus *abito.*

Hic planissime vides utramque vocem futuri, *accipient, nectentur, habeto, abito.* Horatius, cum poetis leges dat, eadem utitur, Arte poet., v. 99 :

Non satis est pulchra esse poemata, dulcia *sunto*;
Et quocumque volent animum auditoris *agunto.*

Alias rarissime invenias has voces; nam rei rusticæ scriptores etiam prisci iis fere abstinent, cum præcepta de eadem re tradunt, nisi forte leges scribant, ut paulo ante diximus. Lege Catonis

cap. 5 de Officio villici : « Disciplina bona utatur, feriæ serventur. Alieno manum abstineat. Villicus ne sit ambulator. Sobrius sit semper; ad cœnam ne quo eat. Parasitum ne quem habeat. Primus cubitu surgat; postremus cubitum eat. » Non utitur, ut vides, persona tertia *to* syllaba finita. Poetæ tamen interdum ea utuntur; Virg., Æn. X, v. 280 :

. . . . . Nunc conjugis *esto*
Quisque suæ, tectique memor; nunc magna *referto*
Facta patrum, laudes; ultro occurramus ad undam.

Idem, Æn. XII, v. 565 :

Nequa meis *esto* dictis mora; Juppiter hac stat;
Neu quis ob incœptum subitum mihi segnior *ito*.

Terent., Phorm. act. V, sc. 9, v. 1026 :

Age, age nunc, Phormionem qui volet *lacessito*.

Columel., l. V, c. 2, *esto* pro *sit* dixit : « *Esto* area rotunda, cujus diametros habeat pedes septuaginta. » Primam personam multitudinis modo tribuit, modo subtrahit Diomedes imperativo. « Plurali, inquit, cum de modis agit, l. I, p. 329, tres personæ necessario adhibentur; conserit enim se prima cum aliis, et dum imperat, se quoque in idem ministerium vocat, quem quidam *hortativum* potius, non imperativum esse putaverunt. » At in prima conjugatione, p. 344 : « Quidam, ait, putant *amemus* imperativum esse pluralem in prima persona : hanc nos *gerundi* sive *hortandi* appellamus.»

35. REI RUSTICÆ SCRIPTORIBUS GRATISSIMAM ESSE SECUNDAM PERSONAM FUTURI.

Futuri vel potius mandativi modi secunda persona mirum in modum delectantur rei rusticæ scriptores. Cato, de Re rustica, c. 33 : « Salictum suo tempore *cædito*, *glubito*, arcteque *alligato*. Librum *conservato* cum opus erit in vinea, ex eo in aquam *conjicito*, *alligato*. Vimina unde corbulæ fiant, *conservato*. » Columel., l. XII, c. 57 : « Semen sinapis diligenter *purgato* et *cribrato*; deinde aqua frigida *eluito*, et cum fuerit bene lotum, duabus horis in aqua *sinito*, postea *tollito*, et manibus expressum in mortarium novum aut bene emundatum *conjicito*, et pistillis *conterito*, etc. » Idem, eodem libro, c. 36, altero futuro utitur toto capite : « Id mustum *conjicies* in amphoram novam, et *implebis* ad summum; tum *adjicies* ramulos roris marini, etc. » Idem, eodem libro, c. 33, modo præsenti, modo futuro imperativi utitur. Eadem persona sæpe utuntur etiam alii auctores, ut diximus.

Pro tertia, utimur tertia præsentis aut alterius futuri, nisi, ut dictum, est leges scribamus. Cic., Offic., l. I, c. 25, 86 : « Quæ gravis, et fortis civis, et in Republica dignus principatu *fugiet* atque *oderit*, *tradetque* se totum Reipublicæ, neque opes aut potentiam *consectabitur*; totamque eam sic *tuebitur*, ut omnibus consulat. » Idem, l. II, c. 24, 85 : « Ab hoc igitur, ut aliis detur, aliis auferatur, *aberunt* ii qui Rempublicam tuebuntur, in primisque operam *dabunt* ut juris et judiciorum æquitate, suum quisque teneat. » Idem, l. III, c. 15, 61 : « Ita nec ut emat melius, nec ut vendat, quidquam *simulabit* aut *dissimulabit* vir bonus. » Quare diligenter admonendi sunt pueri ne tertia persona modi *legitimi* utantur (*legitimum* voco quod legibus ferendis sit aptus), sed aut præsentis, aut ejus futuri quod voce cum indicativi futuro consentit.

Primam personam futuro pluralis numeri detraximus, tum quia vox ipsa mandativo modo minime convenit, tum etiam quia vox *amemus* (hanc enim Diomedes, l. I, p. 344, et Donatus etiam futuro tribuunt) præsens potius tempus quam futurum significat; tum demum quia Servius in edit. II, p. 1791, futurum ea carere affirmat; quod idem Diomedes, cum de modis in universum agit, l. I, p. 330, etiam docet.

36. IMPERANDI FORMAM, AUCTORE VARRONE, PRÆTERITO CARERE.

M. Terentius Varro, l. IX, 101, ubi respondet iis qui negabant esse analogiam, quod imperativus non haberet ternas personas totidemque tempora, affirmat hunc modum præterito carere. Quo res fiat planior, audiamus ipsum Varronem : « Etiam hoc reprehendunt, quod quædam verba neque personas habent ternas, neque tempora terna. Id imperite reprehendunt, ut si quis reprehendat naturam, quod non unius modi finxerit animalis omnis. Sic enim natura non omnes formæ verborum terna habeant tempora, ternas personas; non habeant totidem verborum divisiones. Quare cum imperamus, natura quod infecta verba solum habet, cum et præsenti et absenti imperamus, fiunt terna, ut : *lege*, *legito*, *legat*. Perfectum enim imperat nemo. » Hæc ille.

Ex hoc eodem loco luce meridiana clarius illud efficitur, imperandi formam duo habere tempora : præsens et futurum; perfectum enim solum exclu-dit Varro. Idem, l. X, 31, ubi enumerat sex verborum species sive modos, præsens a futuro separavit : « Quinta, inquit, (species) optandi, ut : *dicerem, facerem ; dicam, faciam.* Sexta imperandi, ut: *cape, rape ; capito, rapito.* »

Qui præteritum addunt, id exemplis futuri temporis nituntur confirmare. Cic. ad Attic., l. VII, ep. 8, 2 : « Sed amabo te, nihil incommodo valetudinis *feceris.* » Mart., l. XIV Epigr. 217 :

> Dic quotus et quanti cupias cœnare, nec unum
> *Addideris* verbum ; cœna parata tibi est.

Idem, l. VII Epigr. 47 :

> Vive velut rapto, fugitivaque gaudia carpe ;
> *Perdiderit* nullum vita reversa diem.

Hæc namque futuri sunt temporis, ut multa alia. Cic. ad Quint. Fr., l. I, ep. 1, c. 4, 14 : « Si quis est in quo jam *offenderis*, de quo aliquid *senseris* ; huic nihil *credideris*, nullam partem existimationis tuæ *commiseris.* » Idem ad Attic., l. V : « Tu nihil ei *dixeris.* » Plaut., Merc. act. II, sc. 4, v. 16 : « Cave isthuc *dixeris.* » Mart., in epitaph. Erotii infantis, l. V Epigr. 34 :

> Mollia nec rigidus cespes tegat ossa, nec illi,
> Terra, gravis *fueris* : non fuit illa tibi.

Seneca ad Martiam de Consolat., c. 5 : « Ne, obsecro te, *concupieris* perversissimam gloriam. » Terent., Hecyr. act. I, sc. 2, v. 78 :

> Audin' quid dicam, Scirte? si quæret me, uti
> Tum dicas; si non quæret, nullus *dixeris.*

Quis, obsecro, hæc et similia credat præteriti esse temporis? *Tu nihil ei dixeris, Huic nihil credideris*, præteritum adsignificant? Qui fieri potest ut idipsum quod factum est, quis prohibeat ne fiat? Prisc., l. XVIII, p. 1139 : « Et Græci quidem, inquit, habent imperativa præteriti temporis ; nos autem in activis vel neutralibus verbis penitus ea habere non possumus ; in passivis vero et omnibus quæ habent participia præteriti temporis per circumlocutionem possumus habere, ut : *doctus es* vel *esto*, δεδίδαξο ; *doctus sit* vel *esto*, δεδιδάχθω ; *ornatus es* vel *esto*, κεκόσμησο ; *ornatus sit* vel *esto*, κεκοσμήσθω. Similiter *veneratus sit* vel *esto ; clausus sit* vel *esto ; secutus sit* vel *esto* ; et per omnes sic personas : *secuti simus, sitis, sint*, imperative dicta inveniuntur, cum sint præteriti temporis ; sed hanc vim habent ut imperemus ut in futurum sint transacta, ut si dicam : *Clausa sit mox fenestra*, impero ut statim claudatur, et mox sit clausa ; vel si dicam : *Post horam primam sit juratus*, ostendo me imperare ut juret ante horam primam finitam. » Hæc ille.

37. GRÆCORUM PRÆTERITA MODI IMPERATIVI FERE PRÆSENS AUT FUTURUM ADSIGNIFICARE.

Præterita etiam Græcorum præsens vel futurum tempus adsignificant. Nam ἔρρωσο quid aliud quam *vale, valeto* aut *valebis* significat ? Item μέμνησο *memento* vel *memineris* plane significat. Illa : Ἀνεῳχθήτω πύλη, et Κεκλείσθω πύλη, *Aperta sit porta, Clausa sit porta ;* illud etiam Ciceronis in Orat., c. 4, 14 : « *Positum sit* igitur in primis (quod post magis intelligetur) sine philosophia non posse effici quem quærimus eloquentem. » Item, IV de Fin., c. 10, 25 : « Sed *positum sit* primum, nosmetipsos commendatos esse nobis ; » præterea illa quotidiana : *Parata sint omnia suo tempore ; Vinum aqua sit dilutum ; Caro sit cocta*, et cætera generis ejusdem, tempus futurum videntur adsignificare, aut certe videntur præterita futuris permixta ; quod etiam Priscianus, l. VIII, p. 806, docet : « Apud Græcos, inquit, etiam præteriti temporis sunt imperativa ; quamvis ipsa quoque ad futuri temporis sensum pertineant, ut : Ἀνεῳχθήτω πύλη, *Aperta sit* porta ; videtur enim imperare ut in futuro tempore sit præteritum, ut si dicam : *Aperi nunc portam, ut crastino sit aperta.* Ergo nos quoque possumus in passivis vel aliis passivam declinationem habentibus, uti præterito tempore imperativi, conjungentes participium præteriti cum verbo imperativo præsentis vel futuri temporis, ut : *amatus sit* vel *esto*, πεφιλήσθω ; *clausus sit* vel *esto*, κεκλείσθω. Quod autem vim præteriti habeat hujuscemodi constructio, ostendunt subjunctiva præteriti perfecti, quæ similiter proferuntur in passiva declinatione, ut : *amatus sim, sis, sit.* Ergo, si *amatus sit* in subjunctivo præteriti temporis est, bene etiam in imperativo præteriti temporis potest accipi. Quippe, cum etiam in præsenti tempore imperativi tertia persona similis est, in omni conjugatione, tertiæ personæ præsentis subjunctivi, ut *amet, doceat, legat ; ametur, do*

ceatur, legatur. » Hæc ille. Verum hæc eadem ipsa non difficile erit ostendere futuri esse temporis. Cum *amatus sim, sis, sit,* non minus sit futuri quam præteriti subjunctivi; nam ut voces agendi, *amaverim, docuerim, legerim,* communes sunt præteriti et futuri, ita patiendi, *amatus sim* vel *fuerim,* id quod in modo conjunctivo planissimum fiet. Præterea, si fatemur hæc : *Ne dilueris atramentum aqua, Ne aperueris januam, Ne paraveris cœnam;* si hæc, inquam, et similia fatemur esse futuri temporis : *Ne dilutum sit aqua atramentum, Ne sit aperta janua, Ne sit parata cœna,* et similia, cur præteriti temporis erunt? Sed hæc viderint critici.

Illa magis urgent quæ Græci in peroratione solent addere : Aristoteles in extrema prima Categoria : Περὶ μὲν συνουσίας τοσαῦτα εἰρήσθω; Hæc de substantia *dicta sint.* Plato, Epist. 7 : Εἰρήσθω ξυμβουλή; *Dictum sit* consilium, vel *dictum sit* consilio, vel *sit* finis consilii (1). Cicero circuitione magis quam hoc genere loquendi delectatur : de Amicit., c. 27, 104 : « Hæc habui de amicitia quæ *dicerem.* » Græci dicerent : περὶ μὲν τῆς φιλίας τοσαῦτα εἰρήσθω; De amicitia hæc *dicta sint.* Id., de Senect., c. 23, 85 : « Hæc habui de senectute quæ *dicerem.* » Varro, de Lingua latina, l. VI, 35 : « Quod ad temporum vocabula latina attinet, hactenus *sit* satis *dictum.* » Quintil., l. I, c. 17 : « De pueris, inter quos educabitur ille, huic spei destinatus, idem quod de nutricibus *dictum sit.* » Liv., l. VII, c. 13 : « Hæc *dicta sint* patribus. Te, imperator, milites tui oramus, etc.; » et l. VIII, c. 6 : « Exanimatum auctores quoniam non omnes sunt, mihi quoque in incerto *relictum sit.* » Quid ergo non constat sibi Varro? Respondebimus negare eum speciem imperandi agendi habere præteritum, non patiendi; vel potius ad modum potentialem spectare. *Mihi quoque in incerto relictum sit,* quid aliud significat quam, *Ego quoque in incerto reliquerim?* Sic, *Hæc dicta sint patribus; Hæc plebs dixerit patribus; Idem quod de nutricibus dictum sit; Idem quod de nutricibus dixerim.* Quo modo loquuntur gravissimi auctores. Cic., in Bruto, c. 45, 165 : « Hoc loco ipsum Domitium non relinquo. Nam etsi non fuit in oratorum numero, tamen pono satis in eo fuisse orationis atque ingenii, quo et magistratus personam, et consularem dignitatem tueretur; *quod idem de C. Cœlio dixerim.* » Quintilianus dixisset : *Quod idem de C. Cœlio dictum sit;* sic enim loquitur l. VII, c. 1, 9 : « Nam sic diversæ propositiones erunt; *quod idem de petitionibus dictum sit.* » Quod Cicero circuitione illa non obscure significavit : *Hæc habui quæ dicerem;* hoc est, *quæ possem dicere.*

(1) Hæc sunt verba Platonis, in fine epistolæ : « Τὰ δὴ μετὰ τὰ νῦν ῥηθέντα ἃ ξυμβουλεύω, σχεδὸν εἴρηταί μοι καὶ εἰρήσθω. »

Quod si ad imperativum hæc pertinent, concedamus necesse est ipsum etiam primam personam admittere; ut enim dicimus : *Mihi quoque in incerto relictum sit;* ita et mihi hæc probata sint : *Hactenus hæc mihi dicta sint,* et sexcenta alia hujus generis dici possunt; quæ quidem si in verba agendi velis resolvere, nullo modo tibi imperativo utendum erit. Sed hæc quoque viderint Aristarchi; et ea mihi quoque in incerto relicta sint. Illud tamen admoneri possunt pueri, ut, si quando imperativo passivo hujus formæ uti velint, tertia persona tantum utriusque numeri ac genere dumtaxat neutro utantur.

38. ESSE ET ALIAS VOCES QUIBUS IDONEI AUCTORES UTUNTUR IMPERANDO.

Præter eas voces quas imperativo tribuimus, sunt et aliæ quibus non raro probati auctores utuntur. Q. Cic., de petit. Consul., c. 8, 31 : « Hos *internoscas* (1), et videto ne, spe in aliquo majore posita, præsidii parum comparetur; *perquiras* etiam et *investiges* homines ex omni regione, eosque *cognoscas, appetas, confirmes.* » Idem, ad Attic., l. XVI, ep. 11, 8 : « Atticæ, quoniam quod optimum in pueris est, hilarula est, meis verbis suavium *des.* » Terent., Hecyr. act. IV, sc. 4, v. 699 :

> . . . . . Puerum *accipias;* nam is quidem
> In culpa non est.

Idem, Eunuch. act. II, sc. 4, v. 388 :

> Si certum est facere, *facias.*

Idem, Andr. act. III, sc. 8, v. 598 :

> *D.* Faciam hercle sedulo. *S.* Potes nunc, dum animus
> *D. Quiescas.* [irritatus est.

(1) Hæc verba eodem modo affert Vossius, Art. Gramm., l. V, c. 14. Recentiores vero, inter quos Lemaire, Orellius, Teubn., non habent : « Hos internoscas..... parum comparetur; » sed ea tantum quæ sequuntur : « Perquiras, etc. »

Idem, Hecyr. act. V, sc. 3, v. 811 :

> . . . . . Tua quod nihil refert, percontari *desinas.*

Plaut., Trucul. act. II, sc. 4, v. 78 :

> . . . . . Quando otium
> Tibi sit, ad me *revisas. D. Valeas. P.* Vale.

Idem, Cistel. act. I, sc. 1, v. 113 :

> *Accipias* claves; si quid tibi opus erit promptu, promito.

In his et similibus locutionibus, aut ponitur conjunctivus pro imperativo, aut certe desideratur verbum *fac* vel *facito,* quæ etiam crebro adhibentur. Terent., Adelph. act. III, sc. 5, v. 513 :

> Bono animo *fac sis,* Sostrata, et istam, quod potes,
> *Fac consolere.*

Idem, Adelph. act. V, sc. 3, v. 812 :

> Quæso, hoc *facito* tecum *cogites.*

Virg., Æn. XII, v. 438 :

> Tu *facito* mox, cum matura adoleverit ætas,
> *Sis* memor.

Plaut., Pseud. act. I, sc. 5, v. 66 :

> Advorte ergo animum, et *fac sis* promissi memor.

Idem, ibid., act. I, sc. 3, v. 7 :

> *C.* Non possum. *Ps. Fac possis. C.* Quonam pacto possim [vincere animum ?

Cic., Fam., l. XII, ep. 12, 5 : « *Fac valeas.* » Idem, ibid., l. X, ep. 4, 4 : « *Fac valeas,* meque mutuo *diligas.* » Hic rursus particula *ut* sæpe adhibetur. Cic., ad Fam., l. IX, ep. 14, 8 : « *Fac ut* diligentissime teipsum, mi Dolabella, *custodias.* » Plaut., Cistel. act. I, sc. 1, v. 64 :

> . . . . . *Facito ut facias* stultitiam sepelibilem.

Donatus in illud Terentii, Eun. act. II, sc. 4, v. 388 :

> Si certum est facere, *facias,*

facias inquit pro *facito;* et in illud ejusdem, Andr. act. III, sc. 8, v. 598 : *quiescas* pro *quiesce* inquit, aut deest *volo,* aut *facito.* His et similibus vocibus multo frequentius utimur, cum prohibemus : *ne facias, ne sis;* et futuro subjunctivi : *ne feceris, ne dixeris.* Futuro tamen fere utimur prohibendo, aliter admodum raro. Liv. I, c. 23 : « *Fuerit* ista ejus deliberatio qui bellum suscepit; me Albani gerendo bello ducem creavere. » Tibul., l. III, eleg. 6, v. 7 :

> Ite procul durum, curæ, genus; ite, labores;
> *Fulserit* hic niveis Delius alitibus.

Verbo *memineris, meminerit;* plur. *meminerimus, memineritis, meminerint,* et jubentes imperantesque utimur; nam cum modus conjunctivus, unde mutuamur hoc tempus, præsenti deficiat, necessario præterito pro præsenti utimur, quod etiam indicativo et cæteris modis usu venit. Si cui tamen futurum esse potius videtur, sit ita sane; modo intelligat hoc rarum esse, id quod de verbo *oderis, oderit,* etc., dictum sit.

Voces imperativi proprias etiam prohibendo crebro usurpant poetæ. Terent., Adelph. act. V, sc. 3, v. 806 :

> Quando ego tuum non curo, *ne cura* meum.

Idem, Andr. act. III, sc. 6, v. 544 :

> . . . . . . Ah ! *ne* me *obsecra.*

Virg., Æn. IX, v. 114 :

> *Ne trepidate* meas, Teucri, defendere naves.

Oratores admodum raro eas admittunt. Quintil., Declam. 6, c. 6 : « Matrem, inquit, tibi per hæc merita commendo; tu illam tuere, defende, ama, *ne relinque.* » Legislatores suo jure tum imperando, tum vetando, imperativis *to* syllaba terminatis utuntur. Cic., de Legib. l. II, c. 9, 22 : « Præter Idææ matris famulos, eosque justis diebus, *nequis* stipem *cogito.* »

Hæc habui, quæ de imperandi specie dicerem; tædium fortasse tibi attulerim; sed quid agerem, tam multis, tam variis grammaticorum opinionibus pene obrutus?

MODUS OPTATIVUS.

39. TEMPUS PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Ama, *addita* rem, *ab eadem persona imperativi, sicut* docerem, legerem, audirem.

Sing. Utinam Amarem,
Amares,
Amaret.
Plur. Utinam Amaremus,
Amaretis,
Amarent.

Modus optativus, ut nomen ipsum indicat, ab *optando* nomen accepit; unde optandi adverbia ei præponimus, *o, si, o si, o utinam, ut, quam,* et si qua ejusdem generis sunt. Virg., Æn. l. VIII, v. 578:

Sin aliquem infandum casum fortuna minaris,
Nunc, *o* nunc *liceat* crudelem abrumpere vitam!

Idem, ibid., VIII, v. 78:

Adsis o tantum, et propius tua numina *firmes!*

Idem, ibid., VI, v. 187:

Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat nemore in tanto!

Idem, ibid., VIII, v. 560:

O mihi præteritos *referat si* Jupiter annos!

Pers., Sat. II, v. 10:

Et, *o si*
Sub rastro *crepet* argenti mihi seria dextro
Hercule!

Luc., l. II, v. 306:

O utinam cœlique Deis, Erebique *liberet*
Hoc caput in cunctas damnatum exponere pœnas!

Virg., Eclog. IX, v. 30:

Sic tua Cyrnœas *fugiant* examina taxos;
Sic Cytiso pastæ *distendant* ubera vaccæ;
Incipe, si quid habes.

Ut pro *utinam* frequens est apud comicos. Terent., Adelph. act. IV, sc. 6, v. 717:

. . . . . *Ut*, Syre, te cum tua
Monstratione magnus *perdat* Jupiter!

Idem, Eunuch. act. II, sc. 4, v. 302:

Ut illum dî deæque omnes senium *perdant!*

Cic. ad Attic., l. XV, ep. 4, 5: « *Quam vellem* Bruto studium tuum navare potuisses! » Idem ad eumdem, l. II, ep. 22, 1: « *Quam vellem* Romæ mansisses! »

Optandi adverbia sæpe prætermittunt auctores; nam, ut l. XVIII, p. 1140, docet Priscianus, « Optativa verba indicant per se et rem et votum; adverbia vero tantum votum significant; ad ampliorem tamen demonstrationem verbis adduntur. » Terent., Adelph. act. V, sc. 9, v. 983:

Dii tibi, Demea, omnia omnes semper optata *offerant.*

Cic., pro Dejot., c. 7, 21: « Dii te *perdant*, fugitive! ita non modo nequam et improbus, sed etiam fatuus et amens es. » Idem ad Att., l. V, ep. 15, 2: « Ita *vivam*, ut maximos sumptus facio. » Idem ad eumdem, l. VIII, ep. 6, 3: « *Moriar*, si magis gauderem, si id mihi accidisset. » Idem, Fam., l. VII, ep. 23, 4: « Ne *vivam*, si tibi concedo ut ejus rei tu cupidior sis quam ego sum. » Lucan., l. II, v. 309:

Me geminæ *figant* acies, me barbara telis
Rheni turba *petat.*

Mart., l. II Epigr. 69:

Si non mentiris, Classice, *dispeream.*

40. PRÆSENS ET PRÆTERITUM IMPERFECTUM OPTATIVI, QUINTILIANI GRAVISSIMORUMQUE AUCTORUM SENTENTIA, UNA ATQUE EADEM VOCE CONTINERI.

Probus, l. I, p. 1411, Diomedes, l. I, p. 330, Donatus (1), Servius, in edit. II Donati, p. 1791,

---

(1) Alvarum arbitror hic et alibi in declinatione verborum, Donati afferre auctoritatem ex conjugationum exemplis quæ olim ejus nomine vulgata fuerunt; de quibus vero ipse (n. 65) dubitat utrum vere ejus fuerint, quæ certe neque apud Putschium neque apud Lindemannum reperiuntur.

Priscianus, l. VIII, p. 807, una atque eadem voce præsens et imperfectum optativi complexi sunt. Quorum Diomedes : « Sunt, inquit, qui excludunt ex hoc modo præsens tempus; necesse est enim, omnium consensu, in futurum optemus; nonnulli vero admittunt, quod nimis videtur absurdum, quoniam nemo optat quod habet, sed ut habeat. Itidem hi qui admittunt, in ambiguum ducunt tempus futurum, cui simile faciunt instans, dicendo : *Utinam legam, utinam faciam*, pro instanti et futuro idem usurpantes; nec respiciunt quantum discrimen sit inter hæc tempora, quæ uniformiter prave declinantur. Debent enim, cum sint inter se longe discrepantia sensu, declinatione quoque dissentire. Rectius ergo alii fecerunt, qui, ob ambiguitatem, imperfecto etiam instans junxerunt, ut sit idem instans et imperfectum : *Utinam facerem.* »

Priscianus, l. VIII, p. 807, inter alia multa : « In hoc, inquit, modo dumtaxat et infinitivo, tempora conjuncta habent Latini, præsens cum præterito imperfecto, et præteritum perfectum cum plusquam perfecto, ad imitationem Græcorum; quamvis hæc quoque conati sunt quidam disjungere; sed melius est esse conjuncta. » Rationes quas affert, ne sim longus, prætermitto.

Quintilianus (1), l. IX, c. 3, 11, in eadem sententia est. « Transferuntur, inquit, et tempora : *Timarchides negat esse ei periculum a securi.* Præsens enim pro præterito positum est. Et futurum pro præsenti : *Hoc Ithacus velit.* » Hæc ille. Locus est Virgilii Æn. II, v. 104 :

> Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridæ.

Velit docet Fabius futurum esse; rogo cujusnam sit modi : num conjunctivi? minime vero. Imo certe præsens est conjunctivi : *Cum velim, velis, velit*, etc. Cujus ergo? an potentialis? non fieri potest, cum potentialis et conjunctivus voce omnino consentiant; et qui negat optativum futurum habere, idem ipse affirmat futurum potentialis simile esse futuro exacto, hoc est, primam personam syllaba *ro* esse terminatam; quod si etiam demus optativum et potentialem voce consentire, habeat optativus futurum necesse est. At si *velim, velis, velit* optativi futurum est, præsens diversum sit a futuro necessarium est; nam, si eadem vox esset præsentis et futuri, nunquam Fabius dixisset futurum pro præsenti positum esse. Cum ergo futurum sit *velim*, reliquum est ut *vellem* præsens sit.

M. Varro in eadem mihi videtur sententia fuisse; nam l. X, 31 : « Species quinta, inquit, optandi, ut : *dicerem, facerem; dicam, faciam.* » Solet enim præsens cum futuro infecto, ut ipse loquitur, conjungere.

Uni latinæ duas voces lusitanas reddimus, quæ ita permixte præsenti et imperfecto serviunt, ut difficile tempus alterum ab altero secerni possit. Terent., Adelph. act. III, sc. 4, v. 454 :

> Utinam hic prope *adesset* alicubi atque *audiret* hæc !

Oxala estivera aqui perto, etc.

Idem, Andr. act. III, sc. 9, v. 607 :

> Utinam mihi *esset* aliquid hic, quo me nunc præcipitem [darem !

O se tivera aqui, etc.

Utinam *adesset* nunc pater tuus; *Oxala se achara aqui vosso pai.* Utinam talis *essem*, qualem me esse existimas; *Oxala fosse eu tal qual vos cuidais que sou.* Quint., l. I, c. 2, 6 : « Utinam liberorum nostrorum mores non ipsi *perderemus!* » *Prouvesse a Deos que nao damnassemos, ou deitassemos a perder*, etc. Ovid., Trist. l. I, Eleg. l, v. 57 :

> I tamen, i pro me; tu, cui licet, aspice Romam;
> Di *facerent* possem nunc meus esse liber.

Plaut., Capt. act. III, sc. 4, v. 5 :

> Utinam te dii prius *perderent*, quam periisti e patria tua !

Voces lusitanæ etiam aliis temporibus accommodari possunt; nam prior plusquam perfecto, posterior perfecto etiam servit, ut mox dicemus. Neque mirum id tibi videatur; nam in latino sermone non raro permiscentur tempora hujus modi; obscura enim et perplexa est ipsa affectio, ratione optandi.

41. PRÆTERITUM PERFECTUM.

Amavi, i *in* e *et addita* rim; *sic in cæteris.*

Sing. Utinam Amaverim,
Amaveris,
Amaverit.

(1) Eamdem Quintiliani lectionem quam Alvarus exhibet Petr. Burmannus. Cæteri vero multis modis variant, ex quo non satis firma sit hoc loco Fabii auctoritas.

Plur. Utinam Amaverimus,
Amaveritis,
Amaverint.

Plerique veterum, qui quidem nunc exstant, præteritum perfectum et plusquam perfectum optandi modi voce una comprehenderunt; in quibus est Probus, l. I, p. 1412, Donatus, Servius, in Art. II Donati, p. 1791, et Priscianus, l. VIII, p. 807, ut paulo ante dixi; ubi si vacat, lege quibus rationibus adducti grammatici utrumque tempus conjunxerint. Unus Diomedes, ex iis quos quidem legerim, perfectum a plusquam perfecto separavit, l. I, p. 344, id quod in verbis declinandis semper observat. Priscianus, etiamsi utrumque misceat, dum verba inflectit, tamen l. XVIII, p. 1141, ubi accuratius de modis atque temporibus agit, præteritum optativo attribuit. « Et per se tamen, inquit, verborum optativum sæpe ponitur sine prædictis particulis, ut Lucan. in I, v. 635 :

> Dî visa secundent,
> Et fibris sit nulla fides, sed conditor artis
> *Finxerit* ista Tages.

Et nota quod subjunctivo simile protulit præteritum perfectum optativi, quod multis placuit artium scriptoribus. » Hactenus ille. *Mas queira Deos que tenha Tages fingido*, etc. Idem, in eodem, p. 1157: « Quod autem Latini quoque omnibus temporibus subjunctivi modi etiam in optativo utuntur, ostendit tam usus, quam antiquiores Donato scriptores artis. Virg., Æn. VI, v. 62 :

> Hac Trojana tenus *fuerit* fortuna *secuta*;

ecce hic *fuerit* optative posuit in precatione Æneæ; hoc verbum, quod tam præteriti perfecti quam futuri potest esse, quod Donatus et quidam alii subjunctivi tantummodo putant esse, cum aliæ omnes voces optativi communes sint etiam subjunctivo. Ergo non immerito in supradicta attica constructione, quia illi optativis utuntur, hoc quoque tempore indifferenter nostri sunt usi. » Hæc ille. Si forte dubitas spectetne Lucani locus ad optativum, quia nullum optandi adverbium vides præpositum, hunc Plinii ad Atrium Clementem, l. I, ep. 10, accipe, qui tibi scrupulum dubitationemque omnem eximat : « Atque utinam sic ipse, quam spem tunc ille de me concepit, *impleverim*, ut ille multum virtutibus suis addidit. »

Etiam hic uni latinæ respondent duæ voces lusitanæ, quarum prior verbis activis, altera cæteris fere accommodatur. Aiunt tres tantum obiisse; utinam non obierint plures! *Queira Deos que nao morressem mais. Oxala nao morressem mais!* Dicitur abiisse ille qui tibi molestus erat; utinam abierit! *Queira Deos que seja ja ido!* Toto hoc triennio ad te octavo quoque die scripsi; utinam singulis mensibus scripseris! *Queira Deos que me tenhais escripto cada mez!*

42. PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Amavi, *addita* s *et* sem; *sic in cæteris.*

Sing. Utinam Amavissem,
Amavisses,
Amavisset.
Plur. Utinam Amavissemus,
Amavissetis,
Amavissent.

Præteritum plusquam perfectum multo usitatius est quam perfectum. Cic. ad Attic., l. IX, ep. 13, 3 : « Utinam tantum ego ei prodesse *potuissem*, quantum mihi ille potuit! » Idem ad eumdem, l. VIII, ep. 11, 5 : « Utinam tui consilii certior *factus essem!* » Idem ad Octavium, in Ep. ad Brutum l. II, ep. 8 : « Antonius, vir animi maximi (utinam etiam sapientis consilii *fuisset!*).... » Idem, Philipp. I, c. 14, 34 : « Utinam, Antoni, avum tuum *meminisses!* » Ibidem, c. 13, 33 : « Sed novi firmitatem tuam. Atque utinam, ut culpam, sic etiam suspicionem vitare *potuisses!* » Terent., Phorm. act. I, sc. 3, v. 157 :

> Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem *incidisset!*

43. FUTURUM.

Amo, o *in* em.

Sing. Utinam Amem,
Ames,
Amet.
Plur. Utinam Amemus,
Ametis,
Ament.

Futurum tempus usque adeo proprium et peculiare est formæ optandi, ut quidam e veteribus præsens ei prorsus ademerint, quod nemo optet quod habet, sed ut habeat; ab aliis vero quæsitum fuerit essetne ei præteritum tribuendum. Quî enim, aiebant, fieri potest ut quis in præteritum optet? Lege Diomedem, l. I, p. 330. Quintilianus, l. IX, c. 3, 11, ut paulo ante diximus, apertissime futurum optativo attribuit, si quidem futurum docet pro præsenti poni in illo versu Virgilii : *Hoc Ithacus velit*. Lege scholia in præteritum imperfectum (n. 40).

Quod si aliquando futurum pro præsenti positum legeris, figurata constructio erit. Hebræi, qui vocum proprietatem et vim maxime observant, futuro indicativi, addita particula optandi, optativum supplent, nisi forte de re transacta ac præterita fiat sermo; tunc enim præterito ejusdem indicativi, præposita eadem particula, utuntur. Ad hæc, apud Latinos quamplurima sunt testimonia quæ clamant optativo futurum tribuendum esse. Terent., Andr. act. V, sc. 4, v. 932 :

. . . . . . Utinam id *sit*, quod spero.

Cic., de Senect., c. 23, 85 : « Hæc habui de senectute quæ dicerem ; ad quam utinam *perveniatis*, ut ea, quæ ex me audistis, re experti probare possitis ! » Idem ad Attic., l. III, ep. 3 : « Utinam illum diem *videam*, cum tibi agam gratias quod me vivere coegisti ! » Idem ad Brutum, l. I, ep. 3 : « Cæsaris vero pueri mirifica indoles virtutis; utinam tam facile eum florentem et honoribus et gratia, regere ac tenere *possimus*, quam facile adhuc tenuimus ! » Idem, Philipp. II, c. 46, 119 : « Utinam (1) aliquando dolor populi Romani *pariat*, quod jamdiu parturit ! » Quintil., l. XII, c. 2, 9 : « Utinamque *sit* tempus unquam quo perfectus aliquis (qualem optamus) orator hanc partem.... *vindicet* sibi ! » Cic., Verr. act. II, l. I, 23, 61 : «Plurima signa pulcherrima, plurimas tabulas optimas deportasse te negare non potes ; atque utinam *neges !* » Qui hæc putat ad præsens potentiale rejicienda esse, ut illud Ciceronis ad Attic., l. VIII, ep. 2, 4 : « Est mihi præterea præcipua causa manendi ; de qua utinam aliquando tecum *loquar !* » Idem illud Ovidii, ep. 6, v. 21 :

Utinam temeraria *dicar !*

etc.; is totum optativum in potentialem jam rejecerit. Lucan., l. I, v. 635 :

Dî visa *secundent* ;

id est *secundare velint*. Cic. ad Attic., l. II, ep. 19, 5 : « Utinam *adesses !* » id est, *adesse posses* ; et illud Plinii, l. I, ep. 10 : « Utinam spem *impleverim !* » hoc est, *implere potuerim ;* et illud Terentii, Phorm. act. I, sc. 3, v. 157 :

Quod utinam ne in mentem *incidisset !*

hoc est, *incidere potuisset*. Quare veterum vestigiis ingrediamur, si volumus maxima incommoda effugere.

Nostri aliquando more Hebræorum futuro indicativi utuntur. Terent., Hecyr. act. I, sc. 2, v. 106:

Ita me di *amabunt* ; haud propterea te rogo,
Ut hoc proferam.

Idem, Heaut. act. III, sc. 1, v. 463 :

Sic me dî *amabunt*, ut me tuarum miseritum est,
Menedeme, fortunarum.

Idem, Hecyr. act. II, sc. 1, v. 206, futuro optativi usus est :

Tu nescis? *S.* Non, ita me dî bene *ament ?*

Idem, Eunuch. act. III, sc. 2, v. 474 :

Ita me dî *ament*, honestus est.

Plautus sæpe eadem permutatione utitur.

Præter hoc futurum, est aliud simile præterito perfecto. Terent., Adelph. act. IV, sc. 6, v. 704 :

Dii me, pater,
Omnes *oderint*, ni magis te quam oculos nunc ego amo meos.

Liv., l. VI, c. 29 : « Videsne tu, inquit, A. Semproni, loci fortuna illos fretos, ad Alliam constitisse ? Nec illis dii immortales certioris quicquam fiduciæ majorisve quod sit auxilii *dederint*. » Terent., Andr. act. III, sc. 1, v. 464 :

Utinam aut hic surdus, aut hæc muta *facta sit !*

Neque enim præteritum hic videtur locum habere ; siquidem sensus est : Utinam aut hic surdus, aut

(1) Orellius : *ut* ; annotat vero alios *utinam* habere.

hæc muta *fiat!* Propertius, l. III, el. 15, v. 1 : *Sic* ego non ullos jam *norim*, etc., dixit, ubi *norim* apertissime futurum est optativi; præpositum est enim ei *sic* optandi adverbium. Idem sentit Priscianus, l. XVIII, p. 1157. Vide scholia in præteritum perfectum (n. 41).

MODUS CONJUNCTIVUS.

44. TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Cum Amem,
Ames,
Amet.
Plur. Cum Amemus,
Ametis,
Ament.

Quamvis amem. Si amem. Nisi amem.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Sing. Cum Amarem,
Amares,
Amaret.
Plur. Cum Amaremus,
Amaretis,
Amarent.

Si amarem.

Modum hunc grammatici tum *conjunctivum*, tum *adjunctivum*, tum *subjunctivum* vocant, propterea quod sententiam perfectam minime efficiat, nisi sibi alterum verbum conjungat; nam imperativus, optativus, itidem indicativus magna ex parte alterius adminiculo non indigent : (magna ex parte dixi) quia imperfectum et plusquam perfectum alterum desiderant, ut sensum perficiant. Adjunctivus, sic enim etiam a Probo, l. I, p. 1412, et Diomede, l. I, p. 331, appellatur, sibi alia verba adjungit, fere beneficio particularum *cum, quod, si, ni, nisi, quamvis, licet, ut, ut ne, quo* pro *ut, dum* pro *dummodo*, et *modo*, cum ponitur pro *dummodo;* item relativi *qui, quæ, quod*, et infinitæ particulæ sive partes orationis dubitativæ; ut *Nescio quid dixerit, cur venerit, an redierit*. Cic., pro Quint., c. 10, 36 : « Hæc tria *cum docuero*, perorabo. » Idem ad Fam., l. XVI, ep. 4, 1 : « Satis te mature videro, *si* plane confirmatum *videro*. » Idem ad Att., l. VI, ep. 9, 1 : « Admiratus sum *quod* nihilominus ad me tua manu *scripsisses*. » Idem, Verr. act. II, l. II, c. 32, 78 : « Ei quem *fefelleris*, ne pecuniam quidem reddes? » Cæterarum exempla passim tibi occurrent.

Nonnullæ ex his particulis interdum omittuntur, maxime *ut, si*. Juven., Sat. 3, v. 78 :

> Græculus esuriens in cœlum *jusseris*, ibit.

Horat., l. I, Sat. 3, v. 16 :

> Decies centena *dedisses*
> Huic parco paucis contento; quinque diebus
> Nil erat in loculis.

Cic., Philipp. XIII, c. 11, 25 : « Neque te istinc, si cupias, possis explicare. *Recesseris*, undique omnes insequentur; *manseris*, hærebis; » pro *si jusseris, si dedisses, si recesseris, si manseris*. Vide Priscianum, l. XVIII, p. 1145.

Qui lusitanæ linguæ sunt periti, negant speciem conjungendi, præposita particula *si*, bene in lusitanum converti, hoc modo : *Como eu ame, como eu amasse, como eu haja amado, como eu havera* et *houvesse amado;* sed utendum esse temporibus indicativi; qua de re supra in conjunctivo verbi substantivi satis dictum est. Dixerit fortasse aliquis: quonam igitur pacto conjunctivus ab indicativo separabitur? Hunc eumdem ego rogarim quonam modo optativus, permissivus et potentialis a subjunctivo discernantur. Itidem qua ratione Hebræi optativum ac subjunctivum ab indicativo disjungant; nam cum uterque modus apud ipsos propriis vocibus careat, additis particulis optandi atque conjungendi indicativo suppletur.

Gerundiis etiam, ut supra diximus, non minus eleganter utuntur Lusitani quam verbis ipsis : Patrem tuum fugis, cum te unice amet? *Foges de teu pai, amandote elle*, etc. Patrem tuum fugiebas, cum te unice amet? *Fugias a teu pai, amandote elle*, etc. Cic. ad Attic., l. IX, ep. 13, 3 : «Nihil me adjuvit, cum posset; » *Em nada me ajudou podendo*. Idem ad Quint. Fr., l. III, ep. 1, c. 5, 17 : «Cum hanc jam epistolam complicarem, tabellarii a vobis venerunt; » *Estando ja cerrando esta carta*, etc.

Curent præceptores ut pueri inter declinanda verba, cum ad hunc locum pervenerint, non solum *cum*, sed etiam alias particulas, præponant, ut *quamvis, si, nisi;* ita enim fiet ut proprie ac bene materna lingua latinas voces reddant : Quamvis amem, *Posto que eu ame;* Si amarem, *Se eu amasse* vel *amara;* Nisi amarem; *Se eu nao amasse* vel *amara.* Illud pueri admonendi sunt, cum particulæ *si, nisi* præponuntur præsenti conjunctivi, fere in futurum a Lusitanis converti. Quintil., l. I, c. 4, 4 : « Nec si rationem siderum ignoret, poetas intelligat. » Plaut., Trinum. act. II, sc. 4, v. 73 :

Edim, nisi ille vetet.

Cic., de Amic., c. 26, 97 : « In qua nisi, ut dicitur, apertum pectus videas, tuumque ostendas, nihil fidum, nihil exploratum habeas. »

45. PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Cum Amaverim,
Amaveris,
Amaverit.
Plur. Cum Amaverimus,
Amaveritis,
Amaverint.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing. Cum Amavissem,
Amavisses,
Amavisset.
Plur. Cum Amavissemus,
Amavissetis,
Amavissent.

Trifariam hæc tempora in lusitanum convertuntur; cujus rei non opus esset ullam mentionem fieri, nisi multi ea, dum de lusitanæ linguæ inopia queruntur, barbare transferrent. Cum virtutem semper plurimum amaveris maximique feceris, non miror te apud omnes ordines esse gratiosum. *Como sempre amastes e estimastes muito a virtude,* etc. Ne literam quidem a patre tuo possum impetrare, cum ad eum longissimas epistolas sæpissime scripserim. *Nem huma só letra posso haver de vosso pai, tendolhe escripto muitas vezes,* etc. Miror te hæc ignorare, cum maximam partem orbis peragraris. *Espantome nao saber disto, tendo corrido a major parte do mundo.* Cum antea viris optimis usus fuissem, non poteram improborum consuetudinem ferre. *Como dantes conversara, ou tinha conversado com homens de grande virtude,* etc.; vel *Nao podia sofrer a conversaçao de máos, tendo dantes conversado,* etc. Miserandum in modum animam efflavit, cum annos quatuor continuos jacuisset in lecto. *Havendo quatro annos continuos que jazia em cama.* Cic. ad Att., l. VI, ep. 8, 1 : « Cum instituissem ad te scribere calamumque sumpsissem, Batonius e navi recta ad me venit. » *Tendo determinado de vos escrever, et tendo ja a pena na mao,* etc. Idem ad eumdem, l. III, ep. 9, 1 : « Quintus frater, cum ex Asia discessisset ante Kalendas Maias, et Athenas venisset Idibus, valde fuit ei properandum, etc. » *Partido de Asia antes da entrada de Janeiro, et chegado a Athenas aos quinze,* etc. Idem ad eumdem, l. VI, ep. 2, 1 : « Cum Philogenes, libertus tuus, Laodiceam ad me salutandi causa venisset, et se statim ad te navigaturum esse diceret, etc. » *Sendo Philogenes chegado a Laodicea para me,* etc.

Si, nisi, cum præpositæ huic tempori conditionem adsignificant, fere a Lusitanis ut imperfectum convertitur. Cic., Verr. act. II, l. II, c. 67, 162 : « *Nisi restituissent* statuas, vehementer iis minatur. » Idem, de Offic., l. III, c. 10, 45 : « Vas factus sit alter ejus sistendi, ut, *si* ille non *revertisset* ad diem, moriendum esset sibi ipsi; » *Se nao tornasse,* etc.

46. FUTURUM.

Amavi, i *in* e *et addita* ro; *eodem modo in cæteris.*

Sing. Cum Amavero,
Amaveris,
Amaverit.
Plur. Cum Amaverimus,
Amaveritis,
Amaverint.

Probus, l. I, p. 1413, duplex futurum subjunctivo tribuit, alterum quod voce omnino cum futuro

indicativi congruit. Cic. ad Attic., l. IX, ep. 15, 3 : « Cum tu hæc *leges*, ego illum fortasse *convenero.* » Idem, Fam., l. XVI, ep. 1, 2 : « Si statim navigas, nos Leucade *consequere*; » alterum quod *ro* syllaba finitur.

Est tertium futurum quod cum præterito perfecto voce prorsus consentit. Plaut., Pseud. act. I, sc. 3, v. 141 :

> *Bal.* Si is non *aderit*, posse opinor facere officium me [meum.
> *C.* Quid id est? *Bal.* Si tu argentum *attuleris*, cum illo [perdiderim fidem.

Idem, ibid., act. I, sc. 1, v. 89 :

> Quis mî igitur drachmam reddet, si *dederim* tibi ?

Terent., Andr. act. I, sc. 3, v. 199 :

> Verberibus cæsum te in pistrinum, Dave, dedam usque [ad necem,
> Ea lege atque omine, ut si te inde *exemerim*, ego pro [te molam.

Idem, ibid., act. III, sc. 4, v. 495 :

> . . . . . Certe si *resciverim.*

Idem, Eunuch. act. V. sc. 2, v. 860 :

> Abin' hinc, insana ? *P.* Quid ita vero? Debeam,
> Credo, isti quidquam furcifero, id si *fecerim.*

Idem, Adelph. act. II, sc. 1, v. 171 :

> Cave nunc jam oculos a meis oculis quoquam dimoveas tuos;
> Ne mora sit, si *innuerim* (1), quin pugnus continuo in mala [hæreat.

Gellius, l. XVIII, c. 2, saturnalibus ait septem quæstiones convivis fuisse positas, quarum postrema hæc fuit : « *Scripserim*, *venerim*, *legerim*, cujus temporis verba sint, præteriti an futuri, an utriusque ? » Hactenus ille.

Idem de passivo futuro dicendum est. Terent., Andr. act. I, sc. 3, v. 203 :

> Ubivis facilius *passus sim*, quam in hac re me deludier.

Idem, Hecyr. act. I, sc. 1. v. 65 :

> Ergo propterea te sedulo
> Et moneo, et hortor ne cujusquam misereat;
> Quin spolies, mutiles, laceres, quemquem *nacta sis.*

(1) Lemaire : *si innuero*; plures (ait), *si innuerim*; hoc Teubner.

Fuit præterea quartum futurum apud priscos, primæ quidem declinationis, *asso* syllaba finitum, ut *amasso*, *judicasso*, *irritasso*; *amassis*, *amassit*, etc.; secundæ *esso*, ut *prohibesso*, *prohibessis*, *prohibessit*, etc.; tertiæ *im*, ut *faxim*, *axim*, *edim*, *perduim*; *duim*, *duis*, *duit*, etc., quæ interdum etiam pro præsenti ejusdem modi ponuntur; de quibus post in ANOMALIS.

Amaverimus, *amaveritis*, præteritum acuto accentu declinatur, ut docet Diomedes, l. I. p. 331; futurum circumflectitur, *amaverîmus*, *amaverîtis*. Quod si quando futuri penultima correpta inveniatur, non a futuro primo, sed a tertio sit, hoc est, non a futuro cujus prima persona syllaba *ro* terminatur, ut *amavero*, sed *rim*, ut *amaverim*; ut enim præterito simile est voce, ita et accentu.

47. CONJUNCTIVI TEMPORA ALIA ALIIS PERMUTARI.

Præsens conjunctivi interdum pro imperfecto ejusdem modi ponitur. Terent., Andr. act. II, sc. 1, v. 310 :

> Facile omnes, cum valemus, recta consilia ægrotis da-
> Tu si hic *sis*, aliter *sentias*; [mus.

pro Tu si hic *esses*, aliter *sentires*. — Et contra imperfectum pro præsenti. Plaut., Aulul. act. 2, sc. 4, v. 41 :

> Sexcenta sunt quæ *memorem*, si *sit* otium;

pro *memorarem*, si *esset*. — Præteritum imperfectum pro plusquam perfecto videtur positum in illo Terent. Adelph. act. I, sc. 2, v. 106 :

> Tu nunc tibi
> Id laudi duces, quod tum fecisti inopia.
> Injurium est : nam si *esset* unde fieret,
> *Faceremus*;

pro *fuisset*, *fecissemus*. — Præsens pro futuro. Plaut., Mercat. act. II, sc. 2, v. 15 :

> *L.* Quid est ?
> *D. Dicam*, si *videam* tibi esse operam aut otium.

Quoniam in copulandis conjungendisque temporibus facilis est lapsus, legat qui volet Diomedem, l. I, p. 383; Priscianum, l. XVIII, p. 1129. Ex Diomede nonnulla subjiciemus : « Futurum, inquit, p. 385, finitivorum (hoc est finitivi modi

seu indicativi) præsenti finitivorum et præterito perfecto et futuro jungitur, et optativorum futuro, ita : *Dicam, si intelligas; Dicam, si intellexeris; Dicam ut intelligas.* » Diomedes, p. 410, solet modum cui præponuntur particulæ *ut, ne,* optativum appellare. Idem, l. I, p. 385 : « Subjunctiva vicissim inter se junguntur hoc pacto : imperfectum imperfecto, ut *Dicerem, si scirem;* plusquam perfectum plusquam perfecto, ut *Dixissem, si scivissem;* item imperfectum plusquam perfecto, sic : *Dicerem, si scivissem;* et versa vice plusquam perfectum imperfecto, sic : *Scripsissem tibi, si scirem.* Et priore quidem sermone, *Scriberem tibi, si scivissem,* significat fuisse se scripturum vel semel, si sæpius cognovisset. Sequenti, *Scripsissem tibi, si scirem,* significat scripturum sæpius se fuisse, si vel semel sciret. » Hactenus ille. Quæ si vera sunt (sicuti existimo pleraque esse; pleraque dixi, quia discrimen hoc redolet nescio quid grammaticum, quod Terentius non servavit, Adelph. act. II, sc. 1, v. 179 :

> S. Tetigin' tui quidquam? Æ. Si attigisses, ferres in-[fortunium.

hic *attigisses,* si vel semel, vel levissime attigisses significat); si, inquam, hæc vera sunt, non video cur dicamus in illo loco Terentii, quem modo attulimus, imperfectum positum esse pro plusquam perfecto, sed solere Latinos rem præteritam utroque tempore efferre. Cic. ad Att., l. VIII, ep. 15, 3 : « Plura *scriberem,* si ipse *possem.* » Plura *scripsissem,* si ipse *potuissem,* idem valet. Idem, Tusc. l. V, c. 10, 31 : « Nunquam id *diceret,* si ipse se *audiret.* » Idem, ad Att., l. VII, ep. 13, 7 : « Si *scriberem* ipse, longior epistola *fuisset;* sed dictavi propter lippitudinem. » Neque item arbitror in illo Plauti :

> Dicam, si *videam* tibi operam esse,

positum esse præsens pro futuro.

MODUS POTENTIALIS.

48. Nemo veterum hujus meminit modi hoc nomine, neque eum a conjunctivo separavit; fortasse quia fere cum aliis verbis jungitur. Conjunctivus enim modus, ut Priscianus, l. VIII, p. 821, ait, non a significatione ut alii, sed a constructione nomen accepit; siquidem indicativus ab indicando, imperativus ab imperando, optativus ab optando dictus est : at subjunctivus a constructione; nam cum aliis verbis construitur atque conjungitur, de cujus variis significationibus libro XVIII docte ac copiose agit. Ubi postquam de eo paulo latius disputavit, subjungit, p. 1145 : «Iste igitur modus, id est subjunctivus, ut breviter ejus vim colligam, apud Latinos est quando dubitationem, quando comprobationem, quando possibilitatem significat. » Idem paulo post, p. 1147, docet Græcos modum indicativum atque conjunctivum usurpare, cum possibilitatem demonstrant, adhibita conjunctione ἄν, quos nostri imitantes optativis sive subjunctivis per se positis (nam eædem, inquit, sunt voces) utuntur, eamdem possibilitatem demonstrantes, ut *Docuissem, si discere voluisses;* Ἐδίδαξα ἄν, εἰ μαθεῖν ἠθέλησας; *docuissem,* id est, *poteram docere.* Similiter *Docerem, si discere velles,* id est *docere poteram.* Hæc ille. Quam ipse possibilitatem appellat, potentiam quidam ex recentioribus vocat, unde *potentialem* hunc modum nominavit, quod potentiam sive facultatem præcipue adsignificet : solet enim verbo *possum* explicari. Horat., l. I, od. 6, v. 13 :

> Quis Martem tunica tectum adamantina
> Digne *scripserit?*

« *Scripserit,* inquit Priscianus, l. XIII, p. 1147, *scribere poterit.* » Horat., Arte poet., v. 47 :

> *Dixeris* egregie, notum si callida verbum
> Reddiderit junctura novum;

id est, ut idem inquit, p. 1149, *poteris dicere egregie.* Cic. in Verr. act. II, l. I, c. 42 : « Voconia lex te videlicet delectabat? *Imitatus esses* ipsum illum Q. Voconium, qui lege sua hereditatem ademit nulli. » *Imitatus esses, imitari potuisses,* ut idem interpretatur, p. 1151. Virg., Æn. II, v. 599 :

> . . . . . Quos omnes undique Graiæ
> Circumerrant acies, et ni mea cura resistat,
> Jam flammæ *tulerint,* inimicus et *hauserit* ensis;

pro *poterant tulisse* et *poterat hausisse,* ut idem explicat, p. 1149.

Adsignificat etiam debitum, unde verbo *debeo* aliquando explicatur. Cic., in Verr. act. II, l. I, c. 42, 109 : « De jure vero civili si quis novi quid instituerit, is omnia quæ ante acta sunt rata esse non *patiatur* (1) ; » id est, non *debet pati* rata esse, ut idem exponit, p. 1153. — Interdum et voluntatem. Virg., Æn. I, v. 48 :

Et quisquam numen Junonis *adoret?*

id est, *adorare velit*. Cujus modi etiam possunt illa esse : *Discam potius quam doceam. Paream potius quam imperem.*

Consentit hic modus voce cum subjunctivo, quem, etiamsi romanæ linguæ lumen et ornamentum jure optimo possis appellare, eum tamen scholiorum cancellis circumscribendum duximus, ne sermonem daremus iis qui iniquo animo ferunt ipsum a conjunctivo divelli. Quare liberum erit ludi magistro vel ediscendum auditoribus proponere, vel intactum prætermittere, quod idem de *permissivo* sive *concessivo* dixerim. Nos certe nostro fungemnr munere.

49. POTENTIALIS MODI TEMPUS PRÆSENS.

Amem.

Cic., de Orat., l. III, c. 1 : « Ego te consulem *putem*, cum tu me non *putes* senatorem (2) ? » *Que cuide eu que sois vós consul*, etc.? *Hei eu de cuidar que sois vós consul*, etc. ? Plaut., Amph. act. II, sc. 2, v. 181 :

Vir ego tuus *sim?*

Terent., Adelph. act. V, sc. 2, v. 288 :

Quid ego nunc *agam?*

Que hei de fazer agora? Que posso eu fazer agora? Que farei? Ibid., sc. 2, v. 793 :

Hei mihi! quid *faciam?* quid *agam?* quid *clamem* aut *querar?*

Idem, Andr. act. V, sc. 4, v. 911 :

Tune impune hæc *facias?*

Que hajais vós de fazer isto? Plin., l. I, ep. 10, de Euprate philosopho : «Nullus horror in cultu, nulla tristitia, multum severitatis; *verearis* occursum, non *reformides*.» Cic., I in Cat., c. 9, 22 : « Te ut ulla res *frangat*. » *Que haja, hai*, aut *possa haver cousa que te dobre?* Idem, ibid. : « Tu, ut unquam te *corrigas?* » *Que te hajas alguna hora de emendar?* Idem, pro Rosc. Amer., c. 11, 29 : « Quid primum *querar?* aut unde potissimum, judices, *ordiar?* aut quod, aut a quibus auxilium *petam?* » *A quem pedirei ajuda? a quem posso*, aut *devo pedir ajuda?* Idem, de Amic., XIII, 47 : « Itaque *videas* rebus injustis justos maxime dolere. » *Vereis.* Quint., l. VI, c. 4, 9 : « *Videas* enim plerosque ira percitos. » Virg., Æn. IV, v. 401 :

Migrantes *cernas*, totaque ex urbe ruentes.

Quint., l. I, c. 3, 12 : « *Frangas* enim citius quam *corrigas*, quæ in pravum induruerunt. » *Amem* tesseras, quæ me toties perdiderunt? *Hei eu de amar? Que haja eu de amar?* Præmuntiones illæ, *Ut ita dicam, Ut sic dicam*, huc etiam spectant, quæ et futuro efferuntur : *Ut ita dixerim, ut sic dixerim.* Interdum simul ponitur hic modus et ejus interpretatio. Virg., Æn. II, v. 361 :

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut *possit* lacrymis *æquare* dolores?

Possit æquare et *æquet* idem valent.

Adjunximus tam multa exempla, tum ut naturam modi planius ostenderemus, tum ut apertissime videres tam multas voces lusitanas posse respondere uni latinæ. Nunc pauca ex Prisciano, l. XVIII, p. 1145, cum interpretatione græca subjiciamus. Virg., Æn. IV, v. 24 :

« Sed mihi vel tellus *optem* prius ima dehiscat
Ante pudor quam te violem.

Optem, εὐχοίμην ἄν. — Idem, III, v. 39 :

Eloquar an *sileam?*

An sileam, ἢ ἄρα σιωπήσω ; — Idem, I, v. 327 :

O quam te *memorem*, virgo ? namque haud tibi vultus
Mortalis.

Memorem, εἴποιμι ἄρα. » Quæ dubitationem aut interrogationem adsignificant, fere conjunctione ἄρα solet ille explicare.

Illud mihi pene exciderat, tempus hoc etiam

---

(1) Habet Priscianus *patiatur*; Orellius, Teubner, *patietur*.

(2) Hæc indirecte, de Orat., l. III, c. 1 : « Multa a Crasso divinitus dicta efferebantur, cum sibi illum consulem esse negaret cui senator ipse non esset. » Quintilianus vero, l. VIII, c. 3, 89, hæc eodem modo affert quo Alvarus.

futurum tempus redolere; nec mirum, cum præsens ipsum conjunctivi futuri naturam recipiat. Cic., Verr. act. II, l. I, c. 24, 62 : « Unum aliquod de nefariis istius factis eligam, quo facilius ad Siciliam *possim* aliquando pervenire. » *Possim*, nonne futurum potius quam præsens adsignificat? Item illa trita et quotidiana : Peto a te ut cras ad me *venias*. Rogo te ne deinceps mihi *sis* molestus; et sexcenta alia, quid aliud videntur quam futurum clamare?

50. IMPERFECTUM POTENTIALIS.

Amarem.

Cic., pro C. Rab. Per., c. 8, 22 : « Tu denique, Labiene, quid *faceres* tali in re ac tempore? » *Que fizeras, que poderas fazer?* Idem, Fam., l. XV, ep. 21, 4 : « Ferreus *essem*, si te non amarem. » *Seria eu logo de ferro*, etc. Terent., Andr. act. I, sc. 1, v. 137 :

> . . . . Redeo inde iratus atque ægre ferens.
> Nec satis ad objurgandum causæ. *Diceret:*
> Quid feci?

Diria, poderia dizer; aut *dissera, podera dizer.* — Sall., Cat., c. 61 : « Sed confecto prælio tum vero *cerneres*, quanta audacia, quantaque animi vis fuisset in exercitu Catilinæ. » *Entao vireis vos*, etc. Cic. ad Att., l. VIII, ep. 15, 3 : « Plura *scriberem*, si ipse possem. » Idem ad Brut., l. I, ep. 9 : « *Scriberem* plura, nisi ad te hæc ipsa nimis multa essent. » Idem, Tusc., l. V, c. 10, 31 : « Nunquam id *diceret*, si ipse se audiret. » Terent., Adelph. act. II, sc. 1, v. 179 :

> Si attigisses, *ferres* infortunium.

Virg., Æn. VIII, v. 643 :

> At tu dictis, Albane, *maneres*.

Ficareis vós no que dissestes. Cumprireis vossa palavra. Ego te *desererem? Que vos havia eu de desemparar? Amarem* aleas, quæ toties me nudârunt? *Havia eu de amar*, etc. Quibus beneficiis te ille *afficeret*, cum esset pauperrimus? *Que merces vos podia elle fazer*, etc.?

Nonnunquam malunt auctores duobus verbis quam uno uti. Cic., Verr. act. II, l. II, c. 33, 81 : « Verum si de pecunia testibus planum facere non possem, illud *negare posses?* » Potuit uno verbo dicere, *illud negares?*

Accipe unum atque alterum ex iis quæ Priscianus affert, l. XVIII, p. 1154, 1146, cum græca interpretatione. Cic., Verr. act. II, l. I, c. 46, 121 : « Quæ ego non *commemorarem*, nisi vos illud vellem recordari. » *Non commemorarem*, οὐκ ἂν ἐμνημόνευον. Virg., Æn. VI, v. 161 :

> Quem socium exanimum vates, quod corpus humandum
> *Diceret?*

Diceret, λέγοι ἄρα.

Cum hoc tempore junguntur adverbia tam præsentis quam futuri temporis. Virg., Æn. VIII, v. 568 :

> Non ego nunc dulci amplexu *divellerer* usquam,
> Nate, tuo.

Scriberem ad te cras, si esset tabellarius.

51. PRÆTERITUM PERFECTUM.

Amaverim.

Unus miles tantam stragem *ediderit? Que póde hum só soldado fazer tao grande estrago? Foi possivel hum soldado fazer tamanho estrago? He possivel que hum soldado fiziesse tamanho estrago?* Ego in quem omnium oculi sunt conjecti, tantum scelus *commiserim?* Plaut., Amph. act. II, sc. 2, v. 116 :

> Audivistin' tu me narrare hoc hodie? *So.* Ubi ego *audiverim?*

Virg., Æn. l. IX, v. 784 :

> Unus homo, et vestris, o cives, undique septus
> Aggeribus, tantas strages impune per urbem
> *Ediderit?* juvenum primos tot *miserit* Orco?

Idem, ibid., II, v. 600 :

> Non prius aspicies ubi fessum ætate parentem
> Liqueris Anchisen? superet conjuxne Creusa,
> Ascaniusque puer? quos omnes undique Graiæ
> Circumerrant acies, et, ni mea cura resistat,
> Jam flammæ *tulerint*, inimicus et *hauserit* ensis.

Pro *poterant tulisse* et *poterat hausisse* interpretatur Priscianus, l. XVIII, p. 1149, et recte; nam hic videtur esse temporum permutatio, pro *Ni mea cura* resisteret, *sive* restitisset, *jam flammæ* tulissent, *et* hausisset *ensis*. Quintil., l. X, c. 1, 107, de

Demosthene et Cicerone agens : « Et fortasse epilogos illi mos civitatis *abstulerit ;* sed et nobis illa, quæ Attici mirantur, diversa latini sermonis ratio minus *permiserit.* » *Bem póde ser que o costume da terra lhe tirasse*, etc. Cic. in Bruto, c. 17, 65 : « Refertæ sunt orationes amplius centum quinquaginta, quas quidem adhuc *invenerim* et *legerim* et verbis et rebus illustribus. » *Das que eu atéqui pude achar et ler.* Idem, Tusc. V, c. 19, 55 : « Præcidi caput jussit M. Antonii, omnium eloquentissimi quos ego *audierim.* » *Mais eloquente de todos os que eu pude ver.* Idem in Bruto, c. 48, 180 : « Sed omnium oratorum, sive rabularum, qui aut plane indocti, et inurbani, aut rustici etiam fuerunt, quos quidem ego *cognoverim*, solutissimum in dicendo, et acutissimum judico nostri ordinis Q. Sertorium. » Quint., l. X, c. 1, 118 : « Sunt alii multi diserti, quos persequi longum est ; eorum, quos *viderim*, Domitius Afer et Julius Africanus longe præstantissimi. » Idem, l. XII, c. 11, 3, dixit : « Quos mihi cognoscere contigit, » quod Cicero dixit : « Quos quidem *cognoverim* : » « Vidi ego longe omnium, quos mihi cognoscere contigit, summum oratorem Domitium Afrum valde senem. »

Huc etiam videntur illa, et quæ sunt generis ejusdem, spectare : Te ut unquam ulla res *fregerit?* Tu ut unquam te *correxeris?* Nescio an id mihi unquam in mentem *venerit.* Rogas quisnam id unquam *dixerit ;* — *pro* frangere potuerit, corrigere volueris, etc. Horat. in Epod. XVII, v. 59 :

> Impune ut urbem nomine *impleris* meo ?

Sed hæc fortasse dixerit aliquis, hoc tempus, cum provocabulum, aut interrogatio, aut dubitatio, aut infinita particula adhibetur, ad conjunctivum spectare, atque conjunctivum pro indicativo poni ; cujus sententiæ ego non invitus accesserim, dummodo fateatur esse quædam quæ huc potius spectent. Cujusmodi fortasse sint ea quæ attulimus ; et, quod ingenue hic fatendum sit, extra interrogationem, dubitationem, provocabulum et particulas infinitas, vix unquam utuntur scriptores hoc tempore aliquid affirmantes, sed potius circuitione. Cic. in Bruto, c. 11, 43 : « Hanc enim mortem rhetorice et tragice ornare potuerunt. » Idem, Verr. act. II, l. II, c. 6, 16 : « Sed intelligere potuistis priore actione cives Romanos ex Sicilia plurimos.... pro testimonio dicere. » Priscianus, l. XVIII, pp. 1152, 1154, quæ sunt hujus generis, ἄρα græca conjunctione, non ἄν solet interpretari, quorum pleraque huic loco videntur aliena. Cic., Verr. act. II, l. I, c. 59, 154 : « Qui ædem Castoris testem furtorum tuorum esse *volueris ;* » ἠθελήκοις ἄρα. Ibidem, c. 46, 120 : « Nam, quæso, redite in memoriam, judices, quæ libido istius in jure dicendo *fuerit ;* » γέγονεν ἄρα. Ibidem, c. 45, 115 : « Videte ut hoc iste *correxerit ;* » διωρθώσεν ἄρα. Qui magis apposita exempla invenerit, his adjungat ; nam illa : Non facile *dixerim*, Hæc ad quædam prodesse non *negaverim*, Eo magis Fabricio *crediderim*, et alia pene infinita, ad futurum spectant tempus, ut paulo post dicemus. In illo Quintiliani lib. I proœmio, § 18 : « Sit igitur orator vir talis, qualis vere sapiens appellari possit, nec moribus modo perfectus, sed etiam scientia, et omni facultate dicendi, qualis adhuc fortasse nemo *fuerit ;* » *fuerit* pro *fuit* videtur positum. Item, Liv., l. VI, c. 14 : « Tum vero, inquit, nequicquam hac dextra Capitolium arcemque *servaverim*, si civem commilitonemque meum, tanquam Gallis victoribus captum, in servitutem ac vincula duci videam. » Plaut., Amph. act. II, sc. 2, v. 186 :

> Tecum fui. — *Amph.* Tun' mecum *fueris* (1) ?

52. PLUSQUAM PERFECTUM.

Amavissem.

Hoc tempus frequentissimum est. Cic., Fam., l. XII, ep. 22, 4 : « Plura *scripsissem*, nisi tui festinarent. » *Mais vos escrevera, podera*, vel *devera escrever, se nao estiverao tao de pressa.* Idem, in Bruto, c. 19, 77 : « Si corpore *valuisset*, in primis *habitus esset* disertus. » Ibidem, c. 48, 180 : « Is *processisset* honoribus longius, nisi semper infirma atque etiam ægra valetudine *fuisset.* » Ibid., c. 10, 40 : « Neque enim jam Troicis temporibus tantum laudis in dicendo Ulyssi *tribuisset* Homerus et Nestori, quorum alterum vim habere voluit, alterum suavitatem, nisi jam tum esset honos eloquentiæ. » Idem, pro Plancio, c. 37, 90 : « An si unquam in me vitæ cupiditas *fuisset*, ego mense Decembri mei consulatus, omnium parricidarum

(1) Alii legunt *fuisti.*

tela *commossem?* » Idem, Verr. act. II, l. I, c. 53, 139 : « Dixit juratus P. Potitius, tutor pupilli Junii; dixit M. Junius tutor et patruus; Mustius *dixisset*, si viveret. » Ibid., c. 10, 27 : « Quid? hoc planius *egissem*, si ita *narrassem?* Dio quidam fuit Halesinus, etc. » Ibid., c. 14, 37 : « Si tibi antea *displicuisset*, idem *fecisses* quod anno post M. Piso. » Idem, ibid., l. II, c. 1, 3 : « Neque enim tam facile opes Carthaginis tantæ *concidissent*, nisi illud et rei frumentariæ subsidium, et receptaculum classibus nostris pateret. » Terent., Eunuch. act. IV, sc. 4, v. 672 :

Paulum si *cessassem* Pythias,
Domi non *offendissem*.

Ibid., act. III, sc. 1, v. 452 :

Cæterum
Idem hoc tute melius quanto *invenisses* Thraso.

Quintil., declam. VI, c. 4 : « Si *potuisset* redimere oculos matris, qua pietate fuit, vicarios suos *dedisset*. » Suet., in Vesp., c. 8 : « *Maluissem* allium *oboluisses*. »

Quorsum, inquies, tam multa exempla? Quia sunt qui putant rara esse hujus temporis, usitatioremque esse periphrasim; quod an ita sit, pervolutandis scriptoribus experiere : paraphrasi raro velim uti. Mitto locum illum Virgilii Æn. IV, v. 606, qui a plerisque affertur :

Faces in castra *tulissem*,
*Implessem*que foros flammis, natumque patremque
Cum genere *extinxem*, memet super ipsa *dedissem*.

Mitto illud Ovidii Metam. XV, v. 637 :

Quod petis hinc, propiore loco, Romane, *petisses*.

Mitto Lucani decantatissimum carmen Phars. I, 19 :

Sub juga jam Ceres, jam barbarus *isset* Araxes.

Quis enim omnia sine fastidio enumeret?

Ne tamen contra cœptum ordinem faciamus, audiamus Prisciani interpretationem, l. XVIII, pp. 1153, 1152, 1154, 1146 : « Cic., Verr. act. II, l. 1, c. 42, 110 : « Si hoc juris non unius hominis causa *dixisses*, cautius *composuisses*; » συνέθηκες ἄν. Ibid., c. 55, 145 : « Quod si tanta pecunia columnas dealbari *putassem*, certe nunquam ædilitatem *petiissem*; » οὐκ ἄν ᾔτησα. Ibid., c. 57, 150 : « Hac conditione si quis de populo redemptor *accessisset*, non *esset* usus; » οὐκ ἄν ἐχρήσατο. Ibid., c. 46, 121 : « Sacerdotem exsecrabantur, qui Verrem tam nequam *reliquisset*; » καταλελοίποι ἄρα. Idem, Catil. II, 6, 13 : « Quæsivi a Catilina an nocturno conventu apud M. Leccam *fuisset*, necne; » ἐγεγόνει ἄρα.

Ponitur interdum plusquam perfectum indicativi, loco hujus : Horat. carm. II, od. 17, v. 20 :

Me truncus illapsus cerebro
Sustulerat, nisi Faunus ictum
Dextera levasset.

Sustulerat pro *sustulisset* posuit, inquit idem Priscianus, l. XVIII, p. 1157, propter metrum. At Quintilianus, nulla carminis necessitate compulsus, declam. VI, c. 6, *excœcaveram* pro *excœcavissem* dixit : « Quantum inter hæc flevit, quandiu cecidit oculos suos; si perseverassem, duos *excœcaveram*. »

Circuitionis unum atque alterum exemplum adjungam, ut futuro locus etiam relinquatur. Cic. ad Att., l. VIII, ep. 9, 4 : « Sed cum hæc scribebam, V Kalend., Pompeius jam Brundusium venisse *poterat*, » ubi *poterat* lege, non *potuerat*, ut quidam legit. Virg., Æn. X, v. 853 :

Debueram patriæ pœnas odiisque meorum,
Omnes per mortes, animam sontem ipse dedisse.

53. FUTURUM.

Amaverim.

Supra cum ageremus de futuro conjunctivi, multis veterum exemplis planum fecimus esse futurum quoddam simile præterito perfecto ejusdem modi, quod hic multo est usitatius. Id quamvis quidam existimarint præteritum esse, significatio tamen ipsa futurum esse apertissime docet. Cic., in Orat., l. III, c. 41, 163 : « Syrtim patrimonii, scopulum libentius *dixerim*; Charybdim bonorum voraginem potius. » *Antes diria, melhormente diria eu.* Idem, in Orat., c. 47, 157 : « Pomeridianas quadrigas, quam postmeridianas libentius *dixerim*. » Ibid. : « Nec vero *reprehenderim* : Scripsere alii rem. » Ibid., c. 46, 155 : « Nec enim *dixerim* tam libenter armum judicium, etsi est apud eumdem. » Idem, Tusc. l. I, c. 17, 39 : « Errare me hercule malo cum Platone, quam cum istis vera sentire. — *M.* Macte virtute, ego enim ipse cum eodem ipso non invitus *errave-*

rim. » *Erraria de boa mente.* Idem, de Leg., l. I, c. 4, 13 : «Ego vero libenter *audierim;* quid enim agam potius? aut in quo melius hunc consumam diem?» Idem, in Bruto, c. 13, 52 : « Tum Brutus : Ista vero, inquit, quam necessaria fuerint non facile *dixerim;* jucunda certe mihi fuerunt. » Idem, in eodem, c. 6, 25 : « Hoc vero sine ulla dubitatione *confirmaverim*, sive illa arte pariatur aliqua, sive exercitatione quadam, sive natura, rem unam esse omnium difficillimam. » Idem, in eodem, c. 47, 173 : « Itaque eum, etsi nemo intercedebat qui se illi anteferret, neque secundum tamen, neque tertium *dixerim.* » *Diria.* In eodem, c. 41, 151 : « De Servio autem, et tu probe dicis, et ego dicam quod sentio : non enim facile quem *dixerim* plus studii quam illum, et ad dicendum, et ad omnes bonarum rerum disciplinas adhibuisse. » Liv., l. VII, c. 10 : « Injussu tuo, inquit, imperator extra ordinem nunquam *pugnaverim;* non, si certam victoriam videam. » Idem, l. I, c. 55 : « Eo magis Fabio *crediderim.* » Ibid., l. I, c. 46 : « Pluribus tamen auctoribus filium *crediderim.* » *Creria eu.* Quintil., l. XI, c. 2, 23 : « Equidem hæc ad quædam prodesse non *negaverim. Nao negaria eu.* Idem, l. I, c. 1, 6 : « In parentibus vero quam plurimum esse eruditionis *optaverim.* » Idem, l. VIII, c. 3, 8 : « Sterilem platanum, tonsasque myrtos, quam maritam ulmum *prœoptaverim.* » Idem, ibid., c. 6, 18 : « At ego in agendo, nec pastorem populi, auctore Homero, *dixerim*, nec volucres pennis remigare, etc. » Idem, l. X, c. 1, 105 : « Oratores vero vel præcipue latinam eloquentiam parem facere græce possint ; nam Ciceronem cuicumque eorum fortiter *opposuerim.* » Idem, l. XI, c. 3, 5 : « Equidem vel mediocrem orationem commendatam viribus actionis *affirmaverim* plus habituram esse momenti quam optimam eamdem illa destitutam. » Idem, l. VI, c. 3, 110 : « Illa potius urbana esse *dixerim*, quæ sunt generis ejusdem, quo ridicula dicuntur, et tamen ridicula non sunt. » Idem, l. I, c. 5, 63 : « Mihi placet latinam rationem sequi, quousque patitur decor ; neque enim jam Calypsonem *dixerim*, ut Junonem. » Idem, procem. ejusdem libri, 15 : « Ac veterum quidem sapientiæ professorum multos, et honesta præcepisse, et ut præceperunt, etiam vixisse facile *concesserim.* » In eodem libro, c. 8, 8 : « De Menandro loquor, nec tamen *excluserim* alios. » Plin., l. VIII, 73 : « Nec facile *dixerim* qua id ætate cœperit. » Illud ejusdem Plin. l. II, 95 : « Et hercule non cœlestia enarratu difficiliora *fuerint;* » pro *esse poterunt* dictum videtur. Colum., l. VI, c. 1 : « Quæ in emendis bubus sequenda, quæque vitanda sint, non ex facili *dixerim.* »

54. Huc etiam videntur pertinere locutiones illæ quibus veniam pacemque præfamur. Cic., Tuscul. l. V, c. 5, 12 : « *A.* Non mihi videtur ad beate vivendum satis posse virtutem. — *M.* At hercule Bruto meo videtur, cujus ego judicium, pace tua *dixerim*, longe antepono tuo. » Idem, de Fato, c. 3, 5 : « Quædam etiam Posidonius, pace magistri *dixerim*, comminisci videtur. » Plin., l. XXXIV, c. 25, *dixisse liceat*, duobus verbis dixit : « Atque hæc omnia medici, quod pace eorum *dixisse liceat*, ignorant ; » et Quintil., l. I, 6, 9 : « Sed pace *dicere* hominis eruditissimi *liceat.* » Ovid., Pont. l. III, ep. 1, v. 9 :

Pace tua *dixisse velim.*

Virg., Æn. X, v. 185 :

Non ego te, Ligurum ductor fortissime bello,
Transierim.

Idem, Æn. XI, v. 164 :

Nec vos *arguerim*, Teucri, nec fœdera, nec quas
Junximus hospitio dextras.

Terent., Hecyr. act. III, sc. 4, v. 424 :

Denique hercle *aufugerim*
Potius quam redeam, si eo mi redeundum sciam.

Idem, Heaut. act. II, sc. 2, v. 315 :

Hoc vide ! in mea vita tu tibi laudem is quæsitum scelus !
Ubi si paululum modo quid te fugerit, ego *perierim.*

Idem, Adelph. act. II, sc. 5, v. 282 :

. . . . Obsecro hercle, hominem istum impurissimum
Quam primum absolvitote, ne si magis irritatus siet,
Aliqua ad patrem hoc permanet, atque ego tu perpetuo [*perierim.*

Idem, Andr. act. I, sc. 4, v. 203 :

Ubivis facilius *passus sim*, quam in hac re, me deludier.

Passus sim, *sofrerei, poderei sofrer.* — Idem, Hecyr. act. I, sc. 1, v. 63 :

. . . . . Ergo propterea te sedulo
Et moneo, et hortor, ne cujusquam misereat,
Quin spolies, mutiles, laceres, quemquam *nacta sis.*

Qualquer que poderdes haver as maos. — Senec., de Clementia, l. II, 2 : « *Maluerim* veris offendere, quam placere adulando. » Plin., l. XVII, c. 16 : « Id quidem in horam diei quintam vel octavam spectare *maluerim.* » Juven., Sat. l. II, v. 24 :

Quis *tulerit* Gracchos de seditione querentes ?

Quem sofrerà ? Quem poderà sofrer ?

Quis dixerit vel unum ex tam multis exemplis præteritum adsignificare ? Usque eo futurum adsignificant, ut Donatus illud *aufugerim* dixerit esse conjunctivum pro indicativo. « Conjunctivum, inquit, in Terent. Hecyr. act. III, sc. 4, v. 424, modum posuit pro indicativi futuro, vel, ut alii dicunt, promissivo; » et Priscianus illud Virgilii Georg. II, v. 336 :

Non alios prima crescentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim,

futuro græco explicat πιστεύσοιμι ἄν (XVIII , p. 1150). In eodem, v. 49 :

Tamen hæc quoque si quis
Inferat, aut scrobibus mandet mutata subactis,
Exuerint silvestrem animum ;

exuerint, *perderao,* vel *poderao perder a braveza ; exuerint* etiam explicat ibidem Priscianus futuro græco ἐκδύσοιντο ἄν, non præterito, ut quidam ait, ἐκδύσαιεν ἄν.

Qui hæc ad præteritum rejiciunt , futurum *ro* syllaba terminatum huic modo attribuunt , sed nullo id testimonio confirmant, id quod a Prisciano videntur mutuati ; sic enim ille eodem libro XVIII, p. 1149 : « Elective , inquit, quoque sæpissime hoc modo utimur, ut *imperem* potius quam *moneam, discam* quam *doceam.* Tamen et præterito plusquam perfecto præteritum imperfectum solent Romani conjungere, ut : *Fecissem,* nisi *impedires ;* et contra : *Facerem* , nisi *impedisses.* Et præsenti præsens vel futurum, ut : *Faciam,* nisi *impedias,* et : *Faciam* , nisi *impedieris.* Et futuro futurum vel præsens, ut : *Fecero,* nisi *impedias* , et : *Fecero,* nisi *impedieris.* » Nonnulla hic immutavimus quo magis essent aperta et perspicua; exempla tamen Prisciani sunt. Idem, ibid., p. 1147 : « Sic ergo quod illi solent (nimirum Græci) et per indicativum et per optativum facere, addentes ἄν conjunctionem græcam; nos subjunctivis per se positis solemus demonstrare (subaudi possibilitatem vel potentiam; dixerat enim ante : Nostri ergo quoque in omnia illos sequentes, quando possibilitatem demonstrare volunt, optativis sive subjunctivis utuntur verbis) , ut : *Docuissem* si discere voluisses; id est , *poteram docere.* Similiter : *Docerem,* si discere velles; id est, *docere poteram.* Et præteritis quidem utentes ostendimus rem, quæ potuisset facta esse, non esse factam. Præsenti vero vel futuro subjunctivo utentes in hujusmodi constructione, ostendimus posse fieri aliquid, nisi quid impediat, ut : *Doceam,* si velis ; id est, *possum docere* , si voluntas tua non impediat. Similiter in futuro : *Docuero* , si volueris; id est, *potero docere,* si volueris. Horat. Carm. l. I :

Quis Martem tunica tectum adamantina
Digne *scripserit ?*

pro *scribere poterit.* »

Quorsum, dicet aliquis, tam alte repetita oratio ? Primum ut modi hujus natura melius percipiatur ; deinde ut his duobus exemplis : *Fecero, nisi impedias,* aut *impedieris ;* et *Docuero, si volueris,* planum fiat id quod nobis probandum erat. Priscianus tamen non id aperte probat : nam illud Horatii *scripserit,* cur non dicam esse a futuro *Scripserim, scripseris* , *scripserit ?* Quod si concedendum est futurum syllaba *ro* finitum huc spectare, fatendum etiam nobis erit illud Ciceronis ad Att., l. II, ep. 24, 5 : « *Respiraro, si* te *videro ;* » et ad Tironem, Fam., l. XVI, ep. 4, 1 : « Satis te mature *videro, si* plane confirmatum *videro ;* » id est, *respirare potero, videre potero.* Denique huc rejicienda erunt alia pene innumera quæ idem ipse qui potentiali modo primus nomen imposuit, docet pro futuris indicativi poni ; qua de re supra satis abundeque dictum est. Cæterum, si Priscianus dixisset : ut hæc : *Respirem* , *si te videam ; Respirarem* , *si te viderem ; Respirassem* , *si te vidissem* , ad potentialem modum pertinent ; sic hoc : *Respiraro, si te videro ;* quid respondisses ? nam videntur ejusdem generis esse. Mihi certe non videntur. Quid ? illud Terentii Adelph. act. I, sc. 2, v. 128 :

. . . . *M.* Ah ! si pergis, *abiero ;*

abire potero significat ? Nonne potius affirmat se statim sine ulla mora abiturum ? Sed ista viderint critici ; nobis alio properantibus non licet esse tam otiosis.

MODUS PERMISSIVUS SEU CONCESSIVUS

55. Permissivus, sive Concessivus modus, permissionem sive concessionem adsignificat, unde et nomen invenit; quem in hunc locum reservavimus, quod conjunctivo voce simillimus sit; ejus usus, excepto futuro, in secundis et tertiis personis potissimum cernitur; primas enim non facile invenias. Huic etiam scholiorum cancellos circumdabo; modo enim ejus elegantia et ornatus intelligatur, per me vel publico careat licet.

56. PERMISSIVI SIVE CONCESSIVI MODI TEMPUS PRÆSENS.

Amem.

Terent., Adelph. act. I, sc. 2, v. 135 :

D. Quid istic? Tibi si istuc placet :
Profundat, perdat, pereat! Nihil ad me attinet.

Gaste, mas que gaste, e lance a perder a si et a fazenda. Cic., Verr. act. II, l. I, c. 4, 10 : « His ego judicibus non probabo C. Verrem contra leges pecunias cepisse? Sustinebunt tales viri se tot senatoribus, tot equitibus Romanis.... non credidisse? tantæ populi romani voluntati restitisse. *Sustineant;* reperiemus si istum vivum ad aliud judicium perducere poterimus, quibus probemus, etc. » Sustineant, *dolhe que soffrao.* Ibid., c. 5, 13 : « *Confringat* iste sane vi sua consilia senatoria, quæstiones omnium *perrumpat, evolet* ex vestra severitate; mihi credite, arctioribus apud populum romanum laqueis tenebitur. » Idem, Acad. prior., l. II, c. 32, 105 : « Hæc si vobis non probamus, *sint* falsa sane, invidiosa sane non sunt.» Idem, de Clar. Orat., c. 19, 76 : « *Sit* Ennius sane, ut est certe perfectior; » et Verr. act. II, l. V, c. 1, 4 : « *Sit* fur, *sit* sacrilegus, *sit* flagitiorum omnium vitiorumque princeps; at est bonus imperator. » *Seja, dolhe que seja.*

57. PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Amarem.

Hic nullum occurrit exemplum; si quod offenderis, cura adjungendum.

58. PRÆTERITUM PERFECTUM.

Amaverim.

Cic., Verr. act. II, l. I, c. 4, 11 : « Erunt etiam fortasse judices, qui illum ejus peculatum vel acerrime vindicandum putent.... *Emerserit* ex peculatus etiam judicio. » Et paulo post, ibid., c. 5, 12 : « Ex hoc quoque *evaserit;* proficiscar eo quo me jam pridem vocat populus romanus, etc.» Ibid., c. 14, 37 : « Malus civis, improbus consul, seditiosus homo Cn. Carbo fuit; *fuerit* aliis; tibi quando esse cœpit? » *Dolhe que fosse máo para os outros,* etc. Heus! vide quid te futurum sit; vir ille, quem injuria affecisti, proximo anno fuit consul; *fuerit. Mas que fosse.*

59. PLUSQUAM PERFECTUM.

Amavissem.

Virg., Æn. IV, v. 600 :

Non potui abreptum divellere corpus, et undis
Spargere? non socios, non ipsum absumere ferro
Ascanium, patriisque epulandum apponere mensis?
Verum anceps pugnæ fuerat fortuna; *fuisset.*

Fuisset, *ainda que fora, mas que fora.* Hic *fuerat* pro *fuisset* positum est; sic Horatius *sustulerat*, Quintilianus *excæcaveram* dixerunt pro *sustulisset*, *excæcavissem,* ut antea dictum est. Poteris similia exempla fingere etiam primæ personæ : Verum victa fuissem; *fuissem; mas que fora.* Prius *fuissem* potentiale est, posterius permissivum.

60. FUTURUM.

Amavero.

Cur miser literas tantopere fugis? Cur tibi adeo sunt invisæ? — Age, *amavero* literas; quam ex ipsis gloriam *reportavero? Ora bem, dolhe que chegue a amar as letras,* etc. Cic., Acad. prior., l. II, c. 36, 115 : « Age, *restitero* Peripateticis, qui sibi cum oratoribus cognationem esse, qui claros viros a se instructos dicant rempublicam sæpe rexisse : *sustinuero* Epicureos, tot meos familiares,

tam bonos, tam inter se amantes viros : Diodoto quid faciam Stoico, quem a puero audivi? » Diomedes, l. I, p. 390, hunc modum *affirmativam speciem* appellat : « Affirmativa, inquit, species est hujusmodi, cum in re dubia, in qua parum altercantibus assentimur, specie subjunctiva, quasi si factum affirmamus, veluti cum dicimus : *dixerit, fecerit,* id est, *crede eum dixisse,* aut *fecisse, quod neque fecerit, neque dixerit.* Nam si factum esse revera in animum inducimus, finitivo utimur sermone, id est, *fecit.* » Lege cætera, si vacat, de eadem re. Ad extremum inquit : « Talis est affirmativa, quæ altercationis tollendæ gratia sub simulatione confessionis inducitur. » *Speciem* vocat, more Varronis, quem *modum* appellamus; finitivum sermonem, modum indicativum.

61. FUTURUM ALITER.

Amaveris.

Hic prima persona singularis desideratur; convenit hic sermo potissimum iis qui diu aliquid suaserunt, sed frustra : itaque tædio confecti, atque omni persuadendi spe abjecta, in has voces prorumpunt. Exempli causa : *Vixeris* ut libet; satis sit te tuorum scelerum conscientia perpetuo cruciari. *Já que assim he, vivei embora a vossa vontade, bastemnos os continuos remorsos de vossas maldades.* Diomedes hoc genus loquendi *concessivam speciem* vocat : « Concessiva, inquit, l. I, p. 390, species est, qua tum demum utimur, subjunctivam inserentes qualitatem, cum suadendo cuipiam quod expediat, non persuademus; et desistentes, dum nos volumus crimine absolvere, concedimus, arbitrio ejus remittentes, quod pertendat facere; ut cum loquimur ne faciat sane suadentes, illo pertendente ut magis faciat, addimus *videris, feceris,* id est, *licet tu videas, tu perspicias quid facias.* Hoc dicimus sub specie concedendi potius cunctantes. Nam cum facere ex animo suademus, non ita loquimur : *feceris, videris;* sed *facias, videas,* exhortativo utentes sermone. Enunciatione igitur eadem affirmativa et concessiva est species, sensu vero differt. Quoniam quæ liqueant nobis non esse, affirmantes, quasi sint facta defendimus. Item, quæ nequaquam volumus fieri, verbo velut fiant concedimus, ut pertinaciam contendendi evitemus. » Hæc ille. Subjunctivam qualitatem appellat modum subjunctivum; ut supra ex Quintiliano diximus, quidam modos *qualitates* nominarunt. Ad hanc speciem concessivam spectat illud Sallustii in Ciceronem, c. 3, 6 : « *Egeris,* oro te, Cicero, *perfeceris* quod libet; satis est perpessos esse; etiamne aures nostras odio tuo onerabis? etiamne molestissimis verbis insectabere? » Neque enim præteritum est; non enim adjunxisset : *oro te,* si præteritum esset. *Jà que assim he, fazei peçonos Tullio embora, e acabai tudo o que vos vier à vontade; basta que vos temos sofrido. Como ainda nos haveis de estar aqui deshonrado?* Idem Ciceronis in Sallustium, c. 6, 15 : « *Vixeris* uti libet, Sallusti; *egeris* quæ volueris; satis sit unum te tuorum scelerum conscium esse! » *Jà que assim he, Sallustio; vivei à vossa vontade, fazei tudo o que quizerdes, nao he necessario publicar aqui vossas maldades, contento me com as saberdes vos só.* Huc etiam videtur referendum illud Terent. Andr. act. V, sc. 3, v. 887 et seqq. :

Si. Sed quid ego? cur me excrucio? cur me macero?
Cur meam senectutem hujus sollicito amentia? Etc.
. . . . . *Pam.* Mi pater!
Si. Quid mi pater? quasi tu hujus indigeas patris.
Domus, uxor, liberi inventi invito patre;
Adducti qui illam civem hinc dicant; *viceris.*

Viceris, *jà que assim he, sahe com a tua, vence jà, acaba, faze tua vontade.* Ubi Donatus : « *Viceris* verbum est ejus qui vix sibi extorquet ut abjiciat curam, et proprium patribus, ac familiare iratis. »

Interdum mitius ac lenius iisdem vocibus utimur, quibus significamus nos alicujus rei curam penitus abjicere, eamque aliorum arbitrio judicioque committere. Cic., Tusc. l. V, c. 11, 34 : « Quam sibi conveniat ipse *viderit;* » *Lá o veja elle.* Idem, de Amic., c. 3, 10 : « Quam id recte faciam, *viderint* sapientes. » *Là o vejao.* Idem, de Nat. deor., l. III, c. 4, 9 : « Quam simile istud sit, tu *videris.* » Quo pacto frequentissime idem loquitur. Liv., l. I, c. 58 : « Vos, inquit, *videritis* quid illi debeatur; ego me etsi peccato absolvo, supplicio non libero. » Prima tamen persona pluralis *viderimus* pro *videbimus* videtur poni. Idem, pro Roscio Am., c. 30, 84 : « De Capitone post *viderimus,* si, quemadmodum paratum esse audio, testis prodierit. » Sic Gellius, l. XIX, c. 8, loquitur : « *Videbimus* autem post de inimiciis, de quadrigis, ac fortassean de quadrigis veterum auctoritati concessero. » Cic., ad Att., l. II, ep. 7, 1 : « Orationes

autem me duas postulas, quarum alteram non libebat mihi scribere, quia absciderам; alteram, ne laudarem eum quem non amabam. Sed id quoque *videbimus.* » Sic *videro* pro *diligenter videbo*, *etiam atque etiam considerabo* frequentissimum est. Idem, pro Cœlio, c. 15, 35 : « *Videro* hoc posterius. » Idem, Verr. act. II, l. II, c. 61, 150 : « Alio loco de aratorum animo et injuriis *videro;* » et illud *Tu videris,* solent Græci futuro indicativi dicere. D. Matth., c. 27, v. 4 : « Illi autem dixerunt : Quid ad nos? Tu *videris.* » Οἱ δὲ εἶπον· Τί πρὸς ἡμᾶς; σὺ ὄψει. Idem, ibid., v. 24 : « Vos *videritis.* » Ὑμεῖς ὄψεσθε; nec enim speciem imperandi spectat, ut nonnulli opinantur.

MODUS INFINITUS

62. Quintilianus, l. I, c. 6, 7, *infinitum;* Gellius, l. I, c. 7, *indefinitum;* grammatici fere *infinitivum* hunc modum appellant, quamvis Probus etiam, l. I, p. 1418, *infinitum* vocet, quem, ut idem, ibid., p. 1417, et Diomedes, l. I, p. 331, aiunt, quidam *perpetuum* vocant. Infinitus quidem sive infinitivus dicitur, quod neque personas neque numeros definiat. *Legere* enim, exempli causa, omnes personas et utrumque numerum complectitur, obscure tamen et permixte; cum verba finita personas numerosque aperte definiant, ut : *Lego, legis, legit, legimus, legitis, legunt.* Videsne personas numerosque certos et definitos? Id certe in verbis infinitis cerni non potest, nisi accedant pronomina, quorum beneficio complicatæ et involutæ personæ numerique explicentur et evolvantur, ut : Præclarum est *me, te, illum, nos, vos, illos* pro Deo Optimo Maximo vitam *profundere.* Unde nonnulli, ut Diomedes refert, l. I, p. 331, *insignificativum* ac *impersonativum* nominarunt. Perpetuum vero, ut idem ait, ibid., propterea quod id perpetuum sit, quod finem non habet. Quidam, ut Priscianus, l. VIII, p. 808, ait, *nomen verbi* infinitum ipsum appellarunt, tanquam finita verba proprie sint verba appellanda, infinita vero ipsorum nomina, quæ sæpenumero pro nominibus ponantur, ut : *Scire* tuum nihil est. Virtus est vitium *fugere;* et alia ejusdem generis. *Scire* enim pro *scientia,* et *fugere* pro *fuga* ponitur.

63. INFINITI MODI

TEMPUS PRÆSENS ET PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Amare.

PRÆTERITUM PERFECTUM ET PLUSQUAM PERFECTUM.

Amavisse.

Duo dumtaxat modi, ut Priscianus, l. VIII, p. 807, docet, optativus nimirum et infinitus tempora habent conjuncta more Græcorum : præsens cum imperfecto, perfectum cum plusquam perfecto. Lusitani cum verbis *possum, debeo, cupio, opto, volo, nolo, malo,* et aliis ejusdem significationis, subjiciunt infinitum proprium temporis præsentis et imperfecti. Cic., Att., l. III, ep. 7, 3 : « Videre te cupio; » *desejo de vos ver*, præsens est. Cupiebam te videre; *desejava de vos ver,* imperfectum est. Alias fere circuitione infinitum latinum reddunt : utuntur enim verbis indicativi, aut participiis præposita particula *que.* Idem, Fam., l. XIV, ep. 2, 3 : « Omnes labores te excipere video; timeo ut sustineas. » *Vejo que tomais todos os trabalhos,* etc. Idem, Att. l. II, ep. 22, 1 : « Quam vellem Romæ mansisse (1)! » *Quanto folgara que ficareis em Roma!* Ibid., ep. 19, 5 : « Certi sumus perisse omnia. » *Sabemos de certeza que tudo he perdido.* Interim suo subjunctivo utuntur, ut : Malo te doctum esse quam opulentum. *Antes quero que sejas.* Cupio te literis operam dare. *Desejo que estudes.*

Quo facilius rudes linguæ latine hæc percipiant, singula tempora exemplis illustranda sunt. Malo amare literas quam pecuniam; *Antes quero amar as letras,* etc., præsens est. — Mallem amare literas quam pecuniam; *Antes queria amar as letras,* etc., imperfectum est. — Scio te amare literas; *Sei que amais as letras,* præsens est. — Sciebam te amare literas; *Sabía que amaveis as letras,* imperfectum est. — Scio avum tuum vehementer amasse literas; *Sei que vosso avó amou muito as letras,* præteritum perfectum est. — Sciebam avum tuum vehementer amasse literas; *Sabia que vosso avó amara muito as letras,* plusquam perfectum est. — Illæ vero locutiones, *Sei amardes muito as letras;*

(1) Orellius, Teubner : *mansisses.*

sabia vosso avô ter amado muito as letras, primum iis qui bene lusitane loquuntur vehementer displicent; deinde præsens ab imperfecto minime discernunt. Scio me sæpe ad te scripsisse. *Sei que vos escrevi muitas vezes*, vel *que vos tenho escripto muitas vezes*. — Sciebam me sæpe ad te scripsisse. *Sabia que vos escrevera*, vel *que vos tinha escripto muitas vezes*. Illæ vero, *Sei tervos escripto, sabia tervos escripto*, durissima sunt. Doleo me non scripsisse ad patrem tuum. *Pesa me de nao ter escripto a vosso pai*. — Dolebam me non scripsisse ad patrem tuum. *Pesava me de nao ter escripto*; utrumque recte dicitur. — Verum si vis apertius perfectum a plusquam perfecto secernere, converte hoc modo : *Pesa me porque nao escrevi*, vel *porque nao tenho escripto a vosso pai*. *Pesava me porque nao escrevera*, vel *porque nao tinha escripto a vosso pai*. Audio venisse patrem tuum. *Ouço dizer que he vindo vosso pai*, vel *que veio*. — Audio abiisse patrem tuum. *Ouço dizer que he ido*, vel *que se foi vosso pai*.

64. FUTURUM.

Amaturum, am, um esse.

Videor tibi aliquando amaturus esse literas? *Parece vos que hei em algum tempo de amar as letras? Parece vos que amarei alguna hora as letras?* — Spero me aliquando amaturum esse literas. *Espero de ainda amar as letras*.

Verba sperandi, promittendi, jurandi apud Lusitanos infinitum præsens cum præpositione *de* postulant. Promitto me rediturum brevi. *Prometto de tornar cedo*. Cætera fere circuitionibus gaudent, quæ e regione sunt, hoc modo : Credo me brevi iturum Romam. *Parece me que cedo irei a Roma*; aut sic : *Parece me que cedo hei de ir a Roma*. *Haver de amar, haver de ensinar*, et cætera id genus Lusitanis inaudita sunt. Quotus enim quisque sic loquitur : *Parece me haver de ir cedo a Roma. Haver de tornar cedo?*

Fuit priscis sæculis futurum *rum* syllaba finitum, quod omnibus generibus et utrique numero citra discrimen accommodabatur; in cujus locum substitutum est participium in *rus* cum infinito *esse*, quo utimur, mutatis casibus, generibus, numeris, pro re de qua agitur.

Fuit aliud futurum a prisco futuro conjunctivi deductum; nam prisci (ut supra in futuro conjunctivi diximus, et in Anomalis planius dicemus) *amasso* pro *amavero* dicebant; unde futurum infinitum *amassere*, *expugnassere*, *impetrassere* formabant, ut Græci a suo τύψω, *verberabo*, τύψειν, *verberaturum esse*, ducunt. Plaut., Amph. act. I, sc. 1, v. 50 :

> Eos legat; Telebois jubet sententiam ut dicant suam :
> Si sine vi et sine bello velint rapta et raptores tradere,
> Si quæ absportassent, redderent; se exercitum extemplo [domum
> Reducturum; abituros agro Argivos; pacem atque otium
> Dare illis; sin aliter sient animati, neque dent quæ petat,
> Sese igitur summa vi virisque eorum oppidum *expu*- [*gnassere*;

pro *expugnaturum esse*. — Idem, Milit. act. IV, sc. 3, v. 35 :

> *Pyrg*. Cupio hercle. *Pal*. Credo te facile *impetrassere*;

pro *impetraturum esse*. — Sic enim est in libris nuper excusis summaque diligentia correctis; cum antea alii *impetratum ire*; alii, *iri* haberent.

Circuitiones illæ, *amatum ire, doctum ire*, et quæ sunt generis ejusdem, potius præsens quam futurum tempus adsignificant. Sed tam de futuro prisco, quam de his circuitionibus, gerundiis et participiis satis superque in Constructione dicendum est, ad quam, ne bis eadem legas, te rejicio (n. 346).

65. GERUNDIA.

Quidam malunt hæc gerundi voces appellare, quod nomen etiamsi pulchre rei naturam originemque declaret, nondum tamen apud veteres legi. Nonnulli ex veteribus, ut Diomedes docet, l. I, p. 328, sextum modum addiderunt, quem *participialem* vocarunt; is complectebatur, quæ modo *gerundia* et *supina* dicimus. Hoc Diomedes, quod ad rationem declinandi verba attinet, secutus est, ibid., p. 345, hoc pacto : Modo participiali, *Amandi, amando, amandum, amatum, amatu*. Hunc modum, ut idem ait, ibid., Probus *supina* nominavit, alii *gerundi*. Idem Diomedes nunc *gerundia*, nunc *supina*, nunc *participialia* vocat. Priscianus iisdem nominibus solet uti. Servius, in Virgilium, Æn. XI, 230, et XII, 46, modum gerundii gemino *i* appellat; est enim patrius casus a nomine *gerundium*. Idem Servius in Donatum, p. 1768, modum *ge*-

rundivum vocat; Phocas, p. 1718, *participialia;* Donatus, si tamen conjugationum exempla ejus sunt, *gerundia sive participialia* vocat, quæ hodie *gerundia* plerique dicunt. *Supina* idem appellat, quæ eodem nomine vulgo appellantur.

Amans, amantis, tis *in* di, do, dum; *eodem modo in cæteris conjugationibus.*

Amandi,
Amando,
Amandum.

Gerundium ablativi varie in lusitanum convertitur. Es impiger in scribendo. *Sois diligente em escrever.* — Defessus sum ambulando. *Estou cançado de andar.* — Eripis lacrymas non consolando, sed minando. *Nao tirais as lagrimas com consolar, mas con ameaçar.* — Romanus sedendo vincit. *Assentado*, vel *estando assentado.* — *Em amando, em chegando, em vindo, em fallando,* et cætera hujus generis non sunt hujus loci. Simul ac primum urbem sum ingressus, statim patrem tuum conveni. *Logo em entrando, tanto que entrei.* — Simul atque e navi egressus sum, in gravissimum morbum incidi. *Logo em desembarcando.* — Simul ac Romam attigi, statim fratrem tuum salutavi. Cum geminantur gerundia, apud Lusitanos eleganter conjunctivo exponuntur, maxime si alterum sit neutrum : *Estando escrevendo esta, recebi huma vossa.* Cum ad te has literas exararem, redditæ mihi sunt tuæ.

SUPINA.

Amatum,
Amatu.

66. PARTICIPIA DECLINATIONIS ACTIVÆ, TEMPORIS PRÆSENTIS ET IMPERFECTI.

Amabam, bam *mutata in* ans; *sic in cæteris.*

Amans, amantis.

Hoc participium varie a Lusitanis explicatur. Avum unice te amantem fugis? *Que te ama.* — Patrem unice te amantem in extremo spiritu deseruisti. *Que te amava.* Virg., Æn. X, v. 399 :

> Tum Pallas bijugis *fugientem* Rhætea præter
> Trajicit.

Que fugia, imperfectum est. — Interfecit illum dormientem. *Matou o estando dormindo.*

67. FUTURI.

Amatum, m *mutata in* rus. *Cætera eodem modo.*

Formavimus hoc participium a priore supino, propter verba neutra, quæ posteriori carent.

Amaturus, a, um.

Non huc te accusaturus, sed defensurus veni. *Vim para vos defender, e nao para vos accusar.* — Conjectus est in carcerem, discessurus postridie in Hispaniam. *Estando para partir ao outro dia.*

AMOR, VERBUM PASSIVUM,

sic declinabitur :

68. INDICATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Amo, *addita* r; *cætera eodem modo.*

Sing. Amor,
Amaris *vel* amare,
Amatur.
Plur. Amamur,
Amamini,
Amantur.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Amabam, m *mutata in* r; *sic in cæteris.*

Sing. Amabar,
Amabaris *vel* amabare,
Amabatur.
Plur. Amabamur,
Amabamini,
Amabantur.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Amatus, amata, amatum sum *vel* fui,
Amatus, ta, tum es *vel* fuisti,
Amatus, ta, tum est *vel* fuit.
Plur. Amati, amatæ, amata sumus *vel* fuimus,
Amati, tæ, ta estis *vel* fuistis,
Amati, tæ, ta sunt, *vel* fuerunt, *vel* fuere.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing. Amatus, ta, tum eram *vel* fueram,
Amatus, ta, tum eras *vel* fueras,
Amatus, ta, tum erat *vel* fuerat.
Plur. Amati, tæ, ta eramus *vel* fueramus,
Amati, tæ, ta eratis *vel* fueratis,
Amati, tæ, ta erant *vel* fuerant.

FUTURUM.

Amabo, *addita* r; *sic* docebor.

Sing. Amabor,
Amaberis *vel* amabere,
Amabitur.
Plur. Amabimur,
Amabimini,
Amabuntur.

69. Veteres grammatici verbo activo solebant impersonale adjungere, propterea quod crederent actionem significare. Verum sintne impersonalia, et an agendi, an patiendi naturam habeant, satis in Constructione dictum est. Quod vero ad eorum declinationem attinet, cum ad defectiva ventum erit, nonnihil etiam de ea dicetur.

Præteritum perfectum et plusquam perfectum debent Latini participio præteriti temporis et verbo substantivo; neque enim ea voce una, more Hebræorum aut Græcorum, declinare possunt. Itaque *amatus sum* verbum est præteriti temporis; quamvis enim *sum*, per se positum, præsens sit, participio tamen junctum vim temporis sui amittit, atque in præteritum migrat; nec duo verba, sed unum censendum est. Nam si duo essent, tunc *amatus* nomen esset, *sum* vero verbum, ut *legatus sum*, id est, *fungor legati munere*. Audiamus P. Nigidium de hac re apud Gellium disserentem, l. XVII, c. 7 : « Legis veteris Atiniæ, inquit Gellius, verba sunt : *Quod surreptum erit, ejus rei æterna auctoritas esto.* Quis aliud putet in hisce verbis, quam de tempore tantum futuro legem loqui? Sed Q. Scævola patrem suum, et Brutum, et Manilium, viros apprime doctos, quæsisse ait dubitasseque utrumne in postfacta modo furta lex valeret, an etiam in antefacta? quoniam *sur-*

reptum erit utrumque tempus videretur ostendere, tam præteritum quam futurum. Itaque P. Nigidius, civitatis Romanæ doctissimus, super dubitatione hac eorum, scripsit in XXXIII Commentariorum grammaticorum. Atque ipse quoque idem putat incertam esse temporis demonstrationem. Sed anguste perquam et obscure disserit, ut signa rerum ponere videas ad subsidium magis memoriæ suæ, quam ad legentium disciplinam. Videbatur tamen hoc dicere : Verbum *esse* et *erit*, quando per sese ponuntur, habent atque retinent tempus suum. Cum vero præterito jugantur, vim temporis sui amittunt, et in præteritum contendunt. Cum enim dico : *In campo est, in comitio est*, tempus instans significo. Item cum dico : *In campo erit*, tempus futurum demonstro. At cum dico : *Factum est, scriptum est, surreptum est*, quanquam *est* verbum temporis sit præsentis, confunditur tamen cum præterito, et præsens esse desinit. Sic igitur, inquit, etiam istud quod in lege est, si dividas separesque duo verba hæc, *surreptum* et *erit*, ut sic audias *surreptum* tanquam *certamen erit* aut *sacrificium erit*, tum videbitur rex in post futurum loqui; si vero copulate permixteque dictum intelligas, ut *surreptum erit*, non duo, sed unum verbum sit, idque unita patiendi declinatione sit; tum hoc verbo non minus præteritum tempus ostenditur quam futurum. » Hactenus ille.

Non me fugit grammaticos etiam veteres hanc circuitionem bifariam divisisse, appellasseque ulteriora tempora quibus verbum *fui, fueram* adjuncta essent, ut *amatus fui, amatus fueram*, eaque id significare quod multo ante factum esset; quæ vero aliquid proxime factum significarent, *sum, eram*, recipere, quæ propinquiora a quibusdam video appellari, ut illa remotiora; quod idem de futuro *amatus ero, fuero*, dictum sit. Servius in Donatum ita inquit, p. 1791 : « Sed scire debemus in omnibus passivis verbis præterita tempora, id est, perfectum et plusquam perfectum, habere ulteriora præterita. » Diomedes, ubi præteritum perfectum *Amatus sum, es, est; amati sumus, estis, sunt*, per se declinavit, subjicit, pp. 346, 347 : « Ulteriore modo : *Amatus fui, fuisti, fuit*, etc. — Plusquam perfectum : *Amatus eram, eras, erat*, etc. Ulteriore modo : *Amatus fueram, fueras, fuerat*, etc.; » quod idem observat in reliquis modis et futuro conjunctivi. Quam tamen differentiam cum videam Latinos raro observare, non putavi pueros propinquioribus ulterioribusque præteritis aut futuris onerandos. M. Tullius, latinæ linguæ princeps, fere præterito propinquiore utitur, etiam cum de rebus multo ante actis sit sermo. Verr. act. II, l. II, c. 9, 25 : « Horum pater abhinc duo et xx annos *mortuus est*. » Idem, pro C. Rab. Posth., c. 1, 2 : « Siquidem non modo in gloria rei militaris Paulum Scipio, aut Maximum filius, sed etiam in devotione vitæ et in ipso genere mortis, *imitatus est* P. Decium filius. » Idem, pro eodem, c. 9, 23 : « Virum unum totius Græciæ facile doctissimum Platonem in maximis periculis insidiisque *esse versatum* accepimus. » Idem, pro Rab. perd. reo, c. 9, 25 : « Causam enim suscepisti antiquiorem memoria tua, quæ causa ante *mortua est* quam tu *natus esses*. »

70. IMPERATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Ama, *addita* re; amato, *addita* r; *sic in cæteris*.

Sing. Amare *vel* amator,
Ametur.
Plur. Amemur,
Amamini *vel* amaminor,
Amentur.

FUTURUM SIVE MODUS MANDATIVUS.

Sing. Amator tu, amaberis *vel* amabere,
Amator ille *vel* amabitur.
Plur. Amaminor *vel* amabimini,
Amantor *vel* amabuntur.

Personas *amator*, *amaminor*, *amantor*, et cæteras ejusdem generis, non tam facile invenies voce patiendi, quam agendi, *amato, amatote, amanto*. Terent., Adelph. act. V, sc. 8, v. 944 :

> *Æ*. Fac; promisi ego illis. *M*. Promisti autem? de te [*largitor* puer.

Plaut., Epid. act. II, sc. 2, v. 78 :

> . . . . . Si placebit, *utitor*
> Consilium; si non placebit, reperitote rectius.

Cic., de Leg., l. III, c. 3, 8 : « Regio imperio duo sunto; iique præeundo, judicando, consulendo, prætores, judices, consules *appellantor*. »

OPTATIVI MODI

PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Sing. Utinam Amarer,
Amareris *vel* amarere,
Amaretur.
Plur. Utinam Amaremur,
Amaremini,
Amarentur.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Utinam Amatus, ta, tum sim *vel* fuerim,
Amatus, ta, tum sis *vel* fueris,
Amatus, ta, tum sit *vel* fuerit.
Plur. Utinam Amati, tæ, ta simus *vel* fuerimus,
Amati, tæ, ta sitis *vel* fueritis,
Amati, tæ, ta sint *vel* fuerint.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing. Utinam Amatus, ta, tum essem *vel* fuissem,
Amatus, ta, tum esses *vel* fuisses,
Amatus, ta, tum esset *vel* fuisset.
Plur. Utinam Amati, tæ, ta essemus *vel* fuissemus,
Amati, tæ, ta essetis *vel* fuissetis,
Amati, tæ, ta essent *vel* fuissent.

FUTURUM.

Sing. Utinam Amer,
Ameris *vel* amere,
Ametur.
Plur. Utinam Amemur,
Amemini,
Amentur.

Quamvis amer, si amer.

CONJUNCTIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Cum Amer,
Ameris *vel* amere,
Ametur.
Plur. Cum Amemur,
Amemini,
Amentur.

Nisi amer.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Sing. Cum Amarer,
Amareris *vel* amarere,
Amaretur.
Plur. Cum Amaremur,
Amaremini,
Amarentur.

Si amarer.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Cum Amatus, ta, tum sim *vel* fuerim,
Amatus, ta, tum sis *vel* fueris,
Amatus, ta, tum sit *vel* fuerit.

Plur. Cum Amati, tæ, ta simus *vel* fuerimus,
Amati, tæ, ta sitis *vel* fueritis,
Amati, tæ, ta sint *vel* fuerint.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing. Cum Amatus, ta, tum essem *vel* fuissem,
Amatus, ta, tum esses *vel* fuisses,
Amatus, ta, tum esset *vel* fuisset.
Plur. Cum Amati, tæ, ta essemus *vel* fuissemus,
Amati, tæ, ta essetis *vel* fuissetis,
Amati, tæ, ta essent *vel* fuissent.

FUTURUM.

Sing. Cum Amatus, ta, tum ero *vel* fuero,
Amatus, ta, tum eris *vel* fueris,
Amatus, ta, tum erit *vel* fuerit.
Plur. Cum Amati, tæ, ta erimus *vel* fuerimus,
Amati, tæ, ta eritis *vel* fueritis,
Amati, tæ, ta erunt *vel* fuerint.

POTENTIALIS MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Amer, ameris *vel* amere, etc.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Amarer, amareris *vel* amarere, etc.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Amatus, ta, tum sim *vel* fuerim, etc.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Amatus, ta, tum essem *vel* fuissem, etc.

FUTURUM.

Amatus, ta, tum sim *vel* fuerim, etc.

PERMISSIVI SIVE CONCESSIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Amer, ameris *vel* amere, etc.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Amarer, amareris *vel* amarere, etc.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Amatus, ta, tum sim *vel* fuerim, etc.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Amatus, ta, tum essem *vel* fuissem, etc.

FUTURUM.

Amatus, ta, tum fuero, etc.

INFINITI MODI

TEMPUS PRÆSENS ET PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Amari.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Amatum, tam, tum esse *vel* fuisse.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Amatum, tam, tum esse *vel* fuisse.

FUTURUM.

Amatum iri, *vel* amandum, am, um esse.

71. Posteriorem circuitionem, quæ ex participio in *dus* fit, non reperi apud veteres grammaticos, quos quidem legerim. Probus namque, Donatus, Priscianus priore contenti fuerunt; Diomedes, l. I, p. 347, in exemplo primæ dumtaxat conjugationis : « *Amatum iri*, inquit, vel *amandum esse.* » Neque miror esse prætermissam, cum voces *dus* et *dum*, etiam cum sextum casum post se habent, necessitatem et officium potius quam futurum tempus adsignificare videantur. Cic., II de Leg. agr., c. 35, 95 : « Hæc qui prospexerint, majores nostros dico, Quirites, non eos in Deorum immortalium numero *venerandos* a nobis et *colendos* putatis ? » Verum, cum Quintilianus, l. IX, c. 3, 64, *gerendum* in illo Virgilii carmine, Æn. III, v. 234 :

> Sociis tunc arma capessant,
> Edico, et dira bellum cum gente *gerendum*,

doceat esse participium, non putavi prætermittendum; qua de re quid sentiam, apertius in Participio dicam.

PARTICIPIA PRÆTERITI TEMPORIS.

Amatu, *addita* s; *cætera eodem modo.*

Amatus, ta, tum.

FUTURUM.

Amans, amantis, tis *in* dus, da, dum; *sic in cæteris.*

Amandus, da, dum.

SECUNDA CONJUGATIO

DOCEO, VERBUM ACTIVUM,

modi indicativi, temporis præsentis, numeri singularis, personæ primæ, conjugationis secundæ, sic declinabitur :

72. INDICATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Doceo,
Doces,
Docet.
Plur. Docemus,
Docetis,
Docent.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Sing. Docebam,
Docebas,
Docebat.
Plur. Docebamus,
Docebatis,
Docebant.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Docui,
Docuisti,
Docuit.
Plur. Docuimus,
Docuistis,
Docuerunt *vel* docuere.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing. Docueram,
Docueras,
Docuerat.
Plur. Docueramus,
Docueratis,
Docuerant.

FUTURUM.

Sing. Docebo,
Docebis,
Docebit.
Plur. Docebimus,
Docebitis,
Docebunt.

IMPERATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Doce *vel* doceto,
Doceat.
Plur. Doceamus,
Docete *vel* docetote,
Doceant.

FUTURUM SIVE MODUS MANDATIVUS.

Sing. Doceto tu *vel* docebis,
Doceto ille *vel* docebit.
Plur. Docetote *vel* docebitis,
Docento *vel* docebunt.

OPTATIVI MODI

PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Sing. Utinam Docerem,
Doceres,
Doceret.
Plur. Utinam Doceremus,
Doceretis,
Docerent.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Utinam Docuerim,
Docueris,
Docuerit.
Plur. Utinam Docuerimus,
Docueritis,
Docuerint.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing. Utinam Docuissem,
Docuisses,
Docuisset.
Plur. Utinam Docuissemus,
Docuissetis,
Docuissent.

FUTURUM.

Doceo, *o in* am; *sic* legam, audiam.

Sing. Utinam Doceam,
Doceas,
Doceat.
Plur. Utinam Doceamus,
Doceatis,
Doceant.

CONJUNCTIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Cum Doceam,
Doceas,
Doceat.
Plur. Cum Doceamus,
Doceatis,
Doceant.

Quamvis doceam, si doceam, nisi doceam.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Sing. Cum Docerem,
Doceres,
Doceret.
Plur. Cum Doceremus,
Doceretis,
Docerent.

Si docerem.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Cum Docuerim,
Docueris,
Docuerit.
Plur. Cum Docuerimus,
Docueritis,
Docuerint.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing. Cum Docuissem,
Docuisses,
Docuisset.
Plur. Cum Docuissemus,
Docuissetis,
Docuissent.

FUTURUM.

Sing. Cum Docuero,
Docueris,
Docuerit.
Plur. Cum Docuerimus,
Docueritis,
Docuerint.

POTENTIALIS MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Doceam, doceas, etc.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Docerem, doceres, etc.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Docuerim, docueris, etc.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Docuissem, docuisses, etc.

FUTURUM.

Docuerim, docueris, etc.

PERMISSIVI SIVE CONCESSIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Doceam, doceas, etc.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Docerem, doceres, etc.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Docuerim, docueris, etc.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Docuissem, docuisses, etc.

FUTURUM.

Docuero, docueris, etc.

FUTURUM ALITER.

Docuerim, docueris, etc.

INFINITI MODI

PRÆSENS ET PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Docere.

PRÆTERITUM PERFECTUM ET PLUSQUAM PERFECTUM.

Docuisse.

FUTURUM.

Docturum, ram, rum esse.

GERUNDIA.

Docendi,
Docendo,
Docendum.

SUPINA.

Doctum.
Doctu.

PARTICIPIA DECLINATIONIS ACTIVÆ, TEMPORIS PRÆSENTIS ET IMPERFECTI.

Docens, docentis.

FUTURI.

Docturus, ra, rum.

DOCEOR, VERBUM PASSIVUM,

sic declinabitur :

73. INDICATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Doceor,
Doceris *vel* docere,
Docetur.
Plur. Docemur,
Docemini,
Docentur.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Sing. Docebar,
Docebaris *vel* docebare,
Docebatur.
Plur. Docebamur,
Docebamini,
Docebantur.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Doctus, ta, tum sum *vel* fui,
Doctus, ta, tum es *vel* fuisti,
Doctus, ta, tum est *vel* fuit.
Plur. Docti, tæ, ta sumus *vel* fuimus,
Docti, tæ, ta estis *vel* fuistis,
Docti, tæ, ta sunt, *vel* fuerunt, *vel* fuere.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing. Doctus, ta, tum eram *vel* fueram,
Doctus, ta, tum eras *vel* fueras,
Doctus, ta, tum erat *vel* fuerat.
Plur. Docti, tæ, ta eramus *vel* fueramus,
Docti, tæ, ta eratis *vel* fueratis,
Docti, tæ, ta erant *vel* fuerant.

FUTURUM.

Sing. Docebor,
Doceberis *vel* docebere,
Docebitur.
Plur. Docebimur,
Docebimini,
Docebuntur.

IMPERATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Docere *vel* docetor,
Doceatur.
Plur. Doceamur,
Docemini *vel* doceminor,
Doceantur.

FUTURUM SIVE MODUS MANDATIVUS.

Sing. Docetor tu,
Doceberis *vel* docebere,
Docetor ille *vel* docebitur.
Plur. Doceminor *vel* docebimini,
Docentor *vel* docebuntur.

OPTATIVI MODI

PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Sing. Utinam Docerer,
Docereris *vel* docerere,
Doceretur.
Plur. Utinam Doceremur,
Doceremini,
Docerentur.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Utinam Doctus, ta, tum sim *vel* fuerim,
Doctus, ta, tum sis *vel* fueris,
Doctus, ta, tum sit *vel* fuerit.
Plur. Utinam Docti, tæ, ta simus *vel* fuerimus,
Docti, tæ, ta sitis *vel* fueritis,
Docti, tæ, ta sint *vel* fuerint.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing. Utinam Doctus, ta, tum essem *vel* fuissem,
Doctus, ta, tum esses *vel* fuisses,
Doctus, ta, tum esset *vel* fuisset.
Plur. Utinam Docti, tæ, ta essemus *vel* fuissemus,
Docti, tæ, ta essetis *vel* fuissetis,
Docti, tæ, ta essent *vel* fuissent.

FUTURUM.

Sing. Utinam Docear,
Docearis *vel* doceare,
Doceatur.
Plur. Utinam Doceamur,
Doceamini,
Doceantur.

CONJUNCTIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Doceam, m *in* r; *sic* legar, audiar.

Sing. Cum Docear,
Docearis *vel* doceare,
Doceatur.
Plur. Cum Doceamur,
Doceamini,
Doceantur.

Quamvis docear, si docear.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Sing. Cum Docerer,
Docereris *vel* docerere,
Doceretur.
Plur. Cum Doceremur,
Doceremini,
Docerentur.

Si docerer.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Cum Doctus, ta, tum sim *vel* fuerim,
Doctus, ta, tum sis *vel* fueris,
Doctus, ta, tum sit *vel* fuerit.
Plur. Cum Docti, tæ, ta simus *vel* fuerimus,
Docti, tæ, ta sitis *vel* fueritis,
Docti, tæ, ta sint *vel* fuerint.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing. Cum Doctus, ta, tum essem *vel* fuissem,
Doctus, ta, tum esses *vel* fuisses,
Doctus, ta, tum esset *vel* fuisset.
Plur. Cum Docti, tæ, ta essemus *vel* fuissemus,
Docti, tæ, ta essetis *vel* fuissetis,
Docti, tæ, ta essent *vel* fuissent.

FUTURUM.

Sing. Cum Doctus, ta, tum ero *vel* fuero,
Doctus, ta, tum eris *vel* fueris,
Doctus, ta, tum erit *vel* fuerit.
Plur. Cum Docti, tæ, ta erimus *vel* fuerimus,
Docti, tæ, ta eritis *vel* fueritis,
Docti, tæ, ta erunt *vel* fuerint.

POTENTIALIS MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Docear, docearis *vel* doceare, etc.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Docerer, docereris *vel* docerere, etc.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Doctus, ta, tum sim *vel* fuerim, etc.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Doctus, ta, tum essem *vel* fuissem, etc.

FUTURUM.

Doctus, ta, tum sim *vel* fuerim, etc.

PERMISSIVI SIVE CONCESSIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Docear, docearis *vel* doceare, etc.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Docerer, docereris *vel* docerere, etc.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Doctus, ta, tum sim *vel* fuerim, etc.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Doctus, ta, tum essem *vel* fuissem, etc.

FUTURUM.

Doctus, ta, tum fuero, etc.

INFINITI MODI

PRÆSENS ET PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Doceri.

PRÆTERITUM PERFECTUM ET PLUSQUAM PERFECTUM.

Doctum, tam, tum esse *vel* fuisse.

FUTURUM.

Doctum iri, *vel* docendum, dam, dum esse.

PARTICIPIA PRÆTERITI.

Doctus, ta, tum.

FUTURI.

Docendus, da, dum.

TERTIA CONJUGATIO

LEGO, VERBUM ACTIVUM,

modi indicativi, temporis præsentis, numeri singularis, personæ primæ, conjugationis tertiæ, sic declinabitur :

74. INDICATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Lego,
Legis,
Legit.
Plur. Legimus,
Legitis,
Legunt.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Lego, o *in* e *et addita* bam; *sic* audiebam.

Sing. Legebam,
Legebas,
Legebat.
Plur. Legebamus,
Legebatis,
Legebant.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Legi,
Legisti,
Legit.
Plur. Legimus,
Legistis,
Legerunt *vel* legere.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing. Legeram,
Legeras,
Legerat.
Plur. Legeramus,
Legeratis,
Legerant.

FUTURUM.

Lego, o *in* am; *sic* audiam.

Sing. Legam,
Leges,
Leget.
Plur. Legemus,
Legetis,
Legent.

IMPERATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Legis, is *in* e.

Sing. Lege *vel* legito.
Legat.
Plur. Legamus,
Legite *vel* legitote,
Legant.

FUTURUM SIVE MODUS MANDATIVUS.

Sing. Legito tu *vel* leges,
Legito ille *vel* leget.
Plur. Legitote *vel* legetis,
Legunto *vel* legent.

OPTATIVI MODI

PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Sing. Utinam Legerem,
Legeres,
Legeret.
Plur. Utinam Legeremus,
Legeretis,
Legerent.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Utinam Legerim,
Legeris,
Legerit.
Plur. Utinam Legerimus,
Legeritis,
Legerint.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing. Utinam Legissem,
Legisses,
Legisset.
Plur. Utinam Legissemus,
Legissetis,
Legissent.

FUTURUM.

Sing. Utinam Legam,
Legas,
Legat.
Plur. Utinam Legamus,
Legatis,
Legant.

CONJUNCTIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Cum Legam,
Legas,
Legat.
Plur. Cum Legamus,
Legatis,
Legant.

Quamvis legam, si legam.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Sing. Cum Legerem,
Legeres,
Legeret.
Plur. Cum Legeremus,
Legeretis,
Legerent.

Si legerem.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Cum Legerim,
Legeris,
Legerit.
Plur. Cum Legerimus,
Legeritis,
Legerint.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing. Cum Legissem,
Legisses,
Legisset.
Plur. Cum Legissemus,
Legissetis,
Legissent.

FUTURUM.

Sing. Cum Legero,
Legeris,
Legerit.

Plur. Cum Legerimus,
Legeritis,
Legerint.

POTENTIALIS MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Legam, legas, etc.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Legerem, legeres, etc.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Legerim, legeris, etc.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Legissem, legisses, etc.

FUTURUM.

Legerim, legeris, etc.

PERMISSIVI SIVE CONCESSIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Legam, legas, etc.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Legerem, legeres, etc.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Legerim, legeris, etc.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Legissem, legisses, etc.

FUTURUM.

Legero, legeris, etc.

INFINITI MODI

PRÆSENS ET PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Legere.

PRÆTERITUM PERFECTUM ET PLUSQUAM PERFECTUM.

Legisse.

FUTURUM.

Lecturum, ram, rum esse.

GERUNDIA.

Legendi,
Legendo,
Legendum.

SUPINA.

Lectum,
Lectu.

PARTICIPIA DECLIN. ACTIVÆ, PRÆSENTIS ET IMPERF.

Legens, legentis.

FUTURI.

Lecturus, ra, rum.

LEGOR, VERBUM PASSIVUM,

sic declinabitur :

75. INDICATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Legor,
Legeris *vel* legere,
Legitur.
Plur. Legimur,
Legimini,
Leguntur.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Sing. Legebar,
Legebaris *vel* legebare,
Legebatur.
Plur. Legebamur,
Legebamini,
Legebantur.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Lectus, a, um sum *vel* fui,
Lectus, a, um es *vel* fuisti,
Lectus, a, um est *vel* fuit.
Plur. Lecti, æ, a sumus *vel* fuimus,
Lecti, æ, a estis *vel* fuistis,
Lecti, æ, a sunt, *vel* fuerunt, *vel* fuere.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing. Lectus, a, um eram *vel* fueram,
Lectus, a, um eras *vel* fueras,
Lectus, a, um erat *vel* fuerat.
Plur. Lecti, æ, a eramus *vel* fueramus,
Lecti, æ, a eratis *vel* fueratis,
Lecti, æ, a erant *vel* fuerant.

FUTURUM.

Sing. Legar,
Legeris *vel* legere,
Legetur.
Plur. Legemur,
Legemini,
Legentur.

IMPERATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Legere *vel* legitor,
Legatur.
Plur. Legamur,
Legimini *vel* legiminor,
Legantur.

FUTURUM SIVE MODUS MANDATIVUS.

Sing. Legitor tu, legeris *vel* legere,
Legitor ille *vel* legetur.
Plur. Legiminor *vel* legimini,
Leguntor *vel* legentur.

OPTATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Sing. Utinam Legerer,
Legereris *vel* legerere,
Legeretur.
Plur. Utinam Legeremur,
Legeremini,
Legerentur.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Utinam Lectus, a, um sim *vel* fuerim,
Lectus, a, um sis *vel* fueris,
Lectus, a, um sit *vel* fuerit.
Plur. Utinam Lecti, æ, a simus *vel* fuerimus,
Lecti, æ, a sitis *vel* fueritis,
Lecti, æ, a sint *vel* fuerint.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing. Utinam Lectus, a, um essem *vel* fuissem,
Lectus, a, um esses *vel* fuisses,
Lectus, a, um esset *vel* fuisset.
Plur. Utinam Lecti, æ, a essemus *vel* fuissemus,
Lecti, æ, a essetis *vel* fuissetis,
Lecti, æ, a essent *vel* fuissent.

FUTURUM.

Sing. Utinam Legar,
Legaris *vel* legare,
Legatur.
Plur. Utinam Legamur,
Legamini,
Legantur.

CONJUNCTIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Cum Legar,
Legaris *vel* legare,
Legatur.
Plur. Cum Legamur,
Legamini,
Legantur.

Quamvis legar, si legar.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Sing. Cum Legerer,
Legereris *vel* legerere,
Legeretur.
Plur. Cum Legeremur,
Legeremini,
Legerentur.

Si legerer.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Cum Lectus, a, um sim *vel* fuerim,
Lectus, a, um sis *vel* fueris,
Lectus, a, um sit *vel* fuerit.
Plur. Cum Lecti, æ, a simus *vel* fuerimus,
Lecti, æ, a sitis *vel* fueritis,
Lecti, æ, a sint *vel* fuerint.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing. Cum Lectus, a, um essem *vel* fuissem,
Lectus, a, um esses *vel* fuisses,
Lectus, a, um esset *vel* fuisset.

Plur. Cum Lecti, æ, a essemus *vel* fuissemus,
Lecti, æ, a essetis *vel* fuissetis,
Lecti, æ, a essent *vel* fuissent.

FUTURUM.

Sing. Cum Lectus, a, um ero *vel* fuero,
Lectus, a, um eris *vel* fueris,
Lectus, a, um erit *vel* fuerit.
Plur. Cum Lecti, æ, a erimus *vel* fuerimus,
Lecti, æ, a eritis *vel* fueritis,
Lecti, æ, a erunt *vel* fuerint.

POTENTIALIS MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Legar, legaris *vel* legare, etc.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Legerer, legereris *vel* legerere, etc.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Lectus, a, um sim *vel* fuerim, etc.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Lectus, a, um essem *vel* fuissem, etc.

FUTURUM.

Lectus, a, um sim *vel* fuerim, etc.

PERMISSIVI SIVE CONCESSIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Legar, legaris *vel* legare, etc.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Legerer, legereris *vel* legerere, etc.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Lectus, a, um sim *vel* fuerim, etc.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Lectus, a, um essem *vel* fuissem, etc.

FUTURUM.

Lectus, a, um fuero, etc.

INFINITI MODI

PRÆSENS ET PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Legere, ere *in* i, *fit* legi.
Legi.

PRÆTERITUM PERFECTUM ET PLUSQUAM PERFECTUM.

Lectum, am, um esse *vel* fuisse.

FUTURUM.

Lectum iri, *vel* legendum, am, um esse.

PARTICIPIA PRÆTERITI.

Lectus, a, um.

FUTURI.

Legendus, a, um.

QUARTA CONJUGATIO

AUDIO, VERBUM ACTIVUM,

modi indicativi, temporis præsentis, numeri singularis, personæ primæ, conjugationis quartæ, sic declinabitur :

76. INDICATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Audio,
Audis,
Audit.
Plur. Audimus,
Auditis,
Audiunt.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Sing. Audiebam,
Audiebas,
Audiebat.
Plur. Audiebamus,
Audiebatis,
Audiebant.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Audivi,
Audivisti,
Audivit.
Plur. Audivimus,
Audivistis,
Audiverunt *vel* audivere.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing. Audiveram,
Audiveras,
Audiverat.
Plur. Audiveramus,
Audiveratis,
Audiverant.

FUTURUM.

Sing. Audiam,
Audies,
Audiet.
Plur. Audiemus,
Audietis,
Audient.

IMPERATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Audi *vel* audito,
Audiat.
Plur. Audiamus,
Audite *vel* auditote,
Audiant.

FUTURUM.

Sing. Audito tu *vel* audies,
Audito ille *vel* audiet.
Plur. Auditote *vel* audietis,
Audiunto *vel* audient.

OPTATIVI MODI

PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Sing. Utinam Audirem,
Audires,
Audiret.

Plur. Utinam Audiremus,
Audiretis,
Audirent.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Utinam Audiverim,
Audiveris,
Audiverit.
Plur. Utinam Audiverimus,
Audiveritis,
Audiverint.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing. Utinam Audivissem,
Audivisses,
Audivisset.
Plur. Utinam Audivissemus,
Audivissetis,
Audivissent.

FUTURUM.

Sing. Utinam Audiam,
Audias,
Audiat.
Plur. Utinam Audiamus,
Audiatis,
Audiant.

CONJUNCTIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Cum Audiam,
Audias,
Audiat.
Plur. Cum Audiamus,
Audiatis,
Audiant,

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Sing. Cum Audirem,
Audires,
Audiret.
Plur. Cum Audiremus,
Audiretis,
Audirent.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Cum Audiverim,
Audiveris,
Audiverit.
Plur. Cum Audiverimus,
Audiveritis,
Audiverint.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing. Cum Audivissem,
Audivisses,
Audivisset.
Plur. Cum Audivissemus,
Audivissetis,
Audivissent.

FUTURUM.

Sing. Cum Audivero,
Audiveris,
Audiverit.
Plur. Cum Audiverimus,
Audiveritis,
Audiverint.

POTENTIALIS MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Audiam, audias, etc.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Audirem, audires, etc,

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Audiverim, audiveris, etc.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Audivissem, audivisses, etc.

FUTURUM.

Audiverim, audiveris, etc.

PERMISSIVI SIVE CONCESSIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Audiam, audias, etc.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Audirem, audires, etc.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Audiverim, audiveris, etc.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Audivissem, audivisses, etc.

FUTURUM.

Audivero, audiveris, etc.

FUTURUM ALITER.

Audiverim, audiveris, etc.

INFINITI MODI

PRÆSENS ET PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Audire.

PRÆTERITUM PERFECTUM ET PLUSQUAM PERFECTUM.

Audivisse.

FUTURUM.

Auditurum, am, um esse.

GERUNDIA.

Audiendi,
Audiendo,
Audiendum.

SUPINA.

Auditum,
Auditu.

PARTICIPIA DECLINATIONIS ACTIVÆ

PRÆSENTIS ET IMPERFECTI.

Audiens, audientis.

FUTURI.

Auditurus, a, um.

AUDIOR, VERBUM PASSIVUM,

sic declinabitur :

77. INDICATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Audior,
Audiris *vel* audire,
Auditur.
Plur. Audimur,
Audimini,
Audiuntur.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Sing. Audiebar,
Audiebaris *vel* audiebare,
Audiebatur.
Plur. Audiebamur,
Audiebamini,
Audiebantur.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Auditus, a, um sum *vel* fui,
Auditus, a, um es *vel* fuisti,
Auditus, a, um est *vel* fuit.
Plur. Auditi, æ, a sumus *vel* fuimus,
Auditi, æ, a estis *vel* fuistis,
Auditi, æ, a sunt, *vel* fuerunt, *vel* fuere.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing. Auditus, a, um eram *vel* fueram,
Auditus, a, um eras *vel* fueras,
Auditus, a, um erat *vel* fuerat.
Plur. Auditi, æ, a eramus *vel* fueramus,
Auditi, æ, a eratis *vel* fueratis,
Auditi, æ, a erant *vel* fuerant.

FUTURUM.

Sing. Audiar,
Audieris *vel* audiere,
Audietur.
Plur. Audiemur,
Audiemini,
Audientur.

IMPERATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Audire *vel* auditor,
Audiatur.
Plur. Audiamur,
Audimini *vel* audiminor,
Audiantur.

FUTURUM SIVE MODUS MANDATIVUS.

Sing. Auditor tu, audieris *vel* audiere,
Auditor ille *vel* audietur.
Plur. Audiminor *vel* audiemini,
Audiuntor *vel* audientur.

OPTATIVI MODI

PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Sing. Utinam Audirer,
Audireris *vel* audirere,
Audiretur.
Plur. Utinam Audiremur,
Audiremini,
Audirentur.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Utinam Auditus, a, um sim *vel* fuerim,
Auditus, a, um sis *vel* fueris,
Auditus, a, um sit *vel* fuerit.
Plur. Utinam Auditi, æ, a simus *vel* fuerimus,
Auditi, æ, a sitis *vel* fueritis,
Auditi, æ, a sint *vel* fuerint.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing. Utinam Auditus, a, um essem *vel* fuissem,
Auditus, a, um esses *vel* fuisses,
Auditus, a, um esset *vel* fuisset.
Plur. Utinam Auditi, æ, a essemus *vel* fuissemus,
Auditi, æ, a essetis *vel* fuissetis,
Auditi, æ, a essent *vel* fuissent.

FUTURUM.

Sing. Utinam Audiar,
Audiaris *vel* audiare,
Audiatur.
Plur. Utinam Audiamur,
Audiamini,
Audiantur.

CONJUNCTIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Cum Audiar,
Audiaris *vel* audiare,
Audiatur.
Plur. Cum Audiamur,
Audiamini,
Audiantur.

Quamvis audiar, si audiar.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Sing. Cum Audirer,
Audireris *vel* audirere,
Audiretur.
Plur. Cum Audiremur,
Audiremini,
Audirentur.

Si audirer.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Cum Auditus, a, um sim *vel* fuerim,
Auditus, a, um sis *vel* fueris,
Auditus, a, um sit *vel* fuerit.
Plur. Cum Auditi, æ, a simus *vel* fuerimus,
Auditi, æ, a sitis *vel* fueritis,
Auditi, æ, a sint *vel* fuerint.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing. Cum Auditus, a, um essem *vel* fuissem,
Auditus, a, um esses *vel* fuisses,
Auditus, a, um esset *vel* fuisset.
Plur. Cum Auditi, æ, a essemus *vel* fuissemus,
Auditi, æ, a essetis *vel* fuissetis,
Auditi, æ, a essent *vel* fuissent.

FUTURUM.

Sing. Cum Auditus, a, um ero *vel* fuero,
Auditus, a, um eris *vel* fueris,
Auditus, a, um erit *vel* fuerit.
Plur. Cum Auditi, æ, a erimus *vel* fuerimus,
Auditi, æ, a eritis *vel* fueritis,
Auditi, æ, a erunt *vel* fuerint.

POTENTIALIS MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Audiar, audiaris *vel* audiare, etc.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Audirer, audireris *vel* audirere, etc.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Auditus, a, um sim *vel* fuerim, etc.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Auditus, a, um essem *vel* fuissem, etc.

FUTURUM.

Auditus, a, um sim *vel* fuerim, etc.

PERMISSIVI SIVE CONCESSIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Audiar, audiaris *vel* audiare, etc.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Audirer, audireris *vel* audirere, etc.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Auditus, a, um sim *vel* fuerim, etc.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Auditus, a, um essem *vel* fuissem, etc.

FUTURUM.

Auditus, a, um fuero.

INFINITI MODI

PRÆSENS ET PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Audiri.

PRÆTERITUM PERFECTUM ET PLUSQUAM PERFECTUM.

Auditum, am, um esse *vel* fuisse.

FUTURUM.

Auditum iri, *vel* audiendum, am, um esse.

PARTICIPIA PRÆTERITI.

Auditus, a, um.

FUTURI.

Audiendus, a, um.

DE VERBIS ANOMALIS

78. Quatuor conjugationum exempla sunt tanquam lex quædam atque norma, ad quam aliorum verborum declinatio dirigenda est. Quod si aliqua ab eorum regula aberraverint, *anomala* censenda sunt, hoc est, verba sine lege, norma atque regula, sive legis, normæ regulæque expertia. *Irregularia* vocant quidam; malim *dissimilia* aut *inæqualia* appellare : nam ipsa anomalia a Varrone, l. VIII, 23, 28, 34, *dissimilitudo* et *inæqualitas* dicitur, et ipsa anomala sæpenumero *dissimilia* nominat. Diomedes, l. I, p. 355, *corrupta* appellat; Donatus, edit. II, p. 1756, *inæqualia;* meminit etiam horum Quintilianus, l. I, c. 4, 29 : « Quid, inquit, quod multa verba non totum declinationis ordinem ferunt? Quædam etiam mutantur, ut *fero* in præterito. » Hæc ille. Anomala, quæ latinæ linguæ rudibus negotium possunt facessere, sunt hæc fere, et quæ ex ipsis componuntur : *Sum, Fero; Volo, vis; Edo, es, est;* quibus non immerito adjunxeris *Fio, Eo, Queo,* de quibus agit l. I, pp. 352, 356, 376, 380, Diomedes cæteris copiosius.

SUM

79. *Sum* anomalorum principatum merito obtinet : nam præterquam quod ad nullam quatuor conjugationum spectat, solius in latina lingua prima positio *um* syllaba finitur. Conflatur hoc verbum ex tribus *Esum, Fuo, Forem;* ex primo habet præsens et quæ inde oriuntur; prisci enim *Esum* pro *Sum* dicebant, ut docent personæ et tempora quorum prima litera est *e*, ut *Es, est, estis; Eram, Ero,* etc. Varro, de Ling. lat., l. IX, 100: « *Sum*, quod nunc dicitur, inquit, olim dicebatur *Esum,* et in omnibus personis constabat, quod dicebantur : *Esum, es, est; Eram, eras, erat; Ero, eris, erit.* » Hinc vetustissimi *estunt* pro *sunt* videntur dixisse. Unde Cicero, de Leg., l. III, c. 3, 9 : « Ast quando duellum gravius, discordiæve civium *estunt*, ne amplius sex menses, si senatus creverit (1). »

Ex secundo accepit præteritum *fui*, et quæ inde fiunt, et participium *futurus;* exstant etiam hodie hujus verbi vestigia. Plaut., Amph. act. III, sc. 4, v. 2 :

> Nec quisquam tam audax *fuat* homo, qui obviam ob-[sistat mihi.

Terent., Hecyr. act. IV, sc. 3, v. 610 :

> Fors *fuat*.

Virg., Æn. X, v. 108 :

> Tros Rutulusve *fuat*, nullo discrimine habebo.

Fore mutuatum est a *Forem, fores, foret*, etc., quod *essem* significat. Sed ipsum *fore* fere idem quod *futurum esse* valet; interdum tamen pro *esse*, ut *forem* pro *essem*, ponitur. Cic., de Invent., l. I, c. 22 : « Altera est, in qua rerum earum de quibus erimus dicturi, breviter expositio ponitur distributa, ex qua conficitur ut certas animo res teneat auditor, quibus dictis intelligat *fore* peroratum. » Hoc est : intelligat *esse* peroratum. Tum etiam participium in *rus* admittit. Idem, ad Att., l. V, ep. 21, 4 : « Deinde addis, si quid secus, te ad me *fore venturum.* » Porcius Latro, de cujus eloquentia meminit Plinius, l. XX, c. 57, 1, et Quintilianus, l. X, c. 5, 18 : « Lucem, ait, de domo Cornelia *proditurам fore.* » Diomedes, l. I, p. 375, putat *fore* potius a verbo prisco *Fuo* profectum esse. *Siem, sies, siet,* plena sunt, pro quibus utimur imminutis *Sim, sis, sit.* Cic., in Orat., c. 47 : « *Sies*, inquit, plenum est; *sit*, imminutum. »

(1) Lemaire, Orellius et Teubner sic habent : « AST QVANDO DVELLUM GRAVIVS, DISCORDIÆVE CIVIVM ESCVNT, ŒNVS, NE AMPLIVS SEX MENSES, SI SENATVS CREVERIT, IDEM IVRIS, QVOD DVO CONSVLES, TENETO. »

COMPOSITA EX VERBO SUM

80. Substantivum verbum initio quatuor conjugationum declinavimus. Ex eo composita, *Absum, Adsum, Desum, Intersum, Insum, Præsum, Possum, Prosum, Obsum, Subsum, Supersum,* eodem modo declinantur. *Prosum* tamen literam *d* admittit euphoniæ causa, quando simplex a vocali incipit, ut : *prodes, prodest, prodestis, proderam, prodero, prodessem, prodesse.*

Possum, in præterito, *s* mutat in *t;* non enim *posui*, sed *potui* dicimus; præterea in modo indicativo, ubi simplex a vocali incipit, *t* litera interponitur, ut *potes, potest, potestis, poteram, potero;* in cæteris modis, abjicitur vocalis, ut *possem, posse.*

Sunt præterea nonnullæ personæ, aut tempora parum usitata, ut *Infui, infuisti*, ab *Insum*, quæ, progrediente tempore, usus ipse docebit.

81. Verbum *Possum*, quoniam tironibus sæpe molestiam exhibet, non inutile fuerit plane declinare.

INDICATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Possum, potes, potest.
Plur. Possumus, potestis, possunt.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Sing. Poteram, poteras, poterat.
Plur. Poteramus, poteratis, poterant.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Potui, potuisti, potuit.
Plur. Potuimus, potuistis, potuerunt *vel* potuere.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing. Potueram, potueras, potuerat.
Plur. Potueramus, potueratis, potuerant.

FUTURUM.

Sing. Potero, poteris, poterit.
Plur. Poterimus, poteritis, poterunt.

IMPERATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Fac possis.

OPTATIVI MODI

PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Sing. Utinam Possem, posses, posset.
Plur. Utinam Possemus, possetis, possent.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Utinam Potuerim, potueris, potuerit.
Plur. Utinam Potuerimus, potueritis, potuerint.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing. Utinam Potuissem, potuisses, potuisset.
Plur. Utinam Potuissemus, potuissetis, potuissent.

FUTURUM.

Sing. Utinam Possim, possis, possit.
Plur. Utinam Possimus, possitis, possint.

CONJUNCTIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Cum Possim, possis, possit.
Plur. Cum Possimus, possitis, possint.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Sing. Cum Possem, posses, posset.
Plur. Cum Possemus, possetis, possent.

PRÆTERITUM PERFECTUM.

Sing. Cum Potuerim, potueris, potuerit.
Plur. Cum Potuerimus, potueritis, potuerint.

PRÆTERITUM PLUSQUAM PERFECTUM.

Sing. Cum Potuissem, potuisses, potuisset.
Plur. Cum Potuissemus, potuissetis, potuissent.

FUTURUM.

Sing. Cum Potuero, potueris, potuerit.
Plur. Cum Potuerimus, potueritis, potuerint.

INFINITI MODI

PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Posse.

PRÆTERITUM PERFECTUM ET PLUSQUAM PERFECTUM.

Potuisse.

Cæteris caret.

Diomedes, l. I, p. 355, et Priscianus, sup. 12 vers. Æneid. X, p. 1274, proprium præsens et futurum imperativi huic verbo tribuunt; neutrum tamen videtur usitatum. Quod si quis velit imperativo uti, eo remedio utatur licebit, quo Plautinus Pseudolus usus est in Pseud. act. I, sc. 3, v. 7:

C. Non possum. *Ps. Fac possis. C.* Quonam pacto pos-
[sim vincere animum?

Fac possis dixit, pro *potes* aut *potesto*, quæ nusquam videntur esse. Diomedes tamen, l. I, p. 355, non ausus est *potes* dicere, sed *possis*. Diximus supra, cum de imperandi specie ageremus, solere Latinos interdum præsenti conjunctivi, loco imperativi uti, ut *facias*, *accipias*, *quiescas*, *sis*, pro *fac*, *accipe*, *quiesce* vel *esto*; interdum etiam adjungere verbum *fac*, aut *rogo*, aut similia, ut : *Fac sis* memor promissi, *fac cogites*, *fac consolere*, etc. Si quando ergo verbum aliquod imperativi voce propria destituetur, ad præsens conjunctivi confugiendum erit, cui nonnunquam addemus aliud verbum, ut : *Da operam*, *labora ut possis*, *rogo te ut possis*. Nam si quis neget se posse aliquid facere, atque imperes hoc modo : *Possis*, non tam aperte significabis te jubere, quam si verbum *fac* vel *labora* addideris.

Potesse pro *posse* reperitur apud Plautum, Aul. act. II, sc. 4, v. 30 :

Censen' talentum magnum exorari *potesse*
Ab istoc sene?

Potens participium esse putat Diomedes, l. I, p. 356, ubi hoc verbum declinat, sed statim subjicit : « Quidam dicunt participia ne instantis quidem temporis habere; nam *potens* nomen est. » Idem, alibi, p. 380, affirmat *possum* neque futuri neque præsentis temporis participium habere : « *Potens*, inquit, appellatio, non participium est; est enim quod Græci dicunt ὁ δυνατός. » Duo enim tantum composita ex verbo substantivo habent participia : *præsum*, *præsens*; *absum*, *absens*.

Prisci scriptores non solum activa, sed etiam passiva declinatione usi sunt : *potestur*, *poteratur*, *possetur*, *possitur*, pro *potest*, *poterat*, *posset*, *possit* usurpantes. Lucr., l. III, v. 1023 :

Quod tamen expleri nulla ratione *potestur*.

Quadrig., Annal. I : « Cum non *possetur* decerni utrius putaretur victoria esse. » Cœlius, Ana. I : « Cum jure sine periculo bellum geri *poteratur*. » Vide Nonium, c. X, 30, 33, 34, et Diomedem, l. I, p. 380. Quidam illud Virg. Æn. VIII, v. 402 :

Quod fieri ferro, liquidove *potest* electro.

legunt *potestur* electro. Sed cum *electrum* primam habeat longam natura, ἤλεκτρον, non *potestur*, sed *potest* legendum est, ut sit spondaïcus versus.

FERO

82. Quintilianus, l. I, c. 6, 26, ubi de anomalis nominibus agit : « Quod verbis, inquit, etiam accidit, ut *Fero*, *tuli*; cujus præteritum perfectum et ulterius non invenitur. » Hæc ille. Præteritum perfectum, *tuli*, et ulterius, sive, ut grammatici loquuntur, plusquam perfectum, *tuleram*, non a *Fero*, sed a *Tollo*, quod olim *tetuli*, nunc *sustuli* facit; aut a *Tulo*, ut putat Priscianus, l. X, p. 896, deducitur.

INDICATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Activum. Fero, fers, fert.
Ferimus, fertis, ferunt.

Passivum. Feror, ferris *vel* ferre, fertur.
Ferimur, ferimini, feruntur.

IMPERFECTUM.

Act. Ferebam, ferebas, etc., *ut* Legebam, etc.
Pass. Ferebar, ferebaris *vel* ferebare, etc.

PERFECTUM.

Act. Tuli, tulisti, etc.
Pass. Latus, a, um sum *vel* fui, etc.

PLUSQUAM PERFECTUM.

Act. Tuleram, tuleras, etc.
Pass. Latus, a, um eram *vel* fueram, etc.

FUTURUM.

Act. Feram, feres, etc., *ut* Legam, leges, etc.
Pass. Ferar, fereris *vel* ferere, etc.

IMPERATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Act. Fer *vel* ferto, ferat.
Feramus, ferte *vel* fertote, ferant.
Pass. Ferte *vel* fertor, feratur.
Feramur, ferimini *vel* feriminor, ferantur.

FUTURUM SIVE MODUS MANDATIVUS.

Act. Ferto tu *vel* feres, ferto ille *vel* feret.
Fertote *vel* feretis, ferunto *vel* ferent.
Pass. Fertor tu *vel* fereris, fertor ille *vel* feretur.
Feriminor *vel* feremini, feruntor *vel* ferentur.

OPTATIVI MODI

PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Act. Utinam Ferrem, ferres, ferret.
Utinam Ferremus, ferretis, ferrent.
Pass. Utinam Ferrer, ferreris *vel* ferrere, ferretur.
Utinam Ferremur, ferremini, ferrentur.

PERFECTUM.

Act. Utinam Tulerim, tuleris, etc.
Pass. Utinam Latus, a, um sim *vel* fuerim, etc.

PLUSQUAM PERFECTUM.

Act. Utinam Tulissem, tulisses, etc.
Pass. Utinam Latus, a, um essem *vel* fuissem, etc.

FUTURUM.

Act. Utinam Feram, feras, etc.
Pass. Utinam Ferar, feraris *vel* ferare, etc.

CONJUNCTIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Act. Cum Feram, feras, etc.
Pass. Cum Ferar, feraris *vel* ferare, etc.

IMPERFECTUM.

Act. Cum Ferrem, ferres, ferret.
Cum Ferremus, ferretis, ferrent.
Pass. Cum Ferrer, ferreris *vel* ferrere, ferretur.
Cum Ferremur, ferremini, ferrentur.

PERFECTUM.

Act. Cum Tulerim, tuleris, etc.
Pass. Cum Latus, a, um sim *vel* fuerim, etc.

PLUSQUAM PERFECTUM.

Act. Cum Tulissem, tulisses, etc.
Pass. Cum Latus, a, um essem *vel* fuissem, etc.

FUTURUM.

Act. Cum Tulero, tuleris, etc.
Pass. Cum Latus, a, um ero *vel* fuero, etc.

INFINITI MODI

PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Act. Ferre.
Pass. Ferri.

PERFECTUM ET PLUSQUAM PERFECTUM.

Act. Tulisse.
Pass. Latum, am, um esse *vel* fuisse.

FUTURUM.

Act. Laturum, am, um esse.
Pass. Latum iri, *vel* ferendum, am, um esse.

GERUNDIA.

Act. Ferendi, ferendo, ferendum.

SUPINA.

Act. Latum, latu.

PARTICIPIA ACTIVÆ DECLINATIONIS : PRÆSENTIS.

Ferens, ferentis.

FUTURI.

Laturus, a, um.

PARTICIPIA PASSIVÆ DECLINATIONIS : PRÆTERITI.

Latus, a, um.

FUTURI.

Ferendus, a, um.

VOLO, VIS

83. « *Volo, vis, volui,* inquit Phocas, p. 1718, hoc quoque incertæ est conjugationis, et futuro imperativi et infiniti modi deficit, et gerundiis et participialibus, quæ supina alii dicunt. » Hæc ille. Gerundia, vel participialia, vel supina vocat Phocas, quæ recentiores duobus nominibus gerundia et supina appellant. Caret etiam, ut perspicuum est, futuro infiniti modi, participio futuri temporis.

INDICATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Volo, vis, vult.
Plur. Volumus, vultis, volunt.

IMPERFECTUM.

Sing. Volebam, volebas, volebat.
Plur. Volebamus, volebatis, volebant.

PERFECTUM.

Sing. Volui, voluisti, voluit.
Plur. Voluimus, voluistis, voluerunt *vel* voluere.

PLUSQUAM PERFECTUM.

Volueram, volueras, etc.

FUTURUM.

Sing. Volam, voles, volet.
Plur. Volemus, voletis, volent.

IMPERATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Fac velis.

OPTATIVI MODI

PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Sing. Utinam Vellem, velles, vellet.
Plur. Utinam Vellemus, velletis, vellent.

PERFECTUM.

Utinam Voluerim, volueris, etc.

PLUSQUAM PERFECTUM.

Utinam Voluissem, voluisses.

FUTURUM.

Sing. Utinam Velim, velis, velit.
Plur. Utinam Velimus, velitis, velint.

CONJUNCTIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Cum Velim, velis, velit.
Plur. Cum Velimus, velitis, velint.

IMPERFECTUM.

Sing. Cum Vellem, velles, vellet.
Plur. Cum Vellemus, velletis, vellent.

PERFECTUM.

Cum Voluerim, volueris, etc.

PLUSQUAM PERFECTUM.

Cum Voluissem, voluisses, etc.

FUTURUM.

Cum Voluero, volueris, etc.

INFINITI MODI

PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Velle.

PERFECTUM ET PLUSQUAM PERFECTUM.

Voluisse.

PARTICIPIUM PRÆSENTIS.

Volens, volentis.

Futuro *volam* utitur Cicero ad Att., l. II, ep. 25, 1 : « Cum aliquem apud te laudaro tuorum familiarium, *volam* illum scire ex te me id fecisse. » Seneca, l. IV, Contr. 28 : « Quotiens videre *volam*, in domum veniam; quotiens *volam* in domum abducam. » *Volam* pro *velim*, ut docet Nonius, c. VII, 88, solet poni. Plaut., Asin. act. I, sc. 2, v. 26 :

Meo modo loquar, quæ *volam*, quoniam intus non licitum' st mihi.

Diomedes, l. I, p. 354, tum præsens, tum futurum imperativi addit. Quod ad præsens attinet non displicet : « *Fac velis*, inquit, *velit*. Pl. *Velimus, velitis, velint.* » Donatus et nonnulli alii utrumque tempus ei adimunt. Paulo ante diximus quid agendum sit, cum imperativus voce propria destituitur : *Fac velis, peto ut velis, da operam ut velis.* Cic. ad Att., l. III, ep. 15, 8 : « Quare *fac.... ut* me *velis* esse aliquem, quoniam qui fui et qui esse potui, jam esse non possum. » Gerundia *volendi, volendo, volendum*, quæ in Donati libello (1) sunt, ab alio videntur adjecta, quibus Phocas, ut paulo ante diximus, affirmat hoc verbum carere; idem prorsus sentit Diomedes (2).

(1) Vid. n. 40.
(2) Diomedes certe hæc gerundia non habet.

NOLO, MALO

84. *Nolo* et *Malo* ex verbo *Volo* composita sunt, quasi *non volo, magis volo,* quod Cicero in Orat., c. 45, 154, docet : « Libenter etiam, inquit, copulando verba jungebant, ut : *sodes* pro *si audes; sis* pro *si vis.* Jam in uno *capsis* tria verba sunt; *ain'* pro *aisne; nequire* pro *non quire; malle* pro *magis velle; nolle* pro *non velle.* »

NOLO.

INDICATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Nolo, non vis, non vult.
Plur. Nolumus, non vultis, nolunt.

IMPERFECTUM.

Nolebam, nolebas, etc.

PERFECTUM.

Sing. Nolui, noluisti, noluit.
Plur. Noluimus, noluistis, noluerunt *vel* noluere.

PLUSQUAM PERFECTUM.

Nolueram, nolueras, etc.

FUTURUM.

Sing. Nolam, noles, nolet.
Plur. Nolemus, noletis, nolent.

IMPERATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Noli *vel* nolito, nolit.
Plur. Nolimus, nolite *vel* nolitote, nolint.

FUTURUM.

Sing. Nolito tu, nolito ille.
Plur. Nolitote, nolunto.

OPTATIVI MODI

PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Sing. Utinam Nollem, nolles, nollet.
Plur. Utinam Nollemus, nolletis, nollent.

PERFECTUM.

Noluerim, nolueris, etc.

PLUSQUAM PERFECTUM.

Noluissem, noluisses, etc.

FUTURUM.

Sing. Utinam Nolim, nolis, nolit.
Plur. Utinam Nolimus, nolitis, nolint.

CONJUNCTIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Cum Nolim, nolis, nolit.
Plur. Cum Nolimus, nolitis, nolint.

IMPERFECTUM.

Sing. Cum Nollem, nolles, nollet.
Plur. Cum Nollemus, nolletis, nollent.

PERFECTUM.

Cum Noluerim, nolueris, etc.

PLUSQUAM PERFECTUM.

Cum Noluissem, noluisses, etc.

FUTURUM.

Cum Noluero, nolueris, etc.

INFINITI MODI

PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Nolle.

PERFECTUM ET PLUSQUAM PERFECTUM.

Noluisse.

PARTICIPIUM PRÆSENTIS.

Nolens, nolentis.

« Ex hoc, inquit Diomedes, l. I, p. 381, vulgo faciunt imperativum *noli;* melius est dicere : *nolis*, *nolit*, quod ex principali ejus, *velis*, *velit*, discimus. Horat., l. I, sat. IX, v. 54 :

> . . . . . *Velis* tantummodo, quæ tua virtus,
> Expugnabis. . . . . »

Hæc ille. Mirum est, id in mentem Diomedi venisse, cum *noli*, *nolite*, crebra sint etiam apud Ciceronem. De Clar. Orat., c. 40, 148 : « *Noli*, inquam, Brute, existimare his duobus quidquam fuisse in nostra civitate præstantius. » Idem, pro Sex. Rosc. Am., c. 24, 67 : « *Nolite* enim putare quemadmodum in fabulis, etc. » Hic pro *nolimus* malim *ne velimus* dicere. Nonius Marc. docet, c. X, 6, *nolito* pro *noli* positum esse a Lucilio, l. XXX :

> *Nolito*, tibi me maledicere posse, putare.

Et, c. 7, 106, *nolitote* pro *nolite* a Sisena, Hist. l. III : « *Nolitote* mirari, quam desperata voluntate, etc.; » ubi aperte significat præsens imperativi a futuro ejusdem differre. Sed de hac re supra satis abunde dictum est.

MALO.

85. INDICATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Malo, mavis, mavult.
Plur. Malumus, mavultis, malunt.

IMPERFECTUM.

Malebam, malebas, etc.

PERFECTUM.

Malui, maluisti, etc.

PLUSQUAM PERFECTUM.

Malueram, malueras, etc.

IMPERATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Fac malis.

OPTATIVI MODI

PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Sing. Utinam Mallem, malles, mallet.
Plur. Utinam Mallemus, malletis, mallent.

PERFECTUM.

Utinam Maluerim, malueris, etc.

PLUSQUAM PERFECTUM.

Utinam Maluissem, maluisses, etc.

FUTURUM.

Sing. Utinam Malim, malis, malit.
Plur. Utinam Malimus, malitis, malint.

CONJUNCTIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Cum Malim, malis, malit.
Plur. Cum Malimus, malitis, malint.

IMPERFECTUM.

Sing. Cum Mallem, malles, mallet.
Plur. Cum Mallemus, malletis, mallent.

PERFECTUM.

Cum Maluerim, malueris, etc.

PLUSQUAM PERFECTUM.

Cum Maluissem, maluisses, etc.

FUTURUM.

Cum Maluero, malueris, etc.

INFINITI MODI

PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Malle.

PERFECTUM ET PLUSQUAM PERFECTUM.

Maluisse.

Cæteris caret.

Malam, prima persona futuri indicativi, non videtur usitata; cæteræ etiam raro, nisi fallor, reperientur; si quas has tamen invenerit, curet adjungendas, maxime has : *males, malet, malent. Malit* dixit Quintilianus, l. I, c. 5, 63, non *malet;* sic enim libri omnes correcti habent (1) : « Neque enim jam Calypsonem dixerim, ut Junonem; quanquam secutus antiquos C. Cæsar utitur hac ratione declinandi. Sed auctoritatem consuetudo superavit. In cæteris, quæ poterunt utroque modo non indecenter efferri, qui græcam figuram sequi *malit,* non latine quidem, sed citra reprehensionem loquetur. » Plautus *mavolo*, *mavellem*, *mavelim* declinavit. Asin. act. V, sc. 1, v. 9 :

. . . . Amari *mavolo,*
Mi gnate, me abs te.

Idem, Amph. act. I, sc. 3, v. 14 :

Experiri istuc *mavellem* me, quam mî memorarier.

Idem, Aul. act. IV, sc. 5, v. 1 :

Emortuum ego me *mavelim* leto malo,
Quam non ego illi dem hodie insidias seni.

(1) *Malit* habent Burmann et Capperon., notantes alios habere *mallet*; alios, inter quos Voss., *malet*; quam lectionem admiserunt Lemaire et Teubner.

EDO, ES, EST

86. *Edo, edis, edi, esum; comedo, comedis, comesi, comesum; exedo, exedis, exedi, exesum,* non discedunt a norma tertiæ conjugationis, cum omnes modos, tempora et participialia habeant. Sunt tamen, præter voces normæ congruentes, aliæ quæ ab ea aberrarunt, de quibus paucis dicendum est. Illud te admonitum velim, ut, cum apud Diomedem, l. 1, p. 358, Servium in Art. II Donati, p. 1792, aliosque hujus ordinis legeris veteres *edo, edis, edit* declinasse, hoc est, fuisse *edo,* et quæ ex eo componuntur, analoga, sive analogica (nam utroque verbo utitur Varro in libris De ling. lat, l. VIII,) apud veteres; ne existimes veteres ab eis appellari qui, ut quidam explicat, longo tempore ante Ciceronem fuerunt; cum idem ipse Cicero hæc eadem ipsa verba frequentissime usurpet. Ad Att., l. XIII, ep. 52, 1 : « Itaque et *edit,* et bibit ἀδεῶς et jucunde; opipare sane et apparate. » Idem, Tusc., l. V, c. 34, 97 : « Nec esuriens Ptolemæus *ederat.* » Idem, de Fin., l. II, c. 7, 22 : « Reperiemus asotos primum ita non religiosos, ut *edant* de patella; deinde...., » etc. Idem, ad Att., l. VI, ep. 1, 25 : « Putat enim suos nummos vos *comedisse.* » Idem, XI Philip., c. 14, 37 : « Comites vero Antonii, qui postquam beneficia Cæsaris *comederunt,* consulem designatum obsident. » Mitto alia, ne in re parum necessaria sim longus. Solent Diomedes et Servius veteres nominare etiam Ciceronem, Virgilium cæterosque florentissimæ illius ætatis, habita ratione suorum temporum. Audi ipsum Diomedem, l. I, p. 305 : « Idiomata, quæ veteres quidem per accusativum extulerunt, nos autem per dativum secundum Græcos efferimus. Activæ primæ, Objurgo filium, veteres dicebant, objurgavi; nos autem, Objurgo filio, per dativum, ut Græci. Excanto te, et incanto; nos, Excanto tibi, per dativum. Attendo legentem; nos, legenti. » *Objurgo, attendo* semper apud Ciceronem accusandi casum postulant. Et Servius in illius Virgilii Æneid. I, v. 144 :

Cymothoe, simul et Triton adnixus, acuto
Detrudunt naves scopulo;

« Annixus, inquit, antiquum est, ut connixus; quibus hodie non utimur. Dicimus nos adnisus et connisus; sed et multa alia usus contra antiquita-

tem vindicavit. » Cicero et ejus æquales, Virgilius et cæteri ejusdem ætatis, hæc fere per *x* literam scribunt. Sed, ut ad rem redeamus, verbis analogis eas personas tantum ponemus quæ anomalis respondent.

EDO.

INDICATIVI PRÆSENS.

Edo, edis *vel* es, edit *vel* est.

IMPERATIVI PRÆSENS.

Ede *vel* es.

IMPERATIVI FUTURUM.

Edito tu *vel* esto, edito ille *vel* esto.

OPTATIVI PRÆSENS.

Sing. Utinam ederem *vel* essem, esses, esset.
Plur. Utinam essemus, essetis, essent.

CONJUNCTIVI IMPERFECTUM.

Sing. Cum ederem *vel* essem, esses, esset.
Plur. Cum essemus, essetis, essent.

INFINITI PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Edere *vel* esse.

INDICATIVI PRÆSENS PASSIVUM.

Editur *vel* estur.

COMEDO.

87. INDICATIVI PRÆSENS.

Comedo, comedis *vel* comes, comedit *vel* comest.

IMPERATIVI FUTURUM.

Comedito tu *vel* comesto, comedito *vel* comesto ille.

OPTATIVI PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Sing. Utinam comederem *vel* comessem, comesses, comesset.
Plur. Utinam comessemus, comessetis, comessent.

CONJUNCTIVI IMPERFECTUM.

Sing. Cum comederem *vel* comessem, comesses, comesset.
Plur. Cum comessemus, comessetis, comessent.

INFINITI PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Comedere *vel* comesse.

Diomedes, l. I, p. 357, indicativo *estis*, imperativo *este*, *estote* addit, quæ ille fortasse alicubi reperit, neque video cur ea rejiciamus. *Es* pro *ede* dixit Plautus in Milit. act. III, sc. 1, v. 83 :

Es, bibe, animo obsequere mecum.

Cato, de Re rust., c. 156 : « Brasica est; quæ omnibus oleribus antistat; eam *esto* vel coctam vel crudam. » Ibid. : « Ante cœnam *esto* crudam quantum voles ex aceto. » Virg., Æn. IV, v. 66 :

Est mollis flamma medullas.

Idem, Georg. I, v. 150 :

Mox et frumentis labor additus, ut mala culmos
Esset robigo.

Val. Max., l. IV, c. 3, 4 : « Si Dionysium adulare velles, ista non *esses*. Imo, inquit, si tu ista *esse* velles, non adulares Dionysium. » Cic., de Orat., l. II, c. 57, 233 : « Quem cum Catulus nuper audisset, fœnum alios aiebat *esse* oportere. » Idem, de Nat. deor., l. II, c. 3, 7 : « Mergi eos (pullos) in aquam jussit, ut biberent, quoniam *esse* nollent. » Plin., l. XX, c. 35, de brasica loquens : « Et in Ægypto propter amaritudinem non *estur*. » Plaut., Mostel. act. I, sc. 3, v. 78 :

Jam ista quidem absumpta res erit, diesque noctesque
Bibitur. [*estur*,

Idem, Mostel. act. I, sc. 1, v. 11 :

Sine modo venire salvum, quem absentem *comes*.

Idem, ibid., act. III, sc. 1. v. 28 :

Tam facile vinces, quam pyrum vulpes *comest.*

Virg., in Epigr. de livore (1) :

Qui semper lacerat *comest*que mentem.

(1) Edit. Henricopetr. Basileæ 1561. Lemaire, Biblioth. class. Poet. min., t. II, p. 443, adscribit Cœlio Firmiano Symposio.

Cato, de Re rust., c. 156 : « Ubi cœnaveris, *comesto* alia quinque folia. » Cic., pro Sext., c. 51, 110 : « Usque eo non fuit popularis, ut bona solus *comesset.* » Idem, pro Flac., c. 36, 91 : « Quasi bona *comesse* Romæ non liceret. » Idem, Tusc., l. III, c. 13, 27, *exest* pro *exedit,* de ægritudine loquens, dixit : « Lacerat, *exest* animum, planeque conficit. »

FIO

88. *Facio,* verbum activum, congruenter verbis tertiæ declinationis conjugatur; habet omnes modos, tempora, gerundia, supina et participia : *faciendi, faciendo, faciendum; factum, factu; faciens, facturus;* et participia declinationis passivæ : *factus* et *faciendus;* et quæ inde fiunt, ut : *factus, a, um sum* vel *fui; eram* vel *fueram; sim* vel *fuerim; essem* vel *fuissem; ero* vel *fuero; factum, am, um esse* vel *fuisse; factum iri* vel *faciendum esse.* Habuit etiam apud priscos præsens patiendi : *Facior, faceris, facitur.* Apud Nonium, c. 10, 19, Nigidius commentatione grammatices, l. XIX : « Id quod dico est hujusmodi : ποῖει, *facit;* ποιεῖται, *facitur.* » Titinnius : « Quanta stultitia cupidinis petunt consilium bona gratia, ut *parvifaciatur.* » Varro in Cynico apud Priscianum, l. VIII, p. 790 : « Si me hercule purgant, et deorum cura non *satisfacitur* reipublicæ. »

Facior jam prorsus exolevit, in cujus locum successit verbum *Fio.*

INDICATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Fio, fis, fit.
Plur. Fimus, fitis, fiunt.

IMPERFECTUM.

Sing. Fiebam, fiebas, fiebat.
Plur. Fiebamus, fiebatis, fiebant.

PERFECTUM.

Factus, a, um sum *vel* fui, etc.

PLUSQUAM PERFECTUM.

Factus, a, um eram *vel* fueram, eras *vel* fueras, etc.

FUTURUM.

Sing. Fiam, fies, fiet.
Plur. Fiemus, fietis, fient.

IMPERATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Fac fias, fiat.
Plur. Fiamus, fiatis, fiant.

OPTATIVI MODI

PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Sing. Utinam Fierem, fieres, fieret.
Plur. Utinam Fieremus, fieretis, fierent.

PERFECTUM.

Utinam Factus, a, um sim *vel* fuerim, sis *vel* fueris, etc.

PLUSQUAM PERFECTUM.

Utinam Factus, a, um essem *vel* fuissem, esses *vel* fuisses, etc.

FUTURUM.

Sing. Utinam Fiam, fias, fiat.
Plur. Utinam Fiamus, fiatis, fiant.

CONJUNCTIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Cum Fiam, fias, fiat.
Plur. Cum Fiamus, fiatis, fiant.

IMPERFECTUM.

Sing. Cum Fierem, fieres, fieret.
Plur. Cum Fieremus, fieretis, fierent.

PERFECTUM.

Cum Factus, a, um sim *vel* fuerim, sis *vel* fueris, etc.

PLUSQUAM PERFECTUM.

Cum Factus, a, um essem *vel* fuissem, esses *vel* fuisses, etc.

FUTURUM.

Cum Factus, a, um ero *vel* fuero, eris *vel* fueris, etc.

INFINITI MODI

PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Fieri.

PERFECTUM ET PLUSQUAM PERFECTUM.

Factum, am, um esse *vel* fuisse.

FUTURUM.

Factum iri *vel* faciendum esse.

PARTICIPIUM PRÆTERITI.

Factus, a, um.

FUTURI.

Faciendus, a, um.

Voces imperativi proprie non videntur esse usitatæ. *Fite* tamen affert Nonius, c. 7, 62, ex vetustissimis. Crassus, l. XVI Iliados : « O socii, nunc *fite* viri. » Diomedes, l. I, p. 352 : *Fite, fito, fitote* declinat; malim in futuro *Fies, fiet, fietis, fient* dicere; nam hoc futurum etiam hic locum habet, ut suo loco diximus. *Fiunto* legislatoribus videtur accommodatum. Gerundia *Fiendi, fiendo, fiendum,* nescio ubi Diomedes invenit. Participium *fiens* idem, l. I, p. 377, adjungit, quo tu licet utare, cum apud probatos auctores legeris. *Fiendus, a, um,* nec ipse posuit, nec videtur usitatum.

Eodem modo declinantur composita ex verbo *facio* quæ servant *a* literam, ut *liquefacio, liquefio; calefacio, calefio; madefacio, madefio,* etc. Nam in quibus *a* litera in *i* mutatur, ut *efficio, proficio,* analoga sunt.

DIC, DUC, FAC

89. *Dice, duce, face* apud priscos in usu fuerunt, pro quibus *dic, duc, fac* utimur; quod idem de compositis dictum sit, ut *prædic, deduc,* exceptis quæ ex verbo *facio* componuntur; quæ literam *e* retinent, si in copulatione *a* mutetur in *i*, ut *effice, confice;* nam quæ *a* retinent simplex imitantur, ut *calefac.* Quint., l. I, c. 6, 21, reprehendit quemdam qui *caleface* malebat dicere, quam *calefac.* « Adjiciat, inquit, *face* et *dice,* et similia. »

Dice, duce apud comicos reperiuntur. Plaut., Rud. act. I, sc. 2, v. 36 :

Tu, si quid opus est, *dice.*

Idem, Mostel. act. I, sc. 4, v. 11 :

. . . . . *Duce* me, amabo.

Terent., Phorm. act. II, sc. 1, v. 309 :

Abi, Phædria, eum require atque *adduce* huc.

Apud Virgilium antiquitatis amantem *edice* pro *edic* legitur l. XI, v. 463 :

Tu, Voluse, armari Volscorum *edice* maniplis.

Face frequens est apud Terentium. Andr. act. IV, sc. 1, v. 681 :

. . . . . Me missum *face.*

In eadem, act. II, sc. 5, v. 409 :

. . . . . Tu *face* (1) apud te ut sis.

Item apud poetas alios, sequente vocali. Ovid., Fast. I, v. 287 :

Jane, *face* æternos pacem pacisque ministros.

Idem, Pont. l. II, ep. 2, v. 64 :

Verba *face,* ut vita, quam dedit ipse, fruar.

---

(1) Sic Rob. Stephanus, 1529, Corpus poet. latin., edit. Londin. 1688 ad usum Delphini, Juvencius. Bentlei vero, Lemaire et Teubner *fac* scribunt.

EO

90. INDICATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Sing. Eo, is, it.
Plur. Imus, itis, eunt.

IMPERFECTUM.

Sing. Ibam, ibas, ibat.
Plur. Ibamus, ibatis, ibant.

FUTURUM.

Sing. Ibo, ibis, ibit.
Plur. Ibimus, ibitis, ibunt.

GERUNDIA.

Eundi, eundo, eundum.

PARTICIPIUM PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Iens, euntis.

Ad hunc modum declinantur quæ ex *Eo* componuntur, ut *abeo, adeo, exeo, obeo, redeo, subeo : adibam, adibo, adeundi, adeundo, adeundum, adiens, adeuntis*. Tempora quæ a norma quartæ conjugationis non recedunt, intacta omisimus.

91. Præter hæc reperiuntur, apud poetas comicos præcipue, nonnulla verba quartæ conjugationis, quorum præteritum imperfectum, et futurum modi indicativi *ibam, ibo* imitantur; quorum prius crebro etiam apud Virgilium reperitur. Terent., Phorm. act. IV, sc. 1, v. 580 :

> Te mihi fidelem esse æque atque egomet sum mihi
> *Scibam*.

Scibam pro *sciebam*. — Virg., Æn. VIII, v. 160 :

> Tum mihi prima genas *vestibat* flore juventa.

Idem, ibid., X, v. 538 :

> Infula cui sacra *redimibat* tempora vitta.

Terent., Phorm. act. V, sc. 1, v. 764 :

> Nemo ex me *scibit*.

Scibit pro *sciet*. — Idem, Eun. act. IV, sc. 5, v. 725 :

> . . . . . Ego *scibo* ex hoc quid siet.

Plaut., Pœn. act. I, sc. 2, v. 97 :

> . . . Nunquam *audibis* verba tot, tam suavia.

Apud Nonium, c. 7 et 10, multa hujus generis invenies, *aperibo, operibo, paribis*, etc.

Priscianus, l. XI, p. 919, docet veteres per *ei* diphthongum scripsisse quæ in præterito imperfecto habent *i* : *adeibam, queibam, poleibam, insigneibam*, qua scribendi ratione vocalium transmutationem factam esse ostendebant, pro *adiebam, quiebam, poliebam*. Virg., Æn. VII, v. 790 :

> At levem clypeum sublatis cornibus Io
> Auro *insigneibat*.

Idem, ibid., VIII, v. 436 :

> Certatim squammis serpentum auroque *poleibunt*.

Diomedes tamen, l. I, p. 342, ait veteres hæc sine *e* litera pronuntiasse, ut apud Virgil. Æn. VII, v. 485, *nutribant* pro *nutriebant*.

Etiam gerundia verborum tertiæ declinationis in *undi, undo, undum* interdum exeunt, ut *faciundum, dicundi*; et ipsa gerundia a *gerundo*, ut placet grammaticis, quod suorum verborum constructionem gerant, dicta sunt, quæ quidem malunt *gerendia* a *gerendo* appellare.

Queo, nequeo declinantur ut verbum *Eo*, ex quo quidam putant esse composita, *Nequeo, nequis, nequit;* pl. *Nequimus, nequitis, nequeunt. Nequibam*, etc.; *nequibo*, etc. Gerundia non videntur esse in usu; participiis uteris, cum apud doctos inveneris. *Quitur* et *quitus sum*, ut Diomedes, l. I, p. 380, docet, reperiuntur apud veteres. Actius *quitus sum* posuit pro *quivi*, ut idem refert : « Nam neque pretio, neque amicitia, neque vi impelli, neque prece *quitus sum*. » Idem : « Unde omnia perdisci ac percipi *queuntur*. » Cœlius :

« Si non sarcire *quitur.* » Hæc ille. *Quitus sum*, id est, *possum; queuntur, possunt; quitur, potest.* Ut enim vetustissimi *potest* et *potestur, poterat* et *poteratur, possit* et *possitur* in eadem re dicebant; ita *quivi* et *quitus sum, quitur* et *quit.* Lucretius *queatur* pro *queat* posuit, l. I, v. 1044 :

Dum veniant aliæ, ac suppleri summa *queatur.*

Et Terent., Hecyr. act. IV, sc. 1, v. 572 :

. . . . . Nosci non *quita est;*

pro *non quivit, potuit;* et Gellius, l. XX, c. 1 : « Sævitia ista pœnæ contemni non *quita est.* » Prisci etiam *nequitur* pro *non potest* et *nequitum* dixerunt : vide exempla apud Festum.

92. Apud priscos futurum conjunctivi primæ conjugationis in syllabas *asso* desinebat, ut : *amasso, interrogasso, judicasso,* pro *amavero, interrogavero, judicavero.* Plaut., Amph. act. I, sc. 1, v. 298 :

Si me *irritassis,* hodie lumbifragium hinc auferes.

Secundæ vero conjugationis in *esso,* ut *prohibesso.* Cic., de Leg., l. III, c. 3, 6 : « Magistratus nec obedientem, et noxium civem mulcta, vinculis verberibusve coerceto; ni par majorve potestas populusve *prohibessit;* ad quos provocatio esto. »

Festus *amasso* inquit pro *amavero.* — Plaut. Milit. act. IV, sc. 2, v. 17, *amassis* dixit pro *amaveris;* apud Ciceronem, de Leg., l. III, c. 3, 6, invenies *interrogassit, judicassit, prohibessit.*

Plautus in Epid., act. III, sc. 4, v. 5, prima persona usus est :

Adulescens, si istunc hominem, quem tu quæritas
Tibi *commonstrasso,* ecquam abs te inibo gratiam?

DE VERBIS DEFECTIVIS

93. « Defectiva verborum species est, inquit Diomedes, l. I, p. 337, cum in declinatione verba deficiunt, nec habent aut omnia tempora, aut omnes numeros, aut omnes personas, aut modos. » Phocas itidem, p. 1717, *defectiva* appellat, quæ aut conjugationibus, aut modis, aut temporibus, aut personis, aut participialibus deficiuntur, numeratque inter defectiva *anomala* de quibus ante egimus. Probus etiam, l. I, p. 1407, anomala appellat *defectiva,* siquidem verbum *Sum* defectivum vocat; et ipse Diomedes, l. I, p. 354, ait *anomala* videri *defectiva.*

MEMINI, ODI, NOVI

94. Horum trium verborum præteritum etiam pro præsente accipitur; unde a Diomede, l. I, p. 353, verba temporibus confusa dicuntur; habent tantum tempora quæ a præteritis formantur, excepto *Memini*, quod habet secundam personam futuri imperativi utriusque numeri : *memento, me-*

mentote. Memineris, oderis, noveris, cum ponantur etiam pro præsenti conjunctivi, merito supplent præsens imperativi. Quod si quis ea ad futurum imperativi spectare dixerit, non ei repugnaverim. *Odi* participium habet *osus* et *osurus*. Gell. l. IV, c. 8 : « *Osus*que eum morum causa fuit. » Idem, l. I, c. 3 : « Hac, inquit, fini ames, tanquam forte fortuna *osurus*. » Utrumque tamen parum usitatum est. Composita *exosus*, *perosus* passim occurrunt.

COEPI

95. *Cœpi* præteritum tempus tantum adsignificat; nam *cœpio* in usu fuit apud priscos. Plaut., Truc. act. II, sc. 1, v. 23 :

Ubi nihil habeat, alium quæstum *cœpiat*.

Habet etiam præteritum *cœptus sum*, pro *cœpi*. Cic., de clar. Orat., c. 88, 301 : « Celeriter ad majores causas adhiberi *cœptus est*. » Item participium *cœpturus*. Quintil., l. X, c. 1, 46 : « Nos rite *cœpturi* ab Homero videmur; » et passivum *cœptus, a, um*. Diomedes, l. I, p. 353, et nonnulli addunt *pepigi*, quod tamen, ut Quintilianus docet, l. I, c. 6, 11, a verbo *pago* fit. De quo in præteritis verborum.

INQUAM

96. PRÆSENS INDICATIVI.

Sing. Inquam, inquis, inquit.
Plur. Inquimus, inquiunt.

PRÆTERITUM IMPERFECTUM.

Inquiebat.

PERFECTUM.

Inquisti.

FUTURUM.

Inquies, inquiet.

IMPERATIVUS.

Inque, inquito.

AIO

INDICATIVI PRÆSENS.

Sing. Aio, ais, ait.
Plur. Aiunt.

IMPERFECTUM.

Sing. Aiebam, aiebas, aiebat.
Plur. Aiebatis, aiebant.

IMPERATIVI PRÆSENS.

Ai.

OPTATIVI FUTURUM ET CONJUNCTIVI PRÆSENS.

Aias, aiat.

PARTICIPIUM.

Aiens, aientis.

FOREM

97. OPTATIVI PRÆSENS ET IMPERFECTUM ET CONJUNCTIVI IMPERFECTUM.

Sing. Forem, fores, foret.

Plur. Foremus, foretis, forent; *pro* Essem, esses, etc.

INFINITI FUTURUM.

Fore *pro* futurum esse.

Faxo, futurum indicativi, pro faciam.

Quæso, *quæsumus*, primam habet personam præsentis indicativi.

Ave, *avete*, *avere*; *Salve*, *salvete*, *salvere*, secundam personam imperativi utriusque numeri, et præsens infiniti habent.

Cedo, *da*, vel *dic*, secunda est imperativi.

Infit, tertia persona indicativi, pro *incipit*, vel *inquit*.

Ovat tertiam personam habet indicativi, et participium *ovans*, *ovantis*.

Defit, *defieri*, tertiam habet indicativi, et præsens infiniti.

QUÆ SEQUUNTUR AD FUTURUM OPTATIVI, VEL PRÆSENS, VEL FUTURUM CONJUNCTIVI, AUT CERTE AD PRÆSENS VEL FUTURUM MODI POTENTIALIS PERTINENT :

Faxim, faxis, faxit. *Plur.* Faxitis, faxint.
Ausim, ausis, ausit.
Edim, comedim, *pro* Edam, comedam.
Duis, duit, duint, *pro* Des, det, dent; *aut* Dederis, dederit, dederint.
Perduint, *pro* perdant.

Phocas, p. 1718, et Diomedes, l. I, p. 375, docent *inquam* primam esse positionem. Nam quod affert Prisc., l. X, p. 876, ex l. II de Orat., c. 63, 256 : « Aucupari verba oportebat, *inquio*, etc.; » videtur in librum depravatum incidisse : nam *inquo* habent libri correcti. Horat., l. I, Sat. 3, v. 66 :

> Communi sensu plane caret, *inquimus*.

Cic., Acad. Prior., l. II, c. 47, 145 : « Visum, *inquiebat*, hujusmodi est. » Cic., de Orat., l. II, c. 64, 259 : « Tu vero, *inquisti*, molestus non eris. » Terent., Heaut. act. IV, sc. 7, 1 :

> . . . . . Eccum me, *inque*.

Plaut., Aulul. act. IV, sc. 10, v. 58 :

> . . . . . Ita di faxint, *inquito*.

Inquiat non est apud auctorem ad Heren., sed *inquiet*. L. IV, c. 3, 5 : « Quid enim tibi vis? aliquis *inquiet*. » Cic., Verr. act. II, l. II, c. 18, 45 : « Ergo, *inquiet* aliquis. » *Inquies* etiam est usitatum. Cic., Att., l. VI, ep. 3 : « Nos provinciæ præfecimus Cœlium : puerum, *inquies*, et fortasse fatuum. »

Aiebam. Senec., l. IV, controv. 27 : « *Aiebam*, fili, fortius feri. » Plaut., Capt. act. III, sc. 5, v. 18 :

> Ita vosmet *aiebatis*......

Phocas, p. 1718, ait verbum *aio* præsens et imperfectum habere. Probus, l. II, p. 1482, etiam præteritum *Ai*, *aisti*, *ait* ei tribuit.

Faxo, teste Phoca, p. 1718, est futurum indicativi, sive, ut alii loquuntur, modus promissivus. Terent., Adelph. act. II, sc. III, v. 210 :

> . . . . . Cupide accipiat *faxo*.

Virg., Æn. IX, v. 154 :

> Haud sibi cum Danais, rem *faxo*, et pube Pelasga,
> Esse putent.

Prisci *Quæso, quæsis, quæsit, quæsere* declinabant. Lucret., l. V, v. 1228 :

> Non divum pacem votis adit, et prece *quæsit*
> Ventorum pavidus paces.

Quæsere ait Phocas, p. 1718, apud Sallustium et Tullium lectum esse.

Diomedes, l. I, p. 340, *avete* etiam numero multitudinis putat dici; Phocas, p. 1718, tantum singulari, *ave*. Numero tamen multitudinis etiam dici docent auctores idonei. Sueton., in Claud. Cæs., c. 20 : « Sed cum proclamantibus naumachariis : Ave, Imperator, morituri te salutant, respondisset : *Avete* vos, etc. » *Aveo,* hoc est, *concupisco,* plura habet tempora; nos hic de verbo salutandi agimus. Illud Plauti in Truc. act. II, sc. 2, v. 4 : « Non *salveo,* » putat Probus, l. II, p. 1486, ridicule personæ rustici servitum esse. Cic., Att., l. VI, ep. 2, 10 : « Valebis igitur, et valere Piliam, et Cæciliam nostram jubebis literis : *salvebis* a meo Cicerone. » Nisi quis forte dicat Ciceronem hic, ut solet, jocatum fuisse. *Aveto* est apud Sallust., c. 35, in extrema epistola Catilinæ. *Salveto* apud Plaut. in Pœn. act. V, sc. 2, v. 116:

> *Ag.* Mi patrue, salve. *Han.* Et tu *salveto*, Agorastocles.

Cedite numero multitudinis docet Probus, l. II, p. 1486, apud Plautum et antiquos comicos reperiri. — *Infit,* ut Festus ait, pro *incipit* ponitur; et fere ubique id potius quam *inquit* videtur significare. Varro in Mensural. *infio* dixerit, teste Prisciano, l. VIII, p. 843.

Defit. — Terent., Eunuch. act. II, sc. 3, v. 243 :

> Nihil cum est, nihil *defit* (1) tamen.

Idem, Hecyr. act. V, sc. 2, v. 1 :

> Nil apud me tibi.....
> *Defieri* patiar.

(1) Lemaire habet quidem in textu *deficit*; verum in Indice scripsit, ut alii, *defit.*

Plautus etiam *defiat* dixit in Menæch. act 1, sc. 4, v. 3 :

> Neque *defiat*, neque supersit.....

Prisci Romani voce quadam *im* syllaba finita utebantur, quæ modo futuro optativi, modo præsenti vel futuro conjunctivi, aut certe potentialis videtur respondere; eam declinabant hoc modo : *Comedim, comedis, comedit;* pl., *comedimus, comeditis, comedint.* Sic *eduim, duim, perduim, axim, ausim, faxim.* « *Comedim,* inquit Nonius Marcel., c. 2, 114, pro *comedam.* » Plaut. in Bacch. act. IV, sc. 4, v. 91 :

> . . . Quodque in lustris *comedim*, congræcem pater.

Cic., auctore eodem in Epist. : « Cura, si me amas, ut valeas; ne ego, te jacente, bona tua *comedim.* » Hic locus est in epist. ad Fam., l. IX, ep. 20, 3; Nonius ait ad Varronem, est jocus Ciceronis. « *Edim* ait Nonius, c. 10, 18, pro *edam.* » Cæcilius Asoto : « Nihilne tibi esse quod *edim?* » Novius in Buccula : « Quod *editis* nihil est; » pro *edatis.* Plaut. in Pœn. :

> Est domi quod *edimus*, ne nos tam contemptim con-
> [teras.

Edimus pro *edamus.*

Duis pro *dederis,* ut Festus, l. IV, ait. — *Duit* pro *det.* Plaut., Aulul. act. I, sc. 1, v. 23 :

> Ne mihi ex insidiis verba imprudenti *duit.*

Terent., Andr. act. IV, sc. 1, v. 668 :

> At tibi dii dignum factis exitium *duint!*

Liv., X, c. 19 : « Bellona, si hodie nobis victoriam *duis;* » pro *dederis.* — Plaut., Amph. act. II, sc. 2, v. 215 : *perduis* pro *perdas.* — Terent., Phorm. act. I, sc. 2, v. 123 :

> Homo confidens, qui.... Illum di omnes *perduint.*

Idem., Heaut. act. IV, sc. 6, v. 810 :

> Ut te quidem omnes dii deæque, quantum'st, Syre,
> Cum tuo istoc invento cumque incœpto *perduint!*

hoc est, *utinam perdant.*

Axim, ait Nonius, c. 10, 7, pro *egerim*. Pacuvius Peribæa : « Ut quæ egi, ago vel *axim* vorruncent bene. » *Egerim* hic accipit Nonius pro *egero* futuro conjunctivi : duplex est enim hujus futuri exitus, ut supra dictum est. — *Ausim* perspicuum est. — *Faxim* pro *fecerim* idem Nonius, c. 10, 21. Ennius Phœnicæ : « Plus miser sum, si scelestum *faxim*, quod dicam fore. » Terent., Heaut. act. I, sc. 3, v. 187 :

. . . . . Cave *faxis*, non est opus, pater.

Idem, Andr. act. IV, sc. 6, v. 754 :

. . . . . Verbum si mihi
Unum, præterquam quod ego te rogo, *faxis*, cave.

Cic., de Leg., l. II, c. 8, 19 : « Qui secus *faxit*, deus ipse vindex erit; » pro *faciet* aut *fecerit*. Liv., l. VI, c. 41 : « Quod *faxitis*, deos velim fortunare. » Cic., Att., l. XVI, ep. 1, 6 : « Dii *faxint* ut faciat ea quæ promittit. » *Faxim*, si quando pro *faciam* videtur poni, enallage est, ut *fecero* pro *faciam*. Plura inveniet, qui veterum scripta diligenter evolverit, quos arbitror *Aitis, aiebamus, aiebatis*, et alia hujus generis usurpasse.

DE VERBORUM IMPERSONALIUM DECLINATIONE

PŒNITET,

Verbum defectivum, impersonale, activæ declinationis, sic declinabitur :

98. INDICATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Pœnitet.

IMPERFECTUM.

Pœnitebat.

PERFECTUM.

Pœnituit.

PLUSQUAM PERFECTUM.

Pœnituerat.

FUTURUM.

Pœnitebit.

IMPERATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Pœniteat.

OPTATIVI MODI

PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Utinam Pœniteret.

PERFECTUM.

Utinam Pœnituerit.

PLUSQUAM PERFECTUM.

Utinam Pœnituisset.

FUTURUM.

Utinam Pœniteat.

CONJUNCTIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Cum Pœniteat.

IMPERFECTUM.

Cum Pœniteret.

PERFECTUM.

Cum Pœnituerit.

PLUSQUAM PERFECTUM.

Cum Pœnituisset.

FUTURUM.

Cum Pœnituerit.

INFINITI MODI

PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Pœnitere.

PERFECTUM ET PLUSQUAM PERFECTUM.

Pœnituisse.

GERUNDIA.

Pœnitendi,
Pœnitendo,
Pœnitendum.

PARTICIPIUM PRÆSENTIS TEMPORIS.

Pœnitens, pœnitentis.

PUGNATUR,

Verbum defectivum, impersonale, passivæ declinationis, sic declinabitur :

99. INDICATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Pugnatur.

IMPERFECTUM.

Pugnabatur.

PERFECTUM.

Pugnatum est *vel* fuit.

PLUSQUAM PERFECTUM.

Pugnatum erat *vel* fuerat.

FUTURUM.

Pugnabitur.

IMPERATIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Pugnetur.

OPTATIVI MODI

PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Utinam Pugnaretur.

PERFECTUM.

Utinam Pugnatum sit *vel* fuerit.

PLUSQUAM PERFECTUM.

Utinam Pugnatum esset *vel* fuisset.

FUTURUM.

Utinam Pugnetur.

CONJUNCTIVI MODI

TEMPUS PRÆSENS.

Cum Pugnetur.

IMPERFECTUM.

Cum Pugnaretur.

PERFECTUM.

Cum Pugnatum sit *vel* fuerit.

PLUSQUAM PERFECTUM.

Cum Pugnatum esset *vel* fuisset.

FUTURUM.

Cum Pugnatum erit *vel* fuerit.

INFINITI MODI

PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Pugnari.

PERFECTUM ET PLUSQUAM PERFECTUM.

Pugnatum esse *vel* fuisse.

FUTURUM.

Pugnatum iri.

De verbis impersonalibus agit M. Varro, l. X, 32, de Ling. lat., ubi ea appellat verba quæ tempora habent sine personis, ut : *vivatur, viveretur*. Quintilianus, l. I, c. 4, 28 : « Jam, inquit, *Itur in antiquam silvam,* nonne propriæ cujusdam rationis est? Nam quod initium ejus invenias? » Quibus verbis docet *itur* verbum impersonale esse, sive sine personis; ejus enim initium *Eor, iris* vel *ire* debuit esse, id quod nusquam est. Idem paulo inferius, 29 : « Quædam tertiæ demum personæ figura dicuntur, ut *licet, piget*. » Gellius, l. XV, c. 13, ait «*veritum,* sicut *puditum, pigitum,* non personaliter per infinitum modum a Cicerone dictum esse ; » *non personaliter* dixit pro *impersonaliter*. Phocas, ubi de verbis defectivis agit, p. 1717 : « Sunt, inquit, verba quæ personis deficiunt, et *impersonalia* dicuntur. » Diomedes de iisdem copiose agit, l. I, p. 391, eaque inter defectiva declinat. Donatus, edit. II, p. 1756, eadem tum *impersonalia,* tum *defectiva* appellat.

Quæ cum ita sint, jure optimo possent impersonalia injuriarum agere cum illis a quibus, nostra memoria, summam per injuriam, ex latini sermonis finibus fuerunt exterminata. Neque enim impersonalium nomen amittunt, etiam cum nominandi casus ea antecedit. Nisi quis putat cum Martialis, Epigr. l. XIII, ep. 59, dixit :

Tota mihi *dormitur* hiems;

et Ovidius, Metam. l. XII, v. 188 :

. . . . . Nunc tertia *vivitur* ætas;

dormitur et *vivitur* beneficio casuum nominandi de repente personalia extitisse. Si personalia facta sunt, eorum initia procul dubio inveniemus. At *Dormior, dormiris* vel *dormire; Vivor, viveris* vel *vivere,* latinis auribus inaudita sunt. Unde igitur, inquies, impersonalium nomen traxerunt? A primæ et secundæ personæ potissimum privatione, non a personæ agentis seu patientis privatione. Quod etiam Sergius in Donatum, p. 1849, docet : « *Pudet,* inquit, et *tædet* quasi defectiva posuit; in superiore autem parte impersonalia non contrarie sunt posita. Nam hoc ipsum verbum impersonale defectivum est : sublatis enim de primo verbo duabus personis, prima et secunda, tertia utique superest. » Hæc ille. Habent itaque verba impersonalia tertiam personam. Quod autem Varro ea appellavit verba sine personis, præcipuas intellexit personas.

Impersonalium maxime passivæ declinationis quædam fere nunquam admittunt casum nominandi; cujusmodi sunt : *itur, statur, egetur, caletur, servitur,* et cætera ejusdem generis, quæ potissimum sunt impersonalia, siquidem privantur utraque persona et sermonis et constructionis anteriore. Persona sermonis est aut ejus qui loquitur, ut *scribo,* aut ejus ad quem sermo dirigitur, ut *scribis*, aut ejus de quo fit sermo, ut *scribit*. Persona vero constructionis vocatur præcipue nominativus agentis seu patientis, ablativus agentis et accusativus patientis. Dicet aliquis : Subaudiuntur nominandi casus *itio, statio, calor, servire,* id est, *servitus*. Ideo dixi *fere nunquam* quæ sunt hujus generis antecedere casum, quia etiam si de-

mus posse subaudiri, nunquam tamen in publicum prodeunt. Alia sunt quæ casum interdum admittunt; qualia sunt *vivitur, pugnatur;* quæ quidem personalia tunc a grammaticis appellantur, non quod primam et secundam personam habeant; sed quod persona constructionis, id est, nominativus, ea præcedat, ut : *vita vivitur, prœlium pugnatur.* Sed, ut ante diximus, tunc etiam impersonalia dicenda sunt, cum prima et secunda persona nihilominus priventur, unde eis nomen impositum est.

Futurum infiniti modi *pœniturum esse,* et participium *pœniturus, a, um,* jam exoleverunt. Participium, sive nomen participiale, *pœnitendus, a, um,* a verbo prisco *pœniteor,* remansit, quemadmodum *pigendus, pudendus* a passivis exoletis *pigeor, pudeor.* Verba activæ passivæque declinationis solemus appellare *activœ passivœque vocis,* quo pacto veteres fere loqui consueverunt.

RUDIMENTA

SIVE DE OCTO PARTIBUS ORATIONIS

---

100. Literæ quibus utuntur Latini sunt tres et viginti : *A*, *Be*, *Ce*, *De*, *E*, *Ef*, *Ge*, *Ha*, *I*, *Kappa*, *El*, *Em*, *En*, *O*, *Pe*, *Qu*, *Er*, *Es*, *Te*, *U*, *Ix*, *Ypsilon*, *Zeta*.

Literæ dividuntur in *vocales* et *consonantes*. Vocales sunt sex : *A*, *E*, *I*, *O*, *U*, *Ypsilon*, quarum ultima tantum in dictionibus græcis locum habet, ut *Hieronymus*, *Dionysius*. Cæteræ appellantur consonantes, quod vocalibus junctæ simul sonent.

Syllaba fit ex literis una vel pluribus, ut *a-le-as*.

Syllaba quæ fit ex duabus vocalibus, vocatur *diphthongus*.

Diphthongi sunt sex : *æ*, *au*, *ei*, *eu*, *œ*, *yi*, ut : *præmium*, *aurum*, *omneis*, *Europa*, *pœna*, *Harpyia*.

Dictio fit ex syllabis, ut : *aleas*; interdum fit ex una syllaba, ut *mors*.

Oratio fit ex dictionibus, ut *Aleas fuge*; *Mortem meditare*.

QUID SIT GRAMMATICA, IN QUOT PARTES DISTRIBUATUR; QUÆ, QUOT GRAMMATICI OFFICIA, DE VARRONIS AC FABII SENTENTIA.

101. Methodus, hoc est, ratio ac via, qua emendate loquendi scribendique facultas comparatur, in quatuor partes distribuitur : *orthographiam, prosodiam, etymologiam, syntaxim;* quarum primæ litera, secundæ syllaba, tertiæ dictio subjicitur; quartæ respondet recta partium orationis inter se compositio. De Orthographia agit Fabius Quintilianus, l. I, c. 7, 1; quam idem recte scribendi scientiam nominat. De Prosodia seu accentu, eodem libro, c. 5, 22 et seqq., et l. XII, c. 10, 33. De Etymologia, quæ verborum originem inquirit, l. I, c. 6; de qua etiam tres libri M. Varronis ad Ciceronem extant. De Syntaxi, quam ille *emendatam orationem* vocat, et de vitiis ei contrariis agit eodem libro, c. 5. Pars hæc ab auctore ad Heren., l. IV, c. 12, 17, *latinitas* dicitur, quæ, ut idem definit, sermonem purum conservat ab omni vitio remotum. De eadem egit Varro, sed non extant libri; sic enim inquit in extremo libro de Etymol., l. VII, 109 : « Quoniam omnis operis de Lingua latina treis feci partes : primo, quemadmodum vocabula imposita essent rebus; secundo, quemadmodum ea in casus declinarentur; tertio, quemadmodum conjungerentur; prima parte perpetrata, ut secundam ordiri possim, huic libro faciam finem. » Idem in exordio l. VIII de Analog., 2, 1 : « Cum oratio naturæ tripartita esset, ut superioribus libris ostendi, quojus prima pars, quemadmodum vocabula rebus essent imposita; secunda, quo pacto de his declinata in discrimina ierunt; tertia, ut ea inter se ratione conjuncta sententiam efferant; prima parte exposita, de secunda incipiam, etc. »

Hodie qui hanc artem fuerint adepti, *grammatici*

nominantur. At veteres illi et germani grammatici multo longius progrediebantur, siquidem poetas atque historicos accuratissime enarrabant, quæstiones difficiles explicabant, eorum scripta acerrime judicabant, usque eo ut non solum unum aut alterum versum censoria gravitate notarent, sed etiam integrum opus, interdum pro suo jure, quasi capite damnatum perpetua oblivione obruerent. Musices, Astrologiæ, Philosophiæ bonarumque artium cognitione freti, etiam in Lucretium, Varronem, aliosque qui præcepta sapientiæ versibus tradiderunt, severe inquirebant. Eorum quatuor fuerunt officia : *lectio*, *enarratio*, *emendatio* sive *correctio*, *judicium*. Lectione auditores recreabant, enarratione erudiebant, emendatione vitia corrigebant; judicio auctores partim probabant, partim in ordinem redigebant, partim numero omnino eximebant. Hæc eorum fuisse officia auctor est M. Varro apud Diomedem, l. II, p. 421, ubi singulorum definitiones invenies. Quintil., l. I, c. 4, 3, videtur emendationem judicio subjecisse. De lectione agit idem eodem libro, c. 8, 1 et seqq., cujus etiam meminit Cicero, de Orat., l. I, c. 42, 187 : « In grammaticis poetarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidam sonus. » Hanc facultatem, quæ longo usu assiduaque exercitatione, ac veterum diligenti lectione paratur, *Historicen*, l. I, c. 9, 1, appellat Quintilianus; Diomedes, l. II, p. 421, ἐξηγητικήν, hoc est, *narrativam*, ut ipse interpretatur. Alteram vero, quæ in tradendis præceptis versatur, quam quadripartitam esse diximus, *Methodicen* eodem loco Quintilianus vocat. Diomedes, ὁριστικήν, id est, *finitivam*, quæ, ut idem ait, præcepta demonstrat.

DE LITERIS

102. A quibus primum literæ fuerint inventæ, et in Græciam atque Italiam allatæ; item quæ primo a priscis receptæ, quæ deinde a posteris additæ, docet Plinius, l. VII, c. 57, 2 et seqq. Quintilianus de literis earumque potestate ac vi agit libro I, c. 4, 6 et seqq. Priscianus totum primum librum literis ac earum attributis dicavit. Agunt de iisdem Probus, l. I, p. 1387, Diomedes, l. II, p. 415, et Donatus, edit. I, p. 1735.

Literam comitantur *nomen*, *figura*, *potestas*, *cognatio*, *ordo*. Nomen est quo unaquæque appellatur. Figura est forma qua scribitur. Potestas est vis cujusque, qua ab aliis secernitur; alia enim est vis *u*, verbi causa, cum est vocalis; alia vero cum consonantis officio fungitur. Cognatio est propinquitas quædam qua aliæ aliis permutantur; sic litera *n* in *m* mutatur, quoties ante literas *b*, *m*, *p* scribitur. *S* et *r* etiam cognatæ sunt; unde *arbos*, *honos*, *arbor*, *honor* dicimus; sunt multæ præterea cognatæ, de quibus Quintilianus et Priscianus iisdem locis agunt. Ordo quæ quibus anteponendæ aut postponendæ sint docet, id quod in syllabis proprie cernitur.

Vocales per se sonant, et quemadmodum scribuntur, ita nominantur. *I* et *u* etiam consonantium munere funguntur, idque fere cum vocalibus præponuntur, ut : *vates*, *velox*, *vita*, *vox*, *vultus*; *janua*, *jecur*, *conjicio*, *jocus*, *judex*. *I* apud Græcos perpetuo est vocalis, ut apud Hebræos, consonans. De vocalibus, quas quidam etiam sonantes, teste Diomede, l. II, p. 416, nominant, et de digamma æolico, cum de longitudine ac brevitate syllabarum, agemus copiosius.

Consonantes sunt appellatæ, propterea quod sonantibus vocalibusque adjunctæ simul sonent. Hæ ut nominentur vocalium adminiculo egent; neque enim per se positæ sua nomina nos possunt docere. Sunt itaque quædam quæ a se incipientes in vocalem desinunt, ut *Be*, *Ce*, *De*, *Ge*, *Kappa*, *Pe*, *Qu*, *Te*, quæ *mutæ* dicuntur, quod sublatis vocalibus prorsus obmutescant; unde Diomedes : « Mutæ, inquit, sunt quæ sine auxilio vocalium non possunt enuntiari. » Idem Martianus Capella, l. III, 287; idem Donatus, edit. I, p. 1736, sentit. Priscianus, l. I, p. 541, aliter explicat. Tu ipse facito periculum; connitere quantum potes, contende omnes nervos, nunquam, mihi crede, *B*, *C*, etc., seclusis vocalibus, pronuntiabis.

Sunt aliæ, quæ a vocalibus incipientes, in seipsas desinunt, ut *Ef*, *El*, *Em*, *En*, *Er*, *Es*, *Ix*; dicuntur *semivocales*, quod ipsæ per se, etiam si non plane et aperte, ut vocales, obscure tamen sonent;

siquidem *F* efflat, *M* mugit, *R* ringit, *S* sibilat. Quidam non *Ef*, sed *Fe* putant pronuntiandum, quorum errorem Quintilianus, l. XII, c. 10, 29, refellit : « Nam et illa, inquit, quæ est sexta nostrarum, pene non humana voce, vel omnino non voce potius, inter discrimina dentium efflanda est; quæ etiam cum vocalem proximam accipit, quassa quodam modo, utique quoties aliquam consonantem frangit, multo fit horridior (1). » Hanc Priscianus, l. I, p. 542, licet a vocali fateatur incipere, contra veterum tamen sententiam mutam esse existimat. Nam Probus, l. I, p. 1389, Phocas (2), Diomedes, l. II, p. 417, Donatus, edit. I, p. 1736, inter semivocales eam numerant. *F* non esse φ, hoc est *phi* græcam literam, docent duo testes, alter græcus, alter latinus. Cicero enim, ut Quintilianus inquit, l. I, c. 4, 14, pro Fundanio, « testem qui primam ejus literam dicere non posset, irridet. » Idem, l. XII, c. 10, 56 : « Sermo ipse, qui facile judicem doceat, optandus. Nec id mirum sit, cum etiam testium personis aliqua mutentur. Prudenter enim, qui cum interrogasset rusticum testem an Amphionem nosset, negante eo, detraxit aspirationem, breviavitque secundam ejus nominis syllabam, et ille eum sic optime norat. » Si eadem esset litera, non pronuntiasset græcus testis, addita aspiratione, *Phundanium*; neque latinus, *Amfiona*, sive *Ampiona*, eadem detracta.

H e numero literarum exemit M. Varro, teste Prisciano, l. I, p. 544. Quintilianus, Gellius, cum de ea loquuntur, non audent literam appellare; nam ille, l. I, c. 5, 19 : « Si *h*, inquit, litera est, non nota; » hic, l. II, c. 3 : « *H* literam, sive illam spiritum magis quam literam dici oportet, etc.; » quibus locis uterque multa de ea. Cicero in Oratore, c. 48, 160, *aspirationem* vocat : « Quin ego ipse, inquit, cum scirem ita majores locutos esse, ut nusquam nisi in vocali aspiratione uterentur, loquebar sic, ut *pulcros, Cetegos, triumpos, Cartaginem* dicerem; aliquando, idque sero, convicio aurium cum extorta mihi veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi. » Nos eam *ha* nominavimus, quæ apud Hebræos una e viginti duabus literis est, appellaturque *he*. Diomedes, l. II, p. 419, et Donatus, edit. I, p. 1737, aiunt modo aspirationis notam esse, modo consonantem, unamque e novem mutis. Verum et de ea, et de mutis, et de semivocalibus liquidisque plura cum de syllabarum dimensione agemus.

K et *q* sustulit e numero literarum Varro, ut Priscianus, l. I, p. 544, docet. Idem Priscianus, l. I, p. 543, *k, q, c* eumdem sonum, eamdem vim habere probat, earumque *k* esse supervacuam; *q* vero admissam fuisse, ut *u* literam ei subjectam liquidam esse ostenderet. Probus, l. II, p. 1449, et Donatus, edit. I, p. 1737, putant *k* scribendum esse quoties *a* sequitur, ut *kaput, kareo*. Diomedes, l. II, p. 417 : « Ex his, inquit, quibusdam supervacuæ videntur *k* et *q*, quod *c* litera harum locum possit implere. Sed invenimus in *kalendis* et quibusdam similibus nominibus, quod *k* necessario scribitur; et quod secundum consuetudinem *q* scribitur, cum in una eademque syllaba *u* litera antecedat, et habeat sibi adjunctam aliam vocalem, ut *Quirinus*. » Idem non multo post, p. 419 : « *K*, consonans muta, supervacua, qua utimur quando *a* correpta sequitur, ut *kalendæ, kaput, kalumniæ*. » Idem, p. 420 : « *Q*, consonans muta ex *c* et *u* literis composita, supervacua; qua utimur, quando *u* et altera vocalis in una syllaba junguntur, ut *Quirinus*. » Quintilianus, l. I, c. 7, 10 : « *K* quidem, inquit, in nullis verbis utendum puto, nisi quæ significat, etiam ut sola ponatur. Hoc eo non omisi, quod quidam eam, quoties *a* sequatur, necessariam credunt; cum sit *c* litera, quæ ad omnes vocales vim suam perferat. » Hæc ille. Verba illa : *nisi quæ significat, etiam ut sola ponatur*, intelligenda sunt ex iis quæ cap. 4, 9, de eadem litera scripsit : nam ubi docet quærendum esse grammaticis desintne nobis aliquæ literæ, an rursus aliæ redundent : « Ut *k*, inquit, quæ et ipsa quorumdam nominum nota est..... *koppa* apud Græcos nunc tantum in numero manet. » Hic *k*, ut vides, ait esse notam certorum nominum, hoc est, per se scribi; ut enim *A*, verbi causa, per se posita, nota est nominis Auli, *M* Marci, sic *K* kalendarum, Karthaginis et aliorum

(1) Hæc Quintiliani verba sic exscribunt Burmannus et Capperonnier, adnotantes Vossium scripsisse *vocalem proxima accipit*, et a quibusdam olim in margine additum esse « ut in hoc ipso *frango*. » Apud Lemaire et Teubner : « vocalem proxima, » et : « ut in hoc ipso *frangit*. » — « Consonans una alteram *frangere* dicitur, apud Quintil., l. I, c. 4, al. 6, cum prior posterioris sonum ac vim veluti comprimit ac imminuit, ut muta liquidam. » (Forcell., FRANGO.)

(2) Phocas, de Aspirat. (Pustch., p. 1721), literam φ habet; *F* non reperi.

quorumdam. Idem, l. XII, c. 10, 30, de *q* litera : « Duras, inquit, et illa syllabas facit, quæ ad conjungendas demum subjectas sibi vocales est utilis, alias supervacua ; ut *equos*, hac et *equum* scribimus, cum etiam ipsæ vocales duæ efficiant sonum, qualis apud Græcos nullus est, ideoque scribi illorum literis non potest. »

Quod ad literarum numerum attinet, « Quidam, inquit Diomedes, l. II, p. 418, in latino sermone tantum decem et septem esse literas crediderunt; siquidem ex viginti et tribus una aspirationis nota est *h*; una duplex, *x*; duæ supervacuæ, *k* et *q*; duæ græcæ, *y* et *z*. »

De syllabis, quæ prosodiæ respondent, suo loco, Deo juvante, dicemus. De Etymologia tres, ut dixi, libri M. Varronis ad M. Tullium extant. Constructioni tunc locus erit, cum de nominum generibus, verborumque præteritis et supinis egerimus.

PARTES ORATIONIS

103. Partes orationis sunt octo : *nomen*, *pronomen*, *verbum*, *participium*, *præpositio*, *adverbium*, *interjectio*, *conjunctio*. Harum quatuor, nomen, pronomen, verbum, participium, declinantur; reliquæ, præpositio, adverbium, interjectio, conjunctio, declinationis sunt expertes.

Non solum inter grammaticos, quorum propria hæc est controversia, sed etiam inter philosophos ipsos, de partium orationis numero parum convenit. Priscianus, l. I, p. 574, varias opiniones enumerat. Vide in eadem re Varronem, l. I de Ling. lat., Quintilianum, l. I, c. 4, 18. Nos octo, jam olim a Diomede, l. I, p. 275, Donato, edit. II, p. 1743, aliisque viris doctis receptas, amplexi sumus. Verum antequam rudi ac pingui Minerva, ut aiunt, eas describamus (neque enim Rudimenta omnibus numeris absolutæ definitiones decent), nonnulla quæ eis describendis usui esse poterunt, ex Varrone subjiciemus. Etenim libenter Ciceronem imitamur, qui, l. IV, c. 14, 1, ad Atticum sic scriptum reliquit : « Velim domum ad tuos (1) scribas ut mihi tui libri pateant, non secus ac si ipse adesses, cum cæteri, tum Varronis : est enim mihi utendum quibusdam rebus ex iis libris, ad eos quos in manibus habeo. » Is igitur Varro, cui M. Tullius, latinæ eloquentiæ lumen et ornamentum, tantum tribuit, orationis partes, l. I de Ling. lat., l. VIII, 9, hoc modo distribuit : « Duo sunt genera verborum : unum fecundum quod declinando multas ex se parit dispariles formas, ut est *Lego*, *legis*, *legam*, sic alia; alterum genus sterile, quod ex se parit nihil, ut est *etiam*, *vix*, *magis*, *cras*, *cur*. » Idem, l. X, 14 : « Prima divisio in oratione, quod alia verba nusquam declinantur, ut hæc : *vix*, *mox*; alia declinantur, ut ab limo, *limabo*; a fero, *ferebam*..... Secunda divisio est de his verbis quæ declinari possunt, quod alia sunt a voluntate, alia a natura. Voluntatem appello, cum unusquivis a nomine alio imponit nomen, ut *Romulus*, *Romæ*. Naturam dico, cum universi acceptum nomen ab eo qui imposuit non requirimus, quemadmodum id velit declinari, sed ipsi declinamus, ut : *hujus Romæ*, *hanc Romam*..... Tertia divisio est quæ verba declinata a natura dividit in partes quatuor, in unam primam videlicet, quæ habet casus, neque tempora, ut *docilis*, *facilis*; in alteram, quæ tempora, neque casus, ut *docet*, *facit*; in tertiam, quæ utraque, ut *docens*, *faciens*; in quartam, quæ neutra, ut *docte* et *facete*. » Idem, l. VIII, 44, orationem etiam in quatuor partes sic partitur : unam, quæ habet casus; alteram, quæ habet tempora; tertiam,

(1) Lemaire, Orellius, Teubn. legunt : « Velim domum *ad te* scribas. »

quæ habet neutrum; quartam, in qua est utrumque. Idem, de Lingua latina, l. VI, 36 : « Quum verborum declinatuum genera sint quatuor : unum, quod tempora adsignificat, neque habet casus, ut ab *lego, legis, leges;* alterum, quod casus habet, neque tempora adsignificat, ut ab *lego*, *lectio* et *lector;* tertium, quod habet utrumque, et tempora et casus, ut ab *lego, legens, lecturus;* quartum, quod neutrum habet, ut ab *lego*, *lecte* et *lectissime.* » Idem, de Ling. lat., l. VIII, 11, Aristoteles orationis duas partes esse dicit, *vocabula* et *verba,* ut *homo* et *equus,* et *legit,* et *currit.* Utriusque generis, et vocabuli, et verbi, quædam priora, ut *homo, scribit;* posteriora, ut *doctus, docte;* dicitur enim *homo doctus* et *scribit docte*, etc. » Paulo inferius, 13 : « Cum de his nomen sit primum (prius enim nomen est quam verbum temporale, et reliqua posterius quam nomen et verbum : prima igitur nomina), etc. » Verbum temporale appellat id quod in tempora inclinatur : casuale enim est quod inclinatur in casus. Quoniam igitur nomen prius est quam verbum temporale, ab eo initium faciemus.

DE NOMINE

104. *Nomen* est pars orationis quæ casus habet neque tempora adsignificat, ut *musa*, *dominus.*

Nomen *proprium* est quod res proprias atque certas significat, ut *Romulus*, *Roma.*

Appellativum est quod res communes atque incertas significat, ut *rex, oppidum.*

Collectivum est quod numero singulari significat multitudinem, ut *populus*, *gens*, *turba.*

Substantivum nomen est quod per se in oratione esse potest; ut : *dux* imperat; *miles* obtemperat.

Adjectivum est quod in oratione esse non potest sine substantivo, aperte vel occulte : aperte, ut : *Dux prudens*, si *strenuos milites* dictoque audientes habeat, facile hostes superabit; — occulte, ut : Qui *tertiana* laborant, non vescuntur *bubula.* Hoc est : tertiana febri, bubula carne.

Adjectivum nomen vel habet tres formas, ut : *bonus*, *bona*, *bonum;* vel duas, ut : *brevis* et *breve;* vel unam, ut : *prudens*, *felix.*

Varro solet nomina propria simpliciter *nomina* appellare; appellativa vero, *vocabula;* item illa, *finita;* hæc, *infinita.* « Sequitur, inquit, de Ling. lat., l. VIII, 80, de nominibus, quæ differunt a vocabulis ideo quod sunt finita, ac significant res proprias, ut *Paris*, *Helena;* cum vocabula sint infinita, ac res communes designent, ut *vir*, *mulier.* » Idem, l. X, 20 : « Non idem *oppidum* et *Roma;* cum *oppidum* sit vocabulum; *Roma*, nomen. » Idem, l. VIII, 45 : « Vocabula, ut *scutum, gladium;* nomina, ut *Romulus, Remus.* » Hinc rhetores finitas quæstiones vocant, quæ constant ex nominibus quæ finita sunt, ut : An inferendum sit bellum *Carthaginiensibus?* infinitas vero, quæ vocabulis quæ infinita sunt, ut : An inferendum sit bellum *hostibus?*

105. Propria nomina distribuunt grammatici in quatuor partes : *prænomen, nomen, cognomen, agnomen,* a quibus varie explicantur. Nos dabimus operam ne a Varronis ac Ciceronis sententia discedamus. Prænomen fuit proprium cujusque; nomen, totius familiæ commune; cognomen, sive cognomentum, aut ex virtute, aut vitio, aut deni-

que eventu aliquo trahebatur. Id duplex erat : alterum, hæreditarium a majoribusque acceptum; alterum, propria sive virtute sive vitio partum; posterius vocant grammatici *agnomen*, quod videlicet hæreditario accessit, ut : *Publius Cornelius Scipio Africanus*. *Publius* prænomen propriumque est; *Cornelius* nomen est gentilitium totique Corneliæ familiæ commune; *Scipio* cognomen est hæreditarium : nam id Publius ab avo suo accepit, qui Scipio cognominatus est, quod parenti cæco pro bacillo fuisset; *Africanus* agnomen est, quod Publius sibi devicta Carthagine peperit. Cicero aliique veteres etiam hoc *cognomen* vocant, raroque *agnominis* vocabulo utuntur. Quibus agnomen erat, non solum prænomine, sed etiam agnomine ipso ab aliis discernebantur; sic P. CORNELIUS SCIPIO AFRICANUS, a fratre L. Cornelio Scipione Asiatico; et M. TULLIUS CICERO PATER PATRIÆ, a Q. Tullio Cicerone secernebantur. Neque *Tullius* proprium fuit Ciceronis nomen, ut quidam existimant, sed gentilitium; unde ipse Cicero regem Romanorum Servium Tullium gentilem suum appellat, Tusc., l. I, c. 20, 38, de Pherecide, præceptore Pythagoræ, loquens : « Fuit, inquit, meo regnante gentili. » Hic tamen *gentilis* cognominem ejusdemque nominis significat, nisi quis putet Ciceronem per jocum voluisse se ex eadem familia haberi. Nam « gentiles, ut idem in Topicis, c. 6, 29, ait, sunt qui inter se eodem nomine sunt; non est satis, qui ab ingenuis oriundi sunt, etc. » Præterea Ciceronis frater a Cornelio Nepote in vita Attici, c. 5, Q. T. Cicero appellatur. Quod si *Tullius* nomen esset proprium, quonam pacto alter ab altero distinguetur? Multo minus fuit proprium *Cicero*, neque desunt qui id affirment. Qui enim fieri potest ut et M. Tullius, et Quintus frater, et eorum filii idem proprium nomen omnes habuerint?

Nunc videamus an M. Varro nobiscum faciat, qui de Ling. lat., l. IX, 55, ubi iis respondet qui analogiam negabant esse, cum omnis natura sit aut mas, aut femina, aut neutrum, « debuisse e singulis vocibus ternas vocabulorum figuras fieri, ut *albus*, *alba*, *album*; nunc fieri in multis rebus binas, ut *Metellus*, *Metella*; *Ennius*, *Ennia*; in nonnullis singulas, ut *tragœdia*, *comœdia*; sic esse *Marcum*, *Numerium*, at *Marcam*, *Numeriam* non esse. » Idem nominibus servorum usu venire, etc. Inter alia inquit hanc vocabulorum commutationem in servis non esse necessariam, quod in eis gentilitia natura non subsit, in usu. « In nostris, inquit, IX, 59 et seqq., nominibus, qui sumus in Latio et liberi, necessaria; itaque ibi apparet analogia, ac dicitur Terentius vir, Terentia mulier. Tertium genus in prænominibus ideo non fit item, quod hæc instituta ad usum singularia, quibus discernerentur nomina gentilitia, ut a numero (liberorum) *Secunda*, *Tertia*, *Quarta*; in viris, ut *Quintus*, *Sextus*, *Decimus*; sic ab aliis rebus. Cum essent duo Terentii aut plures, discernendi causa, ut aliquid singulare haberent, notabant : forsitan ab eo qui mane natus esset, ut is *Manius* diceretur; qui luci, *Lucius*; qui post patris mortem, *Posthumus*, etc. »

Fuisse prænomen proprium cujusque, illud etiam maximo argumento est, servos, cum essent manumissi, propria et antiqua nomina primo loco retinuisse, adjectis dominorum prænominibus aut nominibus honoris causa; sic Ciceronis libertus, TIRO TULLIUS dictus est; et Pomponii, EUTYCHIDES TITUS CÆCILIUS; et Ciceronis Dionysius ex patrono et Pomponio dictus est, DIONYSIUS MARCUS POMPONIUS. De Tirone Tullio meminit Gellius l. VII, c. 3; de cæteris sic scribit Cicero ad Att., l. IV : « De Eutychide gratum, qui vetere prænomine, novo nomine T. erit Cæcilius, ut ex me et ex te junctus, Dionysius M. Pomponius. » Hoc est *Titus*, quod tuum vetus est prænomen, nunc novum erit nomen liberti tui. Vides quemadmodum *Eutychides*, nomen proprium servi, factum sit prænomen liberti; et qui ante tantum *Eutychides* erat, nunc sit, beneficio patroni, *Eutychides Titus Cæcilius?* Quod idem de Marco dictum sit, siquidem Marcus, Ciceronis prænomen, factum est nomen liberti.

Superest ut ostendamus agnomen a Cicerone cognomen vocari, erimusque uno tantum loco contenti. Africanus major in Somnio, c. 2, sic minorem alloquitur : « Videsne illam urbem quæ, parere populo romano coacta per me, renovat pristina bella, nec potest quiescere..... ad quam tu oppugnandam nunc venis pene miles? Hanc hoc biennio consul evertes, eritque *cognomen* id tibi per te partum, quod habes a nobis adhuc hæreditarium. »

« Omnia prænomina, ut inquit Donatus, edit. II, p. 1743, aut singulis literis notantur, ut *C. Cæsar*, *L. Catilina*; aut binis, ut *Cn. Pompeius*; aut ternis, ut *Sex. Roscius.* »

106. Adjectiva dicta sunt, ut Priscianus, l. II, p. 579, ait, quod propriis vel appellativis adjiciantur; quæ alii, ut Diomedes ait, l. I, p. 309, *adjectiones* vocant; Phocas, p. 1700, *accidentia* solet dicere; Probus, l. II, pp. 1474 et 1475, nomina quæ ex se aliud genus faciunt. Diomedes, l. I, p. 316, nomina dividit in *fixa* et *mobilia* : « Nomina aut fixa sunt, inquit, ut *pater, mater, frater, soror ;* aut mobilia, ut *bonus, bona, bonum; amicus, a, um;* alia nec in totum mobilia, ut *Martius, Martia; Caius, Caia; draco, dracœna; leo, leœna; gallus, gallina; rex, regina.* » Fixa appellat quæ vocantur substantiva; hæc namque fixa sunt, neque e genere in genus moventur : non enim dicimus *digitus, digita, digitum,* aut *oculus, ocula, oculum,* cujus rei causam exponit Varro, de Ling. lat., l. IX, 55; legat cui otium fuerit. Nonnulla tamen moventur e masculino in femininum, ut *magister, magistra ; dominus, domina.*

Mobilia vocat quæ adjectiva dicuntur, quod moveantur e genere alio in aliud, ut *doctus, docta, doctum; hic* et *hæc brevis,* et *hoc breve.* Accusativo, *prudentem* et *prudens; prudentes* et *prudentia.* Cum veteres singulas adjectivorum formas, ut supra diximus, per se declinaverint adhibitis articulis, ut *hic bonus, hujus boni, huic bono, hunc bonum,* etc., quam declinandi rationem etiam hodie nonnulli observant; non putavimus describenda substantiva, adjectivaque nomina more quorumdam recentiorum, substantivum videlicet esse, quod per unum aut duos articulos declinatur, etc.

VARIA ADJECTIVORUM GENERA

Interrogativum nomen est quo de re aliqua quærimus, ut *quis, uter, quantus.*

Interrogativum substantiæ est cui respondemus per nomen substantivum, vel pronomen demonstrativum, ut *quis, quæ, quod; uter, utra, utrum. Quis* hic loquitur? Davus; ille.

Interrogativum accidentis est cui respondemus per nomen adjectivum, ut *quantus, qualis, quot, quotus; cujus, cuja, cujum; cujas. Qualis* fuit Hector? Fortis, magnanimus.

Relativum est quod nomen antecedens in memoriam reducit; id duplex est : substantiæ et accidentis. — *Relativum substantiæ* est quod nomen substantivum in memoriam reducit, ut *qui, quæ, quod.* Lego Ciceronem, *qui* fuit eloquentissimus Romanorum. — *Relativum accidentis* est quod in memoriam reducit nomen adjectivum, ut *quantus, qualis, quot.* Cicero fuit eloquens, *qualis* fuit Hortensius.

Redditiva sunt *tantus, talis, tot, totidem,* quæ relativis *quantus, qualis, quot* ante vel post redduntur, ut : *Quales* in republica principes sunt, *tales* reliqui solent esse cives. Cura ut *talis* sis, *qualis* haberi cupis. *Quot* homines, *tot* sententiæ. *Totidem* ad te literas dedi, *quot* tu ad me.

Quis vel *qui, quæ, quod; uter, utra, utrum; quantus, qualis* et cætera interrogativa, quando ponuntur post verba *audio, video, scio, intelligo, nescio,* et alia ejusdem significationis, appellantur *infinita,* ut : Nescio *quis* sit. Audio *quid* dicas. Ignoro *quantus* aut *qualis* sit.

Possessivum nomen est quod aut rem possessam, aut ad aliquid pertinentem significat ut, equus *regius,* miles *Pompeianus.*

Patrium nomen est quod patriam indicat, ut *Romanus, Atheniensis.*

Gentile nomen est quod gentem vel nationem indicat, ut *Italus*, *Græcus*.

Partitivum nomen est quod aut unum ex multis significat, aut multa sigillatim. — Unum ex multis significant *quidam*, *aliquis*, *quispiam*, *quisquam*, *ullus*, *nonnullus*, *quivis*, *quilibet*, quæ etiam *particularia* vocantur. — Quæ multa sigillatim significant fere sunt universalia, ut *omnis*, *cunctus*, *quicumque*, *nemo*, *nullus*.

Nomen *numerale* est quod numerum significat, cujus variæ sunt species. — *Cardinale* est quod numerum absolute significat, ut *unus*, *duo*, *tres*. — *Ordinale* nomen est quod numerum ordine digestum significat, aut ultimum ex eo numero, ut *primus*, *secundus*, *tertius*.

Distributiva sive *divisiva* nomina sunt quæ distributionem seu divisionem significant, quibus fere utuntur oratores numero multitudinis, ut *singuli*, *bini*, *terni*, *quaterni*. Pueri, redite domum *bini* aut *terni*, ad summum *quaterni*; cavete ne *singuli* eatis. Heus tu dato victoribus *quaterna* mala, victis *singula*, ne animis concidant. *Quaterna*, id est, *unicuique quatuor*. *Singula*, hoc est, *cuique unum*.

Quis, *quantus*, *qualis* et cætera interrogativa plerique veterum existimaverunt esse pronomina, excepto Prisciano, l. XVII, pp. 1046, 1054. Varro, de Ling. lat., l. VIII, 45, *quis* appellat provocabulum, qua de re in pronominum declinatione diximus, et paulo post in pronominis descriptione apertius dicemus, et quo provocabulum a pronomine differat. Interrogativa *quoteni*, *quotuplus*, *quotuplex*, *quotennis* silentio involvimus, propterea quod sint inusitata; nam in illo Ciceronis, Att., l. XII, ep. 33 : « Is, opinor, ita partes fecit in ripa nescio *quotenorum* jugerum, ut certa pretia constitueret, quæ mihi nota non sunt; » *quotenorum* quot significat.

Cujus, *cuja*, *cujum*, usitatum quidem fuit apud veteres. Plaut., Curcul. act. II, sc. 1, v. 14 :

> *Cujam* vocem ego audio?

Terent., Andr. act. IV, sc. 6, v. 764 :

> Cedo; *cujum* puerum hic apposuisti?

Cic., Verr. act. II, l. I, c. 54, 142 : « Ut optima conditione sit is *cuja* res sit, *cujum* periculum. » Idem, l. III, c. 27, 68 : « Apronius certiorem facit stum *cuja* res erat, quid rei esset. » Virg., Ecl. III, v. 1 :

> Dic mihi, Damœta, *cujum* pecus? an Melibœi?

Ejus tamen loco fere utimur genitivo provocabuli *quis*, *quæ*, *quod*.

107. Ad *quantus* respondetur magnus, parvus, longus, brevis, etc. — Ad *qualis*, bonus, malus, peritus, imperitus, etc. — Ad *quot*, unus, duo, tres, quatuor, etc. — Ad *quotus*, primus, secundus, tertius, etc. — Ad *quoteni*, singuli, bini, terni, etc. — Ad *quotuplus*, simplus, duplus, triplus, etc. — Ad *quotuplex*, simplex, duplex, triplex, etc. — Ad *quotennis*, biennis, triennis, quadriennis, etc., et anniculus, bimus, trimus, quadrimus. — Ad *cujus*, *cuja*, *cujum*, pronomina possessiva, ut meus, tuus, suus, noster, vester; aut genitivi nominum, ut : *Cuja* est vestis? *Mea*, vel *Cæsaris*. — Ad *cujas*, nomina patriæ, vel gentilia, aut sectæ, ut : *Cujas* es? *Romanus*, *italus*, *stoicus*. Ne mirentur tirones idem nomen et interrogativum, et relativum, et infinitum esse; diversis enim locis ac sensu id usu venit.

Quis et *quid* nunquam sunt relativa, sed aut interrogativa aut infinita.

108. Nominibus distributivis frequenter utuntur etiam oratores pro cardinalibus. Cic., de Orat., l. III, c. 51, 198 : « Itaque illi veteres..... *terna*, aut *bina*, aut nonnulli *singula* etiam verba dicebant, etc. » Idem, Verr. act. II, l. III, c. 83, 193 : « Doceas oportet aliquo in loco Siciliæ, prætore

Verre, *ternis* denariis tritici modium fuisse.» Ibid., c. 81, 188 : « Nam cum ex S.C. et ex legibus frumentum ei in cellam sumere liceret, idque frumentum senatus ita æstimasset, *quaternis* HS tritici modium; *binis*, hordei; etc. » Ibid., 189 : «Cum in Sicilia HS II tritici modius esset; summum HS *ternis*.» Interdum in eadem re cardinalibus utitur. Ibid., c. 85, 196 : « Nam ego *tribus* denariis non possum vendere. » Ibid., c. 92, 215 : «Antonius *tribus* denariis æstimavit. » Varro, de Ling. lat., l. V. 173 : « Denarii, quod *denos* æris valebant; quinarii, quod *quinos*. » Idem, l. IX, 101 : « Etiam hoc reprehendunt, quod quædam verba neque personas habent *ternas*, neque tempora *terna*. » Idem, l. VIII, 47 : « Nempe esse oportebat vocis formas *ternas*, ut in hoc : Humanus, humana, humanum; sed habent quædam *binas*, ut : Cervus, cerva; quædam singulas, ut Aper; et sic multa.» Sic Plinius frequenter loquitur l. VIII, c. 54, 2, de Ursis : « Ideo mares *quadragenis* diebus latent; feminæ, *quaternis* mensibus. » Idem, l. IX, c. 2, 1 : «Balænæ *quaternum* jugerum, pristes *ducenum* cubitorum. » Itaque hæc nomina, cum simpliciter numerum significant, non solum junguntur cum iis quæ numero singulari carent, ut : *binæ, ternæ, literæ, scalæ; bina, terna castra*, et cæteris ejusdem generis; sed etiam cum iis quæ utrumque numerum habent, ut ante planum factum est. Leguntur etiam numero singulari, maxime apud poetas et historicos. Virg., Æn. V, v. 120 :

. . . . . *Terno* consurgunt ordine remi.

Idem, Æn. X, v. 207 :

It gravis Auletes, *centena*que arbore fluctum
Verberat assurgens.

Plin., l. XVII, c. 35, 47 : « Traduces gallica cultura bini utrinque lateribus, si pars *quadrageno* distet spatio; quaterni, si *viceno* : inter se obvii miscentur. »

DE NOMINIBUS POSITIVIS, COMPARATIVIS ET SUPERLATIVIS

109. Nomen *positivum* sive absolutum est, quod rem absolute simpliciterque significat, ut *magnus, parvus*.

Comparativum est, quod rem vel attollit, vel deprimit, ut *major, minor*.

Superlativum est, quod rem vel in summo vel infimo loco collocat, ut *maximus, minimus*.

Nomina comparativa et superlativa fiunt a nominibus adjectivis quibus adverbia *magis* et *minus* recte adjungi possunt, ut *justus, fortis*.

APPENDIX

Nomina substantiva, pronomina; item interrogativa, relativa, infinita, redditiva, possessiva, partitiva, numeralia, patria, gentilia, et quæ materiam adsignificant, ut *aureus, argenteus, cedrinus;* ad hæc *frugifer, almus, mediocris, omnipotens, medius, modicus, hesternus, fugitivus, errabundus, moribundus*, et nonnulla alia, neque comparativa neque superlativa pariunt.

A QUO CASU FORMENTUR COMPARATIVA ET SUPERLATIVA. — Comparativa fiunt a casu *i* litera finito, addita syllaba *or;* superlativa vero addita litera *s* et syllaba *simus;* ut : *Justus, justi, justior, justissimus; Fortis, forti, fortior, fortissimus.*

Exceptio I. — Positiva *er* syllaba terminata gignunt superlativa, adjecta syllaba *rimus*, ut *tener*, *tenerrimus*; *saluber*, *saluberrimus*.

Exceptio II. — *Facilis*, *humilis*, *similis* superlativa pariunt syllaba *is* mutata in *limus*: *facillimus*, *humillimus*, *simillimus*.

Exceptio III. — Nomina quæ ante *us* syllabam vocalem habent, raro comparativa aut superlativa gignunt, ut *idoneus*, *noxius*, *arduus*. *Piissimus* tamen et *strenuissimus* et nonnulla alia apud probatos auctores leguntur.

Exceptio IV. — A nominibus ex verbis *facio*, *dico*, *volo* compositis, comparativa in *entior*, superlativa in *entissimus* exeunt, ut : *magnificus*, *magnificentior*, *magnificentissimus*; *maledicus*, *maledicentior*, *maledicentissimus*; *benevolus*, *benevolentior*, *benevolentissimus*.

ANOMALA, SIVE INÆQUALIA.

Bonus,	melior,	optimus.
Malus,	pejor,	pessimus.
Magnus,	major,	maximus.
Parvus,	minor,	minimus.
Multus,	plus,	plurimus.

Multo plures appellativi nominis species a Diomede, l. I, p, 308, Donato, edit. II, p. 1743, et Prisciano, l. II, p. 579, recensentur; nos his fuimus contenti, relicturi etiam nonnullas, maxime in quibus substantiæ et accidentis fit mentio, nisi in constructione a nonnullis usurpandæ essent. Quintiliani ætate, jam positiva *absoluta* dicebantur, et comparativi vox in usu erat; l. IX, c. 3, 19 : « Utimur, inquit, vulgo et comparativis pro absolutis, ut se quis infirmiorem esse dicet. » Varro, de Ling. lat., l. VIII, 52, vocat genus declinationis augendi. Ait enim, cum de vocabulis agit, eorum quatuor esse genera declinationum : « unum nominandi, ut ab equo, *equile;* alterum casuale, ut ab equo, *equum;* tertium augendi, ut ab albo, *albius;* quartum minuendi, ut a cista, *cistula*. » Apud quem verbum *declinandi* non solum significat in casus inclinare, sed etiam deducere ac derivare, quod idem de vocabulo *declinationis* dictum sit.

Plautus interdum, risus ac voluptatis gratia, a substantivis nominibus superlativa fingit. Penul. act. V, sc. 4, v. 24 :

. . . . . O patrue, o patrue,
Mi *patruissime*.

Et paulo post :

. . . . . Patrue, mi *patruissime*.

Idem, Trinum. act. IV, sc. 2, v. 146, ipse, more suo et Græcorum, *ipsissimus* dixit a pronomine *ipse;* sic Aristoph. in Πλούτω, v. 83, αὐτότατος ab αὐτός deduxit. Plautus a *Pœnus*, vel potius *Punus* comparativum finxit in Pœnul. act. V, sc. 2, v. 31 :

Nullus me est hodie Pœnus *Punior*.

Priscianus, l. III, p. 598, *Punus* legit. Gellius, l. III, c. 3, more Plauti, ut ipse ait, versus *Plautinissimos* dixit.

Positivum *veter* priscis temporibus fuit in usu. Ennius :

Cum *veter* occubuit Priamus sub Marte Pelasgo.

Unde est superlativum *veterrimus*. Vide Priscianum, l. III, p. 607. *Maturrimus* videtur factum a *matur* positivo obsoleto; dicitur etiam *maturissimus;* utrumque invenitur apud idoneos auctores. *Sinister* et *dexter* comparativa *sinisterior* et *dexterior* habent; superlativa nulla videntur esse; nam

sinistimus et *dextimus* apud priscos *sinistrum* et *dextrum* significabant, ut Festus docet. Non. Marcel., c. 2, 198, *dextimam* viam pro *dextram* interpretatur; sic illud Sallustii Jugurth., c. 99, accipiendum est : « Sulla cum equitatu, apud *dextumos;* in sinistra, A. Manlius cum funditoribus et sagittariis; » hoc est, in dextra parte.

Superlativis quæ in *limus* syllabam exeunt, adduntur a quibusdam *agillimus, gracillimus, docillimus,* quorum quoniam nulla suppetebant exempla, aliis diligentius investiganda reliquimus. — *Imbecillis imbecillimus* et *imbecillissimus* gignit. Senec. ep. 85, 3 (1) : « Quantulum autem sapienti damus, si *imbecillimis* fortior est, et mœstissimis lætior, et effrenatissimis moderatior, et humillimis major. » Idem ad Marciam, c. 11, 2 : « Quid est homo? *imbecillimum* corpus et fragile. » Celsus, l. II, c. 18 : « Ovum durum valentissimæ materiæ est; molle vel sorbile, *imbecillissimæ.* »

Quæ ante *us* vocalem habent, apud priscos frequenter comparativum habebant et superlativum. Cato *arduius, arduissimus; perpetuius, perpetuissimus; industriior, innoxiior;* Pacuvius *egregiissimus,* apud Priscianum, l. III, p. 600. Juvenalis, Sat. XI, v. 12 :

> *Egregius* cœnat, meliusque miserrimus horum;

pro *egregiius* gemino *i.* Plin., l. VII, ep. 24, ad Geminium, « *exiguissima* legata » dixit. Ovid., ep. IX, v. 115 :

> De fratrum populo pars *exiguissima* restas.

Varro, de Re rust., l. II, c. 9 : « Ita enim sunt *assiduiores.* » Cic., de Clar. Orat., c. 91, 316 : « *Assiduissime* autem mecum fuit Dionysius. » Quint., Declam. VI, c. 3 : «Ille amabilis infans, ille blandus puer, ille juvenis etiam ante hoc crimen *piissimus.* » Curtius, l. IX, c. 6, 17 : « Vobis quidem, inquit, o fidissimi *piissimi*que civium atque amicorum, grates ago habeoque. » Seneca, l. IV, controv. 27 : « *Piissimo* patri tormentum quæsisse ex filiorum impietate. » Cicero tamen, XIII Phil., c. 19, 43, M. Antonium notavit, quod hoc verbo usus fuisset. « Tu porro, inquit, ne pios quidem, sed *piissimos* quæris, et quod verbum omnino nullum in lingua latina est, id, propter tuam divinam pietatem, novum inducis. » Sallust., Catil., c. 41 : « Nam *strenuissimus* quisque aut occiderat in prælio, aut graviter vulneratus discesserat. » Tacit., Hist. l. IV, c. 69 : « Pacisque bona dissertans, et sumi bellum etiam ab ignavis, *strenuissimi* cujusque periculo geri. » — Nihil est cur *tenuis* excipiatur, ut nonnulli putant, cum *tenuior* et *tenuissimus* tum apud Ciceronem, tum apud alios scriptores frequentissima sint.

Prisci superlativa a *magnificus, beneficus, magnificissimus, beneficissimus* formabant; unde Terentius, Phorm. act. V, sc. 6, v. 870, « facinus *mirificissimum* » dixit. Comparativa atque superlativa quæ a nominibus ex verbis *dico, volo,* in *entior, entissimus* exeunt, fortasse potius a participiis, exempli causa, *maledicens, benevolens,* quam a nominibus *maledicus, benevolus* derivantur.

Composita ex verbo *loquor* prætermisimus, propterea quod videantur parum usitata comparativa ac superlativa quæ inde fiunt; positiva quidem, cujusmodi sunt *grandiloquus, magniloquus, vaniloquus,* elegantia sunt. — *Plus* numero singulari neutrum est; quod Asinius Capito putavit esse absolutum; lege Gellium, l. V, c. 21.

Fiunt etiam ab adverbiis comparativa et superlativa : a *citra, citerior, citimus; extra, exterior, extremus* et *extimus;* posteriore utitur Plinius, l. II, c. 80, et l. VI, c. 32, 10; *infra, inferior, infimus; intra, interior, intimus; prope, propior, proximus; post, posterior, postremus; ultra, ulterior, ultimus.* Diomedes, l. I. p. 403, hæc ab adverbiis deducit; siquidem præpositiones, ut idem docet, adverbia fiunt, quamdiu sine casibus enuntiantur. Neque πρωτότυπον, ut ipse ait, habent, præter *citra.* Πρωτότυπον ὄνομα vocant Græci nomen primitivum, sive primigenium. Itaque negat *intra, infra, supra,* et cætera habere primitiva, cujusmodi essent *inter, a, um; infer, a, um,* etc. — *Citra* primigenium habet *citer,* quo Cato usus est. Vide Priscianum, l. III, p. 599. — *Exter* etiam apud Statium, Theb. l. XI, legitur, ut idem Priscianus docet; ubi tamen quidam *extet* legunt. *Penitior* et *penitissimus,* quorum utrumque perquam usitatum est, e primitivo *penitus, a, um* deducta sunt. Plaut., Asin. act. I, sc. 1, v. 28 :

> Etiamne? Quæso, hercle, usque ex *penitis* faucibus. »

(1) Nunc vulgo legitur *imbecillis* et *imbecillum.*

Ocyor, ocyssimus a græco nomine ὠκύς fiunt. Vide eumdem, l. XV, p. 1022.

Ex his quæ diximus, facile est intelligere ab adjectivis nominibus potissimum fieri comparativa et superlativa.

Adjectivorum nomine etiam participia sunt accipienda, quæ, non solum cum in nomina migrant, sed etiam cum participii vim obtinent, interdum comparantur. Cic., Fam., l. XII, ep. 26 : « Cæterisque omnibus rebus habeas eos a me *commendatissimos.* » Quidam putant pauca hæc quæ ab adverbiis fieri docent Diomedes, Donatus et Priscianus, a primigeniis obsoletis deduci. A verbis *detero* et *potior* arbitrantur quidam *deterior, deterrimus; potior, potissimus* nasci; alii, quod vero potius videtur, a nomine obsoleto *deter*, et a *potis* et *pote*. Sunt quædam, inquit Diomedes, l. I, p. 311 : « quæ tantum superlativum habent, ut *novissimus, summus;* » quibus nomen *imus* videtur adjungendum. Prisci aliquando a superlativis superlativa deducebant. C. Gracchus, apud Gellium, l. XV, c. 12 : « Omnium natorum *postremissimum* nequissimumque (me) existimatote ; » forte Aristotelem est imitatus, qui ἀπὸ τοῦ ἔσχατος, *postremus*, ἐσχατώτατος *postremissimus*, formavit. Vide Priscianum, l. III, p. 607.

A *proximus, proximior*, sive cum de cognatione sermo est, quo frequenter utuntur juris periti; sive de rebus aliis. Seneca, epist. 108, 16 : « Ita tamen..... ut modum servem, et quidem continentiæ *proximiorem.* »

DE PRONOMINE

110. *Pronomen* est quod, loco nominis positum, certam finitamque personam adsignificat.

Pronomina partim sunt primitiva, partim derivativa. — *Primitiva* sive *primigenia* dicuntur quæ prima sunt et a se orta, ut *ego, tu, sui, hic, iste, ille, ipse, is.* — *Derivativa* vel potius *derivata* sunt quæ ex aliis oriuntur, ut *meus, tuus, suus, noster, vester, nostras, vestras.*

Ex his *demonstrativa* sunt quæ rem demonstrant, ut *ego, tu, hic, iste, ille, ipse, is.*

Horum quinque, *hic, iste, ille, ipse, is*, et ex eo compositum *idem*, *relativa* dicuntur, cum rem antecedentem in memoriam reducunt, ut : Virgilius carmina composuit, *idem*que ipse *ea* cecinit.

Possessiva sunt quæ possessionem significant, ut *meus, tuus, suus, noster, vester.*

Gentilia sive *patria* sunt quæ, non solum gentem vel patriam, sed etiam partes sectamve adsignificant, ut *nostras, vestras.*

Reciproca duo sunt : unum primitivum, nimirum *sui;* alterum derivativum, *suus.*

M. Varro, de Ling. lat., l. VIII, 45, partem orationis *appellandi*, sive quæ tantum casus habet, in *nomen* et *articulum* distribuit. Rursus nomen in duas partes : unam, quæ etiam *nomen* dicitur; alteram, quæ *vocabulum*. Nomen, ut ante diximus, vocat, quod grammatici *proprium nomen* appellant; vocabulum, quod iidem *appellativum* dicunt. Articulum vero in *provocabulum* et *pronomen* dividit, quorum illud ait esse infinitum, ut *quis, quæ;* hoc, finitum, ut *hic, hæc*. Itaque pronomina docet esse finita, hoc est, certam finitamque personam adsignificare, cujusmodi sunt hæc quindecim; significant enim rem, vel ut demonstratam, vel ut relatam, vel ut possessam, vel ut ad gentem aut patriam sectamve spectantem; quæ omnia certæ finitæque personæ discrimen secum afferunt. Quare

pronomina ipsa verbis præstant : quamvis enim verba primam et secundam personam aperte definiant, ut *amo, amas*, tertiam tamen haudquaquam definire possunt. Cum enim, exempli gratia, dicitur : *Occidit*, incertum est quisnam occiderit, fueritne civis an peregrinus, amicus an inimicus, vir an mulier, homo denique an bellua. Quam ob causam summo jure Apollonicus, ut refert Priscianus, l. XII, p. 934, tertias verborum personas infinitas appellavit. Excipit Theodorus Gaza ea quæ grammatici *exceptæ actionis* sive *ad naturam pertinentia* vocant, ut *pluit, ningit*, etc., quorum nominandi casus facile intelligitur. Tertiæ vero pronominum personæ apertissime vel demonstratione, vel relatione, vel possessione, vel gentis, patriæ sectæve communione definiuntur. Unde Aristarchus, ut inquit Gaza, l. IV, συζύγους εἶναι τοῖς προσώποις τὰς ἀντονυμίας dixit, hoc est, pronomina cognata esse personis. Audiamus ipsum Varronem, l. VIII, 44 : « Oratio, inquit, secanda ut natura in quatuor partes : in eam quæ habet casus, et quæ habet tempora, et quæ habet neutrum, et in qua est utrumque. Has vocant quidem *appellandi, dicendi, adminiculandi, jungendi*: appellandi dicitur, ut *homo* et *Nestor*; dicendi, ut *scribo* et *lego*; jungendi, ut *et* et *que*; adminiculandi, ut *docte* et *commode*.» Attende diligenter quæ sequuntur. « Appellandi partes sunt quatuor, e queis dicta a quibusdam *provocabula*, quæ sunt ut *quis, quæ*; *vocabula*, ut *scutum, gladium*; *nomina*, ut *Romulus, Remus*; *pronomina*, ut *hic, hæc*. Duo media dicuntur *nominatus*; prima et extrema, *articuli*. Primum genus est infinitum; secundum, ut infinitum; tertium, ut effinitum; quartum, finitum. »

Hæc quamvis prima specie videantur obscuriora, adhibita tamen explicatione, apertissima fiunt. Expendamus singula. Primum genus est *infinitum*. Jure optimo, provocabula, ut *quis, qualis*, et quæ sunt generis ejusdem, incerta ac infinita nominat. Cum enim, verbi causa, dicimus : Quis tibi nocuit? nihil certe significamus, siquidem provocabulum *quis* et cives, et peregrinos, et hostes, et socios, et servos, et dominos, et juvenes, et senes, denique animantes, et rationis participes et expertes, potest significare.

Secundum, ut *infinitum*. Quamvis vocabula, sive appellativa, ut nunc loquimur, ad provocabulorum naturam proxime accedant (significant enim rerum species et genera, hoc est, res communes et incertas, ut *homo, animal*); certius tamen res ipsas significant ac definiunt, licet in universum, quam provocabula; quare ea non simpliciter *infinita*, sed *tanquam infinita* appellavit. Solet ille quidem aliquot locis *simpliciter infinita* appellare vocabula; hic tamen, quia comparate loquitur, *ut infinita* appellat; quod idem de nominibus, quæ *finita* simpliciter interdum appellat, dictum sit.

Tertium, *ut finitum*; quartum, *finitum*. Pulchre quid inter proprium nomen et pronomen intersit, hic ostendit : Tertium genus, hoc est, propria nomina, non vocat *simpliciter finita*, sed *ut finita*; quartum vero, id est, pronomina, appellat *finita simpliciter*, idque meritissimo : certius enim aliquid significamus atque definimus pronominibus quam propriis utentes nominibus. Nam, si dicam : Hic *est meus pater*; Ille *est meus frater*; multo certius et apertius loquar, quam si dicam : Demea *est meus pater*; Æschynus *est meus frater*; fieri enim potest ut plures sint Demeæ et plures Æschini.

Quidam pronomen definiunt *quod loco nominis proprii ponitur*; quod etsi frequentissime usu veniat, sunt tamen quædam quæ non raro *loco appellativorum* ponuntur. Cic., Att., l. II, ep. 1, 1 : « Eunti mihi Antium.... venit obviam tuus puer; *is* mihi literas abs te.... reddidit. » Terent., Andr. act. I, sc. 4, v. 221 :

. . . . . Fuit olim hinc quidam senex,
Mercator; navem *is* fregit apud Andrum insulam;
Is obiit mortem.

Cic., Offic. l. II, c. 18, 63 : « Hanc ego consuetudinem benignitatis largitioni munerum longe antepono; *hæc* est gravium hominum....; *illa*, quasi assentatorum populi. » Liv., l. XXX, c. 30 : « Melior tutiorque est certa pax quam sperata victoria; *hæc* in tua, *illa* in deorum manu est. »

Pronomen *ipse* a Græcis, ut Priscianus, l. XII, p. 936, inquit, ἐπιταγματικόν dicitur, hoc est, *subjunctivum*, ut idem explicat, quod subjungatur aliis pronominibus, ut : *ego ipse, tu ipse, ille ipse, hic ipse, iste ipse, is ipse* : est enim omnium personarum, sed proprie tertiæ, ut placet eidem Prisciano; quo pacto docet certam personam adsignificare.

Reciproca suo loco explicabuntur; hic enim tantum fuerunt numeranda. *Sui* et *suus* non sunt proprie relativa : nam quæ vere relativa sunt, semper egent verbo diverso a præcedenti, et nisi

sensus aliquis præcedat, locum non habent. Reciproca vero sæpenumero uno verbo sunt contenta, nullo præcedente sensu, ut : *Pompeius* SE *defendit*; *Cæsar hortatur* SUOS *milites*. Probus, l. I, p. 1403, Diomedes, l. I, p. 316, Donatus, edit. II, p. 1752, Servius in Art. II Donati, p. 1785, ut in pronominum declinatione diximus, provocabula *quis, quantus, qualis*, etc., vocant *pronomina infinita;* quo sensu accipiendum est id quod eodem loco scripsimus, Varronem pronomina in provocabula et pronomina distribuisse.

DE VERBO

111. Verbum est pars orationis quæ modos et tempora habet, neque in casus declinatur.

Verbum duplex est : *personale* et *impersonale*. — *Personale* est, quod omnes personas utriusque numeri habet, ut : *Amo, amas, amat*. Plur. *Amamus, amatis, amant*. — *Impersonale* est, quod prima et secunda persona utriusque numeri, et tertia multitudinis fere privatur; unde et nomen traxit. Id duplex est : alterum activæ declinationis, ut *pudet, pœnitet;* alterum, passivæ, ut *pugnatur, curritur*.

Verbum personale dividitur in quinque genera : *activum, passivum, neutrum, commune, deponens*.

Activum est quod litera *o* finitum, passivum fit addita litera *r*, ut : *amo, amor*.

Passivum est quod, syllaba *or* finitum, activum fit *r* litera abjecta, ut : *amor, amo*.

Neutrum est quod, *m* vel *o* literis finitum, ex se passivum personale non gignit, ut *sum, sto, servio;* neque enim dicitur *stor* aut *servior*.

Commune est quod, *or* syllaba tantum finitum, activi simul et passivi significationem habet, præcipue participium præteriti temporis et quæ ejus adminiculo supplentur, ut *depopulor, complector*.

Deponens est quod, *or* syllaba tantum finitum, activi vel neutri significationem habet, ut *sequor, utor, morior*.

DE VARIIS VERBORUM FORMIS

112. *Inchoativum* verbum est, quod rem quidem inchoatam, sed ad finem perfectionemque tendentem, significat, ut *calesco*, id est *calidus fio; frigesco, frigidus fio*.

Perfectum est, quod rem perfectam absolutamque significat, ut *caleo, frigeo*.

Meditativum verbum est quod assiduam alicujus rei meditationem significat, ut *esurio, cœnaturio :* qui enim esurit ac cœnaturit, nihil aliud quam cibum cœnamque meditatur.

Frequentativum sive *iterativum* est, quod rei frequentationem iterationemque significat, ut *rogito, as; lectito, scriptito.*

Diminutivum vel potius *diminutum* est, quod minus quam id a quo ortum est significat, ut *sorbillo*, a *sorbeo.*

M. Varro hanc orationis partem modo *verbum temporale* appellat, de Ling. lat., l. IX, 95 : « Quod ad *verborum temporalium* rationem attinet, cum partes sint quatuor, temporum, personarum, etc.; » et l. VIII, 13 : « Prius enim nomen est, quam *verbum temporale;* » — modo *vocabulum quod inclinatur in tempora,* l. IX, 35 (sic enim veteres loquuntur : *declinari in tempora, in casus;* non *per tempora, per casus*) : Gell., l. I, c. 16 : « Quum sint alia pleraque vocabula quæ *in singulos tantum casus,* quædam etiam quæ *in nullum inclinentur.* » Varro, de Ling. lat., l. IX, 34 : « Ego declinatus verborum et voluntarios et naturales esse puto : voluntarios, quibus homines vocabula imposuerint rebus quædam, ut ab *Romulo, Roma;* ab *Tibure, Tiburtes;* naturales, ut ab impositis vocabulis, quæ *inclinantur in tempora* aut *in casus,* ut ab *Romulus, Romulo, Romuli, Romulum;* et ab *dico, dicebam, dixeram.* » Ibid., 51 : « Dicunt, quod vocabula literarum latinarum non *declinentur in casus,* non esse analogias; » — modo *partem orationis quæ tempora habet, neque casus habet* (l. X, 31); — modo *quæ tempora adsignificat, neque casus habet* (VIII, 11).

QUID SIT VERBUM IMPERSONALE, IN QUOT PARTES DIVIDATUR, ET UNDE DICTUM, DE M. VARRONIS POTISSIMUM SENTENTIA.

113. Ea jam ubique terrarum verba *impersonalia,* quamvis nullo suo merito, invidia flagrant, ut quotiescumque eorum facienda sit mentio, toties ipsorum defensio nobis necessario suscipienda sit. Sed quid nostro patrocinio opus est, cum M. Varronem, Romanorum omnium eruditissimum, sibi patronum adoptarint? Etenim de Ling. lat., l. X, 31, ubi de Articulis, hoc est, provocabulis et pronominibus egit, verbum ipsum in *personale* et *impersonale* hoc modo distribuit : « Quæ verba tempora habent neque casus, sed habent personas. Eorum declinationum species sunt sex : una, quæ dicitur *temporalis,* ut *legebam, gemebam; lego, gemo;* altera *personarum,* ut *sero, meto; seris, metis;* tertia *rogandi,* etc. » Idem, paulo inferius : « Item sunt declinatuum species quatuor, quæ tempora habent sine personis; in rogando, ut *foditurne? seriturne?* et *fodieturne? sereturne?* Ac respondendi specie eædem figuræ fiunt, extremis syllabis demptis. Optandi species, ut *vivatur, ametur,* etc. »

Verba quæ personas habent vocat Varro, quæ posteri *personalia* appellarunt. Quæ vero tempora habent sine personis', quæ recentiores *impersonalia;* sine personis, id est, sine præcipuis personis, prima videlicet et secunda, quæ speciem personarum sive *personalem* efficiunt, ut ex eodem ipso Varrone modo audisti. Altera personarum, ut *sero, meto; seris, metis.* Tertia siquidem persona cum sit infinita, vix personæ nomine digna est, cujus proprium est definire, ut *sum, es; sto, stas.* At, si *est, stat* pronunties, quis, obsecro te, intelligat, cum possint hæc verba infinitis vocabulis accommodari? Ob quam fortasse causam Probus, l. I, p. 1418, *impersonalia* appellavit verba declinationis infinitæ, quod tertias tantum personas habeant, quas Apollonius, ut supra dictum est, infinitas vocat. Phocas, p. 1717, *defectiva* appellat, propterea quod prima et secunda deficiunt. « Et primum, inquit, cum de Defectivis agit, de *impersonalibus* quæ aut sunt secundæ conjugationis, aut tertiæ, quantum ex tertia persona contemplari licet. » Donatus itidem, edit. II, p. 1756, *defectiva* nominat; quem locum explicans Sergius, p. 1849 : « Hoc ipsum, inquit, verbum impersonale defectivum est; sublatis enim de primo verbo duabus personis prima et secunda, tertia utique superest. » Idem Quintilianus, l. I, c. 4, 28, significat, cum inquit : « Jam, *Itur in antiquam silvam,* nonne propriæ cujusdam rationis est? Nam quod initium ejus invenias? » Hoc est dicere : *itur* quidem tertia persona est, quæ initio caret, prima videlicet *eor,* et secunda *iris* vel *ire.* Idem, paulo post : « Quid quod multa verba non totum declinationis ordinem ferunt? Quædam etiam mutantur, ut *fero* in præterito. Quædam tertiæ demum personæ figura dicuntur, ut *licet, piget.* » Sic Diomedes, l. I, p. 391 : « Impersonalis verborum declinatio per-

sonæ tertiæ formam habet. » Et, p. 392, ubi multa impersonalia posuit : « Hæc, inquit, primam et secundam personam non habent; per tertiam, tres personæ, addito pronomine, significantur. »

Figura hic apud Quintilianum, et *forma* apud Diomedem, significant *terminationem*, sive finem exitumve; quo modo veteres, præsertim Varro, de Ling. lat., l. VIII, 48, loquuntur : « Nempe esse oportebat vocis formas ternas, ut in hoc, *humanus, a, um;* sed habent quædam binas, ut *cervus, cerva;* quædam singulas, ut *aper*, et sic multa. » Idem, l. IX, 55 : « Negant, cum omnis natura sit aut mas, aut femina, aut neutrum, non debuisse ex singulis vocibus ternas vocabulorum figuras fieri, ut *albus, alba, album;* nunc fieri in multis rebus binas, ut *Metellus, Metella ; Ennius, Ennia;* nonnullis singulas, ut *tragœdia, comœdia.* »

Habent itaque impersonalia personam tertiam, qua si destituta essent, qui fieri posset ut casum ante se haberent? Verum enimvero cum ante se casum recipiunt, *finita* dicenda sunt : tunc enim et numerus et persona apertissime definiuntur, ut : *Vita hæc quæ vivitur, potius mors quam vita dicenda est.* Item, *curritur campus, mare navigatur, tertia vivitur ætas, tota mihi dormitur hiems.* Cato apud Gellium, l. X, c. 14 : « Contumelia... mihi... factum *itur.* » Terent., Adelph. act. V, sc. 9, v. 996 :

..... Facite quod vobis *lubet.*

Idem, ibid., act. IV, sc. 7, v. 758 :

Non te hæc *pudent?* .....

Plaut., Stich. act. I, sc. 1, v. 50 :

Et me quidem hæc conditio nunc non *pœnitet.*

Terent., Phorm. act. III, sc. 3, v. 552 :

..... Quære, obsecro,
Ne quid plus minusve faxit, quod nos post *pigeat.*

Cic., de Offic., l. I, c. 10, 33 : « Quo in genere etiam in republica multa *peccantur.* » Ovidius, ep. XII, v. 169 :

..... Noctes *vigilantur* amaræ.

Tacit., Hist. l. I, c. 16 : « Neque enim hic, ut in cæteris gentibus quæ *regnantur*, certa dominorum domus. » Idem, de Mor. Germ., c. 43 : « Trans Lygios, Gotones *regnantur*, paulo jam adductius quam cæteræ Germanorum gentes. » Plin., l. VI, c. 23, 6 : « Ab iis gens Pandæ sola Indorum *regnata* feminis. » Sunt hæc et alia ejusdem generis, cum prima et secunda persona deficiantur (quæ proprie *personalem* speciem efficiunt), *impersonalia* quidem, sed *finita.*

Hæc fortassis, inquies, fuisse aliquando integra; Plautum dixisse in Casin. act. V, sc. 2, v. 3 :

Ita nunc *pudeo;* .....

et in Menæch. act. V, sc. 9, v. 7 :

Adolescens, quæso hercle, loquere tuum mihi nomen, [ni *piges.*

Etiamne miseris hanc unam tabulam, quæ ex tanto naufragio superest, extorquebis? Injurium est. Cum vero præcedens casus ita desideratur, ut vix subaudiri possit, tunc *infinita* licebit appellare, quod et numerus et persona, aut contra communem loquendi consuetudinem, aut difficillime definiantur. Liv., l. IV, c. 30 : « Siccitate eo anno plurimum *laboratum est.* » Idem, l. I, c. 34 : « Ad Janiculum forte *ventum erat.* » Terent., Adelph. act. IV, sc. 4, v. 634 :

Cessatum usque adhuc *est.* .....

Cic., pro Quintio, c. 1, 3 : « Ad me *ventum est.* » Idem, Att., l. XI, ep. 15, 3 : « Hic *maneri* diutius non potest. » Ad eumdem, l. II, ep. 1, 5 : « Item ante : non *esse itum* obviam, ne tum quidem cum *iri* maxime debuit. » Ubi enim reperiemus casus qui hæc et similia possint antecedere? An *labor, ventio, cessatio, mansio, itio? Cessatio cessatum est; itio itum est*, non patitur latini sermonis consuetudo. Dicet fortasse aliquis confugiendum esse ad nomina verborum, hoc est, ad verba infiniti modi, quæ nominum partes agunt, ut : *laborare laboratum est; venire ventum est; cessare cessatum est*, et cætera eodem modo; quo remedio solœcismum quidem subterfugiemus; sed quis unquam sic est locutus?

Si quis vero existimat *cessatum est, pugnatum est*, et alia id genus nomina esse, non verba, legat P. Nigidium apud Gellium, l. XVIII, c. 7, quod supra attulimus, cum de præterito passivo egimus. Legat Varronem, de Ling. lat., l. IX, 97, ubi *amatus eram, amatus sum, amatus ero*, docet esse

verba perfecta; *amabar, amor, amabor,* infecta. Præterea illud Ciceronis de Finib., l. II, c. 13, 39 : « Primum Aristippi Cyrenaicorumque omnium, quos non *est veritum*, in ea voluptate quæ maxima dulcedine sensum moveret, summum bonum ponere; » quo pacto tuebimur? Plane *non est veritum* impersonale est infinitum; potest enim numerum utrumque, personam quamcumque, genus item masculinum, femininum et neutrum admittere more infiniti illius prisci *rum* syllaba terminati, quod utrique numero, personæ ac generi cuivis accommodari potest : *Quem non est veritum, quam non est veritum, quas non est veritum,* etc. Ac merito Gellius, l. XV, c. 13 : « *Veritum,* inquit, sicut *puditum* et *pigitum* non personaliter per infinitum modum dictum esse, non a vetustioribus tantum videmus, sed a M. quoque Tullio in II de Finibus, etc. » Duo dicit Gellius : *Non personaliter,* hoc est, *impersonaliter;* per infinitum modum, id est, per eumdem modum ac loquendi rationem, quæ numeris, personis, generibus libera ac soluta est; neque enim Cicero hic infinito sive infinitivo modo usus est. Sed appellavit hunc loquendi modum *infinitum,* ut, l. I, c. 7, appellat futurum priscum *rum* syllaba terminatum, modum *indefinitum;* qui modus, ut idem ipse eodem capite dicit, neque numeris, neque generibus præserviens, liberum undique et impromiscuum est; et paulo inferius : « Qui modus, inquit, neque in numeros, neque in personas, neque in genera, neque in tempora distrahitur. » Nisi forte quis dicat figuratam esse locutionem; ut enim dicitur : *Venit mihi in mentem illius diei;* pro : *Ille dies venit mihi in mentem;* est enim hellenismus, ut Priscianus, l. XVIII, p. 1191, et Budæus, in Comment. linguæ græcæ, p. 1061, docent; sic, *Quos non est veritum,* pro : *Qui non sint veriti.* Possunt enim impersonalia duobus modis recipere casum nominandi : altero, cum genitivus mutatur in nominativum, ut : *Non te horum pudet?* Terent., Adelph. act. IV, sc. 7, v. 758 :

> . . . . . Non te *hæc pudent?*
> Et me quidem *hujus conditionis* nunc non *pœnitet.*

Plaut., Stich. act. I, sc. 1, v. 50 :

> Et me quidem *hæc conditio* nunc non *pœnitet;*

altero, cum accusandi casus in nominandi vertitur. Accius apud Nonium Marc., c. 9, 3 : « Si *tui veretur progenitoris,* cedo. » Pacuvius apud eumdem, id. : « Nihilne te *populi veretur,* qui vociferare in via? » Pro *Si vereris tui genitoris,* hoc est, *tuum genitorem* (nam prisci, ut hic docet Nonius, *vereor* genitivo adjungebant), et *Nihilne vereris populi,* etc.

Cum persona anteriore casu definiri non potest, posteriore definienda est. Exempli causa : *reclamatum est, inservitum est, pugnatum est,* additis ablativis definiuntur. Cic., de Domo sua ad pontif., c. 4, 10 : « Ab universo senatu *reclamatum est.* » Idem, Fam., l. VI, ep. 12, 2 : « Nihil *est* a me *inservitum* temporis causa. » Idem, Offic., l. III, c. 30, 109 : « Cum male *pugnatum* apud Caudium *esset.* » Sed hæc hactenus. Unde fiant impersonalia, et quæ ad eorum constructionem spectant, suo loco invenies.

DE VERBORUM GENERIBUS

114. In verbi constructione plures invenies distributiones; hic quinque partita a Diomede, l. I, p. 326, Donato, edit. II, p. 1756, aliisque veteribus recepta, fuimus contenti. Varro, de Ling. lat., l. X, 33, *activum* verbum appellat speciem faciendi, ut *uro, ungo; passivum,* speciem patiendi, ut *uror, ungor.* Gellius illud, verbum *agens;* hoc, verbum *habens patiendi figuram,* sive *verbum patiendi,* l. XVIII, c. 12 : « Id quoque habitum est in oratione facienda elegantiæ genus, ut pro verbis *habentibus patiendi figuram, agentia* ponerent, ac deinde hæc vice inter sese mutua verterent. Plaut. (Fragm., amisso comœdiæ nomine, v. 52) :

> Quid est hoc? *rugat* pallium, amictus non sum commode.

In Asinaria quoque, III, 1, 35, *contemples* dicit pro *contempleris.* Varro in libris quos ad Marcellum de Lingua latina fecit : « In priore verbo graves prosodiæ quæ fuerunt manent; reliquæ *mutant.* » *Mutant* inquit elegantissime pro *mutantur.* Verba autem patiendi pro agentibus, in omnibus ferme veterum scriptis, reperiuntur; ex quibus sunt pauca ista quæ nunc meminimus : *muneror te* pro *munero;* et *significor* pro *significo;* et *assentior* pro *assentio;* etc. » Quintilianus, l. I, c. 6, 10, vocat verba quæ habent naturam patiendi, ut *paciscor.* Idem, l. IX, c. 3, 7; sic loquitur : « Quæ facimus patiendi modo sæpe dicere, ut *arbitror, suspicor;* et contra faciendi, quæ patimur, ut *vapulo.* »

Nonius Marcellus, c. 7, 1, de contrariis generibus verborum, *activum* et *passivum* solet appellare, ut plerique grammatici : « *Aucupavi*, inquit, activum positum pro passivo. Titinnius Veliterna : « Id ego *aucupavi*, plenas aureis affero. » Plaut., Trucul. act. V, v. 72 :

Lepide mecastor *aucupavi*. . . . . . »

Ex his locis intelligimus Quintilianum, Gellium et Nonium, quæ Diomedes, et Donatus, et Priscianus, aliique grammatici vocant *deponentia*, appellasse *verba patiendi*, aut *quæ figuram* sive *naturam patiendi habent*, aut *passiva*. Sunt deponentia passiva quidem, sed voce sive exitu tantum.

Communia eodem nomine a Gellio dicuntur, l. XV, c. 13 : « *Utor*, et *vereor*, et *hortor*, et *consolor*, communia verba sunt, ac dici utroque versus possunt : *vereor te* et *vereor abs te*, id est, tu me vereris; *utor te* et *utor abs te*, id est, tu me uteris; *hortor te* et *hortor abs te*, id est, tu me hortaris; *consolor te* et *consolor abs te*, id est, tu me consolaris. *Testor* quoque et *interpretor* significatione reciproca dicuntur. Sunt autem verba hæc omnia ex altera parte inusitata; et an dicta sint in eam quoque partem quæri solet, etc. » Affert nonnulla exempla ex priscis. Paulo post : « *Testata* itidem et *interpretata* eadem ratione (dixit) M. Tullius in I libro de Divinatione, ut *testor*, *interpretor*que verba communia videri debeant. Sallustius quoque eodem modo : *Dilargitis* proscriptorum bonis dicit, tanquam verbum *largior* sit ex verbis communibus. » Idem, paulo inferius : « *Dignor* quoque, et *veneror*, et *confiteor*, et *testor* habita sunt in verbis communibus, etc. »

115. Pauca reperiuntur hodie verba quæ præsenti tempore ac præterito imperfecto in utramque partem dicantur. Seneca, ep. 90, 4 : « Infirmiores a validioribus *tuebantur*. » Illud Livii, l. XXI, c. 51 : « Ipse in insulam Melitam, quæ a Carthaginiensibus *tenebatur*, trajecit; » vitiose legitur a quodam *tuebatur*. Item, illud Plinii, l. VIII, c. 76, 3, de Capris : « Tradunt et noctu non minus cernere quam interdiu; ideo si caprinum jecur *vescantur*, restitui vespertinam aciem his quos nyctalopas vocant; » ab eodem corrupte legitur sic : caprinum jecur si *vescatur*, restitui vespertinam aciem. Cic., de Invent., l. II, c. 53, 161 : « Observantia, per quam homine aliqua dignitate antecedentes cultu quodam et honore *dignantur*. » Tacit., Annal. l. XII, c. 9 : « Designatum consulem Memmium Pollionem ingentibus promissis inducunt sententiam expromere, qua *hortaretur* (1) Claudius despondere Octaviam Domitio. » Scævola, Dig., l. XLV, tit. I, leg. 133, de Verborum obligationibus : « Nam sicut et ipsius et hæredis caput, ita et ipsius vis vel sæpius facta *complectitur*. » Cicero apud Priscianum, l. VIII, pp. 792 et seq. : « Cupio eum tam invidiosa fortuna *complecti*. Ibid. : Hoc restiterat etiam ut a te fictis *aggrederer* donis. Ibid. : Qui habet ultro appetitur; qui est pauper *aspernatur*. Asinius Pollio : Sed cum ob ea quæ speraveram dolebam, *consolabar* ob ea quæ timui. Verrius : Sævitiaque eorum *abominaretur* ab omnibus. Nigidius : Omne pecus indomitum habet quiddam in se ferum, sed tamen ea natura est, ut curari et *dominari* possit. Suetonius in VIII Prætorum : Fasti dies sunt in quibus jus *fatur*. Varro : Ab amicis *hortaretur*. Idem : Utile utamur potius, quam ab Rege *abutamur*. » Omitto eorum exempla, qui Ciceronem ætate antecesserunt; quæ qui volet apud eumdem inveniet : nam *adipisci*, *consequi*, *amplecti*, *admirari*, *polliceantur*, *affectari*, *arbitrantur*, *conspicatur*, *consectari*, *calumniatur*, *demolitur*, *depeculari*, *delargitur*, *frustramur*, passive dicta intelliget. Sed nemo fere est qui audeat vel ea quibus Cicero est usus usurpare, aut præsenti tempore aut imperfecto.

Participia præteriti temporis, et tempora quæ inde nascuntur, hoc est, præteritum perfectum, plusquam perfectum, futurum perfectum, usitatiora sunt. Liv., l. XXXVII, c. 4 : « Quanquam omnis ora maritima eorum, quæ in Peloponnesum versa est, *depopulata* ab Achæis *erat*. » Cic., Verr. act. II, l. III, c. 52, 122 : « Ejectos aratores esse dico; agros vectigales vexatos atque exinanitos a Verre; *populatam* vexatamque provinciam. » Idem, de Senect., c. 17, 59 : « Mirari se non modo diligentiam, sed etiam solertiam ejus a quo *essent* illa *dimensa* atque descripta. » Idem, de Nat. deor., l. II, c. 43, 110 : « Atque ita *demetita* (2) signa

(1) Habet Forcellini *hortaretur*; Gronovius vero, Lemaire et Teubner, *oraretur*.

(2) Orellius : *dimetata*; Teubner : *demetata*; annotat Forcellini multas varietates : *dimetita*, *demetita*, *demetata*, *dimetata*.

sunt, ut in tantis descriptionibus divina solertia appareat. » Idem, Verr. act. II, l. II, c. 76, 187 : « Ut res quam maxime clara ac *testata esse* posset. » Terent., Phorm. act. II, sc. 1, v. 248 :

Meditata sunt mihi omnia mea incommoda.

Plin., l. XVII, c. 16, 1 : « Aut si conditio (1) *largita* non *sit*. » Liv., l. XLV, c. 6 : « Cæterum, tanto facinore in unicum relictum amicum, ab ipso per tot casus *expertum* proditumque, quia non prodiderat, omnium ab se abalienavit animos. » Gel., l. XV, c. 7 : « Observatum in multa hominum memoria, *expertum*que *est*. » Cic., pro Rosc. Amer., c. 13, 37 : « Quo uno maleficio scelera omnia *complexa esse* videantur. » Sallust., I Hist., apud Priscian., l. VIII, p. 797 : « Igitur venditis proscriptorum bonis, aut *dilargitis*. » Virg., Æn. II, v. 363 :

Urbs antiqua ruit, multos *dominata* per annos.

Idem, Æn. III, v. 460 :

. . . . . Cursusque dabit *venerata* sacerdos (2).

Idem, Ecl. IX, v. 53 :

Nunc *oblita* mihi tot carmina....

Q. Hortensius apud Priscian., p. 792 : « *Abusis* jam ab omnibus locis. » Verrius, apud eumdem, ibid. :

*Blanditus*que labor molli curabitur arte.

Cic., II Phil., apud eumdem, ibid. : « Quem ipse *ementitis* auspiciis vitiosum fecerat. » Idem, Verr. act. II, l. III, c. 56, 130 : « Quam manifestam, quam *confessam*, rem pecunia redimere. » Quintilianus, l. V, c. 14, 13 : « Et assumptio interim *confessa* est, ut, omnes autem volunt beatam vitam vivere. » Cic., II Catil., c. 2, 4 : « Illud etiam moleste fero, quod ex urbe parum *comitatus* exierit. » Plin., l. X, c. 16 : « Bubo funebris et maxime *abominatus*, publicis præcipue auspiciis, deserta incolit. » Citatur Cæsar, Bel. civ., l. II, c. 21, a quodam vitiose : « Pecunias, quæ erant in publicum Varroni a civibus Romanis *pollicitæ*, remittit. » Sic enim restituendus est : « Pecunias, *quas* erant in publicum Varroni *cives Romani polliciti*, remittit; » solet hic auctor quam plurima loca depravata afferre; vide ne decipiaris. Invenies præterea apud Priscianum, l. VIII, pp. 791 et seqq., *exorsus*, *adortus*, *adulatus*, *auxiliatus*, *adhortatus*, *execratus*, *adminiculatus*; *machinatus*, *consecutus*, *detestatus*, quorum pleraque exoleverunt.

Sunt et verba impersonalia neutra, ut *est*, *interest*, *refert*, *licet*, *libet*, etc., quæ dativo gaudent; — activa, quæ accusativum postulant, ut *pudet*, *tædet*, etc.;—passiva, ut *pugnatur*, *vivitur*, et cætera ejusdem generis; — deponentia, ut *misereor*. Cic., de Invent., l. I, c. 30, 48 : « Commune est, quod omnes vulgo probarunt, et secuti sunt, hujusmodi; ut majoribus natu assurgatur, ut *supplicum misereatur*. » Idem, pro Ligar., c. 5, 14 : « Cave te *fratrum* pro fratris salute obsecrantium *misereatur*; » sic legit Priscianus eodem libro, p. 797; nunc *misereat* scriptum invenio. Quadrigarius apud Gellium, l. XX, c. 6 : « C. Mari, ecquando te nostrum et reipublicæ *miserebitur?* » Unde superest *misertum est*, sic *puditum est*, *pigitum est*, quæ a *pigetur*, *pudetur*, putant quidam deducta. Vide Diomedem, l. I, p. 392. *Vereor* fuit etiam impersonale apud priscos; Accius apud Nonium, c. 9, 3 : « Si tui *veretur* primogenitoris, cedo. » Commune impersonale nullum occurrit.

DE VERBORUM FORMIS

116. Quandiu res ad finem perfectionemque tendit, perfecta dici non potest; quare non immerito *inchoativa* a grammaticis dicta sunt verba quæ rem inchoatam imperfectamque significant, licet ad perfectionem finemque tendentem : neque enim *calesco*, *incipio calere* duntaxat significat; carent enim Latini verbis quibus initium tantum motus significent; sed significat cœpisse me quidem jam calere, neque desistere a calefactione. Quod si res nimium ad finem properet, tunc solent adhiberi hæ particulæ, *magis ac magis*, *quotidie*, *in dies*, *in dies singulos*. Cic., Att. l. X, ep. 4, 2 : « Alter ardet furore et scelere, nec remittit aliquid, sed *in dies* ingravescit. » Idem, ad Brut., l. I, ep. 18 : « Obdurescunt enim magis *quotidie* boni viri ad

(1) Habent Lemaire et Teubner : « Si id conditio largita non sit. »

(2) Sic habet Priscianus, lib. cit., p. 794; nunc vulgo *secundos*.

vocem tributi. » Idem, pro Mil., c. 9, 25 : « Quanto ille plura miscebat, tanto hic magis *in dies* convalescebat. » Verbum *incipiendi* non raro cum inchoativis jungitur. Plin., l. XI, c. 11 : « Quum mella *cœperunt* maturescere, abigunt fucos. » Cæs., Bel. Gall., l. VI, c. 29 : « Ipse, cum maturescere frumenta *inciperent*, ad bellum Ambiorigis profectus. » Idem, Bel. civ., l. III, c. 49 : « Jamque frumenta maturescere *incipiebant*. » Hæc fere formantur a verbis neutris absolutis secundæ declinationis, ut *tepeo, tepes*, addita syllaba *co, tepesco; floreo, flores, floresco*. Cætera eodem modo a secunda persona fiunt. Unum atque alterum ab activis deducitur, *augesco, integrasco*. Terent., Andr. act. IV, sc. 2, v. 689 :

. . . . . Vah! perii! hoc malum *integrascit*.

Fiunt etiam a nominibus, ut *silvesco, grandesco, lapidesco, sterilesco*. Plin., l. VIII, c. 76, 1 : « Capræ pinguedine *sterilescunt*. » Sunt omnia tertiæ conjugationis.

Meditativa fiunt a priore supino *m* litera versa in *rio* syllabam, ut *esum, partum, cœnatum : esurio, parturio, cœnaturio;* hæc ad quartum ordinem spectant.

Frequentativa, quæ omnia primi sunt ordinis, varie formantur; nam verba primæ declinationis syllabam *atum* prioris supini in *ito*, penultima brevi, mutant, ut : *rogatum, imperatum, volatum; rogito, imperito, volito*. Cætera modo *um* in *ito* mutant, ut : *lectum, scriptum, factum, actum, lectito, scriptito, factito, actito;* modo *um* in *o*, ut : *pulsum, cursum, raptum; pulso, curso, rapto*. Interdum fiunt a tertia singulari præsentis indicativi, addita *o* litera, ut : *quærit, agit, nat, fundit; quærito, agito, nato, fundito*. Quæ ab his regulis aberrant, usu discentur. De frequentativis est apud Gellium, l. IX, c. 6 : « Ab eo quod est *ago* et *egi*, verba sunt, quæ appellant grammatici frequentativa, *actito* et *actitavi*, etc. » Varro, de Ling. lat., l. VIII, 60, frequentativa appellat verba « quæ sæpius quid fieri ostendunt. »

Diminutiva verba pauca admodum sunt, quæ *diminuta* malim cum Quintiliano appellare, qui l. I, c. 5, 46, nomen *diminutum*, non autem *diminutivum*, vocat.

Παράγωγα, ut Diomedes ait, l. I, p. 374, vocantur, « quæ et primitivi declinationem, et mutationem et adjectionem literarum capiunt, et nihilominus idem significant; interdum variant velut *lacesso*, ex eo quod est *lacero;* sed hic variat; *lacescere* enim concitare est. *Facesso* æque fit; *facescere*, discedere intelligitur..... Item *accerso* per duas *c* dicitur; item per *r* et *c* scribitur *arcesso;* sed interest, quia *accersere* evocare intelligitur; *arcessere* autem accusare significat, et ab *arceo* nascitur; etenim alium accusare, a maleficiis arcere est. » Paragoga etiam sunt *capesso*, *expetesso :* significant enim *capere* et *expetere*. Phocas, p. 1711, putat *lacesso* frequentativum esse. Priscianus, l. VIII, p. 827, ait quosdam appellasse *frequentativa*, quæ ipse *desiderativa* vocat; a doctis tamen non recipitur.

DE PARTICIPIO

117. Participium est pars orationis, quæ tum casus, tum tempora habet.

Participia præsentis temporis in *ans* vel *ens* exeunt, ac ab omni verborum genere nascuntur, exceptis passivis, ut *amans, serviens, complectens, urens*.

Participia præteriti temporis in *tus, sus, xus* desinunt, ac fiunt a verbis passivis, communibus et deponentibus, ut : *amatus, complexus, usus*. Unum in *uus* reperitur, *mortuus* videlicet a *morior*.

Participia futuri tum in *rus*, tum in *dus* exeunt :

In *rus*, oriuntur ab omni genere verborum, exceptis passivis, ut : *amaturus, serviturus, amplexurus, usurus;*

In *dus*, fiunt a passivis et communibus, ut : *amandus, complectendus*. Interdum

etiam a deponentibus quæ aliquando fuerunt communia, ut : *sequendus* a *sequor*, *ulciscendus* ab *ulciscor*.

Participia præsentis temporis fiunt a prima persona præteriti imperfecti, syllaba *bam* vel *bar* mutata in *ns*, ut : *amabam, amans; complectebar, complectens.*

Participia in *dus* fiunt a genitivis participiorum præsentis temporis, *tis* syllaba mutata in *dus, da, dum,* ut : *amans, amantis; amandus, a, um : complectens, complectentis; complectendus, a, um.*

Participio præsentis temporis, gerundiis et futuro in *dus* carent verba quæ præterito imperfecto deficiunt, ut : *odi, cœpi, novi, memini.*

Participia præteriti temporis fiunt a posteriore supino, addita litera *s*, ut : *amatu, amatus; complexu, complexus.*

Participia futuri in *rus* fiunt a priore supino, *m* litera versa in *rus*, ut : *amatum, amaturus; servitum, serviturus.*

118. Quæ verba supinis carent, carent etiam participiis futuri in *rus* et præteriti temporis; item præteritis perfectis et plusquam perfectis passivis omnium modorum, ac futuro passivo conjunctivi modi; præterea futuro infinito tam agendi quam patiendi. Quibus omnibus deficiunt *disco, posco, medeor,* et alia; quæ, quoniam rudibus solent negotium facessere, his versiculis sumus complexi :

> *Nulla supina* mico, strido *seu* strideo *gignunt,*
> Lugeo *cum* sileo, fulget *cum* luceo, friget,
> Urgeo *cum* sorbet, turget, connivet *et* alget,
> Flaveo *cum* timeo, paveo *cum* ferveo, livet,
> Congruo *cum* sapio, lambo *cum* respuo, linguo,
> Ingruo *cum* batuo, posco, metuo*que*, pluo*que*,
> *Et* dispesco, luo, scando; *queis adde* fatisco,
> Hisco, scabo, sugo, nolo *cum* prodigo, dego,
> Annuo *cum sociis*, vado *cum* gliscere, vergo,
> Disco, tremo, satago, ferio, compesco, refello,
> Ambigo, sterto, rudo, psallo *cum* cernere, sido,
> *Et* vescor, liquor, medeor, reminiscor *et* ango,
> *Et* volo, malo, furit, præ*que* [1], ante [2], excellere, ringor,
> *Et quod poscit* ui, *modo sit neutrale secundæ,*
> *Ut* studeo, emineo, *exceptis quæ suggeret usus;*
> *Quæque fere gignit* meditor [3], *quæque* inchoo [4] *verbum.*

[1] Præcello. — [2] Antecello. — [3] Meditativa. — [4] Inchoativa.

119. Participium est, ut Varro, de Ling. lat., l. VIII, 58, ait, quod et tempora et casus habet, vel, ut idem, l. X, 34, inquit, quod cum temporibus et casibus declinatur. Idem, l. VIII, cum egisset de nominibus verbalibus, de participiis deinde agit, quæ verbalibus nominibus differre docet. « Quæ, inquit, l. VIII, 57, vocabula dicuntur, a verbis (fiunt), ut a *scribendo, scriptor;* a *legendo, lector,* etc. Præterea cum sint ab eadem origine verborum vocabula dissimilia superiorum, quod simul habent casus et tempora, quæ vocantur participia, etc. » Separavit Varro, ut vides, verbalia nomina a participiis, et participii etymon, quod ab omnibus veteribus affertur, probavit. Quod supervacaneum alicui videri posset, nisi a quibusdam præciperetur participia verbalia esse nomina, et a verbo tantum partem capere. Eodem loco refert Varro argumenta eorum qui sequendam esse analogiam negabant, quod videlicet a verbis activis duo tantum fierent participia, præsentis et futuri temporis; a passivis vero unum tantum, præteriti nimirum. « Ab *amo,* inquit, et ejusmodi omnibus verbis, oriuntur præsens et futurum, ut *amans* et *amaturus;* ab eis verbis tertium, quod debet fingi, præteriti, in lingua latina reperiri non potest; non ergo est analogia. Sic ab *amor, legor* et ejusmodi verbis vocabulum ejus generis præteriti temporis fit, ut *amatus eram, sum, ero;* neque præsentis et futuri ab his fit. Non est ergo analogia. » Grammatici etiam Ciceronis æquales, ut vides, *amans* præsens, *amaturus* futurum, *amatus* præteritum vocant, quod quidam hac ætate negant.

120. Quod vero aiunt a passivis verbis non fieri participia præsentis temporis veteres omnes fatentur. *Amandus* enim, verbi causa, nemo est veterum grammaticorum qui præsens esse dicat; at futurum esse quis neget? Negant hi qui analogiam oppugnabant, a quibus Varro, cum iisdem, l. IX, 96, 110, respondet, quod ad hoc caput attinet, non videtur dissentire : nullam enim de eo mentionem facit, facturus sine dubio, si dubium controversumque esset. Quorum sententiæ quidam accedunt, cum affirmant voces *dus, dum* necessitatem, officium dignitatemque adsignificare, non futurum tempus; cujusmodi sunt hæc : Cic., II de Leg. agrar., c. 35, 95 : « Hæc qui prospexerint (majores nostros dico), Quirites, non eos in deorum immortalium numero *venerandos* a nobis et *colendos* putatis? » Idem, de Harusp., c. 8, 16 : « Nego ullo de opere publico, de monumento, de templo, tot Senatus exstare consulta, quot de mea domo; quam Senatus unam post hanc urbem constitutam ex ærario *ædificandam,* a pontificibus *liberandam,* a magistratibus *defendendam,* a judicibus *puniendam* putaret. » Idem, Fam., l. XII, ep. 23, 1 : « Quo tua major dignitas, eo quæ tibi acciderunt, minus *ferenda.* Neque enim quæ tu propter magnitudinem et animi et ingenii moderate fers, a te non *ulciscenda* sunt, etiamsi non sunt *dolenda.* » Hæc enim et similia sunt qui putent esse nomina, ut putarunt grammatici illi quibuscum Varro certabat. — At ablativum, inquies, post se habent. Quid mirum? habent et quæ sine controversia nomina sunt. Idem, Fam., l. XII, ep. 26, 2 : « Cæterisque omnibus rebus habeas eos *a me commendatissimos.* » Participia igitur in *dus* funditus peribunt? Non fert Probus, l. I, p. 1419; non Phocas, p. 1722; non Diomedes, l. I, p. 396; non Donatus, edit. II, p. 1761, clari ac nobiles grammatici; non patientur viri doctissimi, atque de lingua latina optime meriti; non sinet Fabius Quintilianus, vir singulari doctrina; quippe qui l. IX, c. 3, 9, luculentissime docet esse participia hæc in lingua latina : « Utimur, inquit, et verbo pro participio, ut

. . . . . Magnum dat *ferre* talentum;
(*Æn.*, V, 248.)

tanquam *ferendum.* » Ibidem, § 64 : « Illud plane figura est, qua diversa sermonis forma conjungitur :

. . . . . Sociis tunc arma capessant
Edico, et dira bellum cum gente *gerendum.*
(*Æn.*, III, 234.)

Quamvis enim pars *bellum* posterior participio insistat, utrique convenit illud *edico.* » Hæc ille. Quod si voces in *dus* e participiorum numero excludendæ sunt, quod necessitatem, officium adsignificent, sæpe etiam verba futuri temporis futura esse desinent. An non hæc et sexcenta alia officium adsignificant? *Defendam* meos cives, etiamsi certo sciam me occisum iri. *Defendentur* ubique terrarum a me cives mei, quandiu vixero. Nonne, cum Cicero, II Phil., c. 46, 118, dixit : « Defendi Rempublicam adolescens, non *deseram* senex; contempsi Catilinæ gladios, non *pertimescam* tuos; » et paulo post : « Etenim si abhinc annos prope

viginti hoc ipso in templo negavi posse mortem immaturam esse consulari; quanto verius nunc *negabo* seni? » *deseram, pertimescam, negabo,* officium adsignificant. Eadem ratione ne participia quidem in *rus* in participiis numerentur. Quid? *Sum defensurus* meos cives, etiamsi certo sciam me occisum iri. Defendi rempublicam adolescens, non *sum deserturus* senex. *Defensurus, deserturus,* quid aliud quam partes officiumque clamant? Quid igitur causæ esse putem cur *Defendendi sunt* a me cives mei, Non *deserenda est* a me Respublica; quid, inquam, causæ esse putem cur *defendendi, deserenda,* potius nomina quam participia sint, maxime cum more verborum sextum casum admittant? Sed hæc, ut multa alia, viderint Palæmones.

Vapulans, vapulaturus, et alia hujus generis fiunt a verbis passivis significatione tantum; quod vero diximus de passivis, non solum significatione, sed etiam voce accipiendum est.

Nonnulla participia præteriti temporis et futuri in *dus* reperiuntur a verbis neutris orta, ut *obitus, a, um, obeundus, vigilatus, vigilandus, evigilatus, evigilandus, properatus, properandus, erratus, regnatus, pugnatus, laboratus, redundatus, cessatus, successus;* quorum aliquot etiam apud oratores. Cic. pro Sext, c. 38, 83 : « Nec vero illorum quisquam, quos a majoribus nostris, morte *obita,* positos in illo loco atque in rostris collocatos videtis. » Quint., l. XI, c. 3, 23 : « Et *vigilandæ* noctes, et fuligo lucubrationum *bibenda.* » Cic., Att., l. IX, ep. 12, 1 : « At quam honesta, at quam expedita tua consilia! quam *evigilata* tuis cogitationibus qua itineris, qua navigationis, etc. » Quintilianus, l. X, c. 3, 19, stylum *properatum* dixit; idem, l. VI, Proœmio, § 10, *festinatam* maturitatem; Plinius, in Paneg. c. 69, 5, *festinatos* honores; Cic., Fam., l. XVI, ep. 21, 2 : « Nam cum omnia mea causa velles mihi *successa,* tum etiam tua : socium enim te meorum commodorum semper esse volui. » Reliqua et his plura invenies apud poetas. Verisimile est verba, unde hæc fiunt, apud priscos fuisse passiva, quorum nonnulla etiam hodie exstant. Tacit., de Morib. Germ., c. 20 : « Nec virgines *festinantur.* » Idem, Histor. l. I, c. 16 : « Neque enim hic ut in cæteris gentibus, qu *regnantur,* certa dominorum domus. » Plin., in Paneg. Traj., c. 51, 3 : « Hinc porticus, inde delubra occulta celeritate *properantur.* »

121. Multa sunt hodie deponentia, quæ apud priscos fuerunt communia, ut : *consequor, adipiscor, utor, consector, admiror, demolior, calumnior, arbitror, aggredior, execror, detestor, abominor, auxilior, machinor,* et multa alia; vide Priscian., l. VIII, p. 791.

Sunt nonnulla quæ, quamvis habeant præteritum imperfectum, tamen participio præsentis et futuri temporis in *dus,* ac gerundiis destituuntur, ut *fio, reor; medeor* non caret præsenti, ut Phocas, p. 1722, putavit : nam Ovidius, Metam., l. XV, v. 629, « artes *medentum* » dixit, et Stat., Sylv., l. II, carm. I, v. 5 :

> Cum jam egomet cantus, et verba *medentia* sævis
> Confero.

Iisdem participiis et gerundiis caret verbum substantivum, et quæ ex eo componuntur, præter *absum* et *præsum,* quæ *præsens* et *absens* habent; nam *potens* nomen est. Item *volo, nolo, malo,* exceptis *volo, nolo,* quæ *volens, nolens* tantum habent.

Præterea verba impersonalia, præter *pœnitet,* quod habet participium *pœnitens.* Sueton., in Vitel. c. 15 : « Non multo post *pœnitens* facti. » *Libens, pudens,* et si qua alia sunt, nomina potius quam participia censenda sunt. *Pœnitet, pudet, piget,* gerundia habent, et participia sive participialia in *dus,* quæ potius a verbis *pœniteo* sive *pœniteor, pudeor, pigeor* deducuntur, quæ priscis fuerunt usitata; et participium *pœnitens* a *pœniteo* sive *pœniteor* deductum fuisse arbitror : ut enim Græci dicunt μεταμέλει καὶ μεταμελοῦμαι, ita prisci *pœnitet* et *pœniteor* dicebant; et *pœnitet me facti,* et *pœniteor facti* sive *de facto* : utraque enim constructio in participio apparet. Idem, in Claud., c. 43 : « Sub exitu vitæ signa quædam nec obscura *pœnitentis et de matrimonio* Agrippinæ, deque Neronis *adoptione* dederat. »

Fruor putavit Phocas, p. 1722, carere participiis; *fruens* nondum legi, *fruendus* frequens est apud Ciceronem. *Fruiturus* dixit idem, Tusc., l. III, c. 17, 38. *Fruitus* dixit Ulpianus, Dig., l. VII, tit. IV, lege 29. *Fructus* aiunt Ciceronem dixisse in Hortensio; sed apud Priscianum, l. X, p. 883, *perfructus est,* non *fructus.* De quibus in præteritis verborum deponentium copiosius.

122. Participia futuri in *rus* ne deducant tiro-

nes a supinis primæ conjugationis, quæ in *itum* aut *ctum* exeunt; non enim *soniturus*, verbi causa, *secturus, fricturus* a *sonitum, sectum, frictum* dicimus; sed *sonaturus, secaturus, fricaturus*, tanquam a supinis *sonatum, secatum, fricatum*. Virgilius, Georg. IV, v. 102, *domiturus* dixit; sed de his in præteritis et supinis primi ordinis. — *Reor* caret hoc participio; item *faris* vel *fare*. — *Orior, morior, oriturus, moriturus* habent; *nascor, nasciturus* apud Portium Latronem, Decl. in Catil., c. 8. Vide hæc suo loco. A *partum, erutum, pastum, mansum* a mando, is, *solitum, satum, scitum, saltum*, non facile hoc participium invenies; *pariturus* usitatum est a *paritum*. *Sitituru*s non tam mihi videtur durum quam *statuturus*, quo Cicero est usus ad Att., l. IV, ep. 2, 4 : « Tum Lucullus de omnium collegarum sententia respondit, religionis judices Pontifices fuisse, legis Senatum; se et collegas suos de religione statuisse, in Senatu de lege *statuturos*. » Idem *restituturum*, Verr. act. I, c. 15, 45, dixit : « Ostendit se tribunitiam potestatem *restituturum*. » — *Fluxurus* negat Phocas, p. 1719, esse in usu, quo tamen Columella, l. III, c. 2, bis usus est. — Carent et verba impersonalia, præter *licet*, quod *liciturum* habet, quo usus Cic., Att., l. II, ep. 1, 5 : « Quod nihilo magis ei *liciturum* esset plebeio rempublicam perdere, quam similibus ejus, me Consule, patriciis esset licitum; » et *pudet, puditurum;* Plin., l. XXXVI, c. 24, 6 : « Cum puderet vivos, tanquam *puditurum* esset extinctos. » Sallustius etiam *pœniturum* dixit, ut notat Quintilianus, l. IX, c. 3, 12.

Luctum a *lugeo* non est in usu, neque *sorbitum* aut *sorptum* a *sorbeo;* posterius supinum a *sorbo, is*, tertiæ conjugationis est. *Sapĭtum* vel *sapītum*, media longa, nusquam est. Composita ex verbis *mico, vado, scando, linquo, cerno*, supina non habent; quibus *arceo* adjungi potest, nam *arcitum* difficile invenies. *Æstuo, incesso, ningo* etiam supinis deficiunt. Inchoativa et meditativa verba iisdem carent. Terent., Heaut. act. V, sc. 3, v. 983, « nos *esurituros* satis » dixit; sed de his omnibus suo loco fusius.

123. Quoniam communium et deponentium verborum declinatio, maxime infiniti modi, solet tironibus negotium exhibere, unum atque alterum exemplum ponemus.

DECLINATIO VERBI COMMUNIS

INFINITI MODI

PRÆSENS ET IMPERFECTUM COMMUNE.

Complecti.

PERFECTUM ET PLUSQUAM PERFECTUM COMMUNE.

Complexum, am, um esse *vel* fuisse.

FUTURUM ACTIVUM.

Complexurum, am, um esse.

FUTURUM PASSIVUM.

Complexum iri *vel* complectendum esse.

GERUNDIA.

Complectendi, complectendo, complectendum.

SUPINA.

Complexum, complexu.

PARTICIPIUM ACTIVUM PRÆSENTIS TEMPORIS.

Complectens.

PARTICIPIUM ACTIVUM FUTURI.

Complexurus.

PARTICIPIUM PRÆTERITI COMMUNE.

Complexus, a, um.

FUTURI PASSIVUM.

Complectendus, a, um.

DECLINATIO VERBI DEPONENTIS

INFINITI MODI

PRÆSENS ET IMPERFECTUM.

Proficisci.

PERFECTUM ET PLUSQUAM PERFECTUM.

Profectum, am, um esse *vel* fuisse.

FUTURUM.

Profecturum, am, um esse.

GERUNDIA.

Proficiscendi, proficiscendo, proficiscendum.

SUPINUM.

Profectum.

PARTICIPIUM PRÆSENTIS.

Proficiscens.

FUTURI.

Profecturus, a, um.

PRÆTERITI.

Profectus, a, um.

DE PRÆPOSITIONE

124. Præpositio est pars orationis quæ cæteris partibus, aut separata, aut conjuncta, fere præponitur : separata, ut : *Non sum apud me præ iracundia;* conjuncta, ut : *Præstat millies mori quam Deum vel levissime offendere.*

Accusativo serviunt : Ad, apud, ante, adversus *vel* adversum, cis, citra, circiter, circa, circum, contra, erga, extra, intra, inter, infra, juxta, ob, penes, per, pone, post, præter, prope, propter, secundum, secus, supra, trans, versus, ultra, usque.

Ablativo gaudent : A, ab, abs, absque, cum, coram, clam, de, e, ex, præ, pro, procul, palam, sine, tenus; quarum ultima fere genitivum amat, cum vocabulo multitudinis adhæret, ut : *Cumarum tenus, Umbrorum tenus;* alioquin ablativum, ut : *pectore tenus, ore tenus.*

Accusativum vel ablativum pro varia significatione *postulant :* in, sub, super.

SUBTER. — *Subter* apud oratores accusativum habet, apud poetas etiam ablativum.

Præpositiones quæ tantum conjunctæ præponuntur, sunt : *am, con, di, dis, re, se,* ut : AM*bigo,* CON*fero,* DI*numero,* DIS*puto,* RE*puto,* SE*jungo.*

Præpositiones fere præponuntur, unde et nomen traxerunt; *tenus* et *versus* postponuntur. *Cum* illis *me*CUM, *te*CUM, *se*CUM, *nobis*CUM, *vobis*CUM, cur posteriore loco ponatur, docet Cicero in Oratore, c. 45, 154. Sunt et aliæ quæ interim postponuntur, ut *inter*. Cic., de Amicit., c. 22, 83 : « Quæ, si *quos inter* societas aut est, aut fuit, etc. » Quædam aliquando interponuntur, ut *in*. Idem, ibid., c. 21, 79 : « *Quibus in ipsis* inest causa cur diligantur; » quarum usum optimis auctoribus legendis notabis.

Veteres præpositiones conjunctas *loquelares*, quod loquelis videlicet adhæreant, solent appellare; quæ vero casibus serviunt, *casuales;* illas etiam quidam *per compositionem,* has *per appositionem* vocant.

Am præpositio loquelaris per *m* literam scribenda est. Festus : « *Amnis* proprie dicitur a circumnando, quoniam ex græca præpositione sumptum, quæ est ἀμφί, significat *circum* et nare fluere. » Idem : « *Am* præpositio loquelaris significat *circum.* » Priscianus, l. I, p. 555, « *anceps,* inquit, pro *ambiceps : am* enim præpositio, *f* vel *c* vel *q* sequentibus, in *n* mutat *m,* ut : AN*fractus,*

AN*cisus*, AN*quiro*; vocali vero sequente intercipit *b*, ut : AM*bitus*, AM*besus*, AM*bustus*, AM*bages*. » Hæc ille. Eodem modo Diomedes, l. I, p. 379, et Donatus *am* per *m* scripserunt, ut ex subjecto exemplo constat, nimirum *amplector*. Apud priscos fuit etiam casualis, serviebatque accusativo, ut apud Græcos ἀμφί; unde sublata posteriore syllaba dicta est, cum *circum* significat. Cato in Originibus oratorum : « *Am* terminum, id est, *circum* terminum; » vide Macrobium, l. I, Saturn., c. 14. Varro, de Ling. lat., l. VI, 37, ubi de verbis primigeniis et declinatis, hoc est, quæ ab aliis oriuntur, agit, præpositiones vocat *præverbia* : « Principia, inquit, erunt pauca; quæ inde nata sint, innumerabilia; a quibus iisdem principiis antepositis *præverbiis* paucis immanis verborum accedit numerus, quod præverbiis mutatis, additis atque commutatis, aliud atque aliud fit; ut enim *processit* et *recessit*, sic *accessit* et *abscessit*; item *incessit* et *excessit*, sic *successit* et *decessit*, *concessit* et *discessit*. Quod si hæc decem sola præverbia essent, etc. » Cicero in Topicis, c. 11, 48, *præpositiones* vocat : « Præpositio, inquit, *in* privat verbum ea vi quam haberet, si *in* præpositum non fuisset, ut *dignitas*, *indignitas*, etc. » Cætera, quæ hic desiderantur, invenies in Constructione.

DE ADVERBIO

125. Adverbium est pars orationis quæ, vocibus addita, earum significationem explanat ac definit, ut : *raro* loquitur, *bene* peritus, *vehementer* iratus, *parum* diligenter.

Adverbiorum varia sunt genera et significationes :

Optandi, ut *utinam*, *o si*.

Vocandi, ut *o*, *heus*, *eho*.

Interrogandi, ut *cur*, *quare*, *quid*, *ita*, *quamobrem*.

Respondendi affirmate, ut *etiam*, *ita*, *maxime*, *quidni?*

Confirmandi, ut *profecto*, *sane*, *certe*.

Negandi, ut *non*, *nequaquam*, *minime*, *haud*, *haudquaquam*.

Dubitandi, ut *forsan*, *forsitan*, *fortassis*, *fortasse*.

Hortandi, ut *eia*, *age*, *agedum*, *agite*.

Prohibendi, ut *ne*.

Demonstrandi, ut *en*, *ecce*.

Eligendi, ut *potius*, *imo*.

Comparandi, ut *magis*, *minus*, *fortius*.

Congregandi, ut *simul*, *una*, *pariter*.

Separandi, ut *seorsum*, *separatim*.

Intendendi, ut *acriter*, *studiose*, *vehementer*.

Remittendi, ut *segniter*, *remisse*, *oscitanter*.

Temporis, ut *hodie*, *cras*, *perendie*, *heri*, *nudiustertius*.

Loci, ut *hic*, *huc*, *hac*, *horsum*.

Numeri, ut *semel*, *bis*, *ter*, *sæpe*, *centies*, *millies*.

Ordinis, ut *primum*, *deinde*, *postremo*.

Eventus, ut *forte*, *fortuito*.

Similitudinis, ut *sicut*, *sicuti*, *ut*, *uti*.

Diversitatis, ut *aliter*, *secus*.

Qualitatis, ut *prudenter*, *perite*, *eleganter*.

Quantitatis, ut *parum*, *multum*, *satis*, *nimium*.

Adverbia non solum verbis, sed etiam participiis, nominibus, sibi ipsis adminiculantur; quia tamen verbis potissimum adhærent, *adverbia* a grammaticis dicta sunt. Quidam, ut Varro, de Ling. lat., l. VIII, 44, docet, adverbium partem orationis *adminiculandi* appellarunt.

Jurandi adverbia *hercle, mehercle, hercule, mehercule, hercules, mehercules, medius fidius, ecastor, mecastor, pol, ædepol,* et siqua sunt generis ejusdem, quibus homini Christiano non licet uti, consulte prætermisimus, ne pueri, antequam latine sciant, per Herculem, Pollucem, aliaque deorum portenta jurare assuescant. Diomedes, l. I, p. 399, æstimandi adverbia addidit, ut *vili, caro.* Addunt alii alia : excludendi, ut *solum, tantum;* explanandi, ut *nimirum;* rei non plane peractæ, ut *fere, ferme.*

DE INTERJECTIONE

126. Interjectio est pars orationis quæ varios animi affectus indicat. Interjectionum variæ sunt formæ et significationes.

Laudantis, et aliquando exultantis, ut *euge.*

Exultantis, et interdum insultantis, ut *vah.*

Lætantis, ut *evax.*

Dolentis et ingemiscentis, ut *ah, heu, hei.*

Suspirantis, ut *ahah.*

Lugentis, ut *hoi, hei.*

Ejulantis, ut *oh oh oh oh.*

Admirantis, ut *papæ, o, vah.*

Admirantis, et interdum ironiæ, ut *hui.*

Irridentis, ut *o : O præclarum custodem ovium, ut aiunt, lupum!*

Exclamantis, ut *pro, o.*

Silentium indicentis, ut *st.*

Timentis, ut *hei.*

Deprehendentis aliquid ex improviso, ut *at at.*

Præsagientis malum, miserantis vel minantis, ut *væ.*

Rejicientis cum fastidio, ut *apage, apagesis.*

Stomachantis sive indignantis, ut *malum.*

Execrantis, ut *nefas, infandum.*

Multæ sunt interjectiones quæ varios exprimunt affectus, ut *o, hei, ah, hui, euge,* quarum significationes optimus magister usus, assiduaque lectio te docebit. *Malum, nefas, infandum,* quamvis nomina sint, interdum tamen interjectionis partes agunt.

Probus, l. I, p. 1429, hanc orationis partem ad hunc modum definit : « Interjectiones sunt quæ affectum animi vario motu designant. Interdum enim gaudium, aliquando dolorem mentis ostendunt. » Diomedes, l. I, p. 412 : « Interjectio est pars orationis affectum mentis significans voce incondita. » Eodem modo Donatus in priore libello de Octo partibus. Priscianus, l. XV, p. 1025, ait interjectiones abscondita voce, id est (ut idem explicat), non plane expressa pronuntiari. Idem Donatus in edit. II, p. 1766 : « Interjectio, inquit, est pars orationis interjecta aliis partibus orationis ad exprimendos animi affectus. » Particulam, *voce incondita,* putat quidam a recentioribus fuisse excogitatam, cum ea veteres, ut modo ostendimus, usi fuerint; neque vox *rudis inconditaque* accipienda est, quæ scribitur, sed quæ pronuntiatur : lugentis enim, aut exultantis, aut exclamantis voces confusæ et perturbatæ sunt; scriptæ vero apertæ et planæ; quæ etiam, cum ab iis pronuntiantur qui affectibus perturbationibusque vacui sunt, apertæ videntur. Interjectionis meminit Quintilianus, l. I, c. 4, 20.

DE CONJUNCTIONE

127. Conjunctio est pars orationis connectens ordinansque sententiam.

Conjunctionum species sive significationes variæ sunt:

Copulativæ, ut *ac*, *atque*, *et*, *que*, etc.

Disjunctivæ, ut *vel*, *ve*, *sive*, *seu*, *aut*, *ne*.

Adversativæ, ut *etsi*, *tametsi*, *quanquam*, *quamvis*, etc.

Collectivæ, sive illativæ, sive rationales, ut *ergo*, *igitur*, *quare*, *quocirca*, *quapropter*, *itaque*, etc.

Causales, ut *namque*, *siquidem*, *quia*, *quoniam*, *enim*, *etenim*, *quod*, *propterea quod*, etc.

Expletivæ, ut *quidem*, *equidem*, etc.

Conjunctiones partim sunt *præpositivæ*, partim *subjunctivæ*, partim *mediæ*.

Præpositivæ sive *principes* sunt quæ in oratione præeunt, ut *aut*, *ac*, *atque*, *at*, *ast*, *vel*, *nec*, *neque*, *nisi*, *seu*, *sive*, etc.

Subjunctivæ sive *subditæ*, quæ subeunt, ut *que*, *ve*, *ne*, *quidem*, *quoque*, *autem*, *vero*, *enim*.

Communes sive *mediæ*, quæ et præeunt et subeunt, ut *ergo*, *igitur*, *itaque*, *equidem*, etc.

Mirum est quantum grammatici in conjunctione inter se dissentiant; siquidem Diomedes, l. I, p. 409, et Donatus, edit. II, p. 1763, aiunt quinque esse conjunctionum species, quas alii significationes vocant: *copulativas, disjunctivas, expletivas, causales, rationales.* Priscianus, l. XVI, p. 1025, sexdecim; causales enim in quinque formas, Apollonium imitatus, distribuit: *continuativas, subcontinuativas*, etc.; addidit etiam *approbativas, præsumptivas*, et alias ejusdem generis, quas, ne tibi sim fastidio, libenter prætermitto. Recentiores etiam *discretivas* et *suspensivas* excogitarunt. Præterea eædem, a variis, diversis formis adscribuntur; alii enim *nec, neque* copulativas, alii disjunctivas vocant. *Quanquam, quamvis, tametsi*, quidam adversativas appellant, quas Plinius, ut ait Diomedes, l. I, p. 410, illativas vocat; ipse vero Diomedes *quanquam, quamvis* rationales sive ratiocinativas nominat; *etsi, tametsi*, causales; *potius, imo*, quæ supra adverbia eligendi appellavimus, docet idem relativas ad aliquid, sive comparativas a Plinio dici. Itaque alii adverbium nominant, alii inter conjunctiones numerant, non diversa, sed eadem significatione; nam eadem vox, diversa significatione, et adverbium et conjunctio esse potest, ut *quare, quamobrem:* quæ adverbia sunt interrogandi, cum interrogationi; conjunctiones vero, cum conclusioni serviunt. Quæ cum ita sint, ne de formis sive vocabulis conjunctionum sint solliciti qui tirones docent, quando ipsi etiam coryphæi de ipsis tantopere inter se dissident. Satis enim est conjunctionem communi vocabulo nominare, interdum etiam particulam. Doceantur potius pueri quæ præeant, quæ subeant; nam transmutatione committitur solœcismus, auctore Quintiliano, l. I, c. 5, 39, ut: « *Quoque* ego; *enim* hoc noluit; *autem* non habuit. »

Definitio conjunctionis qua usi sumus Palæmonis est, ut refert Diomedes, l. I, p. 409. Copulativam appellat Gellius, l. X, c. 29, connexivam: « Atque, inquit, particula a grammaticis quidem conjunctio esse dicitur connexiva; et plerumque sane conjungit verba, et connectit. Sed interdum alias quasdam potestates habet non satis notas, nisi

in veterum literarum tractatione atque cura exercitis. Nam et pro adverbio valet, cum dicimus: *Aliter ego feci atque tu;* significat enim *aliter quam tu*, etc. » Quidam malunt copulantes appellare; nos non admodum reformidamus hæc vocabula, cum eis Probus, l. I, p. 1425, aliique veteres utantur. Disjunctivæ quamvis sensum disjungant, verba tamen conjungunt, qua ratione conjunctionis nomen non amittunt. Nonnulli Ciceronis ætate conjunctionem appellarunt partem orationis *jungendi;* vide Varronem, de Ling. lat., l. VIII, 10; Cicero in Oratore, c. 39, 135, conjunctionem vocat. Quod ad ordinem attinet, *principes, subditas,* quæ et præeunt et subeunt appellavimus, quas Diomedes, l. I, p. 409, *principales, subsequentes, medias* vocat; sic enim Nigidius apud Gellium, l. XIX, c. 14, vocales distribuit. Sed hæc hactenus.

DE ACCIDENTIBUS

SIVE ATTRIBUTIS PARTIUM ORATIONIS

128. Sunt quædam, quæ partes orationis comitantur, ut : numerus, casus, genus, declinatio, modus, tempus, persona, figura, species; quæ *accidentia* sive *attributa partium* vocantur.

Numeri nominum, pronominum, verborum et participiorum sunt duo : *singularis*, ut : *musa, ego, amo, amans; pluralis*, ut : *musæ, nos, amamus, amantes.*

Casus nominum, participiorum et nonnullorum pronominum sunt sex : *nominativus, genitivus, dativus, accusativus, vocativus, ablativus.*

Nomen, pronomen, participium tria habent *genera* præcipua : *masculinum* sive *virile*, cui præponitur pronomen *hic*, ut : *hic dominus, meus, doctus; femininum* sive *muliebre*, cui præponitur pronomen *hæc*, ut : *hæc ancilla, mea, docta; neutrum*, cui præponitur pronomen *hoc*, ut : *hoc mancipium, meum, doctum.*

Ex his tribus generibus nascuntur duo alia, *commune duorum* et *commune trium. Commune duorum* est, cui præponuntur pronomina *hic* et *hæc*, ut : *hic* et *hæc parens. Commune trium*, sive *omne*, cui præponuntur pronomina *hic, hæc, hoc*, ut : *hic* et *hæc* et *hoc prudens, nostras, amans.*

129. Declinationes sive formæ nominum sunt quinque :

Prima, cujus genitivus terminatur *æ* diphthongo, ut *musa, musæ;*

Secunda, cujus genitivus terminatur litera *i*, ut *dominus, domini;*

Tertia, cujus genitivus terminatur syllaba *is*, ut *sermo, sermonis;*

Quarta, cujus genitivus terminatur syllaba *us*, ut *sensus, sensus;*

Quinta, cujus genitivus terminatur literis *e* et *i* separatis, ut *dies, diei.*

Pronomina *meus*, *tuus*, *suus*, *noster*, *vester*, ad primam et secundam nominum declinationem spectant; *nostras*, *vestras*, ad tertiam; cætera peculiares habent formas.

Participia quæ in *ans* et *ens* exeunt ad tertiam declinationem pertinent, ut *amans*, *docens*, etc. Reliqua ad primam et secundam, ut : *amaturus*, *a*, *um*; *amandus*, *a*, *um*, etc.

130. *Declinationes* sive *conjugationes verborum* sunt quatuor :

Prima, cujus secunda persona præsentis indicativi exit in *as*, ut *amo, amas, amare;* — secunda, in *es* longum, ut *doceo, doces, docere;* — tertia, in *is* breve, et infinitum in *ere*, ut *lego*, *legis*, *legere;* — quarta, in *is* longum, et infinitum in *ire*, ut *audio*, *audis*, *audire*.

Modi verborum triti ac communes sunt quinque : *indicativus, imperativus*, *optativus*, *conjunctivus*, *infinitus*.

Tempora verborum sunt quinque : *præsens* sive *instans*, *præteritum imperfectum*, *præteritum perfectum*, *præteritum plusquam perfectum*, *futurum*.

Personæ pronominum sunt tres : prima, *ego;* secunda, *tu;* reliqua pronomina tertiæ sunt personæ, præter *ipse*, *ipsa*, *ipsum*, quod cujusvis est personæ; item provocabulum *qui*, *quæ, quod*.

Personæ verborum sunt tres : prima, ut *amo;* secunda, ut *amas;* tertia, ut *amat*.

Nomina et participia, exceptis vocativis, incertæ sunt personæ, sicut et verba infinita : eam enim induunt personam cujus est verbi cui adhærent, ut : *Ego M. Tullius defendi rempublicam adolescens*, *non deseram senex. Cupio te audire.* — Vocandi casus, quoniam secundis personis tantum adhærent, solum sunt secundæ personæ.

Figuræ nominum, pronominum, verborum, participiorum, præpositionum, adverbiorum, conjunctionum duæ sunt : *simplex*, ut *prudens*, *is*, *amo*, *amans*, *abs*, *prudenter*, *enim;* — *composita*, ut *imprudens*, *idem*, *adamo*, *adamans*, *absque*, *imprudenter*, *etenim*.

Species nominum, pronominum, verborum, adverbiorum sunt duæ : *primitiva*, ut, *pater*, *tu*, *caleo*, *clam;* — *derivativa*, ut *paternus*, *tuus*, *a*, *um*, *calesco*, *clanculum*.

Partium orationis accidentia, sive attributa, sive affectus, sive affectiones, sive, ut Diomedes vocat, l. I, p. 306, observationes, in hunc locum rejecimus, ne in singulis partibus eadem non sine causa repeterentur. Quid enim attinet eamdem crambem, *quot accidunt nomini*, *pronomini*, *verbo*, etc., toties repetere ? Quem, obsecro, fructum percipient tirones, si in numerato habeant quæ attributa quibus partibus accidant ? Nonne multo satius esset id temporis in nominibus verbisque declinandis consumere ?

NUMERUS

131. Quintilianus, l. I, c. 6, 26, numerum solet appellare *singularem* et *pluralem;* idem adverbiis *singulariter* et *pluraliter* utitur l. I, c. 5, 16. Gellius non solum pluralem, sed etiam *plurativum* numerum dicit l. I, c. 16, et l. V, c. 21. A Cæsare in libris de Analogia dicitur *appellatio multitudinis,* item *significatio multitudinis.* Vide Gellium, l. XIX, c. 8, ubi etiam invenies *numerum multitudinis, figuram multitudinis* in eadem re. Eodem capite appellat Gellius numerum singulum, *singularem;* Varro solet dicere verba, vocabula *singularia, multitudinis,* de Ling. lat., l. IX, 63. « Reprehendunt (analogias), quod alia vocabula *singularia* sint solum, ut *cicer;* alia *multitudinis* solum, ut *scalæ.* » Ibidem, 65 : « Injuria postulant, siqua sunt *singularia,* oportere habere *multitudines.* » Ibid. : « Omnes enim numeri a duobus sursum versus *multitudinis* sunt. » Sic Nigidius loqui consuevit apud Gellium, l. XIII, c. 25, *casu multitudinis recto.*

CASUS

132. *Nominativi, genitivi, dativi, accusativi, vocativi, ablativi* vocabulis utitur Quintilianus, et ejus æquales, quem grammatici sequuntur; lege eumdem l. I, cc. 4, 5, 6, 7; l. VII, c. 9. Nominativum Cicero in Orat. c. 48, 160; Varro in libris de Ling. lat., l. VIII, 36; Nigidius apud Gellium, l. XIII, c. 25, *rectum casum* vocant. Varro etiam *casum nominandi,* de Ling. lat., l. IX, 76 : « Ambiguum, inquit, verbum nominandi, an patrii esset casus, ut *ovis* et *avis.* » Genitivum *patrium casum* idem appellat; dativum, *dandi;* accusativum, *accusandi;* vocativum, *vocandi,* l. IX, 54; l. VIII, 36, 42, 66; ablativum, *sextum casum,* idem, l. X, 62, « a *sexto casu,* qui est proprius Latinis. »

P. Nigidius *casum interrogandi* appellat genitivum apud Gellium, l. XIII, c. 25, ubi Gellius sic interpretatur : « *Casum interrogandi* eum dicit quem nunc nos genitivum dicimus. » Apollinaris Sulpitius apud eumdem, l. XX, c. 6 : « *Mei,* inquit, *casus interrogandi* est, quem genitivum grammatici vocant. » Quidam recentiores genitivum, *casum gignendi;* ablativum, *auferendi* solent dicere, quas appellationes nondum apud classicos legi. Donatus, edit. II, p. 1749, ait quosdam septimum casum addere, similem ablativo, sed sine præpositione *a* vel *ab.* Prisciano, l. V, p. 674, non placet hæc opinio : eodem, inquit ille, pacto possim accusativos in duos casus distribuere, alterum cum præpositione; alterum qui eadem careat. Quintilianus, l. I, c. 4, 26, putat ablativum, quem nunc instrumenti vocant, septimum esse casum. Sunt qui octavum casum addant, ut *It clamor cœlo,* pro *in cœlum.* Sed hæc nimis multa.

Illud nobis pene exciderat, nominativum ipsum a Quintiliano *positionem,* et *primam positionem* dici; reliquos vero *casus obliquos;* lege l. I, c. 6. Varro sæpenumero casus in rectos et obliquos dividit. Idem, de Ling. lat., l. VIII, 16, docet cur a casu recto declinati sint obliqui; ut nimirum is qui de altero diceret, distinguere posset, cum vocaret, cum daret, cum accusaret, etc.

GENUS

133. Quintilianus, l. I, c. 6, 5, genus *masculinum* ac *femininum* vocat, et Plinius, l. X, c. 87, 1 : « Neque est iis genus masculinum, femininumve, etc. » Varro *virile, muliebre,* de Ling. lat., l. VIII, 46 : « Utrum *virile, muliebre* an neutrum sit, ut *doctus, docta, doctum.* » *Neutrum* vocant omnes, nonnulli etiam *neutrale.* Quintilianus, l. I, c. 4, 23, *commune duobus* vocat, quod Phocas, Diomedes, Donatus sæpe *commune* dicunt simpliciter. Ibidem, Fabius *commune omnibus,* quod

iidem grammatici *omne* frequenter nominant. Itaque dicitur nomen commune duobus, sive duorum, sive duum generum, sive communis generis; et commune trium, aut omnium generum, aut omnis generis. Nomen masculinum definit Diomedes, l. I, p. 275, cui præponitur pronomen *hic;* femininum, *hæc;* neutrum, *hoc;* quam definiendi rationem a M. Varrone, de Lingua latina, l. IX, 41, mutuatus est. « Ea, inquit, *virilia* dicimus, non quæ virum significant, sed quibus præponimus *hic* et *hi;* et sic *muliebria*, in quibus dicere possumus *hæc* et *hæ.* » Præter hæc sunt et alia genera, quæ *epicœna* sive *promiscua* vocantur, « in quibus, ut inquit Fabius, l. I, c. 4, 24, sexus uterque per alterum apparet : » uno enim genere articuloque utrumque sexum comprehendunt. Epicœni meminit Gellius l. XIII, c. 7. Varro, de Ling. lat., l. IX, 56, docet cur hoc genus sit inventum. Sunt etiam nomina generis *ambigui*, sive incerti generis, ut Phocas, p. 1696, Diomedes, l. I, p. 314, et Donatus, edit. II, p. 1747, vocant. De utroque genere suo loco copiosius.

Priscianus, l. XII, p. 942, etiam pronominibus quinque attribuit genera; ait enim *nostras, vestras* generis esse communis; *ego* et *tu*, omnis generis. Diomedes quatuor : masculinum, ut *hic;* femininum, ut *hæc;* neutrum, ut *hoc;* commune, ut *ego* et *tu;* cui libenter accedo. Priscianus conatur docere hæc esse omnis generis; quia quamvis, inquit, sermo inter mares et feminas exerceatur, sunt tamen propria quædam neutra, ut *Glycerium.* Nescio quid hic illi venerit in mentem, cum multis locis fateatur *Glycerium* et alia id genus, sicuti sunt, generis esse feminini. Verum demus Terentium lapsum fuisse, qui in Andria, act. V, sc. 6, v. 970, dixerit :

> *Mea Glycerium* suos parentes reperit.

Largiamur hoc Prisciano; illud tamen ex eo atque aliis, qui hæc pronomina affirmant esse omnis generis, velim scire : si Glycerium ita loquatur, *Me miserum, me infelix,* loqueturne bene latine? Si eamdem quis alloquatur sic : *Te Pamphilus uxorem duxit;* loqueturne congruenter grammatices præceptis? Non puto : utrobique enim solœcismus erit, si sunt audiendi grammatici. Quid ita? Quia neutra nomina et pronomina tres casus habent similes nominandi, accusandi et vocandi; quare dicet Glycerium : *Ego miserum, ego infelix;* eamdem sic alloquemur : *Tu Pamphilus uxorem duxit;* nempe ut *ego* et *tu* sint accusandi casus generis neutri. Et si cœlo audiendi sensum des, dices : *Tu, cœlum, testor;* non *te*. Quæ cum ita sint, *ego* et *tu* pronomina sunt substantiva et generis communis; adjunguntur autem neutris, quemadmodum *testis, auctor* et alia id genus, de quibus in Generibus nominum. Horat., l. IV, od. IV, v. 38 :

> *Testis Metaurum* flumen.

Virg., Æn. X, v. 67 :

> Italiam petiit *fatis auctoribus*, esto.

Sic ab Ovidio, Trist. IV, eleg. 6, v. 1 : « *aratrum ruricola;* » a Plinio, l. XIV, c. 8, 10, « *indigena vinum* » dicitur.

Nostras et *vestras* esse generis omnis, ut *Arpinas, Capenas, Privernas,* nemo est, opinor, qui dubitet. Cic. ad Cœl., l. II, Fam., ep. 11, 1 : « *Nostratia verba;* » idem, Att., l. XVI, ep. 13, a. 1, « *iter Arpinas* » dixit. Livius, l. V, c. 24, *Capenas;* l. VIII, c. 19, *Privernas bellum.* Vide scholium in pronominum declinationem.

DECLINATIO

134. Varro, l. VIII, 30, et Quintilianus, etiam cum de verbis agunt quæ in tempora inclinantur, *declinationis* vocabulum usurpant. Quint., l. I, c. 4, 29 : « Quid, quod multa verba non totum *declinationis* ordinem ferunt? Quædam etiam mutantur, ut *fero* in præterito. » Prima etiam persona *casus rectus*, de Ling. lat., l. IX, 103, a Varrone appellatur. « Fit, inquit, ut *rectus* (casus) nonnunquam sit ambiguus, ut in hoc verbo *volo,* quod duo significat, unum a voluntate, alterum a volando. Itaque a *volo* intelligimus et *volare* et *velle.* » Appellatur et *prima positio,* reliquæ vero personæ etiam *casus obliqui.* Quintil., l. I, c. 6, 10 : « *Prima* quoque aliquando *positio* ex *obliquis* invenitur; etc. » Perlege locum, si vacat.

MODUS, TEMPUS

135. De modis et temporibus verborum, variisque eorum nominibus, satis in conjugationibus dictum est. Præsens etiam *instans* a Quintiliano, l. V, c. 10, 42, dicitur, et a Gellio, vel a Nigidio, l. XVII, c. 7. Varro præteritum futurumque *infectum* solet appellare, quod *imperfectum* dicimus. Quintilianus præteritum plusquam perfectum vocat *ulterius*, l. 1, c. 6, 25, ubi de nominibus anomalis agit : « Quædam, inquit, a primis statim positionibus tota mutantur, ut *Jupiter ;* quod verbis etiam accidit, ut *fero, tuli;* cujus præteritum perfectum, et *ulterius* non invenitur. »

PERSONA

136. Varro primam personam solet appellare personam *ejus qui loquitur;* secundam, *ad quam loquimur ;* tertiam, *de qua loquimur,* de Ling. lat., l. IX, 102. « Nam ut illic (nimirum in nominibus) extremum caput rectus casus, sic hic (in verbis) in forma est persona *ejus qui loquitur,* et tempus præsens, ut *scribo, lego.* » Idem, l. VIII, 20 : « Cum item personarum natura triplex esset, *ejus qui loqueretur, ad quem, de quo.* » Nomina et participia (exceptis vocativis), item nomina verborum, hoc est, verba infinita incertæ et infinitæ sunt personæ; siquidem personam verbi cui adhærent sequuntur, sive sint propria, sive appellativa. Cic. ad Att., l. III, ep. 5 : « Ego vivo *miserrimus.* » Idem, pro Cornel. Balbo, c. 5, 11 : « Audivi hoc de patre meo *puer.* » Idem, II Phil., c. 46, 118 : « Defendi rempublicam *adolescens*, non deseram *senex.* » Livius, l. I, c. 10 : « Jupiter Feretri, hæc tibi *victor Romulus rex* regia arma fero. » Idem, l. XXX, c. 30 : « *Annibal* peto pacem, qui neque peterem, nisi utile crederem. » Lege Priscianum, l. XIII, p. 963.

FIGURA, SPECIES

137. Figura in compositione cernitur, de qua Quintilianus, l. I, c. 5, pene extremo. Species in declinatione sive derivatione versatur; de qua multa Varro, de Lingua latina, l. VI, 37, ubi primigenia verba sic definit : « *Primigenia* dicuntur verba, ut *lego, scribo, sto, sedeo* et cætera quæ non sunt ab aliquo verbo, sed suas habent radices. Contra verba *declinata* sunt, quæ ab aliquo oriuntur, ut a *lego, legis, legit, legam*, et sic indidem hinc permulta. » Idem eodem libro verba composita *declinata* appellat; simplicia vero, *primigenia.* Idem, de Ling. lat., l. VIII, 5, quæ vocant grammatici primitivæ speciei, appellat ille *vocabula imposititia, propagines, stirpes, fontes;* derivativæ speciei, *vocabula declinata*, seu *rivos.* Priscianus, l. VIII, p. 835, putat figuram non cadere, nisi in certa quædam participia; eamdem negat Donatus, edit. II, p. 1766, in præpositione locum habere : putat enim *absque* et similia inter inæqualia sive anomala esse numeranda. Sed hæc hactenus.

PRÆCEPTA ALIQUOT

DE CONSTRUCTIONE

TIRONIBUS EDISCENDA

138. Præceptum I. — Substantivum nomen concordat cum adjectivo in genere, numero et casu, ut : *puer ingeniosus, memoria infirma, ingenium tardum.*

Præceptum II. — Relativum *qui, quæ, quod* cohæret cum antecedenti in genere et numero, ut : Non est dicendus *puer* ingenuus, *qui* verecundiam non amet. Accepi tuas *literas, quæ* mihi jucundissimæ fuerunt. Legi tuam *epistolam, quæ* mihi mirandum in modum placuit.

Præceptum III. — Verbum personale finiti modi postulat ante se nominativum ejusdem numeri et personæ, ut : *Ego lugeo. Tu rides. Præceptor docet. Nos legimus. Vos scribitis. Aleatores vapulant.*

Præceptum IV. — Verbum infiniti modi ante se accusativum habet, ut : Gaudeo *te* bene *valere.* Doleo *parentes tuos ægrotare.* Lætor *fratrem tuum* salvum et incolumem *venisse.*

Præceptum V. — Verbum substantivum non solum ante, sed etiam post se nominativum petit, ut : *Parcimonia est magnum vectigal. Avus tuus fuit vir doctus. Verecundia est maximum ornamentum* pueritiæ.

Præceptum VI. — Omne verbum personale finiti modi potest utrinque habere nominativum pertinentem ad eamdem rem, ut : *Hic vocatur Paulus. Ille vivit miserrimus. Boni moriuntur læti.*

Præceptum VII. — Quotiescumque duo nomina substantiva, ad res diversas pertinentia, in oratione ponuntur sine conjunctione, alterum erit genitivi casus, ut : *Libertus Pompeii. Epistola Ciceronis. Carmen Virgilii.*

Præceptum VIII. — Verbum activum post se accusandi casum postulat, ut : Pueri ingenui *amant literas.* Frater tuus *legit Ciceronem* diligenter.

PRÆCEPTUM IX. — Verbum passivum post se ablativum desiderat cum præpositione *a* vel *ab*, ut : Literæ *amantur a pueris* ingenuis. Cicero *legitur a fratre* tuo diligenter.

PRÆCEPTUM X. — Quodvis verbum admittit præpositionem cum suo casu, ut : *Fui in templo. Eo in gymnasium. Sedeo in scamno.*

PRÆCEPTUM XI. — Omne verbum et multa nomina dativum habere possunt ejus rei cui damnum aliquod vel commodum datur, ut : *Laboras aliis*, *mihi soli* es *otiosus.* Catilina fuit *perniciosus reipublicæ.* Senes non *sibi*, sed *filiis* aut *nepotibus* arbores *serunt.*

PRÆCEPTUM XII. — Temporis continuatio in accusativo vel ablativo ponitur, frequentius tamen in accusativo, ut : Pater tuus vixit quinquaginta *annos*, vel quinquaginta *annis.* Dedi operam Diomedi *tres annos*, vel *tribus annis.* Scripsi *duas horas*, vel *duabus horis.*

PRÆCEPTUM XIII. — Cuicumque verbo potest addi ablativus significans PRETIUM, ut : Emi librum decem *denariis.* Vendidisti atramentarium *tribus sestertiis;* — vel INSTRUMENTUM, ut : Scribo *calamo.* Percutior *ferula;* — vel CAUSAM, ut : Servus tuus interiit *fame.* Tabesco *dolore.*

PRÆCEPTUM XIV. — Gerundia, supina et participia postulant post se casus verborum a quibus oriuntur, ut : *Scribo literas.* Tempus est *scribendi literas.* Eo *scriptum literas.* Sum *scripturus literas.*

DE GENERIBUS NOMINUM

Nominum genus partim ex significatione, partim ex positione, partim ex assidua et diligenti auctorum lectione cognoscitur : sunt enim quædam, quorum genere varie pro suo arbitratu utuntur scriptores, quæ veteres incerti generis appellant. Ciceronis ætate genus masculinum *virile*, femininum vero *muliebre* dicebatur. Quintilianus et qui post eum scripserunt, fere *masculinum* et *femininum* appellant; qua de re et cæterorum generum appellationibus supra dictum est.

DE GENERIBUS NOMINUM

QUÆ EX SIGNIFICATIONE COGNOSCUNTUR

139. Quæ maribus solum tribuuntur mascula sunto [1].
Mascula censentur specie depicta virili [2],
Et quibus appositum tantum tribuisse virile
Credibile est veteres, *latro* ceu, *præsul* et *hospes*.

[1] Ut *vir, Cato, leo.* — [2] Ut *Mars, Boreas.*

Primo versiculo continentur quam plurima nomina de quibus nonnulli grammatici disperse ac multis locis egerunt; cujusmodi sunt *scriba, lanista, scurra, rabula, lixa, cacula, nauta, bibliopola, prædo, comedo, consul, tubicen, vas vadis, verres, aries, ædilis, præs, Arabs, Thrax, Phryx, rex, Cilix;* omnia denique tum propria, tum appellativa, quæ marem, sive rationis participem sive expertem, significant. Angelorum, dæmonum, deorum, ventorum nomina generis sunt masculini, non quod mares sint, sed quod specie quadam et similitudine mares imitentur, ut *Raphael, Asmodæus, Pluto, Iapyx.*

Tertio versiculo complexi sumus ea quæ plerique existimant esse communia duorum generum; verum cum adjectivum masculinum duntaxat admittant, potius masculina censenda sunt : qualia sunt *homo, fur, latro, pugil, vigil,* id est, nocturnus custos, *præsul, cocles, eques, exsul,* et cætera id genus. Quis enim latinis literis vel levissime tinctus *hominem bonam* aut *doctam* ausit dicere? Quis *duas latrones* fuisse in carcerem *conjectas?* At inquiet aliquis *hominem* etiam feminam significare, ut apertissime docet M. Tullius pro Cluent., c. 70, 199 : « Cujus ea stultitia est, ut *eam* nemo *hominem;* ea vis, ut nemo feminam; ea crudelitas, ut nemo matrem appellare possit; » et IV Fam., ep. 5, Servius Sulpicius ad Ciceronem de Tullia loquens : « Quæ si hoc tempore, ait, non diem suum obiisset, paucis post annis tamen ei moriendum fuit, quoniam *homo nata* fuerat. » Qui hoc argumento utuntur, facile nobis, credo, persuaserint *animal* generis esse communis. Cur enim non dicam, idque bene latine : Cujus ea stultitia est, ut *eam* nemo *animal* rationis particeps; ea vis, ut nemo feminam appellare possit? et : Ei moriendum fuit, quoniam *animal* mortale *nata* fuerat? Eadem ratione, vel potius captione, *mancipium* et sexcenta alia docebunt esse communia duobus. Si enim ancillam alloquar : Serviendum tibi est,

quoniam *mancipium nata* es : num male latine loquar? non puto. Locus ille Plauti vulgatissimus : Cistel. act. IV, sc. 2, v. 20 :

> . . . . . Intus paveo, et formido foris, ita metus.
> Nunc utrobique me agitat, illos *hominis miseræ* mise-[reri,

controversiam hanc dirimeret, nisi esset corruptus; sic enim habent libri correcti :

> Nam et intus paveo et foris formido, ita nunc
> Utrobique me metus agitat, illo sunt homines misere
> Miseri.

Quid ergo *homo* generis erit masculini? Ita Phocas nobilis in primis grammaticus sentit, ejusdemque generis docet esse *latro*, p. 1692, *fur*, p. 1695, *præsul*, p. 1693, *hospes*, p. 1696. Audes a Diomedis, l. I, p. 276, Donati, edit. II, p. 1748, Prisciani, l. V, p. 641, sententia discedere? Si non placet *homo*, et quæ sunt generis ejusdem, masculina appellare, appelles licet communia, sed significatione tantum, quo pacto verisimile est eos intellexisse. — At *homo* marem et feminam significat. Non eo inficias, sed cum feminam significat, appositum femininum non admittit, quod proprium eorum est quæ vere communia duorum generum sunt; ea namque non solum significatione, verum etiam constructione sunt communia; consentiunt enim cum adjectivis tum masculini, tum feminini generis, ut recta constructio exigit. Sed de utrisque paulo post copiosius. Hoc eodem tertio versiculo iis satisfacies qui forte objicient *lepus, mus, turtur*, et alia ejusdem generis promiscua marem et feminam significare.

140. Femineum dices quod femina sola reposcit [1].
Jungito femineis muliebri prædita forma [2],
Quæque adjectivum tantum muliebre requirunt [3].
Quæ neutro apposito gaudent, neutralia sunto [4].

[1] Ut *mulier, musa, equa*. — [2] Ut *Iris, Syrinx, Alecto*. — [3] Ut *operæ, custodiæ*. — [4] Ut *animal*.

Deæ, Nymphæ, Furiæ tum a poetis, tum a pictoribus muliebri forma depinguntur, ob quam causam generis sunt feminini. Operæ, custodiæ, vigiliæ, excubiæ, etiam cum homines ipsos significant, adjectivum femininum postulant; quare generis sunt feminini. Cicero ad Att., l. I, ep. 14, 5 : « *Operæ Clodianæ* pontes occuparant. » Idem ad Quintum Fratrem, l. II, ep. 3, 4 : « *Operas* autem *suas* Clodius confirmat. » Trajanus ad Plinium, l. X, ep. 31 : « Nihil opus est, mi Secunde charissime, ad *continendas custodias* plures commilitones converti. » *Bestia, bellua, pecus pecudis, avis*, et quæ sunt generis ejusdem, feminina sunt, quamvis mares etiam significent : *bestia* enim non minus lupum, equum, leonem, quam lupam, equam, leænam significat. Idem de Epicœnis quæ sunt generis feminini dictum sit, ut *vulpes, aquila, noctua;* hæc enim adjectivum femininum postulant, quamvis utrumque sexum significent. Sed de epicœnis suo loco.

141. Est commune duum, sexum quod claudit utrumque
Articulo gemino, veluti *bos*, *fortis* et *hostis*.

Nomen commune duorum generum est, quod marem et feminam ita significat, ut adjectivo masculino adjungatur cum marem significat, ut *civis Romanus*, *affinis meus* dicitur, cum viros; *civis Romana*, *affinis mea*, cum feminas significamus. Cicero pro Corn. Balbo, c. 24, 55 : « Sacerdotem illam *civem Romanam* factam non esse. » Idem post red. in Senatu, c. 7, 17 : « Tu *affinem tuam*, filiam meam, superbissimis et crudelissimis verbis a genibus tuis repulisti. » Veteres aliquando abutuntur hoc nomine, quæ sunt incerti generis communia duorum generum appellantes. Probus, l. II, p. 1441, ait nomina quintæ declinationis esse eminini generis : « Excepto, inquit, uno communi duorum generum, masculini et feminini, *hic* et *hæc dies, hujus diei*. » Prisc., l. VI, p. 716 : « Exceptis, inquit, *grus* et *sus*, quæ sola in monosyllabis communia inveniuntur; » et paulo inferius : « *hic* et

hæc sus, suis; grus, gruis. » Quæ vere communia sunt duorum generum, non ita multa sunt; nam præter hæc quæ subjiciam, pauca, nisi fallor, reperientur apud auctores imitatione dignos qui nunc exstant. Fortassis Probus, Diomedes, Priscianus aliique veteres plura invenerunt apud scriptores qui etiam tum exstabant.

Antistes, juvenis, vates, patruelis et *infans;*
Affinis, miles cum *cive, cliente, sacerdos;*
Et *comes* atque *canis, sus, dux, auctor*que, *parens*que,
Municipi, *conjux, adolescens, augur* adhærent.

Qui plura invenerit, his adjungenda curet; non enim negamus posse nonnulla præter ea a diligentibus indagatoribus reperiri. Quint., l. II, c. 2, 10 : « Studiorum *perniciosissima hostis.* » Catul., Nupt. Carm., 62, v. 6 :

Cernitis, *innuptæ juvenes?*

Pers., Sat. VI, v. 52 :

. . . . . Age si mihi nulla .
Jam reliqua ex amitis, *patruelis nulla, proneptis*
Nulla manet, patrui...

Quint., l. VI, c. 1, 39, de Peroratione : « Tum ille alioqui vir facundus inopinatæ rei causa obmutuit, et *infantem suam* frigidissime reportavit. » Cic., post red. in Senat., c. 7, 17 : « Tu *affinem tuam,* etc., » et Ovid., ep. 11, v. 48 :

Et rudis ad partus, et *nova miles* eram,

quod fortasse non leges alibi cum adjectivo feminino junctum. Horat., l. II, od. 18, v. 7 :

. . . . . Nec Laconicas mihi
Trahunt *honestæ* purpuras *clientes* (1).

Valer. Maxim., l. V, c. 1, Proœm. : « Liberalitati *quas* aptiores *comites* quam humanitatem et clementiam dederim? » Portius Latro in Declam. in Catil., c. 7 : « Imbuti flagitiis ac consuetudine scelerum, *sempiterna comite* et genitrice pessimarum cupiditatum. » Cic., Acad. Prior, l. II, c. 20, 66 : « Ego vero ipse, et magnus quidem sum opinator (non enim sum sapiens); et meas cogitationes sic dirigo, non ad illam parvulam Cynosuram,

Qua fidunt *duce nocturna* Phœnices in alto,

ut ait Aratus. » Ovid., Fast. l. V, v. 192 :

Optima tu proprii nominis *auctor* eris.

Idem, Metam. l. VIII, v. 108 :

Quo fugis, exclamat, meritorum *auctore relicta?*

Plin., l. XXXV, c. 40, 2, *municipem suam* dixit. Terent., Andr. act. III, sc. 3, v. 488 :

Cumque huic est veritus *optumæ adolescenti* facere [injuriam.

Augur tam rarum est quam *miles.* Stat., Theb. l. IX, v. 629 :

. . . . . Simque *augur cassa* futuri.

Cæterorum exempla, quoniam facile inveniuntur, non putavimus adhibenda.

Lucan., l. X, v. 368, *judex* genere muliebri usus est de Cleopatra loquens :

En sumus, ut fatear, tam *sæva judice* sontes.

Vigil, cum nocturnum custodem significat, substantivum plane est, et virile : jungitur enim cum adjectivis masculinis tantum; cum vero vigilantem significat, more adjectivorum in *is* syllabam exeuntium, cum substantivis tam masculini quam feminini generis jungitur : hinc *animus vigil, custos vigil, custodia vigil, flamma, auris, febris,* apud poetas. *Pervigil* ex eo compositum etiam jungitur utrique generi; unde *ignis, custodia pervigil* apud eosdem poetas. Itaque instar adjectivorum, communia sunt duorum generum. *A* litera terminata quæ a verbis oriuntur, ut *auriga, homicida, parricida, transfuga, advena, conviva, agricola,* et id genus alia, docent grammatici esse generis com-

(1) Lemaire, Orellius, Teubn., *clientæ.*

munis, quæ quidem nondum, quod meminerim, cum feminino adjectivo juncta inveni, præter unum, apud Pomponium, auctorem vetustissimum, qui a Prisciano, l. V, p. 642, citatur : « Conveni, inquit, omnes *convivas meas.* »

Nemo genere feminino reperitur apud Plaut., Mercat. act. III, sc. 1, v. 22 :

De lanificio neminem metuo, una ætate *quæ* sit.

Titinius apud Priscianum, l. VI, p. 683, *neminem bonam* dixit :

Quod rogas *neminem* decet *bonam?*

Quid, si prisci illi Latini eodem modo *hominem bonam* dixerunt? Si vera sunt quæ diximus, *homo, latro, fur, exul, præsul, pugil, cocles, eques, hæres, hospes, testis, juvenis, infans*, *princeps* generis sunt masculini; quod si quis ea apud probatos scriptores cum feminino adjectivo copulata legerit (fieri enim potest ut aliqua reperiantur), superioribus adjungat; interim dicam : Duas *feminas fures* in vincula fuisse *conjectas;* et cætera eodem modo : non enim significatio sola, aut nomen substantivum substantivo additum genus commune indicat. Nec enim ex illo Terentiano loco Eunuchi act. II, sc. 4, v. 315 :

Si *qua* est habitatior paulo, *pugilem* esse aiunt,

colligi potest *pugil* esse generis communis; siquidem potuisset etiam dicere *gladiatorem esse aiunt*, aut *lanistam*, aut *centurionem*. Neque hæc quæ subjiciam, docent *hæres, fur, princeps, hospes, vindex, judex* communia esse duorum generum. Cic., Verr. act. II, l. I, c. 43, 111 : « Testamento fecit *hæredem filiam.* » Plaut., Pœn. act. V, sc. 4, v. 66 :

. . . . . *Fures* estis *ambæ.*

Potuisset enim eodem modo dicere : *Mancipia* estis *ambæ*. Plin., l. VIII, c. 50, 8 : « Quasdam modo *principes feminas* scimus omnibus diebus matutinis carnem eam degustare solitas, et longo ævo caruisse febribus. » Lucan., l. V, v. 10 :

. . . . . Secretaque rerum
Hospes in externis audivit *Curia* tectis.

Cic., Offic., l. I, c. 37, 133 : « Quum orationis *indicem vocem* habeamus. » Plin., l. VIII, c. 19, 2 : « Leonum animi *index cauda.* » Cic., de Legib., l. III, c. 17, 39 : « Habeat sane populus *tabellam,* quasi *vindicem* libertatis. » *Princeps* interdum est adjectivum omnis generis, sed hic de substantivis agimus.

Quæ cum ita sint, fallax et captiosum est illud argumentandi genus : homo marem et feminam significat : est igitur generis communis; addendum namque fuit : et jungitur cum adjectivo masculino, cum marem; et cum feminino, cum feminam significat. Nam si id concedamus, necessario concedendum erit omnia epicœna esse communis generis, cum utrumque sexum significent.

Adjectiva quæ in *is* syllabam exeunt, si substantiva masculini et feminini generis admittant, ut *fortis, gravis ;* item comparativa in *or* inter communia duorum generum numerantur. Varro in libris de Ling. lat., genera nominum articulis solet definire; ne mireris *commune duorum* a nobis appellatum cui articuli *hic* et *hæc* præponuntur. Scio quosdam hoc genus definitionis fastidire.

De genere epicœno sive promiscuo postremo loco dicendum est, cujus rei causam ibidem exponemus.

142. Est commune trium, generi quod convenit omni [1].

[1] Ut *prudens, felix.*

Huc tantum spectant nomina adjectiva quæ una positione contenta sunt; ut, *felix, velox, amans, docens, nequam, frugi, nihili, præsto*, quorum quatuor postrema non inclinantur in casus, sicuti numeralia a *quatuor* usque ad *centum;* hæc enim omni generi conveniunt, unde a veteribus grammaticis hoc genus *omne* dicitur, et proximum de quo modo egimus, *commune;* quare frequentissime loquuntur sic : *Felix est omnis generis; civis est generis communis.* Probus, l. II, p. 1440, sive de catholicis nominum (sic enim veteres præcepta universalia, sive perpetualia, ut in latinum convertit Quintilianus, l, II, c. 13, 14, appellabant), ait *verna* et *advena* esse omnis generis : « Dicimus

enim, inquit ille, *verna puer, verna puella, verna mancipium;* » quo argumento *scurra, lixa, nauta* et alia quamplurima ejusdem erunt generis; nam substantiva nomina generis masculini, ex quibus feminina non oriuntur, omnibus generibus hoc modo adjungi possunt. Cur enim non dicam vidisse me *puerum scurram, puellam scurram* et *mancipium scurram?* At si masculinum ex se facit femininum, aliter loquar; dicam enim *puerum pedisequum, puellam* vero *pedisequam;* nam *pedisequus* ex se facit *pedisequam*, ut *rex, reginam; magister, magistram.*

Judex, comes, ruricola, alienigena, indigena, testis, auctor, quamvis cum neutris juncta reperiantur, non ideo tamen adjectiva omnis generis censenda sunt, cum plane sint substantiva, figurateque neutris adjungantur. Lucan., l. I, v. 227 :

> Credidimus fatis, utendum est *judice bello.*

Idem, l. V, v. 27 :

> Si fortuna ferat, rerum nos summa sequetur,
> *Imperium*que *comes.*

Ovid., Trist. l. IV, eleg. 6, v. 1 :

> Tempore *ruricolæ* patiens fit taurus *aratri.*

Gell., l. II, c. 24 : « Neque *vino alienigena,* sed patrio usuros. » Plin., l. XIV, c. 8, 10 : « Dixisse hospiti de *indigena vino.* » Horat., l. IV, od. 4, v. 38 :

> Testis *Metaurum flumen*, et Asdrubal.

Virg., Æn. X, v. 67 :

> Italiam petiit *fatis auctoribus*, esto.

143. Sunt quædam omnis generis quæ nominandi, accusandi atque vocandi casibus neutris numeri pluralis carent; qualia sunt *dives, pauper, locuples, uber, memor, superstes, sospes, ales, teres* (nam *teretia,* quo Gellius, l. VIII, c. 14, est usus, parum usitatum est). Ex quatuor primis fiunt comparativa *divitior, pauperior;* e nonnullis etiam superlativa *pauperrimus, locupletissimus, uberrimus,* id quod plane docet adjectiva esse. *Dis* etiam adjectivum est, unde *ditia regna*, et comparativum *ditior*, et superlativum *ditissimus.* Valer. Max., l. II, c. 1, Procem. : « *Dives* et præpotens naturæ *regnum* scrutatus, etc. » Ovid., Trist. l. II, v. 335 :

> *Divitis ingenii* est immania Cæsaris acta
> Condere.

Horatius, I Epist. 10, v. 32 :

> . . . . . Sub *paupere tecto.*

Virg., Æn. IX, v. 447 :

> Nulla dies unquam *memori* vos eximet *ævo.*

Idem, Æn. IV, v. 520 :

> . . . . . Tum si quod non *æquo fœdere* amantes
> Curæ numen habet, justumque memorque precatur.

Ovid., Am. l. III, eleg. 15, v. 20 :

> Post mea mansurum fata *superstes opus.*

Juvenal., Sat. 13, v. 178 :

> *Depositum* tibi *sospes* erit.

Huc pertinent composita ex nomine *color.* Plin., l. X, c. 74, 1 : « Intus omne *ovum* volucrum *bicolor.* » Idem, l. XIX, c. 5, 1, *littora versicoloria* dixit. Et nomina patria in *as*, ut *Arpinas, Capenas, Privernas.* Liv., l. V, c. 24 : « Corneliis Faliscum bellum, Valerio ac Servilio *Capenas* sorte evenit. » Idem, l. VIII, c. 19 : « Eodem anno *Privernas bellum* initum. »

Composita ex *decus* et *corpus* non ausi sumus addere, cum incerta sit eorum positio, potiusque videantur in *is* et *e* quam in *or* syllabam exire. Nonius Marcellus, c. 8, 43, *indecoris* inquit pro *indecora.* Accius, Athamante :

> Cujus sit vita *indecoris*, mortem fugere turpem con-
> [venit.

Neque, ut arbitror, facile invenies *bicorpor, tricorpor, indecor :* unde itaque fiant obliqui *bicorporis, tricorporis,* et *indecores* numero multitudinis, quo Virgilius, Æn. VII, v. 231, XI, v. 423, XII, v. 25, utitur, incertum est. Priscianus, l. V, p. 648,

ait hæc *or* syllaba terminari, et Probus in Institutis artium, l. I, p. 1422 : « *Quasi*, inquit, constat pyrrichio, ut Tullius :

Nam quasi bos sibi dedecor ingemuere parentes : »

qui versus cum ignoremus unde sumptus sit, hæc in incerto relicta sunt.

Adjectiva quæ diversas habent formas, ad diversas præceptiones spectant, ut *bonus, a, um; brevis* et *breve*.

144. Pro maribus pugnant menses fluviique minaces [1].

[1] Ut *October, Tagus*.

Veteres *Istrum, Rhenum, Metaurum, Rhodanum, Iberum*, nominandi casu pro *Ister, Rhenus, Metaurus, Rhodanus, Iberus*, dicebant, dummodo sequeretur nomen *flumen*; unde est illud Horatii, l. IV, ode 4, v. 38 :

Testis *Metaurum flumen*, et Asdrubal;

et in Arte poetica, v. 18 :

Aut *flumen Rhenum*, aut pluvius describitur arcus.

Vide Priscianum, l. V, p. 658. *Iader* neutrum est, quod suo loco invenies. Sunt nonnulla etiam feminina, de quibus post.

145. Insula feminea, urbs, regio, cum nave, poesis [1].

[1] Ut *Cyprus, Carthago, Ægyptus, Pistris, Æneis*.

Quædam, ut duos habent exitus, ita modo feminini, modo neutri generis reperiuntur; cujusmodi sunt *Saguntus, Saguntum; Ilios, Ilion* sive *Ilium; Lesbos, Lesbon; Abydos, Abydon*. Silius, l. II, v. 662 :

Et *totam* soliti spectare *Saguntum*.

Idem, l. XVII, v. 328 :

Quid vos, queis claro *deletum* est Marte *Saguntum*,
Exhorter?

Ovidius, Metam, l. XIV, v. 466 :

. . . . . Postquam *alta* cremata est
Ilios, et Danaas paverunt Pergama flammas.

Virg., Æn. III, v. 2 :

. . . . . Ceciditque *superbum*
Ilium.

Valer. Flac., Argon. l. I, v. 284 :

. . . . . Dirimique procul non æquore visa,
Cœperat a *gemina* discedere Sestos *Abydo*.

Virg., Georg. l. I, v. 207 :

Pontus et *ostriferi* fauces tentantur *Abydi*.

Ovid., Metam. l. XI, v. 55 :

Et *Methymneæ* potiuntur littore *Lesbi*.

Zeugma, reate, Suthul, Argos, Tibur, Nepete, Præneste, Cære neutra sunt; de quibus suo loco.

Nomina fabularum, si quando reperiuntur generis masculini, tunc non fabulæ, sed personæ habetur ratio. Suet. in Octavio, c. 85 : « Quærentibusque amicis quidnam Ajax ageret, respondit, *Ajacem suum* in spongiam incubuisse. » Juven., Sat. I, v. 6 :

Scriptus, et in tergo nec dum *finitus Orestes*.

146. Feminea est arbor [1]. Foliis oleaster amarus
Mas est. Hoc *acer* atque *siler*, cum *subere, robur*.

[1] Ut *pinus, cupressus*.

Arborum nomina generis sunt feminini, ut *pinaster*. Plinius, l. XVI, c. 17, 1 : « *Pinaster* nihil aliud est quam pinus silvestris, mira altitudine et a medio *ramosa*, sicut pinus in vertice; copiosiorem

dat *hæc* resinam, de quo dicemus modo. » *Suber* neutrum est tantum. Idem, l. XVII, c. 37, 15 : « *Excepto subere,* quod sic etiam juvatur. » Idem, l. XVI, c. 41, 1 : « Serotino autem germine malus, *tardissimo suber,* » dixit, non *tardissimus suber,* ut quidam legerunt; ex quo loco docebant *suber* esse masculini generis. Itaque ex hoc loco non intelligitur cujus sit generis, cum *tardissimo* cum nomine *germine* congruat.

Spinus putat Servius in Virg. Georg. l. IV, v. 145, generis esse masculini, sed nullius id testimonio confirmat. — *Platanon* locus est platanis consitus, non ipsa platanus; itaque non est hujus loci. — *Thus* puto et arborem ipsam, et lacrymam posse appellari. Plinius arborem thuris solet vocare ea figura, qua Cicero pro Flacco, c. 27, 4, arborem fici, ficum ipsam appellavit. Sed cum l. XII, c. 40, 2, ita scripserit : « Cibos Sabæi coquunt *ligno thuris,* alii myrrhæ; » et eodem libro, c. 31, 2 : « *Virgis* etiam *thuris* ad nos commeantibus, quibus credi potest, matrem quoque terete et enodi fructificare trunco; » etiam arborem ipsam videtur *thus* appellasse; de cujus genere nihil adhuc legi. — *Libanus* arbor thuris apud Græcos masculinum est; λίβανος apud Pindarum et Euripidem etiam femininum invenitur; vide Favorinum (1). Non videtur hoc nomen fuisse in usu apud veteres Latinos. — *Pinus, cupressus, platanus,* et alia quædam etiam masculina fuerunt priscis temporibus. — *Dumus* non huc spectat; humilior est enim quam ut inter arbores numerandus sit.

(1) Sic legitur in Dictionn. Varini Phavorini, Basil., 1538 : « Λίβανον καὶ θηλυκῶς Εὐριπίδης Συρίας θ'ὡς λιβάνου χάρπος; » καὶ Πίνδαρος· « Αἴτε τὰν χλωρὰν λίβανον, ξανθὰ δάκρυα θυμιᾶτε. » Sed Euripid., edit. Glasc., Bacch., v. 144 : « Συρίας δ'ὡς λιβάνου κάπνος. » Pindar., Boeck, fragm. 87 : « Αἴτε τᾶς χλωρᾶς λιβάνου ξανθά, etc. »

147. *Um* neutris junges, hominum si propria demas.

Hæc præceptio, quamvis proprie ad positionem spectet, hic tamen apponenda fuit, ut nonnulla exciperemus quæ superioribus præceptis adversabantur; nam *mancipium, jumentum* et alia ejusdem generis marem et feminam significant, quæ tamen neutra sunt. Item nomina urbium, ut *Dyrrachium, Saguntum;* arborum, ut *laburnum, ligustrum, buxum :* Cic. pro Planc., c. 41, 97 : « *Dyrrachium, quod* erat in fide mea, petere contendi. » Livius, l. XXI, c. 21 : « Hannibal, *Sagunto capto,* Carthaginem novam in hiberna concesserat. » Ibid., c. 7 : « Jam *Saguntum* summa vi oppugnabatur. » Plin., l. XVI, c. 31, 1 : « *Ligustra* tesseris *utilissima.* » Ovidius, in descriptione cujusdam fontis, Art. l. III, v. 691 :

Nec *densum* foliis *buxum* (1), fragilesque myricæ,
Nec tenues Cytisi, cultaque pinus abest;

ubi *buxum* apertissime arborem, non lignum materiamque significat, ut vult Priscianus, l. V, p. 640. Omnia denique *um* syllaba finita neutra sunt, præter propria virorum, ut *Dinacium, Pægnium;* et feminarum, ut *Glycerium, Phanium.*

Si quis instituerit *animal* et *pecus pecoris* significare marem et feminam, et tamen nulla præceptione fuisse excepta, ne tempus in re futili conteras, hoc versiculo te poteris defendere :

Quæ neutro apposito gaudent, neutralia sunto.

Hæc enim et similia, cum appositum neutrum tantum admittant, neutra necessario sunt, quamvis utrumque sexum amplectantur.

Dicet fortasse aliquis : ergo *lupus, humor* erunt neutra; gaudent enim appositis neutris. Virg., Eclog. 3, v. 80 :

Triste lupus stabulis.

Idem, ibid., v. 82 :

Dulce satis *humor.*

Responde hæc et quæ sunt generis ejusdem ad figuratam constructionem spectare, de qua suo loco; est enim hellenismus, siquidem Græci neutra adjectiva etiam cum masculinis et femininis substantivis jungunt. Vide Budæum, in Comment. linguæ græcæ, p. 1055.

(1) Edit. Cnippingii 1670; Oxon. 1825, Lemaire, Forcellini, etc., habent : « Nec *densæ* foliis *buxi*.... » In Cnipp. vero annotat Nic. Heinsius : « Nec *densum* foliis *buxum;* » atque hanc lectionem admittit edit. Teubner.

148. *A*, plurale genus, neutrum sibi poscit ubique [1] :
Nomen in *i* maribus, si sit plurale, reserva [2].

[1] Ut *Bactra, Susa.* — [2] Ut *Puteoli, liberi.*

Nomina multitudinis *a* litera terminata, cujuscumque sint significationis, neutra sunt, ut *Ecbatana, arma, Bucolica. I* vero finita masculina sunt, ut *liberi,* quod utrumque sexum significat; item urbium nomina, ut *Philippi.* Ovid., Metam. l. XV, v. 824 :

*Emathii*que iterum maduerunt cæde *Philippi* (1).

Cic., Verr. act. II, l. V, c. 59, 154 : « Adsunt enim *Puteoli toti.* »

Proximi tres versiculi superiores non solum exceptionis, sed etiam præceptionis partes agunt; omnia enim quæ in *um, i, a* exeunt, dummodo *i, a* litera finita pluralia sint, cujusque modi sint, huc spectant.

(1) Cnipping, Oxoniens., Lemaire habent :

*Æmathia*que iterum maduerunt cæde Philippi.

Notat vero Cnipping legisse quosdam *Æmathii,* alios *Æmathiæ*, alios *Æmathia*, sive, ut ipse scribit, *Emathia;* additque : « *Philippi* tamen feminino genere apud Focam (*sic*) grammaticum in vita Virgilii legitur :

. . . . . Jam cæde piorum
Perfusas acies legitur visura *Philippos.*

Sed illic oppidum intelligit Heinsius. » — Teubner :

Emathiaque iterum madefient cæde Philippi.

149. Trade notas neutri, et vocem pro nomine sumptam;
Et verbum quodvis nuda pro voce repostum.

Elementorum nomina fere neutra sunt; interdum etiam feminina. Quint., l. I, c. 7, 8 : « Immunis; illud *n quod* veritas exigit, sequentis syllabæ sono *junctum m* gemina commutatur. » Verba et cæteræ orationis partes positæ loco nominis, neutri generis sunt. Cic., Att., l. XIII, ep. 28, 2 : « Quam enim turpis est assentatio, cum *vivere ipsum turpe* sit nobis. » Martialis, l. V, epigr. 58, in Posthumum :

Cras te victurum, cras dicis, Posthume, semper.
Dic mihi *cras istud*, Posthume, quando venit?

Cum excluso omni sensu dictiones pro semetipsis ponuntur, sunt generis neutri, ut : *Lux* est *monosyllabum ; Dies* est *dissyllabum.* Sæpe tamen auctores rationem habent significationis. Quint., l. I, c. 5, 61 : « Ne miremur quod ab antiquorum plerisque *Ænea* et *Anchisa* sit *dictus.*

DE GENERIBUS NOMINUM

QUÆ EX POSITIONE COGNOSCUNTUR

150. Femineum *a* primæ est, veluti *panthera*, *sagitta*.

Positionem solet Quintilianus appellare, quam grammatici *terminationem* vocant, l. I, c. 5, 60 : « Inde Castorem media syllaba producta pronuntiarunt, quia hoc omnibus nostris nominibus accidebat, quorum prima *positio* in easdem quas *Castor* literas exit. » Idem in eodem, c. 4, 24 : « Nec statim diligentem putabo, qui promiscua, quæ epicœna dicuntur, ostenderit, in quibus sexus uterque per alterum apparet, aut quæ feminina *positione* mares, at neutrali feminas significant; qualia sunt *Murena*, *Glycerium*. » Cœlius Ciceroni, Fam., l. VIII, ep. 9, 3, de pantheris agens : « *Quas*, inquit, *ipsas* Curio mihi, et *alias Africanas* decem donavit. » Ovid., Metam. l. III, v. 669 :

*Pictarum*que jacent fera corpora *pantherarum*.

Quarum mares, ut Plinius docet, l. VIII, c. 23, 1, *pardi* appellantur. Pantheras, inquit, « nunc varias et *pardos*, qui mares sunt, appellant. »

151. *Adria* mas esto, cui junge *cometa*, *planeta*.
Hic *mamona* petit. *Pascha* hoc, cui jungito *manna*.

Adria virile est, cum mare Venetum, ut nunc loquimur, significat; cum vero urbem, muliebre. *Mamona*, *pascha*, *manna*, cum peregrina sint, et a latina lingua aliena, non exspectabis a nobis veterum Romanorum exempla. *Man* et *phàse*, vel *pesach*, ut modo Hebræi pronuntiant, hebræa sunt, unde Chaldæi *manna* et *pascha* fecerunt; utrumque apud utrosque masculinum est, non neutrum; neque enim fieri potest, cum utraque lingua neutrum genus ignoret. Ex cap. 12 et 16 Exodi, et 8 Deuter. intelliges apud Hebræos et Chaldæos rem ita se habere. Apud Græcos tamen et Latinos utrumque neutrum est, quod in iisdem locis invenies. *Manna* tamen, cum micas thuris concussu elisas significat, muliebre est. Plin., l. XII, c. 32, 4 : « Micas concussu elisas *mannam* vocamus. » Si esset neutrum, *manna* dixisset, cum neutrum tres casus habeat similes. Idem, l. XXIX, c. 38, 3 : « Addito fœniculi succo ad Cyathum unum, et thuris *manna una*. » Dioscor., l. I. c. 74, al. 72, al. 86, περὶ μάννης λιβάνου· « Μάννα δὲ λιβάνου δόκιμός ἐστιν ἡ λευκὴ καὶ καθαρά; » ubi λιβάνου non Libanum montem, sed thus significat; vide Mathiolum in eumdem Dioscoridem. Hoc nomine et genere quidam rorem Syriacum etiam appellant.

Mamon et *mamona*, græce μαμωνᾶς, unico *m* (sic enim in correctis libris chaldaicis et græcis est), masculini generis est; priorem vocem invenies Gen. 37, Exodi 18 et 21, 35; posteriorem apud Divum Matthæum, c. 6, et Lucam, c. 16. Penultima longa est apud Syros et Græcos; vide Suidam, quo nomine divitiæ appellantur, et, ut placet quibusdam, dicitur etiam *dæmon*, cujus partes sunt miseros mortalium animos avaritiæ facibus inflammare. Tertullianus *mamonas* Græcorum more recto casu solet dicere, contra Marcionem, l. IV, c. 33 : « Et creator enim dominus, quia Deus; et utique magis dominus quam *mamonas*. » Ibidem sæpe *mamonam* accusandi casu usurpat. « Si ergo hæc non cadunt in creatorem, sed in *mamonam*, etc., et irridebant denique Pharisæi pecuniæ cupidi, quod intellexissent scilicet *mamona* de nummo dictum. » Ibidem : « Duos enim dominos nominavit, Deum et *mamonam ;* creatorem et nummum. » D. Ambrosius in D. Lucam, c. XVI, v. 11 : « Pulchre autem *iniquum mamonam* (1) dixit, quia variis divitiarum illecebris

(1) Edit. Benedict. Parisiis 1690 habet *iniquum mammona*. (Exposit. Evang. sed. Luc., l. VII, n. 245.) Quod

nostræ avaritiæ tentabat affectus, ut vellemus servire divitiis. » Si neutrum esset, *mamona* casu accusandi dixissent.

---

autem generis masculini fecerit, hoc patet, n. 244 : « Nam etsi sunt qui *mammonæ* serviant, tamen non ille novit aliqua jura dominatus. » Ubique vero duo *m* scribunt.

Pascha quidam a verbo græco πάσχω, quod pati significat, deduxerunt, unde ad tertiam declinationem spectare more Græcorum in *a* exeuntium crediderunt; cum non passionem, sed transitum significet, a verbo hebræo *pasach*, quod transire significat. Vide D. Hieronymum, Commentar. l. X in Isaiam, c. 30, de celebratione paschæ.

152. Nomen in *a* ternæ neutrum est, ceu *stigma*, *toreuma*;
E latiale petit neutrum, velut *acre*, *monile*.
Femineum est *aloe*, *Rhodope*que, et cætera græca.

E litera finita, si sint latina, neutra sunt et tertiæ declinationis; sin græca, primæ sunt declinationis et generis feminini. *Cete*, *Tempe* et *mele*, quod rarius est, neutra sunt et pluralis numeri, a Græcis κήτεα, Τέμπεα, μέλεα, unde κήτη, Τέμπη, μέλη facta sunt, duabus vocalibus in unam contractis. *Mille* substantivum neutrum est, quod pluraliter declinatur *millia*, *millium*, etc. *Mille* adjectivum est omnis generis, neque declinatur.

153. *I* neutris tribue[1]; *o* maribus finita dabuntur[2].
Est *io* femineum, fuerit si corporis expers[3] :
Cui *caro* jungatur, *cœnatio*, *portio*, quodque
Desinit in *do*, *go*[4]; neutris adscribito *pondo*;
Harpago, *cudo*, *ordo*, mas; *udo*, *cardo*, *ligo*que.

[1] Ut *sinapi*. — [2] Ut *pugio*. — [3] Ut *lectio*, *oratio*. — [4] Ut *dulcedo*, *imago*.

Sinapi, *gummi* neutra sunt; at *sinapis*, *gummis*, feminina. Colum., l. X, c. 122 :

Seque lacessenti fletum *factura sinapis*.

Idem, l. XII, c. 52, a med. : « Existimaruntque satius esse nova dolia *liquida gummi* perluere. » *Frugi* et *nihili* ait Probus, l. II, p. 1446, esse omnis generis. Priscianus addit *nauci*, *mancipi*, quæ *aptota* a grammaticis appellantur, hoc est, sine casibus; alii putant casus esse obliquos, figurateque jungi cum omnibus casibus et generibus; vide Priscianum, l. V, p. 642, et VI, p. 682.

Io literis finita, quæ rem incorpoream significant, item verbalia, feminina sunt, ut *quæstio*, *reprehensio*; quæ vero corpoream significant, masculina sunt, ut *pugio*, *unio*, hoc est, *margarita*; nam *unio*, id est, *concordia*, non est cur doceantur pueri femininum esse, cum apud veteres minime reperiatur. — *Pondo*, non declinatus, significat libram, aliquando pondus; unde Livius, l. IV, c. 20, scribit coronam auream *libram pondo* Jovi dicatam fuisse. — *Cardo* apud priscos etiam femininum fuit. Ἅρπαξ, ἅρπαγος mediam corripit; vide Epigramm. l. II, ep. 4, v. 4 : εἰς ἅρπαγας, unde verbum *harpago*, hoc est, *rapio*, et nomen *harpago* penultimam corripiunt, quantum hac conjectura assequi possum, quantumque ex Plautina licentia potui colligere; nam verbo *harpagandi* et in Aulularia, act. II, sc. 2, v. 24, et in Pseudolo, act. IV, sc. 2, v. 2, utitur. Quod si quid melius alicui occurrerit, libentissimo animo amplectemur.

154. *U*, *c*, *d* da neutris, velut *id*, cum *lacte gelu*que.

Alec neutrum est, ut docet Nonius Marcel., c. 2, 394, his testimoniis : Plaut., Aulul. (Fragm.) :

Qui mihi olera cruda ponunt, *alec* danunt.

Horat., l. II, sat. 4, v. 73 :

. . . . . Ego fæcem primus, et *alec* inveni.

Locus Plinii corruptus, l. XXXI, c. 44, 1, in causa

fuit ut quidam existimarent esse generis feminini, ubi non *alec*, sed *alex* sic legendum est : « Sed vitium hujus *alex imperfecta*, nec colata fæx. » Neque illud Martialis, l. XI, epigr. 27, v. 5, ad rem facit :

> Cui portat gaudens ancilla paropside rubra
> *Alecem*, sed *quam* protinus illa voret;

nam *alecem* a nominativo *alex* dixit. Plinius, l. XXXII, c. 45, 1, ubi de medicina piscium agit : « *Alex*, inquit, *defervefacta* unguium scabritiam... extenuat; » apud quem *alex*, ut ex hoc et superiore loco intelligimus, tum piscem, tum vitium muriæ significat.

155. *L*, *t*, sit neutrum [1]. *Hic mugil*, *sal*, *sol*que reposcunt.

[1] Ut *tribunal*, *caput*.

Hujus loci sunt *frit*, *git*, *occiput*, *sinciput*. *Sal* neutro genere Verrio Flacco etiam placuit, ut Charisius, l. I, p. 82, docet.

156. *An*, *in*, *on* mas [1]. *Hæc sindon*, et suavis *aedon*.
Queis adde *alcyonem*. Neutris da cuncta secundæ [2].

[1] Ut *pæan*, *delphin*, *agon*. — [2] Ut *Ilion*, *Pelion*.

Python, draco quem dicitur Apollo sagittis confixisse, tantum est generis masculini, neque ex versu Tibulli, l. II, eleg. 3, v. 29 :

> Delos ubi nunc, Phœbe, tua est, ubi *Delphica Pytho?*

doceri potest esse generis feminini; cum *Pytho*, non *Python* scribatur, quod nomen est urbis ubi ipse draco interfectus est. Quod si in aliquo libro *Python* per literam *n* scribatur, nihil te moveat; nam urbs ipsa et *Pytho* et *Python* dicta est, ut Eustathius auctor est in Iliad. l. II, v. 519, quæ postea *Delphis* appellata est et gens *Delphi*; idem in Odyss., l. XI, v. 580, rursus ait utroque modo fuisse dictam. *Pytho* in carmine Tibulli urbem, non draconem, significare, non solum ex ipsa elegia, sed etiam ex eodem ipso versu apertissime intelligitur.

Aedon, hoc est, *luscinia*, tam apud Græcos quam apud nostros femininum est. Arist., de Hist. animal., l. V, c. 9, et l. IX, c. 49. Seneca in Octavia, act. V, v. 914 :

> Quis mea digne deflere potest
> Mala? *quæ* lacrymis nostris questus
> Reddet *aedon?*

Alcyon, latine *alcedo*, apud utrosque femininum est. Arist., de Hist. animal., l. V, c. 8, et l. IX, c. 14. Virg., Georg. l. I, v. 398 :

> Non tepidum ad solem pennas in littore pandunt
> *Dilectæ* Thetidi *alcyones*.

Propertius, l. I, Eleg. 17, v. 2 :

> Nunc ego *desertas* alloquor *alcyonas*.

Mares alcyonum, ait Eustathius in Iliad. l. X, v. 558, τοὺς κηρύλλους a Pausania vocari, qui cum senuerint a feminis gestantur. Ibidem docet *alcyon* sine aspiratione scribendum. Servius, in Georg. l. I, v. 399, putat esse commune duobus; quod tamen non probat. Item *alcyone* mulierem significare, cum etiam avem significet. Stat., Theb. l. IX, v. 362 :

> *Alcyone deserta* gemit, cum pignora sævus
> Auster, et algentes rapuit Thetis invida nidos.

Icon, *iconis* femininum est, quod apud Latinos vix invenies. Quæ in *on* syllabam exeunt, secundæ declinationis, neutra sunt, ut *barbiton*, quod semper hac positione neutrum est : vide Athenæum, Deipnos., l. IV, c. 23 a med., et Pollucem, Onomast., l. IV, c. 9. — *Barbitos* in suum locum differatur.

157. *En* dabitur neutris[1]. Sed *hymen, ren* mascula sunto,
Et *splen*, atque *lien, atagen* cum *pectine, lichen.*

[1] Ut *carmen, lumen.*

Multi grammatici *rien* (1) addunt, quod tamen nondum apud bonos scriptores legi. *Attagen* non poterat carmen ingredi nisi altero *t* amisso et prima correpta.

(1) « *Rien* νέφρος, *rienis* et *renis.* » (Charis., l. 1, p. 24.)

158. Postulat *ar* neutrum, ceu *par*, cum *nectare, bacchar.*

Par substantivum neutrum est, adjectivum omnis generis. *Bacchar,* herba, neutrius generis est. Plin., l. XXI, c. 16, 1 : « Eorum quoque error corrigendus est, qui *bacchar* rusticum nardum appellaverunt. » Idem in eodem libro, c. 77, 1 : « *Bacchar* in medicinæ usu aliqui ex nostris perpressam vocant. » Utrobique *baccharem* dixisset, si esset muliebre. Eadem herba etiam *baccharis* vocatur. Idem, l. XII, c. 26, 3 : « *Baccharis* vocatur nardum rusticum, de quo dicemus inter flores.» — *Lucar*, avis, nusquam apud antiquos quod sciam, invenitur.

159. *Er* maribus dona[1]. *Laver hoc* cum *tubere* poscit,
Uber, iter, spinther, laser, cicer atque *papaver,*
Ver, siser atque *piper*, cum *verbere* necte *cadaver.*

[1] Ut *imber, aer.*

Laver interdum femininum est. Plin., l. XXVI, c. 32 : « *Laver* quoque nascens in rivis, *condita* et *cocta* torminibus medetur. » — *Tuber* neutrum est, cum terræ callum aut tumorem; cum vero arborem significat, femininum. Plin., l. XVI, c. 42, 1 : « Ab ea proxime florent Armeniaca, dein *tuberes* et præcoces, *illæ peregrinæ,* hæ coactæ. » *Tuber,* pomum ejusdem arboris, masculinum est. Suet. in Domitiano, c. 16 : « Pridie quam periret, cum *oblatos tuberes* servari jussisset, etc. » Mart., l. XIII, epigr. 43 :

> Lecta suburbanis mittuntur apyrina ramis
> Et *vernæ tuberes;* quid tibi cum Lybicis?

ubi *vernæ* substantivum nomen est a *verna, vernæ,* non a *vernus, a, um,* ut quidam crediderunt. Nam *vernas tuberes* dixit Martialis ea dicendi forma, qua libro I, epigr. 50, v. 24, *vernas apros;* et l. III, epigr. 1, v. 6, *verna liber* :

> Debet enim Gallum vincere *verna liber;*

et l. V, epigr. 18, v. 4 :

> Præter *libellos vernulas* nihil misi;

et l. X, epigr. 30, v. 21 : *lupos vernas.* Non itaque dissentit a Suetonio, sed vernas tuberes appellavit in Italia natos, non ex Africa allatos, unde ipsa arbor a Sexto Papinio in Italiam translata fuerat. Lege Plin., l. XV, c. 14. — *Uber* hic substantivum est; nam adjectivum omnis generis est. — Plin., l. XX, c. 17, 1, de sisere loquens, in eadem periodo masculino et feminino usus est : « Hicesius, inquit, ideo stomacho utile videri dixit, quoniam nemo *tres siseres* edendo continuaret; esse tamen *utile* convalescentibus ad vinum transeuntibus. » — *Verber* casu nominandi inusitatum est; sexto casu, *verbere* usitatissimum est, et interim genitivo; numero multitudinis integrum est. — *Cancer* tertiæ declinationis jam exolevit. — *Ruder* non probatur doctis, sed *rudus.* — *Cucumer,* pro *cucumis,* insolitum videtur. — Nondum *zingiber,* sive *zinziber,* quod hic a quibusdam ponitur, apud veteres Latinos legi, sed *zimpiberi,* sive *singiberi.* Plin., l. XII, c. 14, 2 : « Non est hujus arboris radix, ut aliqui existimavere, quod vocant *zimpiberi,* alii vero *zingiberi;* » apud Dioscorid., l. II, σιγγίβερις dicitur, quod in nonnullis libris, c. 149, ζιγγίβερις legitur; hoc est, *singiberis,* sive *zingiberis.*

160. *Or* maribus servit [1], muliebris demitur *arbor*.
Accedunt neutris *cor, ador*, cumque *æquore, marmor*.
Exigit *ur* neutrum [2]. *Hic furfur*, cum *vulture, turtur*.

[1] Ut *dolor, honor*. — [2] Ut *fulgur, sulphur*.

Ir syllaba finita significatione genus suum indicant, ut *vir, levir, trevir. Abaddir* et *ir*, quorum illud masculinum, hoc neutrum esse aiunt, sine ulla jactura possunt prætermitti; cum nihil aliud quam aliorum locum occupent, neque ulli sint usui. Priscianus, l. VI, p. 698, neutrum putat declinari; posterius declinavit Charisius. — *Satur, satura, saturum*, cum ternas habeat formas, totidem habebit genera. — *Furfur* etiam numero singulari in usu est, maxime apud Plin., l. XVIII, c. 20, 3 : « Verum plus retinent in *furfure*; » et l. XXVI, c. 2, de mentagra loquens : « Descendentem et in colla, pectusque ac manus, fœdo cutis *furfure*. »

161. Femineum *as* [1]. Neutrum *vas vasis, fas*que *nefas*que.
Mascula sunt *elephas, adamas, as* atque *tiaras*,
Cum reliquis cunctis flectit quæ prima Pelasgum [2].

[1] Ut *tempestas, lampas*. — [2] Ut *pharias, mamonas*.

Ceras, ceradis neutrum, ut aiunt, prætermisi, propterea quod sit inusitatum. *Tiaras* et reliqua primæ masculini sint. Virgil., *Æn*. VII, v. 247 :

. . . . . Sceptrumque *sacerque tiaras*.

Tiara, æ, femininum est. Juven., sat. 6, v. 516 :

. . . . . Et Phrygia vestitur *bucca tiara*.

162. Esto nomen in *es* muliebre [1]; sed esto virile
Limes, pes, fomes, termes cum *palmite, trames*;
Et *gurges, merges, poples* cum *cespite, vepres*,
Et *paries stipes*que, *meri* nomenque *diei*;
His græcum primæ vel tertiæ jungito nomen [2].
Hippomanes neutris, *panaces, cacoethes* adhærent.

[1] Ut *compes, moles*. — [2] Ut *aromatites, lebes*.

Tudes et *ames* masculina sunt, ut quibusdam placet, sed nullis testibus id confirmant; *meridies* in duas partes sectum est, quia aliter carmen ingredi non poterat. — *Vepres* etiam numero singulari reperitur. Columel., l. XI, c. 3 : « Hunc *veprem* manifestum est interimi non posse. » Græca primæ, ut *Bootes, aromatites, myrtites, absinthites*, et multa alia generis ejusdem masculina sunt. Plin., l. XIV, c. 19, 6 : « *Aromatiten* quoque invenio *factitatum*. » Idem in eodem, 3 : « Sic fit et *sycites* e fico, *quem* alii palmiprimum, alii catorchiten vocant. » Ibidem : « Sed e punicis, quod *rhoitem* vocant; » quæ si neutra essent, ut quidam putavit, accusativus similis esset nominativo. Neque si vinum aromatites, absinthites, hyssopites dicatur, continuo hæc neutra erunt; quemadmodum neque Tagus, Rhodanus, cum flumen Tagus, flumen Rhodanus dicitur. Sunt et græca tertiæ declinationis, quibus utuntur Latini, masculina, ut *magnes, lebes, tapes*, præter *hippomanes*, et *panaces*, et *cacoethes*, quæ neutra sunt. Plin., XXV, c. 11 : « *Panaces* ipso nomine omnium malorum remedia promittit, *numerosum*, et diis inventoribus *adscriptum*. » *Solœcophanes* his tribus addi potest.

163. *Is* dato femineis [1]. Maribus da *piscis*, *aqualis*,
Anguis, tum *fustis*, tum *callis*, *follis* et *ensis*,
Mensis cum *vecti*, *torris*, *glis*, *postis* et *orbis*,
Et *sanguis*, *cenchris*, *collis* cum *vomere*, *cassis*,
Mugilis, atque *lapis*, *vermis* cum *fasce*, *canalis*,
Unguis, tum *cucumis*, tum *canalis*, *pulvis* et *axis*,
Is quoque finitum, ceu *panis*, et *asse* creata [2].

[1] Ut *navis*, *clavis*. — [2] Ut *vigessis*, *centussis*.

Amnis, *canalis*, *cinis* apud priscos etiam feminina fuerunt, quorum postremum Cæsar, et Catullus, ut refert Nonius Marcel., c. 3, 51, conati sunt revocare; sed parum feliciter eorum conatus cessit. — *Anguis* raro admodum reperitur femininum. Valer. Max., l. I, c. 6, 4 : « Subito ab ima parte aræ *prolapsam anguem* prospexit. » Ibidem, 8, masculino usus est : « *Angues duo* ex occulto *prolapsi;* » sic enim habent correcti libri. — *Cenchris* serpens masculini generis est. Lucan., l. IX, v. 712 :

Et semper recto *lapsurus* limite *cenchris*.

Cenchris, *idis*, avis, femininum; vide Plin., l. X, c. 73, 1. — *Cassis*, hoc est, *rete*, usitatius est numero multitudinis. Virg., Georg. l. IV, v. 246 :

. . . . . Aut invisa Minervæ
Laxos in foribus suspendit aranea *casses*.

Seneca, Agam. act. V, v. 892, etiam singulari est usus :

At ille ut altis hispidus silvis aper
Cum *casse* vinctus tentat egressus tamen.

Sentis fere numero plurali reperitur. Colum., l. VI, c. 3 : « Liberantur arva *sentibus*, qui æstivo tempore per Caniculæ ortum recisi, etc. » Idem, l. XI, c. 3, singulari usus est : « Nos *sentem* canis appellamus. » *Pollis* Phocas, p. 1697, masculinum; Charisius femininum esse existimat; Cæsar et Probus, quibus potius accedendum est, *pollen*, *pollinis* neutro genere declinant. Vide Priscianum, l. VI, p. 708.

Delphis etiam a quibusdam additur; sed *delphin* et *delphinus* fere a Latinis usurpantur. — *Alcyonis*, alii commune duorum generum, alii incerti generis tradunt esse, avemque alcyonem, sive alcedinem significare; verum alcyonides, numero multitudinis, non alcyones sunt, sed dies quibus ipsæ alcyones nidos faciunt, ova pariunt, pullosque educant. Arist., l. V, c. 8, de Hist. animal., ἀλκυονείους ἡμέρας, καὶ ἀλκυονίδας vocat, unde mutuatus est Plinius, quæ l. X, c. 47, 2, de alcyonibus scripsit : « Fœtificant, inquit, bruma, qui *dies alcyonides* vocantur ; ....faciunt autem septem ante brumam diebus nidos, et totidem sequentibus pariunt. » Hos dies M. Varro, l. VII, 88, de Ling. lat., ait *alcyonios* appellari. Suidas ait Alcyonidem fuisse matrem Alcyonis, Ἀλκυονὶς καὶ Ἀλκυονίτις, ἡ τῆς Ἀλκυόνος μήτηρ. Magnum Etym. et Phavor. aiunt esse diminutivum. Quæ cum ita sint, feminini erit tantum.

Acinaces per *e* scribendum puto, cum græce ubique ἀκινάκης scribatur. — *Sotularis* non est apud D. Hieronymum, sed *soccus*, l. I contra Jovinianum, fere in extremo libro, c. 29 : « Et hic *soccus*, inquit, quem cernitis, videtur vobis novus et elegans; sed nemo scit, præter me, ubi me premat. » — *Othrys* mons apud Græcos femininum est. Strabo, l. IX, p. 433 : « τῆς Ὄθρυος ὄρους. » A poetis latinis masculino genere usurpatur. Lucan., l. VI, v. 338 :

Solstitiale caput *nemorosus* submovet *Othrys*.

Stat., Achil. l. I, v. 238 :

Jam tristis Pholoe, jam *nubilus* ingemit *Othrys*.

164. Mascula in *os* sunto[1]. *Dos, cos*, muliebris, et *arbos*.
Da *chaos* atque *molos* neutris, *os, Argos, epos*que.
Nomen in *us* mas est, seu quartæ sive secundæ[2].

[1] Ut *ros, flos*. — [2] Ut *sensus, rogus*.

Pampinus, intubus seu *intybus* non video cur generis sint incerti, cum feminina nusquam apud classicos reperiantur. Colum., l. III, c. 18 : « Ex quibus *pampini* pullulant vel steriles, vel certe minus feraces, *quos* rustici vocant racemarios. » Plin., l. XXIII, c, 3, 1 : « *Pampini triti* et *impositi* tumorem omnem siccant ; » et c. 11 ejusdem libri : « *Pampinos* quoque ejus *edendos* censent, *imponendos*que. » Idem, l. XIX, c. 39, 1 : « *Intubi* ....caule non minus *grati*. » Ibidem : « Est et *erraticum intubum*, quod in Ægypto cichorium vocant; » genere neutro. — *Arcus* etiam cœlestis tantum est masculini generis; neque est cur in rebus nullius momenti tempus frustra conteramus.

165. *Porticus* atque *tribus*, muliebris, *acus*que, *manus*que;
Alvus, humus, vannus, colus, Idus, carbasus addes,
Et *domus* et *ficus* pomum; mas *morbus* habetur.

Acus, aci, piscis nomen, virile est; cum vero tertiæ declinationis est, purgamentum tritici significat, et neutrum est. Varro, de Re rust., l. III, c. 9, ante med. : « In cubilibus, cum parturient (gallinæ), *acus substernendum*; » idem etiam aliquando significat quartæ declinationis, sed est generis feminini. Festus : « Paleæ etiam *quædam* de frumento *acus* dicuntur. » Colum., l. II, c. 10, ante med. : « *Durissimæ* quidem *acus rejectæ separatæ*que erunt. » — *Colus* apud Catullum, carm. 64, v. 312, et Propertium, l. IV, eleg. 1, v. 72, et eleg. 9, v. 48, etiam genere virili invenitur. — *Carbasus* femininum est numero singulari. Propert., l. IV, eleg. 11, v. 54 :

Exhibuit vivos *carbasus alba* focos.

Valer. Max., l. I, c. 1, 7, de Æmilia virgine Vestali : « Quum *carbasum, quam optimam* habebat, foculo imposuisset, subito ignis emicuit. » Sic enim habent correcti libri, non *quem*, ut quidam legunt; numero multitudinis neutrum est. — *Ficus* morbus semper est generis masculini; pomum semper feminini, sive secundæ sive quartæ declinationis sit. Corn. Cels., l. V, c. 12 : « *Ficus arida decocta*. » Eodem libro, c. 18, 27 : « *Ficus aridæ* quam *pinguissimæ*. » Plin., l. XV, c. 19, frequentissime, et l. XXIII, c. 63, vicies, ut minimum, genere feminino utitur, 3 : « *fici maturæ* urinam cient; » 4 : « *siccæ fici* stomachum lædunt; » 6 : « cum ruta *coctæ* torminibus prosunt. » Sic Colum., de Arbor., c. 21; Varro, de Re rust., l. I, c. 41 et 67; et quicumque latine locuti sunt. Macrob., l. II, c. 16 : « *Diversas ficos* diligentiæ suæ more dinumerat. » Ibidem : « Grossi appellantur *fici, quæ* (1) non maturescunt; » non *qui*, ut nonnulli legerunt. Plin., l. XVI, c. 40, 2 : « In *ficis* mirabiles sunt et abortus, *qui* nunquam maturescunt. » Quidam hic legerunt : Fici mirabiles sunt, et abortivi, qui nunquam maturescunt; sed vitiose.

(1) Antiquæ editiones habent *quæ*; in edit. quam secutus est D. Nisard, *qui*.

166. Plurima in *os* græca, Ausonii fecere latina :
Quæ maribus partim, ut *prologus, paradisus*, adhærent;
Partim femineis, veluti *diphthongus, heremus*.

Quidam existimant quæcumque ex his ad nos transeunt pro nostro arbitratu, vel masculina, vel feminina esse; longe aliter tamen se res habet; nam servato fere genere græco his Latini utuntur;

sic *diphthongus*, *periodus*, *arctos*, *heremus*, *papyrus*, et alia hujus generis, ut apud Græcos, ita apud nostros feminina sunt. *Prologus* vero, *dialogus*, *stylus*, *scyphus*, *isthmos*, et alia quam plurima masculina sunt. Plin., l. IV, c. 18, 10 : « *Alius* namque ibi *isthmos* angustia simili est eodem nomine et pari latitudine. » — *Barbitos* apud Græcos femininum est. Strab., l. X, p. 471 : « Ἡ καὶ βάρβιτος, etc. ; » unde Ovidius, ep. XV, v. 8 :

Non facit ad lacrymas *barbitos ulla* meas.

Horatius, l. I, od. 32, v. 4, masculino usus est :

. . . . . Age, dic Latinum,
Barbite, carmen,
Lesbio primum *modulate* civi.

Costos apud eosdem masculinum est. Diosc., l. I, c. 15 : « Κόστου διαφέρει ὁ ἀραβικός. Lucanus feminino genere dixit, l. IX, v. 917 :

Et tamarix non læta comis, *Eoaque costus*.

Apud Catullum, carm. 64, v. 86, legunt quidam : « Regia suaves exspirans *costus* odores ; » cum hoc modo legendum sit :

. . . . . Conspexit lumine virgo
Regia, quam suaves exspirans *castus* odores
Lectulus in molli complexu matris alebat.

Pharos etiam apud illos est masculinum. Strabo, l. XVII, p. 794 : « Ὁ πύργος ὁ φάρος, etc. ; » apud nostros femininum. Stat., Silv. l. III, carm. 5, v. 101 :

. . . . . Trepidis ubi dulcia nautis
Lumina noctivagæ tollit *Pharus æmula* lunæ.

Sueton. in Claud. Cæs., c. 20 : « Superposuit altissimam turrim in exemplum *Alexandrinæ phari*; » sic enim habentur libri correcti, quam lectionem Beroaldus (Comment. in Sueton.) probat. — *Smaragdus* apud utrosque virile est. Strabo, l. XVI, p. 779 : « Λέγεται δὲ καὶ διότι ὁ σμάραγδος καὶ ὁ βήρυλλος, etc. » Plinius, l. XXXVII, c. 16, frequentissime masculino utitur. Idem, eodem libro, c. 3 : « Indicato, inquit, in Cypro sex aureis denariis smaragdo, in *qua* fuerat sculpta Amymone ; » ubi *in quo* legendum est. — Ἀλάβαστρος masculinum est. Aristoph. in Acharn. : « ἐς τὸν ἀλάβαστρον, » v. 1053; a Cicerone *alabaster* dicitur : Acad. quæst. l. II. Vide Non. Marcel., c. 15, 17 : « Quibus etiam *alabaster plenus* unguenti putere videtur. » — *Crystallus*, *nardus*, *diametros*, feminina sunt. Plin., l. XXXVII, c. 46, 1 : Coeunt intus *translucida crystallus*, etc. » Ibid., c. 43, 1 : « *crystallum* ....*erutam*. » Ovid., Art. l. III, v. 443 :

Nec coma vos fallat *liquida* nitidissima *nardo*.

Columella, Vitruvius, Macrobius, l. I, c. 20, utuntur voce *diametros*. Columel., l. V, c. 2 : « Esto area rotunda, cujus *diametros* habeat pedes LXX. » Vitruvius, l. X, c. 9 : « Sint latæ per *mediam diametron* pedum quaternum. » Hæc etiam apud Græcos sunt feminina. Vide Epigram. græc. l. IV, epigr. 17 : εἰς λίθους, v. 3, et Dioscoridem, l. I, c. 6 et 7; διάμετρος femininum est; lege Archimedem, De sphæra et cylindro, Prop. 13, Theor. 8, et Euclidem, l. I, 17; cui nomini pleraque lexica perperam articulum masculinum præfigunt.

Horum nonnulla in *um* syllabam exeunt neutro genere, ut *crystallum*, *alabastrum*, *nardum*, *costum;* exempla passim occurrunt. — Λήκυθος, *lecythus*, femininum est apud Homerum, Odyss. VI, v. 79, et Aristophanem frequentissime, maxime in Ranis, et apud Ciceronem ad Atticum, l. I, ep. 14, 3 : « Nosti *illas* ληκύθους. » Nondum hoc vocabulum latina declinatione inveni apud veteres, quo fortasse etiam masculino genere usi sunt. — *Paradisus* solum genere virili tum Græci, tum nostri utuntur. Xenoph. in Œconomico, l. IV, paulo ante fin., ubi de Cyri hortis agit : « Καὶ τὸν ἐν Σάρδεσιν παράδεισον ἐπιδεικνύναι αὐτόν. » Philon, priore libro Allegor. : « Ταῦτά ἐστι τοῦ παραδείσου τὰ φυτά. » Gell., l. II, c. 20 : « Vivaria autem, quæ nunc vulgus dicit, sunt *quos* παραδείσους Græci appellant. » Lactantius, De divin. Instit., l. II, c. 13, a medio : « *Ipsum*que *paradisum* igni circumvallavit. » — *Abyssus*, *synodus*, *diphthongus*, *heremus* apud Latinos semper sunt substantiva, et feminini generis; apud Græcos etiam sunt adjectiva, et communis generis more Attico, unde eis articulus tum masculinus, tum femininus præponitur; sed cum substantivorum naturam induunt, etiam apud eos generis sunt feminini. Quidam cum in lexicis his vocibus vidissent articulum tum masculini, tum feminini generis præpositum, arbitrati sunt esse generis communis.

167. In neutris numera *virus pelagus*que profundum.

Illud Valerii Flacci, l. I, v. 169 :

. . . . . *Pelagum* quantos aperimus in usus (1);

aut priscum est, aut *pelagus*, quod verisimilius est, a poeta scriptum fuit. — *Sexus, i*, secundæ declinationis, neutro genere dixit Sall., l. II Hist. : « At Metellus in ulteriorem Hispaniam post annum regressus, magna gloria concurrentiun undique, *virile* et *muliebre sexus* per vias ac tecta omnium visebatur. » Sisenna, Hist. l. IV : « Tum in muro *virile* ac *muliebre sexus* populi multitudine omni collocata. » Varro, de Ling. lat., l. VIII, 46 (2) : « *Sexus* utrum *virile*, an *muliebre*, an *neutrum* sit. » Vide Non. Marcel., c. 3, 193, et Priscian, l. V, p. 659. (Pustch, mendose : *Serus.*)

(1) De hoc versu audi Lemaire in notis : « In prima edit. Bononiensi (an. 1474, quæ princeps) legitur *pelagum*. Quod mendum in sequentes omnes usque ad Carrionis editionem (1565) transmissum est. Hoc freti grammatici contenderunt *pelagus* esse masculini ac neutrius generis. »

(2) Varronis verba sic descripta video in edit. Henr. Stephani 1573, l. VII, et in opere cui titulus : *Auctores linguæ latinæ in unum redacti corpus*; sed Spengel. et Müller, l. VIII : « Hæc singulatim triplicia esse debent, quoad sexum, multitudinem, casum. *Sexum* utrum *virile*, an *muliebre*, an *neutrum* sit. »

168. Postulat *us* neutrum quoties id tertia flectit [1].
Hic lepus et *mus; pus* græcum compostaque junges [2].
Sit tibi femineum *lagopus* herba, volucris;
Est muliebre *palus, subscus*, pulcherrima *virtus*,
Atque *salus, pecudis*que *pecus*, quibus additur *incus*.
Quæque sibi servus, juvenisque, senexque jugarunt [3].

[1] Ut *pecus, pecoris*. — [2] Ut *chytropus, tripus*. — [3] *Servitus, juventus, senectus*.

Ποῦς, ποδός, hoc est *pes*, virile est, et quæ ex eo nascuntur, ut *chytropus*, secunda vocali per *o* literam, *tripus, apus;* hoc postremum inquiunt quidam esse generis feminini, quod confirmant Plinii auctoritate, l. X, c. 55, 1 : « Plurimum volant *quæ apodes*, quia carent usu pedum, ab aliis cypselli appellantur, hirundinum specie. » Sed Plinius relativum *quæ* ad *volucres* sive *aves* retulit. Sic idem de psittacis loquens eodem libro, c. 58 : « Super omnia humana voces reddunt psittaci quidem, et sermocinantes; India *hanc* (1) mittit.... Imperatores salutat; et quæ accipit, verba pronuntiat, in vino præcipue lasciva. » — Generis esse masculini *apus* docet Arist., de Hist. anim., l. IX, c. 30 : « Οἱ δὲ ἄποδες οὓς καλοῦσί τινες κυψέλλους, etc. » *Lagopus*, nomen herbæ, sive avis, femininum est, quamvis ex ποῦς componatur. Mart., l. VII, epigr. 87 :

Si meus *aurita* gaudet *lagopode* (2) Flaccus.

Plin., l. X, c. 68, 2, de lagopode ave : « Non extra terram *eam* vesci facile, quando nec *viva* mansuescit, et corpus *occisæ* statim marcescit. » Idem, l. XXVI, c. 34, 2, de lagopode herba : « Lagopus sistit alvum, e vino *pota*. »

(1) Lemaire cum plerisque habet *hanc avem*.

(2) « Apud Martialem.... non *lagopode* legendum, sed *glaucopide*; quod abunde ad Propertii l. IV, eleg. 3, probavit Jos. Scaliger. » (Voss., l. III, c. 32.) Quam lectionem admisit Lemaire. Teubner vero : « *lagalopece*, » quæ vox neque in Forcell. Lipsiensi occurrit.

169. *Æs* tibi sit neutrum; *laus, fraus* muliebria sunto.
S dato femineis, si consona ponitur ante [1].
Esto virile *rudens, fons, pons, seps*, lethifer *anguis*,

[1] Ut *mens, sors*.

Mons, *dens* atque *chalybs*, *assis*, quibus addito partes[1].
Et polysyllaba *ps*[2]; *forceps* dematur adunca.

[1] Ut *quadrans*, *triens*. — [2] Ut *hydrops*, *merops*.

Composita ex nomine *dens* etiam sunt masculina, ut *tridens*, item *bidens*, cum rusticum instrumentum significat. — *Forceps* femininum est. Ovid., Metam., l. XII, v. 277 :

. . . . . Quod *forcipe curva*
Cum faber eduxit.

Pers., satir. 4, v. 40 :

. . . . . Labefactent *forcipe adunca*.

Frons apud vetustissimos masculinum fuit. — *Rudens* femininum.

170. *X* dato femineis[1]. Sed *Eryx*, *grex* mascula sunto,
Et *spadix*, *bombix* vermis, cum *fornice*, *phœnix*,
Atque *calix*, *coccyx*, et *oryx*, *varyx*que, *calyx*que;
Præterea *volvox*, *quincunx*, *septunx*que, *deunx*que.
Ax, *ex* finitum polysyllabon esto virile[2].

[1] Ut *sandix*, *celox*. — [2] Ut *thorax*, *pellex*.

Victrix et *ultrix* numero multitudinis non solum *victrices*, *ultrices*, genere muliebri, sed neutro etiam *victricia* et *ultricia* pariunt. Virg., Æn. l. III, v. 54 :

Res Agamemnonias, *victricia*que arma secutus.

Silius, l. II, v. 422 :

Ipsa pyram super ingentem stans saucia Dido
Mandabat Tyriis *ultricia* bella futuris.

Mastix, *mastigis*, media producta (ut docet Eustathius in Iliad. l. XVII, v. 430, et multa carmina Homeri), *syrinx*, hoc est fistula, *thominx*, *meninx*, *lynx*, plane sunt græca et generis feminini. Pollux, Onomast. l. III, c. 8 : Αἵδε μάστιγες, etc. Suidas : Μάστιξ δι' ἧς τὸν ἵππον πλήττομεν; composito utuntur Latini masculino genere : *Homeromastix*, *Ciceromastix*, hoc est, Homeri, Ciceronis flagellum et obtrectator. Plin., in proœmio Natural. hist., 22 : « Ut obiter caveam *istos Homeromastigas*. » Pausan. in Phoc., l. X, c. 29 : « Ἀνὴρ οὗτος συνάγει τοῦ Ὄκνου τὴν θώμιγγα; » id est, *Homo hic contorquet Ocni funiculum*. Hinc arbitror *thomix*, sive *thomex*, ut plerique scribunt, natum, quo vocabulo utitur Vitruvius l. VII, c. 3, *thomice* sexto casu, et Plin., l. XVII, c. 11, 2 : « Sic et spinas sepis causa serunt, *tomice* moris spinarum *circumlita;* » et Colum., l. XII, c. 32 : « Deinde fasciculos facito, et *thomice palmea* aut *juncea* ligato. » Pallad., l. I, c. 13 : « Tunc eos catenis ligneis ex junipero, aut oliva, aut buxo, aut cupresso factis ad contignationem suspendemus, et binas inter eos perticas dirigemus *thomicibus* alligatas. » Hinc apertissime intelligitur non esse nomen τομικὴ, *tomice*, ut quædam lexica ex loco Vitruvii docent; nam apud Vitruvium ablativus *tomice* est a *tomex*, vel potius *thomice* a *thomex*. — *Pharynx* etiam plane græcum frequentius femininum est quam masculinum. — *Spelynx*, *larynx* masculina. Hæc omnia et his similia Græcis sunt relinquenda.

Bombyx, cum materiam significat, unde vestes bombycinæ fiunt, femininum est. Plin., l. XI, c. 27 : « *Assyria* tamen *bombyce* adhuc feminis cedimus. » Quod si aliquando pro bombycina veste reperiatur masculinum, non tam materiæ quam vermiculi habita est ratio. — *Phœnix* hic avem significat; nam cum est gentile, significatione metiendum est. — *Coccyx*, *coccygis* avis est, quæ latine cuculus dicitur. Plin., l. X, c. 11, 1 : « *Ipse* quoque modico tempore æstatis visus non cernitur postea. » Aristot., de Hist. anim., l. IX, c. 29 : « Ὁ δὲ κόκκυξ, etc. » *Calyx* per *y* apud Græcos femininum est, et priorem syllabam habet brevem, ut sæpe in libro VII Epigram. invenies, et Iliad. l. XVIII, v. 401; apud nostros masculinum est. Plin., l. XV, c. 25, 1 : « Armatum iis *echinato calyce* vallum; » eodem libro, c. 24, 1 : « *Pulvinati* primum *calycis*. » — *Volvocis* meminit idem

l. XVII, cap. ult. : « Alii *volvocem* (1) appellant animal prærodens pubescentes uvas; » non est itaque barbarum, ut quidam putant. — *Sandyx*, quod fere omnes grammatici et lexica masculinum esse docent, femininum est tam apud Græcos quam apud nostros. Galen., extremo libro de simplicium medicamentorum facultatibus : « Καιόμενον δὲ ψιμμύθιον εἰς τὴν καλουμένην σάνδυκα μεταβάλλον. » *Adusta cerussa in* sandicem quam *vocant transit*. Plin., l. XXXV, c. 26, 2 : « Pingentes *sandyce sublita*, mox ovo inducentes purpurisum, fulgorem minii faciunt. » Sandycem vulgus pharmacopolarum *minium* propter coloris cognationem vocat. Hesychius ait significare etiam fruticem, cujus flos colorem habeat similem cocco.

Scandix, scandicis, herbæ nomen, etiam est muliebre. Plin., l. XXI, c. 52, 2 : « *Scandix, quæ* ab aliis tragopogon vocatur. » — *Styrax*, ut Cyrillus et Ammonius putant, femininum est, cum thymiama odoremque significat; sed apud Aristotelem, de Hist. anim., l. IV, c. 8, circa finem, masculinum est : « Μάλιστα δὲ φεύγουσι θυμωμένου τοῦ στύρακος (2). » Item Dioscorid., l. I, 80. Plin., l. XXIV, 15, 1, de styrace loquens : « Placet, inquit, præter illa quæ diximus, maxime *pinguis, purus*. » Quidam *storacis* nomen tanquam barbarum officinis relinquunt, cum tamen idem Plinius, l. XXVI, c. 30, eo utatur : « Furfures cutis, inquit, et manantia ulcera sale addito sanat; tussim veterem cum *storace* (3) sumptum. » Solin. c. 46 (edit. H. Stephani 1577), de thuris arbore loquens : « Arabes, inquit, sarmentis ejus ignes fovent, quorum fumo satis noxio, nisi odore *cremati storacis* occurrant, plerumque insanabiles morbos contrahunt. » Et Terentianus Servulus : « *Storax* dicitur, *quem* Donatus, Comment. in Terent., Adelph. act. I, sc. 1, v. 1, ait ab odore *appellatum* fuisse. » — *Obex*, quod apud priscos etiam recto casu invenitur, quondam femininum fuit, quo genere Plinius usus est in Panegyr., c. 47, 5 : « *Nullæ obices*, nulli contumeliarum gradus. » — *Latex, culex, ramex* masculina sunt. *Culex* apud Plaut., Casin. act. II, sc. 3, v. 22; *latex* apud Accium (vide Prisc., l. V, p. 658), feminina reperiuntur. — *Natrix* apud Lucanum masculinum est, l. IX, v. 720 :

Et *natrix violator* aquæ;

quod Priscianus, l. V, p. 656, putat figurate dictum.

(1) « Ita habet editio Dalecampii. Lemaire : « Alii *volucre* » appellant.... » Columella, lib. de Arboribus, c. 15, *volucram* vocat. Sed vulgatior *convolvuli* appellatio. » (Voss., Art. gramm., l. III, c. 34.)

(2) Henric. Steph. in Thes. ling. gr. hæc ex Ammonio : « Στύραξ θηλυκῶς μὲν θυμίαμα· ἀρσενικῶς δὲ, τὸ ξύλον τοῦ ἀκόντιου. » Nova editio Thesauri dicit masculini tantum generis esse *cuspidem*; utriusque generis, *arborem* et *thus*.

(3) Plerique *styrace*.

Femineum *thomex*, *alex*, cum *smilace*, *fornax*,
Et *forfex*, *vibex*, *carex*, adjunge *supellex*.

Thomex, ut in proximo scholio diximus, a θώμιγξ factum est, ob quam causam priorem produximus. — *Forfex* nondum legi apud veteres. — *Vibex* etiam Priscianus, l. V, p. 655, numerat nter ea quæ *ex* syllaba terminantur; hujus nominis positionem nondum legi apud auctores antiquos. Quid si fuit *vibix*, cum penultima genitivi sit longa? — *Atriplex* neutrum est. Plin., l. XX, c. 83, 1 : « *Atriplex* et *silvestre* et *sativum* est. »

171. Mobile fit fixum, si fixum mente subaudis,
Unde genus capit, ut *sonipes*, *Oriens*que, *Tonans*que.
Mobile fit neutrum, ni fixum mente subaudis.

Distuli hos et consequentes versiculos in hunc ocum, quod pueri in eos veluti in quosdam scopulos impingerent, vix e portu egredientes. Sæpe positis adjectivis substantiva omittuntur, propterea quod facile intelligantur : sic *natalis*, *molaris*, *Sextilis*, *Quintilis*, *Oriens*, *Occidens*, *torrens*, *pro-*

fluens, confluens, cornipes, continens, bipennis, consonans, vocalis, præsens, et his similia ejusdem sunt generis, cujus est substantivum quod subauditur. *Natalis* masculini est generis, quia auditur *dies; molaris,* quia *lapis; Oriens, Occidens,* quia *sol; continens,* femininum, quia *terra* subauditur; *bidens, ovis; bipennis, securis; biremis, triremis, navis; consonans, vocalis, litera; præsens, neutrum,* quia auditur *tempus.*

Quod si adjectivum per se ponatur in oratione, neque aliquod substantivum nomen subaudiatur, erit neutrius generis, ut *Continens,* apud rhetores, pro firmamento, *decens, accidens, consequens, conveniens,* quæ prudens magister rhetoricis ac dialecticis professoribus relinquet intacta, ne, dum in grammaticæ rudimentis, ut aliquando usu venit, ridicule rhetorem aut dialecticum agit, officii sui obliviscatur. Quare tertium versiculum tanquam infestam grammaticæ Charybdim remis velisque fugiet. Quod si duo proximi obscuriores videbuntur, per me vel deleantur omnino licet, non modo intacti prætermittantur, id quod de consequentibus dictum sit.

172. Respicimus fines, non significata, frequenter;
Zeugma, Reate ideo petit *hoc,* cum *Tybure, Cære,*
Hoc Præneste, Hispal. Sulmo hic uberrimus undis.
Martius *hic Narbo* braccatæ gloria gentis;
Hæc damnata diu Romanis *Allia* fastis.

Hæc nomina, quamvis propria sint oppidorum, tamen sunt neutra, quia habetur potius ratio positionis quam significationis; si quidem nomina tertiæ declinationis *a, e,* literis finita neutra sunt, quibus adde *Nepete* (sic enim appellat Livius multis locis, non *Nepet*). *Suthul.* Sallustius, bello Jugurth., c. 38 : « Denique Aulum spe pactionis perpulit, uti, *relicto Suthule,* in abditas regiones sese veluti cedentem insequeretur. » Priscianus, l. V, p. 644, putavit *Suthul* et *Muthul* propria esse oppidorum, et quamvis cum nomine *oppido* jungerentur, ut *Suthul oppidum,* non esse generis neutri, maxime cum sint hæc nomina punica, Pœnorumque lingua, quæ Hebrææ atque Chaldææ similis est, neutro genere careat. Sed Sallustii locus apertissime docet neutrum esse. Idem, ibid., c. 37 : « Magnis itineribus, hieme aspera, pervenit ad *oppidum Suthul.* » Si esset femininum, dixisset *oppidum Suthulem,* ut *oppidum Nolam, Sulmonem.* — *Muthul* flumen est Numidiæ. Sallust., ibidem, c. 48 : « Erat in ea parte Numidiæ, quam Adherbal in divisione possederat, flumen oriens a meridie nomine *Muthul,* a *quo* aberat mons, etc. ; » ex quo loco sitne neutri generis colligi non potest. Probus in Catholicis nominum docet utrumque esse neutrum.

Gadir putat Priscianus eodem libro, p. 648, esse neutrum : « Unum, inquit, proprium civitatis invenitur *Gadir,* quod quidam femininum esse putaverunt; sed Sallustius neutrum esse ostendit in II Historiarum, accusativum similem nominativo ponens. Ut alii tradiderunt « Tartessum Hispaniæ » civitatem, quam nunc Tyrii mutato nomine *Gadir* » habent. » Nam si esset femininum, *Gadirem* dixisset. » Hæc ille. — Libro VI, p. 698, idem sentit; at l. VII, p. 747, ait esse femininum. Plin., l. IV, c. 36, 2 : « Nostri Tartesson appellant, Pœni *Gadir,* ita punica lingua sepem significante. » Probus, ibidem, p. 1454 : « *Dir* syllaba terminatum unum nomen reperi tertiæ declinationis, *ris* faciens genitivum : *hoc Gadir, hujus Gadiris;* nomen est oppidi. » Avienus, ut mox dicemus, feminino usus est. Quod si quis dixerit Sallustium et Plinium etiam femineo usos fuisse, neque *Gadirem* dixisse, quod vox sit punica, quæ in casus non inclinetur, cujusmodi sunt chaldææ et hebrææ voces, respondebimus Sallustium *Suthule* dixisse, cum tamen *Suthul* vox sit punica; præterea Græcos τὰ Γάδειρα numero multitudinis genere neutro dicere. Vide Strabonem, l. III, p. 168, Suid., Phavorin.

Hispal. Sil., l. III, v. 392 :

Et *celebre* Oceano atque alternis æstibus *Hispal.*

Sulmo, Ovidii patria, masculinum est. Sil., l. VIII, v. 509 :

. . . . . Conjungitur acer
Pelignus, *gelido*que rapit *Sulmone* cohortes.

Narbo fuit amplissimum emporium Galliæ braccatæ. Cic., pro Fonteio, c. 1, 3 : «Est in eadem provincia *Narbo Martius*, etc.» Ausonius in urbium catalogo, c. 13 :

Nec tu, *Martie Narbo*, silebere....

Allia nomen fluvii est, et generis feminini more nominum primæ declinationis. Carmen est Lucani, l. VII, v. 409, excepto primo verbo.

Albula eadem ratione femininum est apud Ovidium, Fast. l. IV, v. 68 :

. . . . . Et tanto est *Albula pota* deo.

Quod etiam masculinum reperitur apud Martialem, l. XII, epigr. 99, v. 4.

173. Respicit interdum nomen generale poeta,
Unde sibi merito genus inferiora capessunt;
Sic volucrem sequitur *bubo*, sic flumen *Iader*.

Nomen commune sive generale hic vocamus, quod multa ejusdem generis comprehendit, ut *avis, urbs, aqua, flumen, mons*. Poetæ aliquando genus nominis generalis et superioris tribuunt inferiori. Virg., Æn. IV, v. 462 :

*Sola*que culminibus ferali carmine *bubo*
Sæpe queri. . . . .

ubi *bubo* femininum est, quia nomen generale, nimirum *avis* sive *volucris*, est femininum; cum apud Plinium, l. X, c. 16, et poetas omnes quos quidem viderim, masculinum sit.

Lucan., l. IV, v. 405 :

Et *tepidum* in molles zephyros excurrit *Iader*.

Iader neutrum est, quia *flumen* nomen commune neutri generis est. Avienus in descriptione orbis, v. 610 :

Gadir prima fretum solida supereminet arce,
Attollitque caput geminis *inserta* columnis.

Gadir hic femininum est, quia nomen superius, nempe *urbs*, femininum est.

Virg., Æn. III, v. 703 :

Arduus inde *Acragas* ostentat maxima longe
Mœnia. . . . .

ubi *Acragas* masculinum est, cum sit nomen oppidi Siciliæ, ut docet Strabo, l. VI, p. 272, Ptolem., Stephan. et Plin., l. III, c. 14, 4, quod latine Agrigentum dicitur, apud quos nullus est mons ejusdem nominis. At quodnam erit superius? fortasse *populus;* sed hæc grammaticorum sunt inventa; est enim virile, ut *adamas, elephas,* quæ ejusdem sunt positionis. — *Œta, Ossa, Othrys* masculina sunt, quia *mons* generale nomen virile est. Seneca, Hercul. furent. act. I, v. 132 :

Jam cæruleis evectus aquis
Titan *summum* prospicit *OEtam.*

Ovidius in Ibin., v. 287 :

Utque dedit saltus de *summo* Thessalus *Ossa.*

Quæ duo frequentissime leges feminina. Tertium invenies supra inter ea quæ in *is* syllabam exeunt.

Ida, Ætna nondum, quod meminerim, legi masculina; illud Ovidii in Ibin., v. 600 :

Plurima qua flammas *Sicanus Ætna* vomit,

sic in correctis libris legitur :

Plurima qua flammas *Sicanis Ætna* vomit.

Probus, Phocas, p. 1691, existimarunt *Turia* nomen fluminis esse neutrum. Sic enim inquit Probus, l. II, p. 1440, in Catholicis nominum, ubi agit de prima declinatione : «Lectum est, et unum hac declinatione nomen generis neutri apud Sallust. : Et *dextrum flumen Turia.* » Ex quo loco nullum genus prorsus colligitur, cum loco nominis *Turia* possit et *Tagus,* et alia, et quodvis aliud poni. Priscianus, l. V, p. 641, affert locum integrum, docetque non esse neutrum. « Quod autem Turia, inquit, et similia fluminum nomina masculina sint, ostendit etiam Sallustius in *am* terminans ejus accusativum in II Historiarum : « Inter læva » mœnium et *dextrum flumen Turiam;* » nam si esset neutrum, similis esset accusativus nominativo. » Hæc ille. Plinius, l. XXXVII, c. 54, quam plurima nomina gemmarum in *as* et *es* syllabas, primæ Græcorum, genere feminino usurpat, habita ratione nominis communis *gemmæ.*

DE NOMINIBUS INCERTI GENERIS

174. Hæc modo femineis, maribus modo, juncta videbis :
Grossus, *adeps*, *atomus*, *limax*, cum *torque phaselus*,
Scrobs, *serpens*, *finis* cum *corbe*, *dies*que, *rubus*que.
Postulat *hic*, aut *hoc* merito *Nar*, *vulgus* et *Anxur*.

Nomina incerti generis vocant veteres grammatici, quæ modo hoc, modo illo genere apud probatos auctores reperiuntur. Hæc a communibus duorum generum vehementer differunt : siquidem communia masculini et feminini generis sunt non temere et fortuito ; sed masculini, cum marem, feminini vero, cum feminam significant : neque enim *bos*, cum vaccam significat, masculinum adjectivum admittit ; aut femininum, cum bovem marem significat. Illa vero sine ullo discrimine modo masculina, modo feminina sunt, aut neutra pro auctorum arbitratu ; modo itidem adjectivum masculinum, modo femininum, aut neutrum, si ita gravibus auctoribus visum sit, recipiunt.

Grossi significant ficos nondum maturas, cujuscumque generis sint. Colum., l. V, c. 10 : « Si voles ficum, quamvis non natura, seram facere, tu grossulos prioremve fructum decutito ; ita alterum edet, quem in hiemem differet. » Plin., l. XXIII, c. 64, 3, ubi egit de maturarum ficorum remediis, ad grossos, id est, immaturas se contulit, ubi etiam de grossis caprifici agit : « Grossi, inquit, caprifici inflammationes discutiunt suffitu. » Hæc ad significationem spectant, nunc ad genus redeamus. Celsus, l. V, c. 12 : « *Grossi* in aqua *cocti* ; » hinc *grossulus* ; Colum., lib. de Arboribus, c. 21 : « Cum *grossuli minuti* erunt, fructum decutito, ita alterum edet fructum, et in hiemem seram differet maturitatem. » Apud Plinium frequenter femininum est, l. XXIII, c. 63, 8 : « *Crudæ grossi* verrucas et thymos nitro farinaque additis tollunt. » Ibidem, c. 64, 2 : « *Grossi illitæ* strumas..... emolliunt et discutiunt. »

Adeps Plin., l. XXVIII, c. 27, 28, sæpenumero masculino utitur : « *Adipi suillo*, etc. ; » Celsus feminino, l. IV, c. 24 : « *Adipis suillæ* tantumdem, » et l. V, c. 21, 4 : « *anserinæ adipis*. » Colum., l. VII, c. 13 : « *suillæ adipi*. »

Atomus apud Ciceronem semper est muliebre ; de Finib., l. I, c. 6, 17 : « Ille ἀτόμους *quas* appellat. » Ibid., 19 : « Nunquam fore ut atomus *altera alteram* posset attingere. » Ibidem quam sæpissime. Seneca, l. VII, c. 13, 2, Natur. quæst., masculino usus est : « Nam si illi, inquit, credimus, summa cœli ora solidissima est in modum tecti durata, et alti crassique corporis, quod *atomi congesti coacervati*que (1) fecerunt. » Lact., lib. de Ira Dei, c. 10 : « Denique Lucretius quasi oblitus *atomorum quos* (2) asserebat. »

Colum., l. X, v. 324 :

Implicitus conchæ *limax*.

Plin., l. XXIX, c. 36, 2 : « *Limacis* inter duas orbitas *inventæ* ossiculum. »

Cicero, de Finibus, l. I, c. 7, 23 : « *torquem illum*, » Idem, Offic., l. III, c. 31, 112 : « *torque detracta* (3). »

Stat., Silv. l. III, carm. 2, v. 31 :

Quæque *secuturam* religent post terga *phaselon*.

Idem, ibid., l. V, carm. 1, v. 245 :

Invasitque vias in eodem *angusta phaselus*
Æquore.

Ovid., Pont. l. I, ep. 10, v. 39 :

Vos estis *fractæ* tellus non dura *phaselo* (4).

---

(1) Editio tum Lipsii tum Lemaire habent : « *Atomi congestæ coacervatæ*que ; » sed Teubner masculinum habet.

(2) Ita edit. Aldina 1515 et Cæsenas 1646, Josephi Isæi ; Parisina vero 1748, J. B. le Brun et Nic. Lenglet-Dufresnoy : « *atomorum quas*. »

(3) Sic habuisse Aldum notat Orellius ; ipse vero, Vossium et Forcellin. secutus : « *torque detracto*. » Idem Teubner.

(4) *Fractæ* scribit Voss. l. III, c. 31. Cnipping., Oxon. et Lemaire, *fragili*. Teubner, *fracto*.

Mart., l. X, Epigr. 30, v. 13 : « *pictam phaselon.* » Catullus, carm. IV, v. 1, masculino genere dixit:

Phaselus ille quem videtis hospites.

Et Ausonius in Mosella, v. 221 :

. . . . . Et *picti* rostra *phaseli.*

Cic., Att., l. XIV, ep. 16, 1 : « Conscendens *phaselum epicopum.* » Colum., l. IV, c. 1 : « *profundos scrobes.* » Ibid : « Contenti *bipedanea scrobe.* » Et c. 15 : « Ex *alto scrobe.* » Plin., l. IX, c. 76 : « *scrobe effossa.* »

Serpens multo frequentius est femininum quam masculinum apud oratores. Cic., de Nat. deor., l. II, c. 48, 124 : « *Quædam*que *serpentes ortæ* extra aquam, simul ac niti possunt, aquam persequuntur. » Plin., l. VIII, c. 14, 1 : « *Expugnata serpens* centum viginti pedum. » Ibid., c. 35, 1 : « Nec pedibus tantum *pavendas* esse *serpentes.* » Idem, l. XI, c. 107 : « *Visæ* jam etiam serpentes anserinis pedibus. » L. XXVIII, c. 4, 5 : « *Serpentes ipsas* recanere. » Sic Livius, Columella, etc. Apud poetas frequenter masculinum est; invenitur et apud Plinium non raro, l. VI, c. 31, 10 : « Infestatur et *serpentibus quos* flumina deportant; » l. XXIX, c. 19, 1 : « Basilisci, quem etiam *serpentes ipsi* (5) fugiunt; » l. VIII, c. 35, 1 : « Quod ad serpentes attinet, vulgatum est colorem ejus *plerosque* (6) terræ habere, in qua occultentur. »

Finis sæpius est masculinum, neque eget confirmatione; femininum rarius. Cic., de Leg., l. II, c. 22, 55 : « *Quæ finis* funestæ familiæ. » Virg., Æn. II, v. 554 :

Hæc finis Priami.

Corbis frequentius est femininum. Cic. pro Sexto, c. 38, 82 : « *Messoria* se *corbe* contexit. » Colum., l. VI, c. 3 : « Frondis aridæ *corbis pabulatoria* (7) modiorum viginti sufficit. » Hirtius, de Bell. Hispan., c. 5, virili genere dixit : « Lapidibus *corbes plenos* dimisit. »

Dies etiam, cum tempus significat, apud poetas modo masculini, modo feminini generis reperitur. Mart., l. IX, Epigr. 50, v. 9 :

Quid non *longa dies*, quid non consumitis, anni?

Stat., Theb. l. I, v. 638 :

Fortunate animi, *longum*que in secula digne
Promeriture *diem!*

Lucan., l. III, v. 138 :

. . . . . Te vindice tuta relicta
Libertas? non usque adeo permiscuit imis
Longus summa *dies*, ut non si voce Metelli
Serventur leges, malint a Cæsare tolli.

Frequentius est tamen femininum cum tempus significat. Cum vero diem ipsum significat, etiam apud oratores sæpenumero femininum est. Cic., Att. l. II, ep. 11, 2 : « Eo si ante *eam diem* non veneris, Romæ te fortasse videbo. » Idem ad eumdem, l. XII, ep. 50 : « Vel *una dies* (8) mihi erit utilis. » Idem, Verr. act. II, l. II, c. 17, 42 : « Id ei *postera die* venit in mentem. » — Numero multitudinis apud eumdem femininum reperitur, pro Planc. : « O *reliquas omnes dies* (9) noctesque eas, quibus, etc., » id quod non facile alibi invenies.

Rubus etiam femininum est. Colum., l. XI, c. 3 : « Alternis *rubos* in hortis *consitas* habere. » Gell., l. XIX, c. 12 : « Videt forte vicinum *rubos* late atque alte *obortas* excidentem. »

Nar apud Ciceronem neutrum est, ad Att., l. IV, ep. 15, 5 : « Velinus in *Nar* (10) defluit; » apud Virgilium, masculinum, Æn. VII, v. 517 :

Sulphurea *Nar albus* aqua.

Vulgus frequenter reperitur masculinum apud bonos auctores. Cæs., de Bello Gall., l. VI, c. 14 : « Id mihi duabus de causis instituisse videntur, quod neque in *vulgum* disciplinam efferri velint, neque eos qui discant literis confisos minus memoriæ studere. » Sallust., Jugurtha, c. 69 : « Alii *vulgum effusum* oppido cædere, alii ad portas festinare. » Legitur et apud Livium, Plinium aliosque scriptores.

---

(5) Lemaire : « *serpentes ipsæ.* »
(6) Idem : « *plerasque.* »
(7) Idem : « *pabulatorius.* »

(8) Orellius, Teubner : « Vel *unus dies* mihi erit utilis. »
(9) Orellius, Teubner : « O *reliquos omnes dies!* » Vossius, l. III, c. 28 : « O *reliquas....* »
(10) Orellius : « *In Narem.* » Notat vero codd. notos habere *in Nar*, et remittit ad Vossium, qui l. III, c. 10, *Nar* habet. Teubner : « *Narem.* »

Anxur sæpe apud poetas est masculinum. Mart., l. X, Epigr. 51, v. 8 :

. . . . . Æquoreis *splendidus Anxur* aquis.

Historici neutro genere utuntur. Liv., l. IV, c. 59 : « Ab illis quoque exercitibus *captum Anxur* dictitans esse. » Ibid : « Ad *Anxur oppugnandum*, sine ulla populatione accessit. »

NOMINA MASCULINA APUD ORATORES, QUIBUS POETÆ INTERDUM ETIAM GENERE MULIEBRI UTUNTUR.

175. Mascula *bubo*, *specus*, *cortex*, cum *pumice*, *pulvis*,
Et *calx* pars pedis, atque *silex* cum *margo*, *palumbes* ;
Proferet hæc caute juvenis muliebria vates.

Cum auctoritas, teste Quintiliano, l. I, c. 6, 2, ab oratoribus vel historicis petenda sit, putavi me operæ pretium facturum, si ea quibus iidem frequentius utuntur, ab iis separarem quæ fere apud poetas reperiuntur. Fit enim, nescio quo pacto, ut pueri minus usitata libentius amplectantur. — *Bubo*, ut supra diximus, Virgilius feminino genere dixit; cæteri poetæ masculino : Ovid., Metam. V, v. 550 : « *ignavus bubo;* » Plin., l. X, c. 16 : « *Bubo funebris*, et maxime *abominatus.* »

Specus quartæ declinationis, nam secundæ nondum inveni. Liv., l. I, c. 56 : « Ex *infimo specu.* » Ibid. : « Ex *opaco specu.* » Sil., l. VI, v. 276 :

Tabificam spirat saniem *specus ultima.*

Gell., l. V, c. 14 : « *Specum quamdam* nactus *remotam.* » *Specus* tertiæ declinationis neutrum est. Virg., Æn. VII, v. 568 :

Hic *specus horrendum.*

Sil., l. XIII, v. 425 :

Invisum cœlo *specus* (1).

Virgilius, Eclog. VI, v. 62, *cortex* dixit genere feminino, quod tam rarum est quam quod rarissimum est.

Tum Phaethontiadas musco circumdat *amaræ*
Corticis.

Apud Catul., c. 1, v. 2, « *arida pumex* » legitur; apud Propert., l. I, Eleg. 22, v. 6 : « *pulvis Etrusca*, » et l. II, Eleg. 13, v. 35 : « *horrida pulvis ;* » quos puer non imitabitur.

Calx, cum partem posteriorem plantæ percutionesque pedum ac finem significat, masculinum est. Cic., Tuscul. l. I, c. 8, 15 : « Video *calcem*, ad *quem* (2) cum sit decursum, nil sit præterea extimescendum, » sic enim habent correcti codices, non *quam*. Persius, Sat. III, v. 105 :

In portam *rigidos calces* extendit.

Virg., l. XI, v. 714, feminino genere dixit :

Quadrupedemque citum *ferrata calce* fatigat.

Item Sil., l. XIII, v. 169 :

Et jam *ferrata* rapiebat *calce* volantem
Taurea cornipedem;

et l. XVII, v. 540 :

. . . . . *Ferrata calce* cruentat
Cornipedem.

Virgilius *silex* genere feminino dixit, Æn. VIII, v. 233 :

Stabat *acuta silex* præcisis undique saxis.

Item l. VI, v. 602, et Eclog. I, v. 15. Cæteri genere virili utuntur.

Plin., l. IX, c. 52, 1 : « *Margine* in mucronem *emisso*, foris *effuso.* » Idem, l. IX, c. 12, 3 : « Den-

---

(1) Vossius, Art. gramm., l. III, c. 6, ex Silio affert :

Tabificam spirat saniem *specus ultima;*

et l. XIII ejusdem : « *Invisum* cœlo *specus.* » Forcellini eodem modo scribit; Lemaire vero Ruperti secutus habet ; 1° « Tabificam spirat saniem ; *spes ultima....* » 2° « *Invisus* cœlo *specus.* »

(2) Orellius : « Video calcem; ad *quam* cum sit decursum.... » notatque cæteros habere *quem*. Teubner, *quam*.

tes non sunt testudini, sed rostri *margines acuti.* » Et l. XII, c. 43, 3 : « *Extremo* in *margine* imperii. » Ovid., Metam. I, v. 13, « *longo margine* » dixit. Juven., Sat. I, v. 5, genere feminino est usus :

. . . . . *Plena* jam *margine* libri;

quod rarissimum est.

Quintilianus, l. I, c. 6, 2, significat *palumbes* masculinum esse, quamvis Virgilius suo jure feminino sit usus : « Auctoritas, inquit, ab oratoribus vel historicis peti solet. Nam poetas metri necessitas excusat, nisi si quando nihil impediente in utroque modulatione pedum, alterum malunt, qualia sunt : Imo de stirpe recisum; et : Aeriæ quo congessere palumbes; et : Silice in nuda, et similia. » Plin., l. X, c. 52, 3 : « Vivere *palumbes* ad trigesimum annum, *aliquos* ad quadragesimum habemus auctores. »

Caute adjecimus, quia *pumex, pulvis* non quivis poeta genere virili dicet.

NOMINA FERE FEMININA APUD ORATORES, ET INTERIM MASCULINA PRÆCIPUE APUD POETAS.

176. Est muliebre *animans*, *volucris* cum *stirpe*, *cupido*.
Sardonychem comitatur *onyx*, *grus*, *clunis* et *ales*
Cum *talpa*, *linter* cum *dama*, *linx*que, *penus*que.
Hæc maribus tribues, cinget cum tempora laurus.

Animans fere femininum est. Cic., de Leg., l. 1, c. 9, 26 : « Nam cum *cæteras animantes* abjecisset ad pastum, solum hominem erexit. » Horat., l. II, Sat. 1, v. 39, virili genere est usus :

. . . . . Sed hic stylus haud petet ultro
Quemquam animantem.

Item, Cic., de Univers., c. 6 : « A *quo* enim *animante* omnes *reliquos* contineri vellet *animantes*. » *Animantia* numero plurali genere neutro sæpe apud Plinium invenies, l. II, c. 63, 2 : « *Pestifera* enim *animantia*, etc.; » l. VII, c. 1, 6 : « Denique *cætera animantia* in suo genere probe *degunt.* »

Cic., de Divin., l. II, c. 30, 64, *volucres teneros* dixit in carmine :

Hunc ubi tam *teneros volucres*, matremque peremit,

cum *volucris* substantivum ubique sit generis feminini.

Stirps, cum de plantis dicitur, femininum est. Plin., l. XVII, c. 37, 17 : « *fissa stirpe.* » Colum., l. II, c. 2 : « *præfractas stirpes.* » Idem, l. V, c. 6. — Virg., Æn. XII, v. 208, virili genere dixit :

Quum semel in sylvis, *imo* de *stirpe* recisum.

Stirps, cum de hominibus dicitur, semper est femininum.

Cupido hic significat cupiditatem. Horat., l. I, Sat. 1, v. 61 :

At bona pars hominum decepta *cupidine falso.*

Idem, l. II, od. 16, v. 15 : « *cupido sordidus,* » et l. III, od. 24, v. 53 : « *cupido pravus.* » Seneca, Hipp. v. 528 :

. . . . . Nullus his auri fuit
Cæcus cupido. . . . .

Onyx et *sardonyx* sæpe apud Plinium reperiuntur feminina, l. XXXVII, c. 24, 1 : « Sotacus et *arabicam onychem* tradit. » Ibid. : « Aliter quam in *sardonyche indica.* » Quæ poetæ crebro genere virili usurpant. Mart., l. XI, 50 : « *siccus onyx,* » et Horat., l. IV, od. 12, v. 17; Juven., Sat. 6, v. 381 :

. . . . . *Densi* radiant testudine tota
Sardonyches.

Grus femininum est; vide Plinium, l. X, c. 30; Cic., de Nat. deor., l. II, c. 49, 125. Poetæ etiam fere utuntur genere muliebri. Virgilius, Æn. X, v. 265 :

Strymoniæ dant signa *grues*.

Sic Stat., Theb. l. XII, v. 515, et Ovid., Met. VI,

v. 92. Horatius tamen, l. II, sat. 8, v. 87, virili genere dixit :

> . . . . . Discerpta ferentes
> Membra *gruis sparsi* sale multo.

Clunis femininum est. Celsus, l. VII, c. 29 : « *Clunes* iterum retro *repellendæ* sunt. » Plin., l. VIII, c. 8 : « In *clunes extremas*. » Sic Horat., l. I, sat. 2, v. 89. Juven. tamen, sat. XI, v. 164, genere masculino fuit usus, quod rarissimum est.

Ales, cum avem significat, apud Ciceronem, Plinium cæterosque fere femininum est. Plin., l. XVIII, c. 66, 3, masculino genere dixit : « Per imitationem cantus *alitis temporarii, quem* cuculum vocant. » Poetæ sæpenumero etiam masculino utuntur. — *Ales*, id est *velox*, adjectivum est omnis generis.

Talpa, dama, linter, linx, penus, feminina sunt apud oratores. Cæs., Bell. Gall., l. VII, c. 60 : « Conquirit etiam *lintres; has* magno sonitu remorum *incitatas* in eamdem partem mittit. » Liv., l. XXI, c. 26 : « *lintrium paratarum*. » Tibullus, l. II, eleg. 5, v. 34, genere virili dixit, quod rarissimum est :

> . . . . . Ire solebat
> *Exiguus* pulsa per vada *linter* aqua.

« Oculis *capti talpæ*, » Georg. I, v. 183, et « *timidi damæ*, » Eclog. VIII, v. 28, dicuntur a Virgilio; « sed subest ratio, inquit Quintilianus, l. IX, c. 3, 6, quia sexus uterque altero significatur. » Eadem ratione Horat., l. II, od. 13, v. 40, dixit « *timidos* agitare *lyncas*. » Plin., l. XXVIII, c. 32 : « *Peregrinæ* sunt et *lynces, quæ* clarissime omnium quadrupedum cernunt. » — *Penus* quartæ, necdum enim secundæ legi. Ulpianus, Dig., l. XXXIII, tit. IX, lege 3 : « Quintus Mutius scribit libro secundo juris civilis : *penu* legata contineri quæ esui potuique sunt. » Sic eodem titulo Paulus lege 4 et Scævola lege 7. Plaut. in Pseud. act. I, sc. 2, v. 45 :

> Nam nisi *penus annuus* hodie convenit.....

Penus penoris neutrum est. Idem Ulpianus in eodem, lege 3 : « Ligna et carbones, etc., per quæ penus conficeretur, an *penore legato* contineantur, quæritur. » Horat., l. I, ep. 16, v. 72 :

> Annonæ prosit; portet frumenta *penus*que.

Dicitur et *hoc penum*. Terent., Eunuch. act. II, sc. 4, v. 310 :

> . . . Ad te patris *penum omne* (1) congerebam clanculum.

(1) Lemaire, Teubner : « *penum omnem*. » Vide Gellium, l. IV, c. 1, ubi multa de significatione et declinatione hujus vocabuli.

> *Hunc jubarem, hunc frontem, hunc pinum,* nimiumque vetusta
> Pacuvii proavis atavisque utenda relinque.

Quæ nimium sunt vetusta priscis illis, quos appellat *cascos* Ennius, relinquenda sunt. Quid enim attinet *frontem, pinum, alvum, cupressum*, aliaque id genus perpetua oblivione obruenda, pueros docere generis esse ambigui? Si quis tamen vetustissimæ antiquitatis tam ambitiose studiosus est, ut his cæterisque ejusdem generis carere non possit, Priscianum adeat, l. V, Noniumque Marcellum, c. 3, De indiscretis generibus ordine literarum; apud quos plura fortasse inveniet quam volet.

DE GENERE EPICŒNO

177. Articulo sexum quæ complectuntur utrumque
Uno [1], *epicœna* vocant Graii; *promiscua* nostri.

[1] Ut *hic lepus, hæc vulpes.*

Genus epicœnum sive promiscuum in postremum locum rejecimus, Quintiliani consilio usi; lib. enim I, c. 4, 24 : « Nec statim, inquit, diligentem putabo, qui promiscua, quæ epicœna dicuntur, ostenderit, in quibus sexus uterque per alterum apparet. » Quod verum esse re ipsa experiuntur quotidie præceptores : infirmis enim puerorum ingeniis maximas tenebras offundunt. Nam cum responderint nomen aliquod esse generis epicœni, nihil præterea existimant superesse, quum sitne masculini, an feminini generis, penitus ignorent; et quod multo est deterius, arbitrantur nomen generis promiscui masculinum vel femininum esse, prout cuique collibitum fuerit, atque ita promiscua cum dubiis confundunt permiscentque. Qui igitur auditorum utilitati volet consulere, cursum de re parum utili faciet. Modo enim puer sciat *aquilam*, verbi causa, *noctuam*, *murœnam*, *vulpem*, generis esse feminini; *turturem* vero, *vulturem*, *leporem*, *cuniculum*, masculini, parvi refert si ignoret esse epicœna. Itaque cum rogatus tiro cujus generis sit *lepus* aut *mus*, responderit esse generis virilis, sit magister hac responsione contentus, neque ullam faciat mentionem promiscui aut epicœni generis; satis enim superque erit semel eum docuisse nomina epicœni generis esse, quæ uno genere aut articulo utrumque sexum comprehenderunt, ut *lepus* genere masculino, etiam leporem feminam comprehendit. Vulpes genere feminino, etiam vulpem marem comprehendit. Quæ cum ita sint, hi duo versiculi tantum docent quid sit nomen epicœnum aut promiscuum, non vero cujus generis sit; id enim præceptiones jam traditæ docent. *Aquila* namque, exempli causa, femininum est, quia litera *a* terminatur; *milvus* vero masculinum, quia *us* syllaba finitur, atque de cæteris eodem modo.

Epicœna a communibus plurimum differunt : hæc enim masculini simul et feminini generis sunt; illa masculini tantum aut feminini : hæc masculinum adjectivum admittunt cum marem significant, ut *civis Romanus;* femininum, cum feminam, ut *civis Romana;* illa uno adjectivo contenta sunt; *vulpes* enim appellamus *callidas*, *lepores timidos*, sive mares sive feminas significemus : hæc duobus articulis egent, *hic* et *hæc civis;* illa uno contenta sunt : *hic lepus, hæc vulpes*. Itaque, quamvis epicœna marem et feminam significent, non ideo tamen appellantur κοινά, hoc est, *communia*, sed ἐπικοίνα, *epicœna*, hoc est, *subcommunia*, quia licet marem et feminam significent, uno tamen genere articuloque id faciunt, ob eamque causam non sunt plane communia. Diomedes, l. I, p. 276, ἐπίκοινον, id est, epicœnum *subcommune* interpretatur, ubi præpositio græca ἐπί, quæ interdum *sub* significat, videtur significationem imminuere, ut apud nos *sub*, unde *subtristis*, *subfrigidus*, *subimpudens*, et alia id genus multa.

Est etiam discrimen inter epicœna et ea quæ dubii generis appellantur; hæc enim tum masculinum, tum femininum adjectivum recipiunt, manente eadem prorsus significatione, ut *dies hodiernus* et *hodierna; torquis aureus* et *aurea;* illa, unum tantum : his duo articuli disjuncti præponuntur, *hic* vel *hæc dies, torquis;* illis unus tantum, *hic lepus, hæc vulpes*. Nonnulla promiscua etiam sunt generis incerti inter masculinum et femininum, cujusmodi sunt *dama*, *talpa*, *grus*, *linx* et pauca alia; hæc enim cum modo sint generis feminini, modo masculini, manente eadem significatione, incerti sunt generis; sunt etiam promiscua, quia uno genere atque articulo utrumque sexum complectuntur.

178. Genus epicœnum ex hominum ignoratione ortum est : cum enim multarum animantium mares a feminis secernere et internoscere nescirent, vel quia res suapte natura difficilis erat, vel quia animantes in usu domestico non erant, altero genere

utrumque sexum significabant, siquidem *corvum, turdum* tantum dicebant, non *corvam, turdam :* nesciebant enim marem a femina internoscere; *gallum* a *gallina* propriis nominibus discernebant, quia in domestico usu erant; sic *equum* ab *equa, arietem* ab *ove*. Initio etiam *marem columbam* appellabant, sed postquam fuerunt columbaria, cœperunt marem *columbum* dicere, feminam vero *columbam*. Quædam, etiamsi progrediente tempore facile discernerentur, nihilominus nomina a principio imposita retinuerunt, cujusmodi sunt *lepus, cuniculus, vulpes, perdix, elephas, tigris* et alia prope innumera. — Quo pacto igitur, dicet aliquis, mares a feminis, aut contra feminæ a maribus discernentur? Addito vocabulo *maris* vel *feminæ* hoc modo : *elephas mas, elephas femina; tigris mas, tigris femina; lepus mas, lepus femina;* ad eumdem modum *mus, piscis, rana, polypus, cancer, corvus, testudo, bestia, anguis,* et cætera animalia hujus generis. Dices itaque, si ita res tulerit, te *leporem feminam* sagittis confixisse.

Quæret fortasse quispiam dicendumne sit : *Hic lepus* nondum peperit, an *hæc. Solus lepus* superfœtat, an *sola*. Vidi *elephantum gravidam*, an *gravidum?* De hac re subjiciemus quæ apud Plinium, l. X, c. 15, 2, legimus : « Corvi pariunt quam plurimum quinos; ore *eos* parere.... vulgus arbitratur. » *Eos* dixit, non *eas*. Idem, ibid., c. 85, 1 : « Supra cuncta est murium fœtus; ex *una* genitos centum viginti tradiderunt, apud Persas vero prægnantes, et in utero parentis *repertas*. » *Ex una* dixit, et prægnantes *repertas*. L. IX, c. 76 : « *Mus marinus* in terra scrobe effosso parit ova, et rursus obruit terra. » Hic *mus marinus* de femina dicitur. Ibid., c. 74, 8 : « Polypi pariunt vere ova tortili vibrata pampino, tanta fœcunditate, ut multitudinem ovorum *occisi* non recipiant cavo capitis quo prægnantes tulere. » *Occisi* dixit cum de feminis ageret. Idem, l. VIII, c. 81, 3 : « Lepus omnium prædæ nascens *solus* superfœtat, aliud educans, aliud in utero pilis vestitum, aliud implume, aliud inchoatum gerens pariter. » Idem, l. IX, c. 15, 1 : « Quæ pilo vestiuntur animal pariunt, ut pristis, balæna, vitulus; *hic* parit in terra : pecudum more.... educat mammis. » *Hic parit* dixit. *Anates masculas* dixit l. XXX, c. 20, 2 : « Sistit (alvum) et *anatum mascularum* sanguis. » Idem, l. X, c. 52, 3 : « Vivere palumbes ad trigesimum annum; *aliquos* ad quadragesimum habemus auctores. » Paulo inferius : « Nigidius putat, cum ova incubat, sub tecto *nominatam* palumbem relinquere nidos. » Vides *palumbum* primo genere masculino dixisse; deinde, cum de femina ageret, *nominatam* genere muliebri dixisse. Plautus in Stich. act. I, sc. 3, v. 14, *gravidam elephantum* dixit :

> Audivi sæpe hoc vulgo dicier,
> Solere *elephantum gravidam* perpetuos decem
> Esse annos.

Ex his locis et aliis quæ volvendis auctoribus notabis, dispicies quemadmodum adjectiva nomina cum epicœnis sint copulanda.

DE NOMINUM DECLINATIONE

179. Nomina composita fere instar simplicium declinantur.

In compositis rectus tantum casus declinatur, ut *tribunus plebis, tribuni plebis, tribuno plebis, tribunum plebis*, etc. Huc spectant *senatusconsultum, jurisperitus, paterfamilias*, atque alia ejusdem generis.

Si nomen ex duobus rectis copuletur, uterque declinabitur, ut *respublica, jusjurandum : reipublicæ, rempublicam*, etc. — Excipitur : *alteruter*, cujus posterior tantum pars declinatur, excepto genitivo singulari, qui utroque modo declinatur : *alterutrius* et *alterius utrius*.

Nomina neutra tres casus habent similes, nominandi, accusandi et vocandi; qui numero multitudinis *a* litera terminantur, præter *ambo* et *duo*.

Vocativus singularis quartæ et quintæ declinationis similis est nominativo : *sensus, o sensus; dies, o dies*.

Nominativus et vocativus multitudinis similes sunt : *musæ, o musæ; virtutes, o virtutes*.

Dativus et ablativus numeri pluralis similes sunt : *musis, a musis; virtutibus, a virtutibus*.

DE VOLUNTARIA ET NATURALI DECLINATIONE

180. *Declinare* apud Varronem in libris de Ling. lat. non solum nomina in casus, aut verba in tempora inclinare significat, sed etiam deducere atque derivare; unde *declinationis* nomen inde profectum, utriusque significationis particeps est. Declinatio, quæ a priore significatione oritur, *naturalis* dicitur ab eodem Varrone; quæ a posteriore, *voluntaria*. Romulo enim, exempli causa, in manu fuit a se Urbem, vel *Romam*, vel *Romum*, vel *Romulam* appellare; non tamen in ejus fuit potestate imposito nomini novam dare declinationem : *Roma* namque necessario ut cætera primi ordinis declinabitur. Quod si Romulum, ut Tarentum, aut Dyrrachium dicta fuisset Roma, ad secundam formam necessario spectaret. Itaque integrum fuit Romulo a se novum nomen declinare atque deducere suo arbitratu; non tamen ei liberum fuit in casus ad arbitrium suum inclinare. Audiamus ipsum Varronem, l. X, 14 : « Prima divisio in oratione, quod alia verba nusquam declinantur, ut hæc : *vix, mox;* alia declinantur, ut ab *limo, limabo*, a *fero, ferebam*, etc. Secunda divisio est de his verbis quæ declinari possunt, quod alia sunt a voluntate, alia a natura. Voluntatem appello, cum unusquivis a nomine alio imponit nomen, ut *Romulus Romæ*. Naturam dico, cum universi acceptum nomen ab eo qui imposuit, non requirimus quemadmodum id velit declinari, sed ipsi declinamus, ut *hujus Romæ, hanc Romam, hac Roma*. De his duabus partibus, voluntaria declinatio re-

fertur ad consuetudinem; naturalis ad rationem. » Idem in eodem, 51 : « Analogia fundamenta habet aut a voluntate hominum, aut a natura verborum, aut a re utraque. Voluntatem dico impositionem vocabulorum; naturam, declinationem vocabulorum, quo decurritur sine doctrina. » Idem paulo inferius : « Impositio est in nostro dominatu, nos in naturæ. Quemadmodum enim quisque vult, imponit nomen; at declinat quemadmodum vult natura. » Multa Varro de utraque declinatione; nos nunc de naturali solum agimus, nec omnia persequemur quæ ad eam spectant, cum pleraque usu potius quam præceptis discenda sint.

Quod ad locutiones attinet, veteres *declinare in casus*, *inclinare in casus* dicebant. Varro fere *declinare in casus* usurpat, de Ling. lat., l. IX, 89 : « Si eadem vox nomen et verbum significabit, ut et *in casus et in tempora* dispariliter *declinetur*, etc. » Idem *inclinare in casus* dicit, sed rarius, eodem libro, 34 : « Ego declinatus verborum et voluntarios et naturales esse puto. Voluntarios, quibus homines vocabula imposuerint rebus quædam, ut ab *Romulo Roma*, ab *Tibure Tiburtes*. Naturales, ut ab impositis vocabulis, quæ *inclinantur* (1) *in tempora aut in casus*, ut ab *Romulus Romuli, Romulo, Romulum;* et ab *dico dicebam, dixeram*. Itaque in voluntariis declinationibus inconstantia est, in naturalibus constantia. » Gellius ferme *inclinare in casus* solet dicere, lege l. III, c. 12, et l. X, c. 13. Apud Varronem, l. IX, 34, *declinatus, us* et *declinatio* in eadem re dicuntur. Quintilianus et Probus, quemadmodum dicunt : *Fero facit præterito tuli*, ita *Sermo facit genitivo sermonis*. Quintilianus, l. I, c. 6, 26 : « Nam quid progenies *genitivo singulari*, quid *plurali* spes *faciet?* » Probus in Catholicis nominum sic tertio quoque verbo loquitur. Quintilianus eodem capite, 13, sic loquitur : « Cur *aper apri*, et *pater patris faciat?* » Ibidem et apud Probum invenies alia, quo pacto docte cogitationes tuas explices, cum de hac grammatices parte tibi agendum erit.

181. De nominum compositione et quot modis componantur agit Quintilianus, l. I, c. 5, et Donatus, edit. II, p. 1743. *Exanguis* et *vulpes* a simplicibus recesserunt : illud enim genitivum habet similem nominativo; hoc vero *e* literam tantum mutavit in *i*, quamvis *vulpes*, quasi *volpes*, quod volet pedibus, dicta sit, auctore Ælio apud Varronem, de Ling. lat., l. V, 101. — *Apes*, ut placet Probo in Catholicis nominum, p. 1470, a *pes* dicitur. Ovidius tamen, Metam. XIII, v. 928, *apis* nominandi casu dixit :

> Non *apis* inde tulit collectos sedula flores.

Colum., l. IX, c. 3 : « Nam quanto grandior *apis* atque rotundior, tanto pejor. » Sunt et alia loca quæ, ne sim longus, prætereo. Quare sunt qui credunt *apis* per *i*, non *e*, scribendum esse, neque a *pes* ortum esse.

Cum Cicero multis locis *requietis* vocabulo utatur, nihil est causæ cur excipiatur; de Finib., l. I, c. 15, 49 : « Multa habere intervalla *requietis*. » Idem, Att., l. I, ep. 18, 1 : « Ita sum ab omnibus destitutus, ut tantum *requietis* habeam, quantum, etc. » Idem in Senect., c. 15, 52; et de Finib., l. V, c. 19, 54, *requietem* accusandi casu dixit.

Pubes, cum nomen est substantivum et generis feminini, *pubis* facit genitivo; unde Virgilius *impubes impubis* deduxit. Æn. V, v. 546 : « .... *impubis* Iuli, » et Plin., l. XXII, c. 30, 4, et c. 58, 2. Cum vero *pubis*, ut Cæsar declinat, adjectivum est; vel *pubes*, ut Probus, l. II, p. 1462; vel *puber*, ut alii, facit genitivo *puberis;* similiter ex eo compositum *impubis*, sive *impubes*, sive *impuber impuberis*. Cic., pro C. Rab. perduel. reo, c. 11, 31, *pubes* dixit recto singulari; Cæsar, ut Priscianus, l. VI, p. 707, tradit, *pubis* per *i* ait scribendum esse. *Puber* aut *impuber* nondum legi, nisi apud grammaticos; nam has tres positiones numerat Priscianus ibid., quarum primæ laudat auctorem Cæsarem, secundæ Probum, tertiæ neminem. Obliquis *puberem filium* et *puberes filii* utitur Cicero, de Orat., l. II, c. 55, 224, et de Offic., l. I, c. 35, 129; Cæsar, Bello Gall., l. V, c. 56; Liv., l. I, c. 3; nam *pubem* aut *pubes* pro iisdem nondum legi. *Impubes* recto singulari dixit Ovidius, Fast. II, v. 239 :

> Nam puer *impubes*, et adhuc non utilis armis.

Impubis per *i* Plinius, l. XXIII, c. 64, 4; Cicero, IV Catil., c. 6, 13 : « filiumque ejus *impuberem* » dixit, et Livius, l. II, c. 13, *impuberes*, ubi quidam etiam *impubes* legunt. Itaque *pubes* sive *pubis*, *im-*

---

(1) H. Stephanus habet *inclinantur*; Nisard, *declinantur*.

pubes sive *impubis* usitatius, et tutius faciunt genitivo *puberis* et *impuberis*, quam *pubis* aut *impubis*.

Unimanus, centimanus, etc., ex *manus* composita, sunt secundæ declinationis. Lucret., l. V, v. 1302 :

Anguimanos belli docuerunt vulnera Pœni.

Anguimanos appellat elephantos, quod proboscidem, qua pro manibus utuntur, et a Plinio sæpe etiam manus dicitur (l. VIII, c. 7), anguium more in omnem partem flectant. Priscianus, l. VI, p. 718, ait ex *manus* composita quarti esse ordinis, sed nullo veterum testimonio id confirmat. — Ex *portu* fit *angiportum*, ut Plinius Secundus I artis grammaticæ docet apud Priscianum eodem libro, p. 714; unde Terentius, Adelph. act. IV, sc. 2, v. 580 :

Id quidem *angiportum* non est pervium.

Unde Cicero, Verr. act. II, l. II, c. 57, 141, *angiportis* dixit : « Ut omnibus in *angiportis* prædonis improbissimi statuæ ponantur. » Idem Plinius eodem loco ait, *hic angiportus* secundæ esse formæ; apud Ciceronem tamen quartæ est, de Divin., l. I, c. 22, 69 : « Ex horreis direptum, effusumque frumentum vias omnes *angiportus*que constraverat. » Horatius, l. I, od. 25, v. 10, « solo *angiportu* » dixit. — *Capricornus* secundæ est declinationis. Cic., in Arat., v. 332 :

Tum magni curvus *Capricorni* corpora propter
Delphinus jacet;

quamvis *cornus* sit quartæ. Plin., l. XXVIII, c. 49, 1 : « Dentes mobiles confirmat cervini *cornus* cinis. » Lucan., l. VII, v. 217 :

. . . . . *Cornus* tibi cura sinistri.

Alia præterea sunt quæ consulto et cogitato prætermitto. Quis enim æquo animo ferat si plura addantur?

Alteruter in genere feminino et neutro ex uno tantum recto componitur. Prisci etiam *alterautra* et *alterumutrum* dicebant, ut auctor est Priscianus, l. V, p. 667. *Alteriusutrius* dixit Cicero in Protag. : « Quæ igitur potest esse indignitas voluntatis ad molestiam, nisi in magnitudine *alteriusutrius* posita? » Idem, Att., l. X, ep. 1, 2 : « Ego vero Solonis popularis tui, ut puto, etiam mei, legem negligam, qui capite sanxit, si qui in seditione non *alterutrius* partis fuisset. » Quidam etiam hic *alteriusutrius* legunt (1).

(1) Orellius et Teubner : *alterius utrius*.

PRIMA DECLINATIO

182. Primæ declinationis nomina in *a, as, es* exeunt; quæ *a* litera terminantur, tum græca, tum latina sunt, ut *Maia, Ægina, victoria, familia*.

Quæ in *as* et *es* syllabas exeunt, græca tantum sunt, ut *Æneas, Anchises*, et declinantur hoc modo :

Nom.	Æneas.	*Nom.*	Anchises.
Gen.	Æneæ.	*Gen.*	Anchisæ.
Dat.	Æneæ.	*Dat.*	Anchisæ.
Acc.	Ænean.	*Acc.*	Anchisen.
Voc.	o Ænea.	*Voc.*	o Anchise.
Abl.	ab Ænea.	*Abl.*	ab Anchise.

Numero multitudinis omnino cum latinis nominibus primi ordinis consentiunt.

Priscis temporibus, genitivus singularis latinus etiam in *as* syllabam terminabatur; unde etiam nunc dicitur *paterfamilias, materfamilias, filiusfamilias*.

Aulai, pictai et his similes interrogandi casus interdum apud poetas leguntur, pro *aulæ, pictæ*. Virg., Æn. IX, v. 26 :

> Dives equum, dives *pictai* vestis et auri.

A *Maia, Ægina,* et aliis hujusmodi græcis nominibus femininis accusativus per *an* syllabam aliquando apud poetas exit, ut *Maian, Æginan.*

Vocativus similis est nominativo, *o musa, o Maia.* Græca *s* literam deponunt, *o Ænea, o Anchise.*

Dativus multitudinis *is* syllaba finitur, præter *duabus, ambabus* et *deabus*, et nonnulla ejusdem exitus, quæ etiam a viris doctis, sexus discernendi gratia, usurpantur.

Nomina *e* litera finita, secundæ declinationis Græcorum, sic declinantur :

Nom.	Musice.	*Acc.*	Musicen.
Gen.	Musices.	*Voc.*	o Musice.
Dat.	Musice.	*Abl.*	a Musice.

Numero plurali, latinam declinationem sequuntur.

Ad hunc modum declinantur *mastiche, grammatice, rhetorice, dialectice, arithmetice, Libye;* quorum ultima vocalis si in *a* literam mutetur, latine declinantur, ut *grammatica, grammaticæ,* etc.

Veteres, græcas positiones vehementer reformidantes, malebant latina forma dicere *Sosia, Byrrhia, Clinia, Geta, Sarmata, poeta,* quam *Sosias, Byrrhias, Clinias, Getas, Sarmatas, poetas.* Hoc idem docet Quintilianus, l. I, c. 5, 61 : « Ne in *a* quidem atque *s* literas exire temere masculina græca nomina recto casu patiebantur; ideoque et apud Cælium legimus *Pelia* Cincinnatus; et apud Messalam, Benefecit *Euthia;* et apud Ciceronem, *Hermagora.* Ne miremur quod ab antiquorum plerisque *Ænea* et *Anchisa* sit dictus. » Hæc ille. Plautus *Apella* dixit vocandi casu in Pœnul. act. V, sc. 4, v. 101 :

> . . . . . O *Appella*, o Zeuxis pictor.

Hinc Propertius, l. II, eleg. 14, v. 1, *Atrida* nominandi casu pro *Atrides* dixit; et Horatius, l. II, sat. 3, v. 187, *Atrida* casu vocandi.

> Ne quis humasse velit Ajacem, *Atrida*, vetas cur?

Lib. II, sat. 1, v. 17, *Scipiadam* a nominativo *Scipiada.*

Multa *es* syllaba finita et tertiæ declinationis fiunt, maxime apud oratores, ut *Euripides, is; Aristides, is; Orestes, Pylades, Herodes, Timarchides,* et alia id genus, unde exit accusativus in *em.* Cic., de Finib., l. II, c. 24, 79 : « Aut Pylades cum sis, dices te esse *Orestem,* ut moriare pro amico? aut si esses Orestes, *Pyladem* refelleres, te indicares? » Vide Priscianum, l. VI, p. 702, et l. VII, p. 754.

Idem, l. VI, p. 679, inter cætera testimonia hæc affert, quibus docet genitivum etiam in *as* fuisse priscis usitatum. Ennius in VII Annal. : « Dux ipse *vias,* » pro *viæ.* Livius in Odyss. :

> Mercurius, cumque eo filius *Latonas,*

pro *Latonæ.* — *Paterfamiliæ* etiam a doctis usurpatur. Livius, l. I, c. 45 : « Bos in Sabinis nata cuidam *patrifamiliæ* dicitur, miranda magnitudine et specie. »

Genitivis in *ai* utitur Cicero in Arato, et frequentissime Lucretius; sed jam exoleverunt. Virgi-

lius, antiquitatis amator, semel atque iterum iisdem est usus. Æn. III, v. 354 :

Aulai in medio libabant pocula Bacchi.

Quare doceantur pueri potius admonitionem esse quam præceptionem. Quod idem de *filio Latonas* aliisque genitivis *as* syllaba finitis dictum sit.

Altera, alia, sola, tota, una, ulla, nulla, neutra, nunc genitivum *ius* amant; apud priscos etiam in *æ* diphthongum exibant, unde apud Ciceronem et Terentium quædam reperiuntur. Cic., pro M. Tullio, c. 15, 36 : « Hoc judicium sic exspectatur, ut non *unæ* rei statui, sed omnibus constitui putetur. » Idem ad Heren., l. IV, c. 48, 61 : « Non enim res tota *totæ* rei necesse est similis sit (1). » Terent., Eunuch. act. V, sc. 7, v. 1003 :

Mihi *solæ* ridiculo fuit.

Idem, Heaut. act. II, sc. 2, v. 271 :

. . . . . Hoc ipsa in itinere *alteræ*
Dum narrat, forte audivi.

Colum., l. V, c. 11 : « Ut *alteræ* delibratæ parti conveniat. » Gellius, l. IX, c. 4 : « Nulli *aliæ* causæ obnoxia. » Plura, sed priscorum, invenies apud eumdem Priscianum libro eodem.

Græcus accusativus *n* litera terminatur. Virg., Æn. VIII, v. 73 :

Accipite *Ænean*, et tandem arcete periclis.

Ovidius, Epist. I, v. 113 :

Respice *Laerten*, ut jam sua lumina condas.

Si vero fiant latina græca nomina, *m* finiuntur. Terent., Andr. act. II, sc. III, v. 358 :

. . . . . Ibi forte hujus video *Byrrhiam.*

Idem, Adelph. act. V, sc. 6, v. 894 :

. . . . . Sed eccum *Demeam.*

Idem, Phorm. act. V, sc. 4, v. 826 :

. . . . . Sed ubinam *Getam* invenire possum?

Maian, Æginan et his similes accusandi casus græci sunt. Stat., Theb. l. VII, v. 319 :

Namque ferunt raptam patriis *Æginan* ab undis.

Ovid., Fast. IV, v. 174 :

Maian et Electram, Taygetenque Jovi.

Horum meminimus, quoniam usui sunt futura, cum de syllabarum dimensione agemus.

Vocativi *Achille, Ulysse* huc etiam spectant; nam Latini poetæ Dores imitantur, qui græca ευς syllaba finita per ης dicunt, pro Ὄρφευς, Ὄρφης, τὸν Ὄρφην, ὦ Ὄρφη; pro Τυδεύς, Τύδης, ὦ Τύδη; hoc est pro *Orpheus, Orphes,* accusativo *Orphen,* o *Orphe;* sic pro *Tydeus, Tydes, o Tyde;* eodem modo pro *Achilleus, Achilles, o Achille;* pro *Ulysseus, Ulysses, o Ulysse.* Ovid., Metam. XIII, v. 130:

Tuque tuis armis, nos te poteremur, *Achille!*

Ibid., v. 83 :

Quaque ruit, non tu tantum terreris, *Ulysse,*
Sed fortes etiam.

Seneca, Troad. act. III, v. 577 :

Si vis, *Ulysse,* cogere Andromacham metu.

Ibid., v. 608 :

Quid agis, *Ulysse?*

O Chreme, o Lache etiam hujus sunt ordinis; hæc enim Græci et per tertiam et per primam declinant, Χρέμης, Χρέμετος, et Χρέμης, Χρέμου; *Chremes, Chremetis,* et *Chremes, Chremæ.* Terent., Andr. act IV, sc. 6, v. 784 :

Quis hic loquitur? O *Chreme,* per tempus advenis.

Idem, Eunuch. act. IV, sc. 7, v. 764 :

. . . . . Nihil opus est istis, *Chreme.*

Ibidem, v. 742 :

O mi *Chreme,* te ipsum exspectabam.

Idem, Hecyr. act. IV, sc. 4, v. 722 :

. . . . . Itidemque nunc dico, *Lache.*

---

(1) Eo modo hæc loca Ciceronis profert Priscianus l. VI, 678. Orellius : *uni* et *toti*; Teubner vero : *unæ* et *totæ.*

O Chremes, o Laches vocativi sunt tertiæ declinationis. Terentius fere semper utitur vocativo *Chreme;* sed *Lache,* raro. Idem, Hecyr. act. V, sc. 1, v. 732 :

. . . . Salve, *Laches.*

Ibidem, act. IV, sc. 4, v. 664 :

Vos videte jam, *Laches,* et tu, Pamphile (2).

Non tamen utitur genitivo aut accusativo græco, sed latino, *Chremis, Chremem* aut *Chremetem.* Idem, Andr. act. II, sc. 3, v. 369 :

Etiam puerum inde abiens conveni *Chremis.*

Idem, ibidem, v. 362 :

. . : . . Ego me continuo ad *Chremem....*

Virgilius utroque accusandi casu græco est usus. Æn. V, v. 456 :

Præcipitemque *Daren* ardens agit æquore toto.

. . . .

Sed finem imposuit pugnæ, fessumque *Dareta*
Eripuit.

Vide Priscianum, l. VI, p. 704. Nec mireris si quando apud Latinos legeris *o Socrate;* nam Attici propria nomina primæ declinationis contractorum, ut Σωκράτης, *Socrates,* accusandi ac vocandi casu instar nominum primæ declinant : τὸν Σωκράτην, ὦ Σωκράτη; *Socratem, o Socrate.* Cicero in Protagora apud Priscianum, eodem libro, p. 706 : « Quid tu, unde tandem appares, *o Socrate;* an quidem dubium non est quin ab Alcibiade? »

183. De dandi casu *abus* syllaba finito hæc Phocas tradit, p. 1707 : « Pauca sunt primæ declinationis nomina, quæ contra regulam dativum et ablativum numeri pluralis in *abus* syllabam mittunt, discernendæ ambiguitatis, id est, sexus causa : *his* et *ab his deabus, filiabus, mulabus, equabus, libertabus, natabus, asinabus,* quæ a viris peritis usurpata sunt. » Diomedes, l. I, p. 280 : « *Deabus, filiabus, libertabus,* et quidquid hujusmodi est, discernendi sexus gratia, contra rationem præceptum est. » Donatus, edit. II, p. 1750 : « Necesse est autem contra hanc regulam, ut declinentur et nomina in quibus genera discernenda sunt, ut *his* et *ab his deabus,* ne si *diis* dixerimus, *deos,* non *deas* significare videamur. » Sergius in hunc Donati locum, p. 1845, ait hæc inventa esse propter testamentorum necessitatem : « Nec nos debemus, inquit, ad istorum similitudinem alia declinare; ea enim quæ arte carent, sola auctoritate firmantur. » *Deabus* utitur Cicero in Orat., pro Rabir. et pro Cornel. I, ut Priscianus, l. VII, p. 733, docet. M. Cato in Orig. apud eumdem : « Dotes *filiabus* suis non dant; » quem Livius, l. XXIV, c. 26, imitatus est : « In sacrarium ad penates confugit cum duabus *filiabus* virginibus. » Item Trogus, sive Justinus, l. VII, c. 3 : « Sed legati benigne excepti, inter epulas, ebrietate crescente, rogant Amyntam, ut apparatui epularum adjiciat jus familiaritatis, adhibitis in convivium filiis, et uxoribus, et *filiabus* (1); id apud Persas haberi pignus ac fœdus hospitii. » Palladius mense Martio, l. IV, c. 13, ubi de equorum partibus et coloribus agit : « Eadem, inquit, in *equabus* consideranda sunt, etc. » Modestinus, Dig., l. L, tit. XVI, lege 105, de verborum significatione; Modestinus respondet his verbis : « Libertis *libertabus*que meis libertum, libertæ testatoris non contineri. »

Scævola, Dig., l. XXXIII, tit. VII, lege 27, § 1, « relictis *conservabus* » dixit. Seneca, Declamationum l. II, declam. 2 : « Quædam se maritorum rogis ardentibus miscuerunt. Quædam *animabus* (2) suis redemerunt maritorum suorum salutem sollicitudine brevi; » sic habent libri correctissimi. Non negamus Ciceronem, Fam., l. XIV, ep. 14, dixisse « duabus *animis* suis. » Plin., l. XI, c. 96, 2, de Lacte : « Tenuissimum camelis, mox *equis.* » Sic enim est in libris correctis, non *equabus.* Idem, eodem libro, c. 95, 2 : « *Asinis* mammæ a fœtu dolent. » Ennium etiam apud Prisc., l. VII, p. 733, et Plautum, Pœn. act. V, sc. 3, v. 9, *filiis.* Sed

---

(2) Lemaire habet :

Vosmet videte jam, *Lache,* et tu, Pamphile.

Robert Stephanus, 1529 et 1536 :

Vosmet videte jam, *Laches,* et tu, Pamphile.

Ita etiam Cornel. Schrevelius et Teubner.

(1) Omisit Lemaire *filiabus,* quamvis annotet esse in omnibus antiquis editionibus.

(2) Lemaire, Controv. l. II, controv. 10, et in Except. Controversiarum, declam. 2, scribit *anima.*

cum Phocas, Diomedes, Donatus, Priscianus aliique veteres multos legerint auctores, quorum ne nomina quidem ad nos pervenerunt, non video cur eis non habeamus fidem, maxime cum etiam nunc aliquot exstent exempla, unde possimus et alia fuisse conjicere. Priscianus eadem affert quæ Phocas. Quod vero Priscianus, l. VII, p. 734, ait vetustissimos non esse imitandos, intelligit de *eabus*, pro *iis; dextrabus*, pro *dextris*, et aliis quibus antiquissimi usi sunt. Si enim res ita tulerit, ut necesse sit *filiabus*, *libertabus*, *equabus* dicere, non video cur tantopere hæc nobis reformidanda sint.

Nomina *e* litera terminata, quorum genitivus *es* syllaba finitur, ad nullam omnino Latinorum declinationem numero singulari spectant, neque enim primæ sunt, cujus symbolum ac nota est *æ* diphthongus. Probus, l. II, p. 143, tres tantum positiones, *a*, *as*, *es*, huic declinationi tribuit; totidem Priscianus, l. VII, p. 728; idem Probus docet *e* finita feminina græca esse, et græce declinari; quod si *e* in *a* mutetur, ad primam nostram spectare, ut *Helene, es; Helena, æ*. Ablativo græcæ declinationis utuntur, quamvis Græci hoc casu careant, non solum poetæ, ut Priscianus, l. VII, p. 731, putat, sed etiam oratores. Quintilianus, l. VIII, c. 1, 2 : « Sed ea quæ de ratione latine atque emendate loquendi fuerunt dicenda in libro primo, cum de *Grammatice* loqueremur, exsecuti sumus. » Idem, l. II, c. 15, 36 : « Excludunt a *Rhetorice* malos. » Idem, l. I, c. 10, 29 : « Num igitur hi sine *musice?* » Quod idem de ablativo eorum, quæ *es* syllaba nominandi casu finiuntur, dictum sit. Idem, l. III, c. 4, 10 : « Plato in *Sophiste*, Judiciali et Concionali, tertiam adjecit, etc. »

184. *Adam*, *Abraham*, et alia ejusdem positionis peregrina, duos tantum casus, interrogandi et dandi, primæ declinationis admittunt, *Adæ*, *Abrahæ;* cæteri peregrinitatem retinent. Qui vero hæc latinitate donare volunt, *Adamus*, *Abrahamus* declinant. Justinus, l. XXXVI, hebræis positionibus contentus fuit *Abraham* et *Joseph*. Quidam adeo sunt attici, ut nisi *Abrahamum*, *Josephum* dicas, te minime audiendum putent. Alii contra usque eo hebraicis positionibus syllabisque adhærescunt, ut *Jesuah*, non *Jesus* scribendum putent, cum Joseph Hebræus, hebrææ linguæ peritissimus, Antiquit. l. XVIII, c. 3, *Jesus*, non *Jesuah* scripserit : Γίνεται δὲ κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον Ἰησοῦς, σόφος ἀνὴρ, εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή. *Fuit eodem tempore* Jesus, *vir sapiens, si tamen virum eum appellare æquum est*. Neque a Divo Matthæo, Marco, Luca, Joanne, a Divo Paulo, cujus epistolæ dulcissimo ac sanctissimo hoc nomine plenæ sunt, *Jesuah* unquam, sed *Jesus* vocatur. Quis obsecro caput aperiat, quis genu flectat, si te legente *Jesuah* audiat? Ne Hebræus quidem te intelligat, cum apud Hebræos ultima litera non *ha* sive *he*, ut Hebræi loquuntur, sit, sed litera quædam peregrina, cui nulla in Europa respondet, quam Arabes etiam hodie ab Hebræis acceptam retinent, figura tamen diversa; quam imo gutture sonant, licet eam Hebræi in Europa nati aut omnino supprimant, aut naribus exprimant. — Μωσῆς sive Μωυσῆς, *Moses* sive *Moyses*, Philon (de vita Moysis) et Josephus (l. II) declinant ut *Anchises*, excepto genitivo Μωσέως sive Μουσέως, *Moseos* sive *Moyseos;* apud Septuaginta interpretes, genitivus et dativus η, hoc est, *e* longo, terminatur. Latine *Moyses*, *Moysi* vel *Moysis*, *Moysi*, *Moysen*, *o Moyses*, *a Moyse;* aut *Moses*, *Mosis*, *Mosi*, *Mosen* vel *Mosem*, *Moses*, *Mose*. Justinus, l. XXXVI, c. 2, *Moses* casu nominandi, *Mosen* accusandi dixit. Juven., Sat. XIV, v. 101 :

> Judaicum ediscunt, et servant, ac metuunt jus
> Tradidit arcano quodcumque volumine *Moses*.

Josephus et Septuaginta Μωυσῆς, *Moyses;* Philon tum Μωυσῆς, *Moyses*, tum Μωσῆς, *Moses;* Romani *Moses* scribunt.

SECUNDA DECLINATIO

185. Latina nomina secundæ declinationis in syllabas *er*, *ir*, *ur*, *us*, *um* exeunt, ut *faber*, *vir*, *satur*, *populus*, *præmium*. Græca in *os*, *on*, *eus*, ut *Delos*, *Androgeos*, *Pelion*, *Tydeus*.

Genitivus fere est æqualis nominativo syllabarum numero, ut *populus*, *populi*, præter : *Iber*, *Iberi*; *Celtiber*, *Celtiberi*; *armiger*, *armigeri*; *signifer*, *signiferi*; *Liber*, *Liberi*; *Trevir*, *Treviri*; *satur*, *saturi*, et nonnulla alia.

Poetæ aliquando alterum *i* omittunt. Virg., Eclog. I, v. 33 :

> Nec spes libertatis erat, nec cura *peculi*.

Androgeos, non solum *Androgei*, sed etiam *Androgeo*, more attico, facit genitivo.

Accusativus a Græcis in *os*, *s* literam mutat in *n*, ut *Delos*, *Delon*; *Menelaos*, *Menelaon*; *Athos*, *Athon*, vel *Atho*, more attico.

Vocativus similis est nominativo : *o vir*, *o Deus*. — Exceptio I. Cætera nomina *us* syllaba finita mutantur in *e* : *populus*, *o popule*; *fluvius*, *o fluvie*; *tabellarius*, *o tabellarie*. Præter *filius* et nomina propria in *ius*, quæ *us* syllabam deponunt · *o fili*, *o Antoni*, *o Pompei*. Cic. ad Octavium, in Epist. ad Brut., l. II, ep. 8 : « Quantum te, *popule Romane*, de me fefellit opinio! » — Exceptio II. Græca quæ in *eus* et ους, hoc est, *us*, diphthongum exeunt, deponunt *s* vocativo : *Tydeus*, *o Tydeu*; *Panthus*, *o Panthu*.

APPENDIX I.

Græca *eus* syllaba finita etiam genitivo faciunt *eos*, et accusativo *ea*, maxime apud poetas; sed tunc ad tertiam declinationem spectant, ut *Tydeus*, *Tydeos*, *Tydea*; *Tereus*, *Tereos*, *Terea*.

APPENDIX II.

Vocativus Græcorum nominum, quæ *os* in *us* mutant, etiam in *e* literam exit, ut *Timotheus*, *Pamphilus*, *o Timothee*, *Pamphile*; *Antæus*, *Thymbræus*, *Ptolemæus*, *o Antæe*, *Thymbræe*, *Ptolemæe*.

APPENDIX III.

Latini interdum, vel euphoniæ causa, vel Atticos imitantes, vocativum faciunt

similem nominativo : *o populus, o fluvius, o meus.* Liv., l. I, c. 24 : « Audi tu, *populus Albanus.* » Virg., Æn. VI, v. 836 :

Projice tela manu, sanguis *meus.*

Idem, Æn. VIII, v. 77 :

Corniger Hesperidum *fluvius*, regnator aquarum,
Adsis, o tandem!

Nominativus multitudinis *i* litera terminatur, ut *captivi, dei* vel *dii.* Priscis temporibus *ei* diphthongo terminabatur, ut *captivei.*

Dativus pluralis *is* syllaba finitur, ut *captivis, deis* vel *diis.*

186. Multa sunt *os* syllaba finita, quibus Latini utuntur, ut *Tenedos, Delos, Lesbos, Abydos, Ilios, arctos*, etc. Virg., Æn. II, v. 370 :

Primus se, Danaum magna comitante caterva,
Androgeos offert nobis.

On finita pauciora sunt. Ovid., Fast. V, v. 381 :

Pelion Æmoniæ mons est obversus in Austros.

Eus diphthongo terminata sunt quam plurima, ut *Orpheus, Theseus, Perseus, Pentheus, Typhoeus*, etc., quæ apud Græcos quintæ sunt declinationis, quæ tertiæ nostræ respondet. Apud nostros tamen (excepto interrogandi et accusandi casu, quibus etiam interdum more Græcorum utuntur, item vocandi, qui fere græco ritu exit) hæc ferme secundi sunt ordinis. Liv., l. XLV, c. 22 : « *Persei* partibus favimus. » Ibid., c. 8 : « Hæc græco sermone *Perseo*, latine deinde suis. » Cic., de Nat. deor., l. III, c. 31, 76 : « *Theseus* Hippolytum. » Liv., l. XL, c. 22 : « *Perseum* filium cum modica manu circummisit. » Accusativo græco *Persea* passim utitur Liv., l. XLV, c. 23 : « Legatos eodem tempore et ad vos et ad *Persea* de pace misimus. » Item, ibid., c. 1, *Perseo* ablativo casu. Illud Ovidii in Ibin. v. 602 :

Strymoniæ matres *Orpheon* esse ratæ;

unde quidam putarunt nomina in *eus* etiam in *on* desinere accusativo casu; quod adeo novum et inauditum est, ut quidam suspicentur esse mendum legendumque esse : *Orphea* te esse ratæ (1).

Genitivus *eos* syllaba finitus frequentissimus est apud poetas. Ovid., Fast. IV, v. 491 :

Alta jacet vasti super ora *Typhoeos* Ætnæ.

Vocativus latinus non videtur usitatus, ut Priscianus, l. VII, p. 738, ait, quamvis Probus dicat posse *Tydee, Penthee* dici. Græcus vocativus *Perseu, Theseu, Tydeu* aliique hujus generis usitatissimi sunt, præcipue apud poetas. Liv., l. XL, c. 12 : « Oportuit autem, *Perseu*, si proditor ego patris regnique eram, etc. » Ovid., Metam. V, v. 190 :

Aspice, ait, *Perseu*, nostræ primordia gentis.

Idem, l. VII, v. 433 :

. . . . . Te, maxime *Theseu.*

Illud Lucani, l. IV, v. 649 :

Huc, *Antæe*, cades;

et l. IX, v. 1076 :

Te, *Ptolemæe*, feram,

non huc spectant, cum non fiant ab *eus* diphthongo, sed ab αιος, Ἀνταῖος, Πτολεμαῖος, et *os* in *us* mutata,

(1) Cnipping, Oxon., Lemaire et Teubn. habent : « *Orpheos* esse ratæ. » In nota vero addit Lemaire : « *Orpheon* esse ratæ. *Orphea* dicendum erat. Scribe *Orpheos.* » Heins. unus : « *Orphea* te esse ratæ. »

Antæus, Ptolemæus. Sic *Alcæus, Peneus* : dicitur enim Πηνεῖος Græcis. Itaque ne decipiaris, Græcos consule.

Perseus etiam declinatur *Perses, Persis, Persi, Persem* vel *Persen, o Perses, a Perse*, ut *Achilles, Ulysses*, quorum genitivus *Achillei, Ulyssei* a nominativo *Achilleus, Ulysseus*, fit. Horatius, Epodus XVII, v. 14 :

> Heu! pervivacis ad pedes *Achillei*.

Ibid., v. 16 :

> Laboriosi remiges *Ulyssei*.

Nonnunquam vocales *ei, ea, eo* apud poetas in unam coeunt. Idem, l. I, ep. 6, v. 63 :

> . . . . . Remigium vitiosum Ithacensis *Ulyssei*.

Virg., Æn. III, v. 613 et 691 :

> . . . . . Comes infelicis *Ulyssei*.

Ovid., Metam. III, v. 303 :

> Nec quo centimanum dejecerat igne *Typhoea*.

Idem, Metam. VI, v. 635 :

> Degeneras; scelus est pietas in conjuge *Tereo*.

E in obliquis horum nominum corripitur, nisi more ionico declinentur; tunc enim non ε, sed η habent, hoc est, non *e* breve, sed longum. Virg., Æn. I, v. 611 :

> *Ilionea* petit dextra, lævaque Serestum;

Ἰλιονῆα. — Idem, Æn. III, v. 122 :

> *Idomenea* ducem, desertaque littora Cretæ;

Ἰδομενῆα.

Adjectiva quæ fiunt a nominibus in ευς, *eus*, habent penultimam longam, ut *Achilleus, a, um; Pentheus, a, um*, etc. Stat., Theb. II, v. 575 :

> *Pentheum*que trahens nondum te Phœdimus æquo,
> Bacche, genus.

Achilli et *Ulyssi* docet Quintilianus, l. I, c. 5, 63, genitivum esse priscum. Priscianus, l. VI, p. 706, ait veteres frequentissime dativo pro genitivo nominum in *es*, quæ a Græcis ad nostros migrarunt, ut *Achilli, Ulyssi, Timarchidi, Oronti, Thucydidi, Euripidi*, pro *Achillis, Ulyssis*, etc., usos fuisse. Utcumque sit, *Achilli* et *Ulyssi* sæpe apud poetas leguntur. Quid si primum *Achillei, Ulyssei* per *ei* diphthongum, deinde per *i* literam scripta sunt, ut apud priscos *captivei*, deinde *captivi?*

Non enumeravimus nomina quæ genitivo crescunt, quod etiam rudes, antequam hoc præceptum attingant, inter declinanda nomina jam ea didicerint. *Iber* etiam tertiæ declinationis est, diciturque a regione *Iberiæ*, quæ juxta Pontum est inter Colchos et Armeniam. *Liger* non est hujus loci, cum sit tertii ordinis. Virg., Æn. X, v. 584 :

> . . . . . Vesano talia late
> Dicta volant *Ligeri*.

Exter non videtur esse in usu; nam locus Papinii Statii, Theb. XI, v. 428, quo id Priscianus docet, l. III, p. 599, *extet* (2) ab aliis legitur, ut supra diximus, cum de comparativorum formatione ageremus. — *Liber*, cum Bacchum significat, aut nomen est adjectivum, crescit genitivo. — Item *gibber* tum substantivum, tum adjectivum. Varro de Re rust, l. II, c. 5, initio, de vaccis : « Ut sint bene compositæ, ut integris membris, oblongæ, amplæ, nigrantibus cornibus, latis frontibus, oculis magnis et nigris, pilosis auribus, compressis malis, subsimi, ne *gibberi*, sed spina leviter remissa, apertis naribus, etc. » Plin., l. X, c. 38, 1 : « Africæ, hoc est gallinarum genus *gibberum*, variis sparsum plumis. » Varro, de Re rust., l. III, c. 9, circa fin. : « Gallinæ Africanæ sunt grandes, variæ, *gibberæ*. » *Gibber, gibberis* nondum legi, nam illud Juvenalis : « attritus *gibbere* nasus, » nusquam esse arbitror, sed attritus *gibbus*, sat. 6, v. 108 :

> Attritus galea, mediisque in naribus ingens
> *Gibbus*, et acre malum semper stillantis ocelli.

Dexter, dexteri vel *dextri* usitatum est. Cicero, de Rep., l. VI, c. 17, 17, ut ait Priscianus, l. VI, p. 693, *prosperus* dixit pro *prosper* : « Deinde est hominum generi *prosperus* et salutaris. » *Aspris* pro *asperis* dixit Virgilius, Æn. II, v. 379 :

> Improvisum *aspris* veluti qui sentibus anguem.

---

(2) Alii legunt : *extet honos*; alii, *externos*; alii *alternos*.

Sed quid his diutius immoramur? Cum nomina, quorum genitivus exit in *ius* syllabam, et dativus in *i* literam, in ipso grammatices vestibulo ediscenda pueris fuerint proposita, non putavimus hic excipienda. Prisci *alii, alio, neutri, neutro,* etc., etiam declinaverunt; unde grammatici *neutri generis* maluerunt dicere quam *neutrius;* lege Priscianum, l. VI, pp. 678, 694, et XIII, p. 959, ubi exempla invenies. *Neutrius* usitatius est quam *neutri,* etiamsi Priscianus iisdem libris aliter doceat. Solemus tamen *neutri generis,* more Varronis et Probi, veterum grammaticorum, potius quam *neutrius* dicere.

Androgei latino casu usus est Virgilius, Æn. II, v. 392, et attico, Æn. VI, v. 20 :

> In foribus, lethum *Androgeo* (3).

Accusativus græcus frequens est, potissimum apud poetas. Ovid., Metam. XIII, v. 173 :

> . . . . . Me credite *Lesbon,*
> Me *Tenedon, Chrysen*que, et *Cyllan,* Apollinis urbes,
> Et *Syron* cepisse.

Athos apud Pompon. Mel. *Atho* facit dativo, l. II, c. 7, ante med. : « *Atho* monti Lemnos adversa; » *Athon* et *Atho* accusativo, Valer. Max., l. I, c. 6, de Prodigiis exter., 1 : « Eodem montem *Athon* vix tandem transgresso, etc. » Plin., l. VII, c. 2, 10 : « Qui *Athon* montem incolant. » *Atho* accusativus est atticus; veteres enim Attici casus omnes singulares nominum hujus positionis *o* litera terminabant, nominandi et vocandi excepto. Liv., l. XLV, c. 30 : « Maritimas quoque opportunitates ei præbent portus ad Toronem, ac montem *Atho.* » Cicero, de Rep., l. III, ut Priscianus, l. VI, p. 710, docet, *Athonem* dixit : « Quid ergo illa sibi vult absurda exceptio, nisi quis *Athonem* pro monumento vult funditus efficere? Quis enim est Athos, aut Olympus tantus? » *Athonem* fecit Cicero a nominativo *Atho;* cæteri ab *Athos.* Liv., l. XLIV, c. 11 : « Eminet namque in altum lingua, in qua sita est; nec minus quam in altum, magnitudine *Atho* mons excurrit. » Sic Sallustius a *Minos,* quod etiam ut *Androgeos* et *Athos* ab Atticis declinatur, fecit genitivum *Minonis,* l. V Hist. : « Dædalum ex Sicilia profectum, quo *Minonis* iram atque opes fugeret; » vide Priscian., I. VI, p. 710; et Propertius, l. I, Eleg. I, v. 61, ab *Androgeo* fecit *Androgeonis,* inde accusativum *Androgeona :*

> Et Deus extinctum Cressis Epidaurius herbis
> Restituit patriis *Androgeona* focis.

Sacer interpres, I ad Corinth., c. 3, v. 4, etiam usus est positione latina *Apollo,* quamvis græce sit τις δὲ Ἀπολλώς, *Apollos.* Idem attice declinavit, ibidem : « Cum enim quis dicat : Ego quidem sum Pauli, alius autem, ego *Apollo,* nonne homines estis? » Et ad Titum, c. 3, v. 13 : « Zenam legisperitum, et *Apollo* sollicite præmitte, ut nihil illis desit. » Si quis vero latine declinare velit, dicet *Apollo, Apollonis, Apolloni, Apollonem,* etc., ut *Atho, Athonis,* et *Mino, Minonis.* — Ablativo *Atho* usus est Cicero, de Finib., I. II, c. 34, 112 : « *Atho*ve perfosso (4). » Liv., l. XLIV, c. 28 : « Sub *Atho* monte. »

O Tyrinthie, Olmie, Evie, Sperchie, quæ apud Statium leguntur, quamvis sint propria, non tamen faciunt contra præceptum; fiunt namque a græcis positionibus *Tyrinthios, Olmειος, Evios, Sperchειος,* neque enim Græci Latinorum leges servant. Latini, vel Atticos imitantes, apud quos vocativus semper similis est nominativo, vel euphoniæ causa, vel metri, ut inquit Priscianus, l. VII, p. 741, nominativo *us* syllaba finito utuntur pro vocativo. Lucanus, Phars., II, v. 116 :

> Degener *o populus.*

Phocas, p. 1710 : « Appellativa, inquit, quæ in *ius* desinunt, vocativum in *e* mittunt, ut *fluvius, o fluvie; socius, o socie;* quem veteres juxta nominativum proferebant vocativum, ut Virgilius (Æn. VIII, v. 77) :

> » Corniger Hesperidum *fluvius,* regnator aquarum.

Quæ, consonante prolata, in eamdem syllabam

---

(3) « Quamvis Priscianus et Servius, ait Pierius (in VI Æneid.) in *Androgeω* atticum agnoscant idioma, in veteribus tamen plerisque codicibus, *Androgei* latino idiomate, observavi. Quam lectionem improbat Probus, ne novam hanc quis putet quæstionem, evenisseque id ob græcæ declinationis, qua Virgilius usus fuerit, ignorantiam. Citat etiam Charisius locum hunc.... etc. » Vide Prisc., l. VII, p. 736. — Charis., l. I, p. 71; Prob., Catholica, p. 1460, ffert *Androgeos, ei,* nihil vero de *Androgeω.* Forbiger, *Androgeï;* Teubner *Androgeo.*

(4) Orellius et Teubner : « *Athone perfosso,* » annotante Orell. Victorium et Manutium scripsisse « *Athove.* »

desinunt; si quidem sunt accidentia (hoc est adjectiva) vel derivativa vocativum in *e* mittunt, ut *doctus, docte; sanctus, sancte; Romanus, ne; Hispanus, ne.* Cætera in *us* potius quam in *e* syllabam exeunt, ut *hic populus, o populus* et *o popule* lectum est. Sic Lucanus : « Degener *o populus.* » *Lucus, o lucus.* Quæ tamen a veteribus propter asperitatem vocis minime usitata sunt, adeo ut rara hujusmodi declinationis reperiantur exempla, *hæc myrtus, o myrte.* Virgilius (Eclog. II, v. 54) :

» . . . . . Et te proxima *myrte.* »

Hæc ille.

A Gellio, l. XIV, c. 5, refertur lepida concertatio inter duos grammaticos, quorum alter contendebat vocandi casu dicendum esse *vir egregi;* alter, *vir egregie.*

Veteres genitivum singularem per *i* literam scribebant, pluralem nominativum per *ei:* Nigidius apud Gellium, l. XIII, c. 25 : « Si *hujus,* inquit, *amici,* vel *hujus magni* scribas, unum *i* facito extremum; sin vero *hi magnei, hi amicei,* casu multitudinis recto, tum ante *e, i,* scribendum erit *e;* atque idipsum facies in similibus. » Quint., l. I, c. 7, 15 : « Diutius duravit ut *e i* jungendis, eadem ratione qua Græci ει, uterentur; ea casibus numerisque discreta est, ut Lucilius præcipit :

» Jam *pueri* venere : *E* postremum facito atque *I*,
» Ut *puerei* plures fiant. »

Vide cætera, si vacat. Hinc Plauti comœdia *Captivei* inscribitur. *Di* et *dis* pro *dii* et *diis* utuntur poetæ frequenter.

TERTIA DECLINATIO

187. Etsi tertiæ declinationis quam plurimæ sunt positiones, genitivus tamen in *is* syllabam exit, qui nominativo modo est æqualis numero syllabarum, ut *navis;* modo una syllaba longior, ut *turbo, turbinis; unedo, unedonis;* modo duabus, ut *iter, itineris; biceps, bicipitis; supellex, supellectilis.*

O.

Macedo, Macedonis; Anio, Anienis; Nerio, Nerienis.

N.

Babylon, Babylonis; Palæmon, Palæmonis; Xenophon, Xenophontis.

R.

Lar, laris; hepar, hepatis; acer, aceris; Mulciber, Mulciberis; jecur, jecoris *vel* jecinoris.

AS.

Calchas, Calchantis; hic Pallas, Pallantis; hæc Pallas, Palladis.

ES.

Chremes, Chremetis *vel* Chremis; Laches, Lachetis *vel* Lachis.

IS.

Simois, Simoentis; Pyrois, Pyroentis; Charybdis, Charybdis; Paris, Paridis.

OS.

Rhinoceros, rhinocerotis; Tros, Trois; Minos, Minois; heros, herois.

US.

Melampus, Melampodis; Opus, Opuntis; Amathus, Amathuntis.

YS.

Capys, Capyis; Cotys, Cotyis; chlamys, chlamydis.

NS.

Lens, lendis; lens, lentis; frons, frondis; frons, frontis; Aruns, Aruntis.

PS.

Auceps, aucupis; anceps, ancipitis; gryps, gryphis; stirps, stirpis.

RS.

Lars, Lartis, *rex Veientium;* concors, concordis.

X.

Astyanax, Astyanactis; arx, arcis; merx, mercis; vervex, vervecis; lynx, lyncis.

GENITIVUS GRÆCUS IN *OS*.

Græco genitivo *os* syllaba finito interdum utuntur Latini, ut *metamorphosis*, *metamorphoseos; Decapolis*, *Decapoleos; Tanis*, *Taneos*; *Tethys*, *Tethyos*; *Erymanthis*, *Erymanthidos*.

GRÆCUS GENITIVUS IN *US*.

Manto, *Callisto*, *Alecto*, *Calypso*, et cætera id genus græca, *us* faciunt genitivo, ut *Mantus*, *Calypsus*.

Si cui fortasse breviores videbimur, Priscianum adeat, qui de positionibus atque casibus interrogandi potissimum tertiæ declinationis, sextum librum, de cæteris vero casibus fere septimum scripsit accuratissime. Nos de iis tantum putavimus agendum, quæ non ita trita sunt et quotidiana. Injuria enim fit præstantissimo magistro, usui, si de iis agas quæ ad ipsum maxime spectant.

188. *Turbo, onis* nomen gladiatoris est. Horat., II, sat. 3, v. 310 :

Corpore majorem rides *Turbonis* in armis
Spiritum.

Prisci *itiner, itineris* dixerunt. Plaut., Mercat. act. V, sc. 2, v. 88 :

. . . . . Quin tu ergo *itiner* exequi meum me sinis?

Iter enim *iteris* faciebat. Novius : « Ignoti *iteris* sumus. » Accius : « Nam te longo *itere* cerno vadere. » Vide Non. Marc., c. 8, 13. — Vetustissimi *ancipes*, *bicipes*, *præcipes* dicebant, unde supersunt genitivi *ancipitis*, *bicipitis*, *tricipitis*. Plaut. in Commorientibus :

. . . . . Saliam in puteum *præcipes*.

Vide Priscianum, l. VI, p. 725. — Idem *supellecti-*

lis etiam nominandi casu dicebant. Cato, adversus Tiberium Sempronium : « Si posset auctio fieri de artibus tuis, quasi *supellectilis* solet. » — Gellius, l. XIII, c. 22, ait Varronem *Nerienes* dixisse vocative, ex quo nominandi casum eumdem esse necessum est. — Prisci, ut Priscianus, l. VI, p. 684, docet, *Anien* dixerunt. Cato : « Non minus quam XV millia *Anien* abest. »

Veteres, ut ait Quintilianus, l. I, c. 5, 60, *Palæmo*, *Thelamo* et *Plato* (nam sic eum Cicero quoque appellat) pronuntiabant, quia latinum quod *o* et *n* literis finiretur, non reperiebant. Cicero *Zeno*, pro Murena, c. 29, 61 ; *Meno*, pro Fundanio (1) ; *Xeno*, in Verr. act. II, l. III, c. 22, 55; *Dexo*, ibid., l. V, c. 42, 108, dixit pro *Zenon*, *Menon*, *Xenon*, *Dexon* : vide Priscianum. — *Lars*, rex Veientium, ut *Mars*, exit in *tis*, *Lartis*. Liv., l. IV, c. 58 : « Daturos quod *Lars* Tolumnius dedisset, responderi jussit. » Ibid., c. 17 : « Ad *Lartem* Tolumnium, Veientium regem, ac Veientes defecere. » Quidam ait IX Phil., c. 2, 4, *Lartes* esse, ubi tamen *Lar* invenio : « *Lar* Tolumnius, rex Veientium, etc. » Priscianus, l. V, p. 645, *Lar* putat esse rectum, sed id ex obliquis probat. — *Hepar*, *hepatis* græcum est, ἧπαρ. — *Acer*, *aceris* arbor est. Plinius, l. XXIV, c. 31 : « *Aceris* radix contusa e vino jocinoris (2) doloribus efficacissime imponitur. » — *Mulciber*, *Mulciberis*, et *Mulciber*, *Mulciberi*, et imminuto verbo *Mulcibri*. Cic., Tusc. l. II, c. 10, 13, ex quodam poeta :

> Jovisque numen *Mulcibri* adscivit manus;

iambicus est trimeter. Apud Martianum Capellam, l. VI, p. 576, plenum est : « Dispendiaque lini perflagrata cassum devorante *Mulcibero*. » *Jocinoris* putat Priscianus, l. VI, p. 701, a nominativo *jocinus* fieri, qui in usu non est. Plin., l. XI, c. 73, 2 : « Bina *jocinora* (3) leporibus circa Briletum. Ibi, sex victimarum *iocinora* reperta sunt. »

Græca in *as* masculina faciunt *antis* genitivo, feminina vero, *adis*, ut *lampas*, *adis*, quibus *Arcas* proprium viri et gentile additur. Prisci Latini *Calchas* vel *Calcha*, *æ* declinabant. Plaut., Menæch. act. V, sc. 1, v. 48 :

> *Mul.* Novistin' tu illum ? — *Men.* Novi cum *Calcha* simul.

De *Chremes*, *Laches* et aliis hujus generis vide scholia in primam declinationem.

Græco genitivo in *dos* frequenter utuntur poetæ. Ovid., Trist. l. I, eleg. 4, v. 1 :

> . . . . . Custos *Erymanthidos* ursæ.

Idem, Metam. I, v. 668 :

> Nec Superum rector mala tanta *Phoronidos* ultra
> Ferre potest.

Stat., Theb. XII, v. 155 :

> . . . . . Immites citius *Busiridos* aras.

Cæteris rarius. Martial., de Spect., epigr. 3, v. 6 :

> Et quem supremæ *Tethyos* unda ferit.

Prisci *Calypsonis*, *Ionis* declinabant. Vide Priscianum, l. VI, p. 685. Posteri, *Calypsus*, *Ionus*, *Mantus*. Virg., Æn. X, v. 199 :

> Fatidicæ *Mantus*, et Tusci filius amnis.

Qua de re sic Quintilianus, l. I, c. 5, 63 : « Nunc recentiores instituerunt græcis nominibus græcas declinationes potius dare..... Mihi autem placet latinam rationem sequi, quousque patitur decor. Neque enim jam *Calypsonem* dixerim, ut *Junonem*, quanquam secutus antiquos C. Cæsar utitur hac ratione declinandi. Sed auctoritatem consuetudo superavit. » Hæc ille.

Græco dativo usus est Virgilius, Eclog. IV, v. 55 :

> Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
> Nec Linus ; huic mater quamvis, atque huic pater adsit,
> *Orphei* Calliopea, Lino formosus Apollo.

Orphei plenius est dativus, et trium syllabarum, *Orphei* sive *Orphei* imminutus et contractus ; *e* enim et *i* literæ in diphthongum contractæ sunt.

(1) Priscian., loco cit., et Orell. in Fragm. Cicer., vol. IV, part. 2, pag. 445.

(2) Teubner item; in Fragm. *jocinoris* habet Forcellini; alii, *jecinoris*; alii, *jocineris*. Vulgo scribi *jocinoris* apud Plinium dicebat Voss., l. IV, c. 8, quem vide. Lemaire, *jocineris*, quod habet Dalecampius, l. XXIV, c. 18, Lem., c. 53, et alibi.

(3) Teubner : *jocinera*.

ACCUSATIVUS.

189. Accusativus exit in *em*, ut *sermonem*.

EXCEPTIO I.

Buris, cucumis, pelvis, ravis, securis, tussis, vis in *im* exeunt.

EXCEPTIO II.

Febris, navis, puppis, clavis, restis, turris in *em* vel *im* terminantur.

ACCUSATIVUS GRÆCUS.

Græcus accusativus in *a* exit, ut *Hectora, Calchanta, aera, æthera.*

EXCEPTIO I.

Græca *o* litera finita habent accusativum similem nominativo, ut *Manto, Calypso, Alecto.*

EXCEPTIO II.

Græca *is* syllaba finita quæ apud Latinos genitivum habent similem nominativo, hoc est, quorum genitivus apud Græcos in *os* exit, nulla præcedente consonante, accusativo faciunt *in* græce, vel *im* latine, ut *Charybdis, Charybdin* vel *Charybdim.*

Ys finita frequentius in *yn* quam in *ym* exeunt, ut *Tethys, Tethyn; Cotys, Cotyn; Halys, Halyn* vel *Halym.*

Quæ vero genitivo crescunt, neque accentum habent in ultima, in *in* vel *im* vel *em* exeunt, ut *Paris, Paridis : Parin,* vel *Parim,* vel *Paridem; Iris, Iridis : Irin* vel *Iridem; Isis, Isidis : Isin,* vel *Isim,* vel *Isidem;* quæ etiam in *a* apud Græcos exeunt, ut *Parida*, etc.

Cucumis, quando *cucumis* facit genitivo, facit *cucumin*. Plin., l. XX, c. 3, 2 : « Aliqui etiam ab eo scorpionum *cucumin* vocant, efficacissimum contra scorpionum ictus. » Ibidem, c. 2, 1 : « *Cucumin* silvestrem esse diximus multo infra magnitudinem sativi. » Libro XIX, c. 58, 3, *cucumi* dativum invenies. Plaut., Aulul. act. II, sc. 4, v. 57 :

. . . . . Ad *ravim* poscam....

Idem, Cistel., apud Nonium, c. 2, n. 730 :

Expurgabo hercle omnia ad raucam *ravim*.

Turris frequentius *turrim* per tertiam vocalem facit quam per secundam, *turrem*. Interrogatus Probus dicendumne esset *turrim* an *turrem*, respondit interrogandam esse aurem. Vide Gellium, l. XIII, c. 20. Cæsar, Bello civ., l. II, c. 10 : « Quem a turri lateritia ad hostium *turrim* murumque perducerent. » Ibid., c. 9 : « Circum *turrim*. » Paulo post : « Ad *turrim* hostium. » Idem, Bello Gall., l. II, c. 30 : « Tanti oneris *turrim* in muros sese collocare confiderent. » Virg., Æn. II, v. 460 :

Turrim in præcipiti stantem.

Turrem raro apud Cæsarem invenies. Bello civ., l. II, c. 14 : « Majori cum fiducia ad alteram *turrem* aggeremque eruptione pugnaverunt. » Vitruvius, l. X, c. 13 : « Fieri autem ait oportere eam

turrem tabulatorum decem, etc. » Ibidem : « *Turrem* autem minimam oportere fieri, etc. » Ibidem : « Majorem vero *turrem* altam cubitorum cxx. » Multo tamen usitatius et elegantius est *turrim* et *turri* quam *turrem* et *turre*.

Securem per *e* nondum inveni; *securim* frequenter apud Ciceronem aliosque probatos auctores. Non enim ubique *securem* invenias, ut quidam præcepit; nam Virgilius, Æn. XI, v. 656 :

> . . . . . Æratam quatiens Tarpeia *securim*,

dixit, non *securem*, ut paulo inferius, v. 696 :

> . . . . . Perque ossa *securim*,

et Æn. II, v. 224 :

> . . . . . Incertam excussit cervice *securim*.

Febrim invenias apud Sueton. in Tito, c. 10, et Horat., II, sat. 3, v. 294. *Febrem* multo usitatius est. Mart., l. V, epigr. 9, v. 4 :

> Non habui *febrem*, Symmache; nunc habeo.

Per *e febrem*. Cic., de Fato, c. 8, 15 : « Et is *febrem* non habet? » Quintil., l. II, c. 17, 9 : « Et *febrem*.... mitigavit. »

Puppim, navim non solum per tertiam vocalem, ut præcipit Donatus, edit. II, p. 1750, sed etiam per secundam reperiuntur. Stat., Sylv., l. II, carm. II, v. 142 :

> . . . . . Nec unquam
> Emeritam in nostras *puppem* demitte procellas.

Lucan., Phars. IV, v. 131 :

> Primum cana salix madefacto vimine parvam
> Texitur in *puppem* (1).

Cic., de Finib., l. IV, c. 27, 76 : « Si palearum *navem* evertit. » *Navem* frequentissimum est; *puppem*, rarius.

Clavim. — Plaut., Mostel. act. II, sc. 1, v. 57 :

> . . . . . *Clavim* (2) mihi harunce ædium Laconicam
> Jam jube efferri intus.

Tibullus, l. II, eleg. 4, v. 31, *clavem* (3) per secundam vocalem dixit.

Terent., Phorm. act. IV, sc. 4, v. 685 :

> Ad *restim* mihi quidem res rediit planissime.

Idem, Adelph. act. IV, sc. 7, v. 756 :

> Tu inter eas *restim* ductans saltabis.

Plin., l. XVII, c. 11, 2 : « Eaque intrita *restem* (4) circumlini. »

Aqualim per tertiam vocalem est apud Plautum in Curcul., act. II, sc. 3, v. 33 (5).

Bipennim nondum legi. Virgilius, Æn. XI, v. 651, *bipennem* dixit :

> Nunc validam dextra rapit indefessa *bipennem*.

Ovid., Metam., VIII, v. 766 :

> . . . . . Sævamque inhibere *bipennem*.

Græcus accusativus in *a* frequens est maxime apud poetas. Virg., Æn. I, v. 483 :

> Ter circum Iliacos raptaverat *Hectora* muros.

Idem, Æn. VII, v. 324 :

> Luctificam *Alecto* dirarum ab sede sororum
> Infernisque ciet tenebris.

Græca *is* syllaba finita, quorum genitivus exit in *os* syllabam puram, hoc est, nulla præcedente consonante, fere apud Latinos genitivum similem habent nominativo, ut *Genesis, Neapolis, Charybdis, Geneseos, Neapoleos, Charybdeos* græce; at latine *Genesis, Neapolis, Charybdis*, et faciunt accusativo *in* vel *im*. Cic., de Orat., l. III, c. 41, 163 : « Deinde videndum est ne longe simile sit

(1) Quas videre potui editiones habent *puppim*. *Puppem* legit Voss.

(2) Corp. vet. Poet. latin., Lambin., *clavim*. — Gruterus, Lemaire, *clavem*.

(3) Lemaire in hunc locum : « Hinc *clavim* janua sensit. Ita hæc citavit Charisius, Inst. gramm., l. I, p. 101; unde apparet perperam legi *clavem* et *sentit*. *Brouck.* » Item Teubner, *clavim*.

(4) Sic edit. Dalecamp. cap. 10 ejus lib., at Gronov. Lemaire : *reste circumlini*.

(5) Nunc vulgo habent *aqualem*. De iis sic Voss., l. IV, c. 10 : « Tum *em*, tum *im* habent *clavis*, *aqualis*, *turris*, *navis*, *puppis*, *restis*. » Legitque *clavim* in Mostell., *clavem* apud Tibul., *aqualim* in Curcul., putatque veteres in hujusmodi accusativis imprimis εὐφωνίαν attendisse. Qua de re vide Gellium, l. XIII, c. 20.

ductum, Syrtim patrimonii, scopulum libentius dixerim; *Charybdim* bonorum, voraginem potius. » Idem, II Phil., c. 27, 67 : « Quæ Charybdis tam vorax? *Charybdim* (6) dico? » Ovidius, de Ponto, l. IV, ep. 10, v. 27 :

Nec potes infestis conferre *Charybdin* Achæis.

Quæ in *ys* per *y* exeunt, etiam pure declinantur latine, ut *Capys, Capyis; Cotys, Cotyis*. Liv., l. IV, c. 37 : « Capuamque ab duce eorum *Capye*, vel, quod proprius vero est, a campestri agro appellatam, etc. » Idem, l. XLII, c. 67 : « Ipse cum *Cotye* Thessalonicam est profectus; » sic Tacit., II Ann., 64 et 65, et *Cotyi* dativo sæpe. Idem Liv., ibid. : « Eo fama affertur Atlesbim, regulum Thracum.... in *Cotyis* fines impetum fecisse. » Idem tamen, l. I, c. 3, *Aty, Capy* sexto casu dixit : « Latino Alba ortus, Alba Atys, *Aty* Capys, *Capy* Capetus (7). » Catullus, carm. 66, v. 70, *Tethyi* a *Tethyis, Tethys* vel *Tethyos* usus est :

Luce tamen canæ *Tethyi* restituor.

Accusativum in *yn* sæpe apud eumdem Livium leges; l. XXXVIII, c. 16 : « Sedem ipsi sibi circa *Halyn* flumen ceperunt. » Idem, l. XLII, c. 67 : « Itaque dimittendum *Cotyn* ad sua tuenda ratus, etc. » Cic., de Divin., l. II, c. 56, 115, *Halym* dixit :

Crœsus *Halym* penetrans magnam pervertet opum vim.

Liv., l. XLIV, c. 7 : « Eo die ad amnem nomine *Mityn* processit. »

Ea vero quorum genitivus in *os* syllabam impuram exit, hoc est, præcedente consonante, apud Latinos genitivo crescunt, ut *Paris, idis; Daphnis, idis*, quæ et latine declinantur, et græce a poetis præcipue. Cic. ad Brutum, l. II, ep. 8 ad Octavium, a medio : « At te fata patriæ *Paridem* futurum prædicabant. » Virg., Æn. X, v. 704 :

. . . . . Et face prægnans
Cisseis regina *Parim*.

Ovid., Metam., l. XIII, v. 200 :

Accusoque *Parim*.

Virg., Eclog. VII, v. 69 :

Hæc memini, et victum frustra contendere *Thyrsim* (8).

Idem, ibid., v. 16 :

Et certamen erat, Corydon cum *Thyrside*, magnum.

Idem, Eclog. VIII, semper *Daphnin* (9) per *n* dicit; declinat etiam latine; v. 83 :

. . . . . Ego hanc in *Daphnide* laurum.

Paris, Isis et cætera quorum ultima non habet accentum, lingua quidem Græcorum communi accusativo *a* faciunt, *Parida, Isida*. Iones vero, hiatus amantes, consonante subtracta, *Parios, Isios* declinant; inde *Parin, Isin;* Latini *n* in *m* mutantes, *Parim, Isim*. Virg., Æn. V, v. 606 :

Irim de cœlo misit Saturnia Juno.

Lucan., Phars. VIII, v. 831 :

Nos in templa tuam Romana recepimus *Isim* (10).

Quæ apud Græcos accentum habent in ultima, in *a* tantum desinunt : Ἀμαρυλλίς, Τιτανίς, *Amaryllis, Titanis, Amaryllida, Titanida*. Ovid., Fast. V, v. 81 :

Duxerat Oceanus quondam *Titanida* Tethyn.

---

(6) Recentiores, Lallemand, Ernesti, Lemaire, Orellius, Teubner : *Charybdin*.

(7) Lemaire, Drakenborch et Teubner : « *Atye* Capys, *Capye* Capetus. »

(8) In tribus exemplis superioribus Lemaire habet *n* pro *m*. In Æneid. legunt Forbiger et Teubn. *Parim;* in Eclog. VII Forbiger *Thyrsin*; Teubner, *Thyrsim*. Apud Ovid., Teubner *Parin*.

(9) Forbiger et Teubner ubique *Daphnim* scribunt.

(10) Lemaire, *Isin*; edit. Basil. cum notis Lamberti Hortensii Montfortii, *Isim*.

VOCATIVUS.

190. Vocativus similis est nominativo : *o sermo; hæc Pallas, o Pallas; O Socrates, o Chremes, o Achilles, o heros, o Chlamys;* — *o Socrate, Chreme, Achille, Ulysse*, ad primam spectant.

EXCEPTIO.

Græca quæ in *is* vel *ys* exeunt, neque habent accentum in ultima apud Græcos, deponunt *s* nominativi, *o Mœri, Iri, Pari, Tethy*. Et apud poetas feminina in *is*, quorum genitivus exit in *dis*, quamvis accentum habeant in ultima: *o Amarylli, Tindari, Œbali*.

Item propria in *as*, quorum genitivus exit in *antis*, apud eosdem poetas deponunt *s* : *o Palla, o Calcha*.

Præterea, quæ ante *s* habent diphthongum, fere *s* literam abjiciunt, ut *Simoεις, Simois, Tydeus, Melampους, Melampus* : *o Simoi, Tydeu, Melampu*. Quæ omnia apud Atticos vocativum habent similem nominativo, *o Paris, Calchas, Simois, Melampus*, quos interdum imitantur Latini.

De vocandi casibus *Chreme, Achille, Socrate* dictum est in scholiis in primam declinationem; cæterorum accipe exempla. Virg., Eclog. IX, v. 1 :

> Quo te, *Mœri*, pedes?

Ibid., v. 46 :

> *Daphni*, quid antiquos signorum suspicis ortus?

Idem, Æn. IX, v. 18 :

> *Iri*, decus cœli.

Idem, Eclog. I, v. 37 :

> Mirabar, quid mœsta deos, *Amarylli*, vocares.

Ovid., ep. 16, v. 98 :

> Conjugii spes est, *Tyndari*, facta tui.

Ibid., v. 126 :

> Applicor in terras, *OEbali* nympha, tuas.

Pallas, Calchas et cætera hujus formæ apud Græcos *an* faciunt vocativo : *o Pallan, Calchan;* poetæ abjiciunt *n* : *o Palla, Calcha*. Virg., Æn. XI, v. 152 :

> Non hæc, *o Palla*, dederas promissa parenti.

Senec., Troad., act. II, v. 360 :

> Effare, *Calcha*, nosque consilio rege.

Stat., Theb. III, v. 546 :

> . . . . . Illum, venerande *Melampu*,
> Qui cadit, agnosco.

Ibid., v. 573 :

> Te pudor et curæ retinent per rura, *Melampu*.

ABLATIVUS.

191. Ablativus exit in *e* : *a teste, duce, hospite, paupere, pubere, sospite*.

EXCEPTIO I.

Nomina quorum accusativus exit in *in* vel *im;* neutra in *al, ar, e;* nomina mensium; adjectivum cujus neutrum *e* litera terminatur, *i* postulant, ut *Charybdi, siti, animali, calcari, monili, Septembri, brevi*. Quibus accedunt *pluri, strigili, canali, memori*.

Far, nectar, hepar, jubar, e contenta sunt; item *gausape, Soracte, Præneste, Reate*, et cætera locorum propria hujus positionis, si tamen huc spectant; sunt enim pleraque declinationis expertia.

EXCEPTIO II.

I vel *e* petunt cætera adjectiva et substantiva quorum accusativus in *em* vel *im* desinit, ut *a felice* vel *felici; ingente* vel *ingenti; nave* vel *navi.* Quibus addes *amnis, ignis, imber, supellex, vectis.*

APPENDIX I.

Appellativa adjectivis similia leges adjectivorum ferme sequuntur, ut *familiaris, annalis, bipennis, triremis, affinis : a familiari, annali,* etc. — *Tridens, a tridente* vel *tridenti.*

Sin vero propria sint, *e* tantum postulant, ut *Martialis, Juvenalis, felix, clemens, melior; a Martiale, juvenale,* etc.

APPENDIX II.

Pleraque adjectiva quæ in literas *ns* exeunt, fere *e* contenta sunt, ut *prudens, imprudens; a prudente, imprudente.*

Participia in *e* exeunt, ut *absente, præsente, audiente.* Cicero, Verr. act. II, l. I, c. 58 : « Illa deos hominesque *implorante;* iste infanti pupillæ fortunas patrias ademit. » Plin., l. III, c. 1 : « Bœtica a flumine eam mediam *secante* cognominata, cunctas provincias diviti cultu, et quodam quasi fertili nitore præcedit. » Interdum etiam in *i,* sed tunc fere in nomina transeunt.

Comparativa nomina multo usitatius in *e* literam quam in *i* exeunt, ut *superiore, faciliore, uberiore.*

Quorum accusativus exit in *im* vel *in,* ablativus *i* litera finitur, ut *Charybdi, Hispali, Ligeri, Canabi, Bœti, cucumi.* Juven., sat. XV, v. 17 :

. . . . . Sæva dignum veraque *Charybdi.*

Cæs., Bello gall., l. III, c. 9 : « Naves interim longas ædificari in flumine *Ligeri* jubet. » Idem, ibid., l. VII, c. 5, accusativo usus est : « Cum ad flumen *Ligerim* venissent, » a nominativo *Ligeris,* ut *Ararim* ab *Araris.* Plin., l. XIX, c. 8, 1 : « In sicco præferunt e *cannabi* funes. » Varro accusativo est usus, de Re rust., l. I, c. 23 : « Sic ubi *cannabim,* linum, juncum, spartum, etc. » Persius, Sat. V, v. 146 : *cannabe* dixit :

. . . . . Tibi torta *cannabe* fulto
Cœna sit in transtro.

Livius, l. XXVIII, c. 22, *Bœte* dixit : « Marcius, superato *Bœte* amni, quem incolæ Certim appellant, duas opulentas civitates sine certamine in deditionem accepit; » cum ante eodem libro, c. 16, dixisset : « Ducibus est creditum brevius aliud esse iter ad *Bœtim* fluvium. » Plin., l. XX, c. 40, 2 : « Cum vino aut *cucumi* cocto. » *Strigili* invenies apud Horatium, II, sat. 7, v. 110, et apud Plinium, l. XXIX, c. 39, 2 : « Deinde, cum opus sit, *strigili* temperata infundere. » — *Canali.* Quint., l. XI, c. 3, 167 : « Pleniore tamen hæc *canali* fluunt, vos, Albani tumuli atque luci. » Plin., l. XXIV, c. 63, 1 : « Neque alibi quam in *canali.* » *Memori* frequentissime occurrit, neque eget probatione. Prisci *memoris* et *memore* declinabant, unde *memoris* tantum videtur relictum. Cæcilius apud Priscianum, l. VII, p. 772 : « Itane est *immemoris?* itane est madida memoria? » Hæc tria non facile *e* terminata invenies. — Antiqui etiam

mare dicebant sexto casu. Atacinus apud Priscian., l. VII, p. 759 :

Cingitur Oceano Libyco *mare*, flumine Nilo.

Plaut., Rud. act. IV, sc. 3, v. 42 :

Dicat in *mare* communi captos,

quos imitatus est Ovidius in Ibin., v. 200 :

Aut summam Libyco de *mare* carpat aquam.

Apud eumdem *cœleste, perenne, bimestre* pro *cœlesti, perenni, bimestri* leguntur. Metam. XV, v. 743 :

. . . . . Specie *cœleste* resumpta.

Fast. III, v. 654 :

Amne *perenne* latens, Anna Perenna vocor.

Et VI, v. 158 :

Extaque de porca cruda *bimestre* tenet.

Gausape, Cære, Nepete, et, ut arbitror, *Præneste, Soracte, Reate,* non declinantur in casus. Plin., l. VIII, c. 73, 4 : « Tunica laticlavi in modum *gausape* (1) texi nunc primum incipit. » Liv., l. I, c. 2 : « Qui *Cære* opulento tum oppido imperitans. » *Cære,* ut vides, dandi est casus; nam, si inclinaretur in casus, *Cæri* aut *Cæreti,* non *Cære* esset. Idem, l. XXIII, c. 19 : « Statua ejus indicio fuit *Præneste* in foro statuta. » Idem, l. XXV, c. 7 : « *Reate* saxum ingens visum volitare. » Idem, l. XXVIII, c. 11 : « *Cære* porcus biceps, et agnus mas, idemque femina natus erat. »

Quædam apud priscos diversi generis fuerunt : nam apud Plaut., Rud., *uvidum retem* (2), et Casin., Prolog., v. 57, intra *præsepes suas,* leges; et apud Plin., l. VII, c. 2, 11, et l. XXXI, c. 19, 2, *Soractem* invenies; unde et ablativus *rete, præsepe, Soracte* fieri potuit. — Nihil causæ est cur *degener* et *uber* excipiantur e numero adjectivorum quæ *e* vel *i* faciunt. Lucan., Phars. IV, v. 344 :

Si me *degeneri* stravissent fata sub hoste.

Curt., l. V, c. 1; 12 : « *Uberi* et pingui solo. » — *Pugili* per *i* quod a recentioribus additur nondum inveni. — *Vigil* et *artifex*, ut adjectivi interdum speciem præ se ferunt, ita etiam *vigili* et *artifici* interim faciunt. Stat., Achill. II, v. 120 :

Aspicit intentum, vigilique hæc *aure* trahentem.

Ibidem, I, v. 332 :

Qualiter *artifici* (3) victuræ pollice ceræ
Accipiunt formas.

Apud priscos nomina *is* syllaba finita, quæ genitivum habent æqualem nominativo, tum *e* tum *i* ablativo faciebant. Varro, de Ling. lat., l. VIII, 66 : « Nam sine reprehensione vulgo alii dicunt in singulari *hac ovi* et *avi;* alii *hac ove* et *ave.* » Unde multa a Prisciano, l. VII, p. 765, et ab aliis hujus generis commemorantur : *amnis, anguis, avis, civis, classis, finis, ignis, nepotis, postis, strigilis, vectis, unguis;* ex quibus selegimus quæ visa sunt magis usitata. Liv., l. XXVIII, c. 22 : « Superato Bæte *amni.* » Idem, l. VII, c. 30 : « Omnia ferro *igni*que vastata. » Cic., Att. l. VII, ep. 20, 1 : « Maximo *imbri* Capuam veni. » Idem in Frument. in Verr. act. II, l. III, c. 14, 36, et de Signis, ibid., l. IV, c. 40, 87. Credo priscos etiam *imbris* nominativo dixisse; unde Cato de Sacrificio commisso apud Priscianum, l. VI, p. 696 : « Mense Octobri fecimus, *Novembris* reliquus erat. » *Novembris* dixit pro *November;* hæc enim, *September, October, November, December,* ex *imber* sunt composita. Idem Cic., Verr. act. II, l. IV, c. 44, 97 : « In instrumento ac *supellectili* C. Verris. » Paulo ante

(1) Ita Daleeamp. quem sequitur Voss., l. III, c. 35, et l. IV, c. 11. « Vossius, qui verba hæc ita distinguit : *nam tunica, lati clavi in modum,* gausape *texi nunc incipit, gausape* auferendi casu accipit. At novissimæ Harduini editiones, retenta veteri distinctione, *gausapæ* exhibent. Adeo nihil in his certi. » (Ruddim. Etym., l. I, c. 3, præc. 9, not. 37.)

(2) Act. IV, sc. III, v. 5. Sic enim legebat Priscianus (l. VII, p. 759), ut refert Vossius, l. IV, c. 11 : « Non vides referre me *uvidum retem.* » Lemaire et Teubner : « referre me *uvidum rete.* » Infra vero, v. 45, idem Lemaire : « Ubi demisi *retem* atque hamum. » Imo Priscianus docet (l. V p. 659) dici posse *hic* et *hæc retis*, et *hoc rete*, quamvis femininum neget Charisius, l. 1, p. 45, quem citat Vossius, l. III, c. 29.

(3) Lemaire, *artificis*, annotans plures codices habere *artifici*, quod affert Priscianus l. VII. — Teubner, *artificis*.

diximus priscos *supellectilis* dixisse nominandi casu. Terent., Eunuch. act. IV, sc. 8, v. 773 :

. . . . . In medium huc agmen cum *vecti* Dorax.

Fini crebrum est apud Gellium, l. I, c. 3, l. VII, c. 3, et l. XIII, c. 19. — *Mugili*, si modo titulis capitum habenda est fides, nam est apud Plinium, l. IX, c. 17, a nominativo *mugilis* est. — *Fusti* non placet, quia nec liber Taciti signatur, nec Apuleius inter idoneos testes numeratur. — *Nepti* a grammaticis numeratur sine testimonio. — *Civi* probat Priscianus, l. VII, p. 766, ex Verr. act. II, l. II, c. 13, 32 : « Quod Siculus a *civi* Romano civis Romanus dat; » et paulo inferius : « Quod civis cum *civi* ageret. » Sic dicit codices veteres habere, sed fuisse quorumdam imperitia corruptos; nunc in correctissimis *cive* per *e* invenio (4). *Anguis, avis, unguis*, apud Horatium, sed in extremo versu, ubi etiam *angue, ave, ungue* locum habent, invenies (5). — *Posti* apud Ovidium etiam in extremo versu : Metam. V, v. 120. *Classi* apud Virgilium, Æn. VIII, v. 11 :

Advectum Æneam *classi* victosque penates
Inferre.

Victrix, quo jure habet *victricia*, eodem habet *victrici*. Lucan., Phars. I, v. 3 :

In sua *victrici* conversum viscera dextra.

Ultrici etiam dicetur, quia habet *ultricia*. Cætera *trix* syllaba finita non videntur, ablativo casu, *i* terminari.

Substantiva *is* syllaba finita, quæ adjectivis sunt similia, *i* faciunt. Cic., ad Att., l. XII, ep. 23, 2 : « Scriptum est in tuo *annali.* » Idem in Bruto, c. 15, 58 : « In nono, ut opinor, *annali.* » — *Bipenni*. Virg., Æn. II, v. 479 :

Ipse inter primos correpta dura *bipenni*
Limina perrumpit.

Sueton., in Tiber., c. 72 : « *Triremi* usque ad proximos Naumachiæ hortos subvectus est. » Cic., Verr. act. II, l. V, c. 33, 86 : « Egreditur Centuripina *quadriremi* Cleomenes e portu. » Idem, ibid., l. IV, c. 46, 103 : « Certos homines in *quinqueremi* misisse, qui eos dentes reportarent. » Idem, de Orat., l. I, c. 15, 66 : « Ita si de re militari dicendum huic erit Sulpitio, quæret a C. Mario, *affini* nostro. » Idem ad Quint. fr., l. III, ep. 8, 4 : « O dii, quam ineptus, quam se ipse amans sine *rivali!* » Idem, de Orat., l. II, c. 49, 200 : « Me pro meo *sodali*, qui mihi in liberum loco more majorum esse deberet, etc. » Plin., l. II, ep. 13, 6, ad Priscum, *sodale* dixit : « Quid enim aut illo fidelius amico, aut *sodale* jucundius? » Plin., l. VII, c. 49, 5 : « Quæ producta fuerat tirocinio a M. Pomponio, *ædili* plebis. » Lucanus tamen a *natalis natale* dixit l. VII, v. 389 :

. . . . . Gentes Mars iste futuras
Obruet, et populos ævi venientis in orbem
Erepto *natale* feret.

Et Cæsar, Bello civ., l. II, c. 23 : « Appulsaque ad proximum littus *trireme* constrata et in littore relicta, etc. »

Virg., Æn. I, v. 145 :

. . . . . Levat ipse *tridenti*
Et vastas aperit Syrtes.

Ovid., Metam. I, v. 283 :

Ipse *tridente* suo terram percussit.

Propria, cujuscumque sint positionis, adjectivis similia, *e* litera terminantur. Cic., pro Fundanio, apud Priscianum, l. VII, p. 761 : « Non modo hoc a Julio *Annale*, sed vix mehercule a Quinto Mutone factum probari potest. » Quidam existimavit *Annale* hic esse appellativum, atque ita hoc exemplo probat *annalis* appellativum nomen facere ablativo *annale*. Idem, pro Plancio, c. 26, 63 : « Confiteor summa in *Lateranense* ornamenta esse. » Martial., l. VII, Epigr. 24, 1 :

Cum *Juvenale* meo quæ me committere tentas?

Plin., l. IX, c. 7, 1 : « Velocissimum omnium ani-

---

(4) Orellius : « Siculus a *cive* Romano, » et : « Quod civis cum *civi.* » — Teubner : « Siculus a *civi*.... Quod civis cum *civi.* »

(5) *Angui* legebat Priscianus apud Horat., l. I, ep. 17, v. 30; *angue*, Lemaire, post optimos quosque libros, ait Vossius. — Habent tamen Orellius et Teubner, *angui*. — Lib. I, carm. 15, v. 5 :

Nereus fata. Mala ducis *avi* domum.

Ungui, l. III, carm. 6, v. 24 :

. . . . . De tenero meditatur *ungui*.

Et l. I, ep. 19, v. 46 :

Formido; et luctantis acuto ne secer *ungui*.

Avi in fine versus non inveni.

malium, non solum marinorum, est delphinus : ocyor *volucre,* ocyor telo. » — *Rudis,* virga qua emeriti gladiatores donabantur. Horat., l. I, epist. 1, 2 :

> Spectatum satis et donatum jam *rude* quæris,
> Mæcenas, iterum antiquo includere ludo.

Verrius Flaccus, qui ab Augusto sestertia centena in annum accepit, ut ejus nepotes doceret, aiebat, ut Charisius, l. I, p. 101, docet, nomina literis *n* et *s* finita casu ablativo *e* litera terminari. Invenies tamen nonnulla *i* litera finita. Cic., de Orat., l. III, c. 19, 70 : « Ex *ingenti* quodam Oratorem, immensoque campo in exiguum sane gyrum compellitis. » Liv., l. IV, c. 54 : « Pro *ingenti* itaque victoria id fuit plebi. » Idem, l. V, c. 31 : « Hi consules magnos ludos fecere, quos M. Furius dictator voverat *Veienti* bello. » Cæsar, Bell. civ., l. III, c. 26 : « Qui cum essent ex *continenti* visi. » *Continenti* etiam apud alios auctores per *i* sæpissime leges. Cicero, pro Muræn., c. 7, 16 : « Itaque non ex sermone hominum *recenti,* sed ex annalium vetustate eruenda est memoria nobilitatis tuæ. » Sæpe Cicero hoc modo loquitur, *recenti memoria, recenti negotio, recenti invidia.* Idem, de Orat., l. II, c. 43, 183 : « In quibus minus potest inflammari animus judicis acri et *vehementi* quadam incitatione. » Gell., l. VII, c. 3 : « Fuit homo ingenio *eleganti.* » Auctor ad Heren., l. I, c. 2, 3 : « Imitatio est, qua impellimur cum *diligenti* ratione, ut aliquorum similes in dicendo esse velimus. »

Participia, ut auctorum usus et Servius in Donatum, p. 1794, docet, *e* litera finiuntur; leguntur etiam per *i,* maxime cum fiunt nomina. Cic., pro Archia, c. 7, 15 : « Ego multos homines *excellenti* animo ac virtute fuisse, etc. » Idem ad Attic., l. II, ep. 4, 2 : « Interea quidem cum Musis nos delectabimus animo æquo, imo vero etiam *gaudenti* ac *libenti.* »

Comparativorum ablativus passim apud Ciceronem, Quintilianum aliosque auctores in *e* litera exit, cum substantivis omnis generis. Pro Cæcin., c. 3, 8 : « Potuisti enim *leviore* actione confligere. » Ibidem : « Potuisti ad tuum jus *faciliore* et *commodiore* judicio pervenire. » Idem, de Orat , l. II, c. 14, 58 : « *Leniore* quodam sono usus est. » In *i* vero rarius exit. Cæsar, Bell. civ., l. II, c. 14 : « *Majori* cum fiducia ad alteram turrem, aggeremque eruptione pugnarunt. » Plin., l. XXIX, c. 27, 4 : « At cinereus *posteriori* parte candicans, lentior. » Quintil., l. XII, procem., 2 : « Quare nunc quoque licet *majori* (6) quam unquam mole premor, tamen, etc. » Hæc, ut vides, cum genere feminino junguntur, quod obiter notabis; sunt enim qui id prohibent. Poetæ ablativo *i* finito sæpius utuntur; invenies exempla apud Priscianum, l. VII, p. 760.

(6) Sic olim et bonæ editiones, et Voss., l. IV, c. 12; recentiores autem, Burmann, Capperonier, Lemaire, Teubner : « licet major quam unquam moles premat. »

CASUS MULTITUDINIS.

192. Nominativus pluralis exit in *es,* ut *sermones, delphines, Troes.*

GENITIVUS PLURALIS.

Genitivus multitudinis in *um* syllabam exit, ut *juvenum, canum, vatum, majorum, minorum;* eodem modo cætera comparativa.

EXCEPTIO.

In *ium* exeunt quæcumque literis *ns* finiuntur, ut *serpentium, præsentium.*

Item *s* litera terminata, quæ genitivo non crescunt, ut *collis, collium; clades, cladium.* Et quorum ablativus in *i,* aut *e* vel *i* exit, ut *diœcesium, Syrtium, animalium, plurium, navium, felicium.*

Quibus adde *Samnitium, lintrium, cohortium, utrium, ventrium, fornacium.*

Ad hæc monosyllaba quæ in duas consonantes exeunt, ut *trabs*, *seps*, *pars*, *arx*, *merx*; *trabium*, *sepium*, *partium*, *artium*, etc.

Quibus accedunt *as*, *assis*, *glis*, *lis*, *mus*, *nix*, *nox*, *os*, *fauces*, *faucium*, et siqua alia sunt a viris doctis usurpata.

Hinc rursus excipiuntur : *parens*, *degener*, *inops*, *memor*, *supplex*, *vetus*, *uber*, *lynx*, et alia quorum genitivus exit in *um*, quæ, progrediente tempore, te, rerum omnium magister, usus sine fastidio docebit.

GENITIVUS GRÆCUS.

Genitivus græcus exit in ων, hoc est, *on* per *o* magnum, ut *epigrammaton*, *hæreseon*.

Præcipiunt grammatici dicendum esse *consortum*, *exortum* ; item composita ex verbo *capio* etiam in *um* exire, ut *participum* ; quæ vero ex *caput* componuntur, in *ium*, ut *anceps*, *ancipitium*, nisi imminuantur, ut *ancipitum* ; sed nullis id exemplis confirmant. Nihil sine idoneis testibus præcipias. Genitivo multitudinis *panum* dixit Verrius Flaccus, teste Charisio, l. I, p. 69. Liv., l. II, c. 43 : « Plus *cladium*, quam intulerant, acceperunt. » — *Diœcesis*, *Syrtis*, græca sunt ; a *diœcesi*, *Syrti*, inde *diœcesium*. Cic. ad Att., l. V, ep. 15, 3 : « Tu autem sæpe dare tabellariis publicanorum poteris per magistros scripturæ, et portus nostrarum *diœcesium*. » Idem Appio Pulchro, Fam., l. III, ep. 8, 4 : « Ut me omnium illarum *diœcesium*, etc. » *Samnitium* Livius, l. VII, c. 30 : « Usque ad nos contemptus *Samnitium* pervenit ; » ubi frequentissimus est hic genitivus. Idem, l. XXI, c. 26 : « Itaque ingens coacta vis *navium* est, *lintrium*que, etc. » Cæs., Bell. Gall., l. VI, c. 29 : « Præsidium *cohortium* XII pontis tuendi causa ponit. » Idem, Bell. civ., l. II, c. 20 : « Consensisse Gaditanos principes cum tribunis *cohortium*. » Sallust., Jugurth., c. 91 : « Maxima vis *utrium* effecta. » Plin., l. IX, c. 74, 1 : « Pisces attritu *ventrium*, etc. » *Penatium* Livius, l. XLV, c. 16 : « Ædes deorum *Penatium* in Velia de cœlo tacta erat. » Sic Cicero frequenter. — *Carnium* a præceptione non recedit ; nam et *carnis* nominativo dicitur apud Livium, sicut et *penatis* apud priscos. Vide Priscianum, l. VI, p. 684, et l. VII, p. 773.

Quædam modo in *ium*, modo in *um* exire solent, ut *paludium*, *paludum* ; *fornacium*, *fornacum*. Colum., l. III, c. 9 : « Ex limo concretarum *paludium* (1) emergere. » Mela, l. III, c. 3 : « *Paludum*, Suesia, Mesia, et Melsiagum maximæ. » Plin., l. XXXV, c. 25 : « Adulteratur *fornacium* balnearumque fuligine. » Idem, l. XXXIV, c. 22 : « Tenuissima est in ipso *fornacium* ore. » Ibid. : « Cameris lateribusve *fornacium*, » et c. 33 : « parietibus *fornacium* ; » et c. 41 : « *Fornacium* maxima differentia est. » Idem tamen, l. XXXVI, c. 14, initio capitis, *fornacum* dixit (2). Idem Plinius *volucrum* solet dicere l. X, c. 13, 1 : « *Volucrum* prima distinctio ; » ibid., c. 81, 1 : « *Volucrum* animal, parit vespertilio tantum. » Varro, de Re rust., l. I, c. 38 : « Stercus optimum scribit Cassius *volucrium*, præter palustrium ac nantium. » — *Murium* Plin. l. X, c. 85, 1 : « Super cuncta est *murium* fœtus ; » ibidem : « *murium* agrestium ; » et l. VIII, c. 41, 3 : « *murium* venatu. » Justinus, l. XV, c. 2, 1 : « Qui propter ranarum *murium*que multitudinem, relicto patriæ solo, sedes quærebant. » — *Dotium*, *cotium*, *vadium* et alia nonnulla reliquimus aliis investiganda, veterumque exemplis confirmanda. *Parens* nomen generis communis excipimus, propterea quod nemo hodie *parentium* dicit. Priscianus, l. VII, p. 772, dici etiam *parentium* probat ex Ci-

(1) *Paludium* habet Justinus l. XLIV, c. 1. Quum vero de Columella quæsiissem, hæc tandem inveni apud Ruddimannum Etymol., l. I, c. 2, præc. 60, not. 28 : « *Paludium* porro apud Colum. memorat Alvarus et Vossius ; sed (fallentibus numeris) locum non invenio. » Sunt autem apud Melam, l. III, c. 8, edit. Gronov. 1782. Henr. Stephano, 1577, est ejusdem lib., c. 9, legiturque *paludum*.

(2) Pliniana Dalecampi et Lemaire edit. in his omnibus *fornacum* habent. Quæ vero afferuntur e lib. XXXVI non inveni.

cerone, Verr. act. II, l. V, c. 52, 138 : « Navium præfectos sine ulla causa de complexu *parentium* (3) suorum, hospitum tuorum ad mortem cruciatumque rapuisti. » Item quod faciat accusativo plurali *parentis* per *i*, idem sentit Diomedes, l. I, p. 283. Nonnulli, quod verisimilius est, præcipiunt *strigilum* dicendum esse; sed nullum succurrit exemplum. Plin., l. VIII, c. 57, 2 : « *Lyncum* humor ita redditus, etc. »

(3) Orellius et Teubner, *parentum*.

DATIVUS PLURALIS.

193. Dativus in *ibus* exit, ut *sermonibus*. *Bos* tamen *bobus* aut *bubus* facit.

Græca a neutris in *a* in *is* syllabam frequentius exeunt, ut *peripetasmatis*, *emblematis*, *poematis* et *poematibus*, *diplomatis* et *diplomatibus*.

ACCUSATIVUS PLURALIS.

Accusativus multitudinis in *es* syllabam exit, ut *sermones;* exit et in *is* vel *eis*, cum genitivus certorum nominum desinit in *ium*, ut *omnis*, *urbis*, vel *omneis*, *urbeis;* uter alteri sit præferendus judicabunt aures.

CASUS PLURALES.

Casus plurales nominandi, accusandi et vocandi neutri generis in *a* desinunt, si ablativus in *e* tantum exit, ut *tempora;* sin vero *i*, aut *e* vel *i* terminetur, tunc in *ia* desinent, ut *vectigalia*, *ingentia*.

Præter comparativa, *vetus*, *plus*, quæ in *a* exeunt : *majora*, *vetera*, *plura*. *Aplustre*, *aplustria* et *aplustra* facit.

GRÆCUS ACCUSATIVUS.

Accusativus græcus in *as* desinit, ut *delphinas*, *Troas*, *crateras*. Virgilius, Eclog. VIII, v. 56 :

Orpheus in silvis, inter *delphinas* Arion.

Celsus, ut ait Priscianus, l. VII, p. 774, arbitratur dativos græcos *is* syllaba finitos esse a nominativis in *um*, *peripetasmatum*, *emblematum*. Cic. in lib. de Signis, Verr. act. II, l. IV, c. 12, 28 : « Nunc de *peripetasmatis*, quemadmodum te expedias non habes. » Idem in eodem, c. 17, 37 : « Scaphia cum *emblematis*. » Auctor ad Heren., l. IV, c. 2, 3 : « In tot *poematibus* et orationibus sparsas. » Cic., Offic., l. III, c. 3, 15 : « Quod in *poematibus* (1) et picturis usu venit. » Sueton. in Tito, c. 3 : « Armorum et equitandi peritissimus; latine græceque, vel in orando, vel in fingendis *poematibus* promptus. » Idem in August., c. 50 : « In *diplomatibus*, libellisque, et epistolis signandis initio sphinge usus est. »

Non omnium quorum genitivus pluralis exit in *ium*, accusativus pluralis exit in *is;* sed, ut Priscianus docet, l. VII, p. 775, quæ genitivum habent similem nominativo, ut *omnis*, *dulcis*, *navis*, *turris;* et quæ pluraliter tantum declinantur, ut *manes*, *manium*, *tres*, *trium*. Item *er* syllaba finita, quorum ablativus exit in *i*, ut *acer*, *saluber*, *imber*, *december;* præterea quæ in *ns*, *rs* desinunt, ut *fons*,

(1) Orellius et Teubner, *poematis*.

ingens, pars, urbs; alia vero raro accusandi casu plurali in *is* vel *eis* exeunt. Legimus et *pluris, compluris, litis.* Meminit etiam Varro, de Ling. lat., VIII, 66, hujus accusativi : « In accusandi (casu), inquit, *hos montes, fontes,* et *hos montis, fontis.* » Gellius, l. XIII, c. 20, ait fuisse Probum a quodam interrogatum, *hasne urbis,* an *has urbes* dici oporteret, respondisseque : « Si aut versum pangis, aut solutam orationem struis, atque ea tibi verba dicenda sunt, non finitiones illas prærancidas neque fœtutinas grammaticas spectaveris, sed aurem tuam interroga, quo quid loco conveniat dicere; quod illa suaserit, id profecto erit rectissimum. » Lege cætera, si vacat; sunt enim plena eruditione.

Sardis semper per *i* scribitur nominandi, accusandi et vocandi casibus; scribitur enim apud Græcos non per ει, sed per ι, Σάρδιες, inde Σάρδις, ut πόλιες, πόλις. Vide magnum Etymol. — *Tralleis, Syrteis, Alpeis* iisdem casibus per *i* vel *ei* scribi possunt; nam apud Græcos per diphthongum ει scribuntur.

Capito contendit *pluria,* non *plura* dicendum apud Gellium, l. V, c. 21; unde apud Terent., Phorm. act. IV, sc. 3, v. 610, *compluria* more veterum legitur, et apud Ciceronem in Protagora : « Confirmandi genera *compluria.* » Silius, l. X, v. 324 :

> Et transtra, et mali, laceroque *aplustria* velo.

Cic. in Arat., apud Priscianum, l. VII, p. 769 :

> Navibus assumptis fluitantia quærere *aplustra.*

QUARTA DECLINATIO

194. Genitivus singularis quartæ declinationis exit in *us* syllabam, ut *senatus, anus.* Prisci *senatuis, anuis* dicebant, apud quos etiam *i* litera hic casus terminabatur, ut *ornati, tumulti;* unde Terentius, more prisco, « ejus *anuis* causa » dixit, et « nihil *ornati,* nihil *tumulti.* »

Dativus in *ui* exit, ut *senatui, anui;* priscis sæculis etiam in *u* exibat; unde Virgilius, Æn. I, v. 257 :

> Parce *metu,* Cytherea.

Dativus multitudinis in *ibus* exit, ut *sensibus.*

EXCEPTIO.

Arcus, artus, lacus, partus, specus, tribus in *ubus* exeunt : *lacubus, specubus, tribubus. Portus* in *ibus* et *ubus. Quæstibus,* a *quæror,* multo usitatius est quam *quæstubus.*

De interrogandi et dandi casu quartæ declinationis, quibus veteres usi sunt, scribit Gellius l. IV, c. 16 : « M. Varronem, inquit, et P. Nigidium, viros romani generis doctissimos, comperimus non aliter locutos esse et scripsisse, quam *senatuis,* et *domuis* et *fluctuis,* qui est patrius casus, ab eo quod est *senatus, domus* et *fluctus;* hinc *senatui, domui* et *fluctui,* cæteraque his consimilia pariter dixisse. » Paulo inferius : « Sed non omnes concedunt in casu dativo *senatui* magis dicendum quam *senatu,* sicut Lucilius in eodem casu *victu* et *anu* dicit, non *victui* et *anui.* » Affert eodem capite unum atque alterum Cæsaris exemplum; præterea Cæsarem ipsum in libris de Analogia docuisse dandi casum sine *i* litera scribendum esse. Lege integrum caput, est enim pereruditum.

Terent., Heaut. act. II, sc. 2, v. 287 :

Ejus *anuis* causa, opinor, quæ erat mortua.

Idem, Andr. act. II, sc. 3, v. 365 :

. . . . . In ædibus
Nil *ornati*, nil *tumulti*.....

Apud Priscianum, l. VI, pp. 711, 712, et Non. Marcellum, c. 8, de mutata Declin., invenies quam plurima hujus generis.

Priscianus, l. VII, p. 779, hæc quæ hic numeravimus, tantum dicit exire in *ubus;* Diomedes, l. I, p. 285, quatuor posuit : *partubus, artubus, arcubus, tribubus.* Cicero *portubus* et *portibus* solet dicere. Verr. act. II, l. IV, c. 53, 118 : « Quarum una est ea quam dixi insula, quæ duobus *portubus* cincta, etc. » Idem, pro Flacco, c. 12, 27 : « Equidem existimo in ejusmodi regione atque provincia, quæ mari cincta, *portibus* (1) distincta, etc..» Cæsar, Bell. civ., l. III, c. 25 : « Hæc a custodiis classium loca maxime vacabant, quod se longius a *portibus* committere non auderent. » Addunt recentiores *acubus, ficubus, quercubus,* quæ nusquam esse arbitror. Nec *acibus, ficibus, quercibus* dixerim ; sed *ficis* tantum, sive de arbore, sive de fructu sit sermo ; nam *ficus, fici,* secundæ declinationis, utrumque significat. De *verubus* certant grammatici ; sunt enim qui *veribus* per *i* legendum censeant ; apud Virgilium ubicumque *verubus* per *u* literam legitur. Si *veribus* esset legendum, nunquam id tacuisset Priscianus. Charisius, l. I, p. 112, in illo Æn. I, v. 212 :

Pars in frusta secant, *veribus*que trementia figunt,

per *i* literam legit. — *Questibus,* id est, *querelis,* sæpe reperitur. Virg., Georg. IV, v. 515 :

. . . . . Mœstis late loca *questibus* implet.

Idem, Æn. IX, v. 480 ; Stat., Theb. XI, v. 646 ; Senec., Hercul. Œtæo, act. V, v. 1965. Idem tamen, Thyest. act. II, v. 179, dixit :

. . . . . *Quæstubus* vanis agis
Iras.

(1) Orellius, *portubus.* « Sic ait, Cdd. aliq.... *portibus* cæteri. » Lemaire, *portubus.* — *Portubus* passim occurrere in optimis libris affirmat Forcellini. Teubner, *portubus.*

QUINTA DECLINATIO

195. Casus interrogandi singularis quintæ declinationis in *ei* literas divisas exit, ut *diei;* apud antiquos in *es* sive *e* exibat. Unde Virgilius, Georg. I, v. 208 :

Libra *dies* (1) somnique pares ubi fecerit horas.

Et Ovidius, Metam. III, v. 341 :

Prima *fide* vocisque ratæ tentamina sumpsit.

Exiit et in duplex *ii.* Virg., Æn. I, v. 636 :

Munera lætitiamque *dii.*

(1) Lemaire et Teubner, *die.* Ita et edit. Basil. per Henricum Petri 1561, ubi Servius : « *Die* non est ἀποκοπή pro *diei,* sed regularis genitivus : nam, ut sæpe diximus, obliqui casus singularis numeri non debent esse minores nominativo plurali, etc. » Et in Var. Lect. : « In romano libro scriptum est *libra diei* per *ei* diphthongum. In reliquis *die,* veteri declinatione, quæ genitivum per abjectionem *s* literæ enuntiare solebat. Bona tamen literatorum qui nunc vigent pars *die* malunt legere. »

Casus interrogandi, dandi, sextusque multitudinis, præter *rerum*, *rebus*; *dierum*, *diebus*, inusitati sunt. Cicero, Topic., c. 7, 30, non est ausus *specierum*, *speciebus* dicere; non tamen negat posse latine dici.

Est apud Gellium, l. IX, c. 14, de triplici hujus declinationis genitivo, unde hæc exempla sumus mutuati. Ponit etiam duo Ciceronis pro P. Sestio, c. 12, 28 : « Equites vero daturos illius *dies* pœnas, » et pro Sext. Roscio, c. 45, 131 : « Quorum nihil *pernicii* causa divino consilio, sed vi ipsa, et magnitudine rerum factum putamus. » Cæsar apud eumdem, l. II de Analog., *hujus die* et *hujus specie* dicendum putat. Priscianus, l. VII, p. 780, in illo Virgilii, « libra *dies*, » legit *die*. At Gellius, l. IX, c. 14, ait in libro idiographo, manuque ipsius Virgilii scripto, *dies* esse. Idem Gellius ait imperitiores « munera lætitiamque *Dei* » legere, cum ab ipso Virgilio *dii* scriptum sit; adducitque Catonis, Lucilii, Pacuvii, Cn. Matii exempla, in quibus *famii*, *pernicii*, *progenii*, *acii*, pro *famei* (nam *fames* apud priscos quintæ declinationis fuit), *perniciei*, *progeniei*, *aciei*. *Progenii* certe multo suavius est quam *progeniei*. Unde Quintil., l. I, c. 6, 26, ubi contra eos disputat qui analogiæ pertinaciter adhærent : « Nec plurimum refert, inquit, nulla hæc an prædura sint; nam quid *progenies* genitivo singulari, quid plurali *spes* faciet ? » Quasi dicat multo satius esse his casibus carere, quam *progeniei* aut *sperum* dicere. Cicero in Topicis, c. 7, 30, maluit *formarum*, *formis* dicere, quam *specierum*, *speciebus*. « In divisione, inquit, formæ sunt, quas Græci ἰδέας vocant; nostri, si qui hæc forte tractant, *species* appellant; non pessime id quidem, sed inutiliter ad mutandos casus in dicendo. Nolim enim, ne si latine quidem dici possit, *specierum* et *speciebus* dicere, et sæpe his casibus utendum est; at *formis* et *formarum* velim. Quum autem utroque verbo idem significetur, commoditatem in dicendo non arbitror negligendam. »

SYNCOPE

196. Omnium ferme declinationum interrogandi casus multitudinis interdum, maxime a poetis, imminuuntur; quam imminutionem Græci *syncopen* vocant.

PRIMÆ

Cœlicolum, *Æneadum*, *Ausonidum*, *Trojugenum*, etc., pro *cœlicolarum*, *Æneadarum*, etc.

SECUNDÆ

Liberum, *nummum*, *sestertium*, *fabrum*, *deum*, etc., pro *liberorum*, *nummorum*, etc.

TERTIÆ

Cladum, *cædum*, *veprum*, *cœlestum*; *agrestum*, *potentum*, *furentum*, *Macedum*,

pro *cladium*, *cædium*, *veprium*, *cœlestium*, *agrestium*, *potentium*, *furentium*, *Macedonum*; quæ et alia ejusdem generis non facile apud oratores reperientur.

APPENDIX I.

Genitivus imminutus a nominibus substantivis *as* syllaba finitis usitatior est quam plenus, ut *civitatum* quam *civitatium*.

APPENDIX II.

Quidam genitivi tum pleni, tum imminuti, sunt usitati, etiam apud oratores, ut *apium* et *apum*; *serpentium* et *serpentum*; *Quiritium* et *Quiritum*; *optimatium* et *optimatum*; *locupletium* et *locupletum*.

QUARTÆ

Currum, *passum*, pro *curruum*, *passuum*.

Primæ declinationis nomina quæ imminuuntur, aut sunt patronymica, ut *Æneades*, *Dardanides*, *Ausonides*; aut composita ex verbis, ut *cœlicola*, *Trojugena*, *Grajugena*; exempla crebra sunt apud Virgilium et alios poetas.

Secundæ declinationis non solum substantiva imminuuntur, ut *socium*, *denarium*, *divum*; sed etiam adjectiva, ut *meum*, *magnanimum*, præcipue quæ distributiva appellantur, ut *quinum*, *senum*, *septenum*, *denum*, idque etiam apud oratores. In Verr. act. II, l. II, c. 48, 122, invenies *senum*, *septenum*, *denum*. Plin., l. IX, c. 48, 5 : « In nostro mari loligines *quinum* cubitorum, sepiæ *binum*. » Nonius Marcellus, de Numeris et Casibus, c. 9, 1, ait accusativum singularem poni pro genitivo plurali. Plaut., Persa, act. III, sc. 2, v. 62 :

> Pol, *deum* virtute dicam, et majorum *meum*.

Lucret., l. VI, v. 643 :

> Flammæ tempestas *Siculum* dominata per agros.

Terent., Hecyr., Prolog. II, v. 22 :

> Prope jam remotum injuria *adversariûm*.

Varro, de Vita pop. Rom., l. IV (1) : « Hortensius supra decem millia *cadum* hæredi reliquit, medimnum vini mille *cadum*. » M. Tullius, de Offic., l. III, c. 23, 92 : « An emat denario, quod sit mille *denariûm*. » In his et in aliis hujus generis putat Nonius accusativum pro genitivo poni. Idem videtur Quintiliano, l. I, c. 6, 18, significare, ubi reprehendit quosdam analogiæ nimium tenaces, aut certe de eorum sententia loquitur. « Idem, inquit, centum millia *nummum*, et fidem *deum*; ostendant duplices solœcismos esse, quando et casum mutant et numerum. » Mirum est id in mentem venisse Nonio, cum eodem loco ex Accio hoc exemplum ponat :

> Ab classe ad urbem tendunt, neque quisquam potest
> Fulgentium *armum* armatus ardorem obtui;

et ex Turpilio :

> In Caliphonis nunc te miseræ *liberum*.

Quis enim unquam accusandi casu numero singulari vidit *armum* aut *liberum*? Fortasse, inquies, priscis temporibus hæc etiam numero singulari fuisse in usu. Sit ita sane. Cicero tamen in Oratore, c. 46, 155, imminuta esse docet. « Atque etiam, inquit, a quibusdam sero jam emendatur antiquitas, qui hæc reprehendunt : nam pro *deûm* atque hominum fidem, *deorum* aiunt. Ita credo. Hoc illi nesciebant, an dabat hanc consuetudo li-

(1) Voss., l. IV, c. 6, ait reperiri l. I. — Nonius Marcellus, c. 15, hæc verba affert ex lib. III.

centiam. Itaque idem poeta qui inusitatius contraxerat :

Patris mei *meûm factûm* pudet,

pro *meorum factorum ;*

Texitur : *exitiûm* examen rapit,

pro *exitiorum;* non dicit *liberûm*, ut plerique loquimur, cum *cupidos liberum*, aut, *in liberum loco* dicimus, sed ut isti volunt :

Neque tuum unquam in gremium extollas *liberorum* [ex te genus.

Et idem :

Namque Æsculapi *liberorum*....

At ille alter in Chryse, non solum :

Cives antiqui amici majorum *meûm*,

quod erat usitatum, sed durius etiam :

Consiliûm socii, *auguriûm* atque *extûm* interpretes.

Idemque pergit :

Postquam *prodigiûm horriferûm*, *portentûm* pavos;

quæ non sane sunt in omnibus neutris usitata. Nec enim dixerim tam libenter *armûm judicium,* etsi est apud eumdem :

Nihilne ad te de judicio *armûm* accidit?

quam *armorum*. Jam, ut Censoriæ tabulæ loquuntur, *fabrûm* et *procûm* audeo dicere, non *fabrorum* et *procorum*. Planeque, duorum *virorum* judicium, aut *Triumvirorum* capitalium, aut *Decemvirorum* litibus judicandis dico nunquam; atqui dixit Attius :

Video sepulchra dua *duorum corporum.*

Idemque :

Mulier una *duûm virûm.*

Quid verum sit intelligo; sed alias ita loquor, ut concessum est, ut hoc vel Proh *deûm* dico, vel Proh *deorum;* alias, ut necesse est, cum trium *virûm*, non *virorum ;* quum sestertium *nummûm*, non *nummorum*, quod in his consuetudo varia non est. » Hæc ad verbum descripsimus, et ut intelligeres id quod propositum erat, et quatenus hac imminutione utendum sit.

Tertiæ declinationis imminutio latius patet : *cladum, cædum, veprum, cœlestum, agrestum, Macedum*, etc., hujus formæ, fere poetarum sunt. Sil., l. I, v. 41 :

Turbine mox sævo venientum haud inscia *cladum.*

Idem, l. IV, v. 351 :

Exoritur rabies *cædum*, ac vix tela furori
Sufficiunt.

Ovid., Fast. V, v. 187 :

Cum tua sint, cedantque tibi confinia *mensum*,

pro *mensium*. — Lucan., l. V, v. 2 :

In *Macedum* (2) terras, miscens adversa secundis.

Ovid., Metam. I, v. 150 :

Ultima *cœlestum* terras Astræa reliquit.

Ruentum, furentum, potentum, et alia hujus generis duriora, ferme poetarum. Virg., Æn. XI, v. 886 :

. . . . . Oriturque miserrima cædes
Defendentum armis aditus inque arma *ruentum*.

Ibid., v. 838 :

. . . Juvenum in clamore *furentum.*

Nominum in *as*, etiam substantivorum, genitivus apud veteres in *ium* exibat, ut *civitatium, utilitatium;* quo pacto et Livius, l. XLV, c. 3, loquitur : « Responsum ab senatu esse Rhodios neque *utilitatium* Græciæ, neque cura impensarum populi Romani; sed pro Perseo legationem eam misisse. » Ibid., c. 23 : « Tam *civitatium* quam singulorum hominum mores sunt. » Ibid., c. 34 : « Senatum prædam Epiri *civitatium*, quæ ad Persea defecissent, exercitui dedisse. » Idem docet M. Varro, de Ling. lat., VIII, 66 : « Item quod in patrico casu hoc genus dispariliter dicatur *civitatum, parentum*, et *civitatium, parentium.* »

Apum usitatius est quam *apium*. Plin., l. XI, c. 7, 1 : « Hic erit *apum* dum operantur cibus. » Idem, ibid., c. 11, 1 : « Et quasi servitia verarum

(2) Sic antiquæ edit. — Didot, Lemaire : *Macetûm*, et sic habere plerasque edit. annotat Forcellini.

apum (3). » Columel., l. IX, c. 3, tum *apium*, tum *apum* dicit. Ibid., c. 6 : « Quod ipsarum *apium* causa fieri debet. » — *Serpentium* frequentius apud Plinium quam *serpentum* leges, l. XX, c. 23, 2 : « Allium ad *serpentium* quidem ictus potum cum restibus suis efficacissime, etc. » Et l. XXVIII, c. 6, 1; l. V, c. 8, 3; l. XXIX, c. 11, 7, et c. 38, 4. Idem *serpentum* dixit l. VIII, c. 1, 6 : « *Serpentum* morsus non petit serpentes; » et c. 2, 5 : « Varro etiamnum esse paucos ibi, quorum salivæ contra ictus *serpentum* medeatur. » Ibid. : « *Serpentum* (4) ictus contactu levare solitos. »

Livius, l. I, c. 33, *Quiritium* frequenter dicit : « *Quiritium* quoque fossa, etc. » Cicero *Quiritium*, pro Cæcin., c. 33, 96 : « Qui enim potest, jure *Quiritium*, liber esse is qui in numero *Quiritium* non est? » Idem *optimatium* frequentius dicit; ad Att., l. X, ep. 9, 5 : « Quod si te aut voces *optimatium* commovent, aut, etc. » Idem, de Leg., l. II, c. 12, 30 : « Consilio et auctoritate *optimatium* indigere. » Idem, Att., l. I, ep. 20, 3, *optimatum* dixit : « Illud tamen velim existimes, me hanc viam *optimatum* (5) post Catuli mortem nec præsidio ullo, nec comitatu tenere. » Idem ad eumdem, l. VII, ep. 7, 7 : « Nec in cæde principum clementiorem hunc fore, quam Cinna fuerit; nec moderatiorem, quam Sylla in pecuniis *locupletium*. » Idem ad eumdem, l. VIII, ep. 1, 3 : « Etsi propediem video bonorum, id est, lautorum et *locupletum* (6) urbem refertam fore. »

Genitivus quartæ declinationis raro imminuitur. Virg., Æn. VI, v. 653 :

> . . . . . Quæ gratia *currum* (7)
> Armorumque fuit vivis.

Mart., l. II, epigr. 5, 3 :

> Sed duo sunt quæ nos distinguunt millia *passum*.

(3) Ita et Dalecampius; Lemaire, Teubner : *apium*.

(4) Ita Dalecampius; in his autem tribus Lemaire et Teubner : *serpentium*.

(5) Orellius et Teubner : *optimatem*; sed iidem habent II Invent., c. 17, 52 : « Et omnino contra voluntatem omnium *optimatum*. »

(6) Orellius, *locupletium*; Teubner, *locupletum*.

(7) Lemaire, Forbig. et Teubner scribunt *curruum*. Hic Servius : « Detraxit unum *u*, licentia qua latinitas, Græcos secuta, genitivo plurali, syllabam aut addit aut detrahit; hoc loco detraxit... Contra alibi addidit : Alituum pecudumque genus; sicut Græci Μουσάων Ἑλικονιάδων. » — Et in Var. Lect. : « Sunt antiqui libri, Mediceus et alii, in quibus *curruum* integra dictione scriptum habeatur. » (Edit. Basil. 1561.)

ANOMALA, SIVE INÆQUALIA

197. *Anomala*, sive *inæqualia*, vocantur quæ aut numero, aut genere, aut declinatione, aut casu, aut aliquo alio attributo deficiunt.

NUMERO INÆQUALIA

Quædam singulari numero tantum declinantur, ut *nemo*, *lutum*, et pleraque eorum quæ metimur aut ponderamus, ut *triticum*, *oleum*, *aurum*, *ferrum*.

Quædam plurali solum, ut *cani*, *canorum*; *penates*, *penatium*; *castra*, *calendæ*.

GENERE INÆQUALIA

Quædam singulari numero sunt masculina, plurali neutra, ut *sibilus*, *sibila*; *balteus*, *baltea*.

Quædam singulari feminina, plurali neutra, ut *Carbasus*, *Carbasa*.

Quædam singulari neutra, plurali masculina, ut *Argos*, *Argi*, *Argorum*.

DECLINATIONE INÆQUALIA

Vas, *vasis*, singulari numero est tertiæ declinationis; plurali, secundæ, ut *vasa*, *vasorum*, *vasis*.

Jugerum, *jugeri* contra numero singulari secundi est ordinis; plurali, tertii : *jugera*, *jugerum*, *jugeribus*. Interdum et *jugeris* genitivo singulari, et *jugere* ablativo legitur.

CASU INÆQUALIA

Quædam non declinantur in casus, ut *frugi*, *nihili*, *pondo*, quod numerum pluralem tantum habet, cum libram significat; item *quatuor*, *quinque* et cætera usque ad centum, quæ *aptota*, sive *monoptota*, appellantur.

Quædam vocativo carent, cujusmodi sunt interrogativa, ut *quis*, *qualis*; relativa, ut *qui*, *quæ*, *quod*; negativa, ut *nemo*, *nullus*; partitiva pleraque, ut *quidam*, *ullus*, *alius*. Pronomina etiam, præter *tu*, *meus*, *noster*, *nostras*, ferme vocandi casu destituuntur.

Quædam nominandi, interrogandi et accusandi casum tantum habent, ut *tantumdem*, *tantidem*.

Quædam nominativum et vocativum, ut *Jupiter*, *exspes*.

Quædam obliquos tantum, ut *Jovis*, *Jovi*, *Jovem*, *Jove*.

Quædam tres solum obliquos : *opis*, *opem*, *ab ope*.

Quædam duos, ut *repetundarum*, *ab his repetundis*.

Quædam unum, ut *inficias*, *sponte*, *natu*.

DE ANALOGIA ET ANOMALIA

198. Quoniam de *analogia*, quam *proportionem* plerique, Varro, l. VIII, sæpius ac *fere similitudinem* appellat; et *anomalia*, quam idem Varro *dissimilitudinem* vocat, a grammaticis sæpe mentio fit, non ab re fuerit pauca de utraque dicere.

Analogia est similium similis declinatio; *anomalia* est inæqualitas declinationum, consuetudinem sequens; illa præceptis nititur, hæc consuetudine; illa attributorum accidentiumque partium orationis consensum, casuumque similem exitum anxie requirit; hæc nihil minus curat. Dicam apertius : hæc, *doctus* et *eruditus*, sunt analoga, sive analogica, et, ut loquamur latine cum Varrone, similia, aut cum Quintiliano, l. IX, c. 3, 74, paria; nam exeunt in *us* syllabam, omnes casus, utrumque numerum habent, ejusdem sunt generis, ejusdem figuræ, ejusdem speciei, ejusdem declinationis, ex utroque deducuntur comparativa et superlativa, adverbia ejusdem exitus, *docte*, *erudite*. *Lupus* et *lepus* prima specie similia videntur; sunt enim positione, qualitate, figura, specie, numero paria; declinatione tamen dissimilia et derivatione, quia a *lupo* fit *lupa*, a *lepus* non fit *lepa*. Item genere, quia *lepus* epicœnum est, *lupus* masculinum. Analogia deprehendimus genus et declinationem; ut si interrogeris sitne *funis* masculinum an femininum, respondebis esse masculinum, quod *panis* ei simile sit masculinum. Item si rogeris dicendumne sit casu ablativo *vectigale* an *vectigali*, respondebis *vectigali*, ut *animali*, quod ei simile est. Si quis præterea ex te quærat cujus generis sit *ignis*, *funis*, dices masculini; *igniculus* enim et *funiculus* inde deducta ostendunt esse masculina; *navis* vero et *febris* dices esse feminina, nam *navicula*, *febricula* feminina sunt. Itaque analogia incerta certis probat. Est tamen fallax et captiosum argumentum : sæpe enim decipit.

Multi tum Græci, tum Latini, de analogia et anomalia scripserunt, quorum alii illam, alii hanc summa vi defenderunt. Qui anomaliam dissimilitudinemque tuentur, consuetudinem aiunt dominari, neque ullam esse observationem similium, sicuti cum dicimus *lupus*, *lupi*; et *lepus*, *leporis*; *fortitudo*, *fortitudinis*; et *unedo*, *unedonis*; *cuspis*, *cuspidis*; et *puppis*, genitivo *puppis* : habent enim hæc in obliquis diversos exitus, quamvis positione sint similia. Idem in verbis docent : nam *amo*, *amavi*; *lavo*, *lavi*; *mico*, *micui*; *juvo*, *juvi*; *do*, *dedi*, cum primæ sunt conjugationis, præteritis tamen vehementer dissentiunt. Sic *doceo*, *docui*; *video*, *vidi*; *suadeo*, *suasi*; *lugeo*, *luxi*; *fleo*, *flevi*. Et verba *go* finita varia habent præterita : *pingo*, *pinxi*; *pungo*, *pupugi*; *spargo*, *sparsi*. Unde Quintilianus, l. I, c. 6, ait analogiam non esse legem loquendi, sed observationem; adeo ut ipsam analogiam nulla res alia fecerit quam consuetudo. Contra, qui analogiam tuentur, multa congerunt similia, ut analogiam anomaliæ anteponendam esse doceant. Varro, libro de Lingua latina ad Ciceronem (qui liber non extat), docet nullam esse observationem similium, in omnibusque pene verbis consuetudinem dominari ostendit. Lege Gellii l. II, c. 25, de analogia et anomalia. Idem tamen Varro sex libros de analogia scripsit, quorum nunc tres tantum, iique laceri et mutili extant, in quibus, quæ contra analogiam, quæ item contra anomaliam dicerentur, scripsit, suamque sententiam exposuit ac docuit quæ esset declinatio voluntaria, quæ naturalis, quodnam esset analogiæ fundamentum; definivit quæ essent similia, quæ dissimilia, tres analogiæ definitiones attribuit, a quo primam mutuatus est Gellius, qua etiam paulo ante usi sumus. Sed de analogia hactenus.

199. Grammatici multa anomala congerunt, quæ sine ulla jactura prætermitti possunt, maxime cum multa contra eorum præcepta apud idoneos auctores legantur. Itaque putavimus anomalorum genera, uno aut altero posito exemplo, attingenda.

Aptota, hoc est, sine casibus; *monoptota*, id est, quæ unum tantum habent casum. Dicuntur aptota, quia, ut Diomedes, l. I, p. 287, inquit, a prima sui positione non cadunt. Monoptota vero, quia casus nominandi non differt a cæteris; nam dicimus *homo frugi*, *hominis frugi*, *homini frugi*, *hominem frugi*, *o homo frugi*, *ab homine frugi*. Quæ Donatus vocat aptota, id est, ut ipse definit, edit. II, p. 1749, quæ neque per

casus, neque per numeros declinantur, eadem ipsa Probus, l. II, p. 1465, appellat monoptota. Diomedes vero monoptota vocat, quæ, ut idem ait, per ablativum tantummodo enuntiantur, *sponte*. Priscianus, l. V, pp. 669 et 672, ait aptota esse proprie quæ nominativum tantum habent, qui plerumque et vocativus invenitur, ut *Jupiter*, et non accipitur etiam pro obliquis; non enim *Jupiter* pro genitivo aut aliis obliquis accipitur. Monoptota vero esse quæ pro omni casu una eademque terminatione funguntur, qualia sunt nomina literarum, et numerorum a *quatuor* usque ad *centum*, in quibus fiunt casus non vocis, sed significationis. Ibidem ait antiquos aptota pro monoptotis, et contra monoptota pro aptotis posuisse. Idem *diptota* vocat nomina quæ duos diversos casus tantum habent, ut *fors, forte; triptota*, quæ tres casus diversos habent, qualia sunt neutra secundæ declinationis numeri singularis; *tetraptota*, quæ quatuor diversos habent casus, ut *puer, pueri, puero, puerum; pentaptota*, quæ quinque habent diversos casus, ut *Virgilius, Virgilii, Virgilio, Virgilium, Virgili; hexaptota*, quæ sex habent diversos, ut *unus, unius, uni, unum, une, ab uno*. Sic *solus, solius*, etc. Utrumque enim vocativum habet, ut ibidem veterum testimoniis idem probat. Primam formam *casualem* appellat Probus, l. II, p. 1478, *unariam*; Diomedes, l. I, p. 286, *unicam* vel *simplicem*; secundam ille *binariam*, hic *bipartitam*; tertiam uterque *ternariam*; quartam *quaternariam*; quintam *quinariam*; sextam *senariam*. Varro, de ling. Lat. l. VII; l. VIII, 33, 47; l. IX, 40, 41, vocat nomina primæ formæ quæ unum solum habent casum; tertiæ, quæ tres; quartæ, quæ quatuor; quintæ, quæ quinque; sextæ, quæ sex. Idem, l. II, casuum exitus appellat *figuras*. « Dicunt, inquit, ipsi alia nomina, quod quinque habent figuras, habere quinque casus, etc. (1) » Sed neque in primo, neque secundo meminit secundæ formæ : nulla enim sunt apud Latinos nomina hujus formæ, nisi forte sint anomala, ut *repetuudarum, repetundis, fors* a *forte* : hæc enim duas tantum habet figuras, sive casus diversos, sive diversos exitus terminationesque casuum. Nam quod Probus, l. II, p. 1474, et Diomedes, l. I, p. 286, aiunt, nomina singularia quartæ declinationis, ut *cornu*, *genu*, hujus esse formæ, quod ultima nominativi, accusativi et vocativi corripiatur, genitivi vero, dativi et ablativi producatur; non videtur satis esse ad constituendam formam binariam, cum eadem sit figura, idemque exitus omnium casuum. Itaque potius ad primam formam hæc pertinent, cum unum tantum habeant casum, ut more Varronis loquar, hoc est, unam figuram terminationemque omnibus casibus communem; in qua sententia est Nonius Marcellus, c. 8, 26, de Mutata Declinatione, ubi *gelu* monoptoton appellat. Priscianus etiam, l. VI, p. 685, *cornu* et id genus cætera monoptota vocat. Sitne *u* breve nominandi, accusandi atque vocandi casu, postea viderimus.

Apud priscos *vasum, vasi* secundi ordinis fuit, unde *vasa, vasorum*. Cato apud Gellium, l. XIII, c. 23 : « Neque mihi ædificatio, neque *vasum*, neque vestimentum ullum est manupretiosum. » Plaut., Trucul. act. I, sc. 1, v. 33 :

> . . . Aut aliquod *vasum* argenteum.

Mela, l. III, c. 5 : « Plus *jugeris* (2) spatio sublimis. » Tibul., l. II, eleg. 3, v. 44 :

> Ut multo innumeram *jugere* pascat ovem.

Varro, l. I, de Re rust., c. 10, *jugeris* ablativo dixit pro *jugeribus*.

Non omnia partitiva vocandi casu carent; cur enim *omnis* vocativo privetur? *Aliquis* etiam in illo Virgilii, Æn. IV, v. 625 :

> Exoriare *aliquis* nostris ex ossibus ultor;

non video cur vocativus non sit; item in illo Ciceronis, pro Flac., c. 40, 102 : « O *nox illa* quæ pene æternas huic urbi tenebras attulisti, » vocative dictum videtur. Qui, inquit Probus, l. II, p. 1458, declinat *hic Jupiter, hujus Jovis*, potest et *hic Phœbus, hujus Apollinis*; et *hæc Minerva, hujus Palladis* declinare. *Jovis* apud priscos, ut Priscianus, l. VI, p. 695, testimoniis eorum confirmat,

(1) VIII et IX, 52. — In hoc ultimo Muller omisit *quod quinque habent figuras*; servaverat Spengel., l. IX, 36.

(2) Sic edit. H. Stephani 1577, et Voss., l. III, c. 44 : « Sic enim, ait, est in Mssis melioribus et optimis editionibus, uti illa Andreæ Schotti. » — *Jugeri* scripsit D. Nisard.

etiam nominativo casu dicebatur. — *Spontis* dixit Colum., l. IX, c. 4 : « Est enim sativa, et altera *suæ spontis.* » Cels., l. I, c. 1 : « Sanus homo qui et bene valet et *suæ spontis* est, nullis obligare se legibus debet. » Quintilianus, l. I, c. 6, 26, meminit anomalorum : « Cum illud, inquit, etiam accidat, ut quædam pluraliter non dicantur, quædam contra singulari numero, quædam casibus careant, quædam a primis statim positionibus tota mutentur, ut *Jupiter.* Quod verbis etiam accidit, ut *fero, tuli;* cujus præteritum perfectum et ulterius non invenitur. Nec plurimum refert, nulla hæc an prædura sint. Nam quid *progenies* genitivo singulari, quid plurali *spes* faciet? » Lege Gellium, l. XIX, c. 8, ubi multa dicuntur de anomalis ex libris de Analogia C. Cæsaris.

DE

VERBORUM PRÆTERITIS ET SUPINIS

200. Simplicium leges ferme conjuncta sequuntur [1].
Hinc pauca excipiam, memori quæ mente repones.

[1] Ut *lego, perlego.*

In verborum copulatione, aut verbum et præpositio manent integra, ut *concurro, adjungo;* aut utrumque corrumpitur, ut *colligo, allido;* aut præpositio manet integra corrupto verbo, ut *excido, deprimo;* aut contra verbum manet integrum corrupta præpositione, ut *colludo, compono.* Qua de re agit Diomedes, l. I, p. 276; Donatus, edit. II, p. 1757, Priscianus, l. VIII, p. 829. Illi bipartitam aiunt esse verbi figuram; sunt enim verba aut simplicia aut composita; hic addit decomposita verba, quæ nimirum ex verbis jam compositis rursus componuntur, ut *repercutio, subinvideo.* Cicero in Oratore, c. 45, 154 et seqq.; Quintilianus, l. I, c. 7, 6; Gellius, l. II, c. 17, nonnulla etiam de hac compositione scripserunt. Primo, quanta maxima potero brevitate, dicam de verbis quæ in compositione corrumpuntur, deinde de ipsis præpositionibus.

A in *E* mutant composita ex verbis *Damno, halo, lacto, mando, patro, sacro, tracto, arceo, carpo, fallo, farcio, gradior, pario, patior, partio, scando, spargo,* ut *condemno, anhelo, delecto, commendo, impetro,* etc. Pauca admodum retinent *a,* ut *exhalo;* ex *partio* fit *impartio* et *impertio;* a *tracto, pertracto, retracto;* sed hæc et alia id genus usu discenda sunt.

A in *I* mutant quæ fiunt ex verbis *Amico,* ut *inimico,* et *inimicor, aris; maneo* adjunctis præpositionibus *e, in, præ, pro; taceo, placeo, habeo, lateo, fateor,* et ex *lacio,* verbo prisco, composita, ut *allicio, elicio; jacio, facio, sapio, rapio, capio, cado, ago, frango, tango, pango, cano, salio, statuo.* Excipe *complaceo, perplaceo, perago, circumago, satago, dego, cogo, repango,* et composita ex *facio,* si ex verbis componantur, ut *tepefacio, calefacio.*

A in *U* mutant quæ ex verbis *Quatio, salto, calco, scalpo,* ut *excutio, insulto, inculco, insculpo,* et unum ex *capio, occupo, as,* si grammaticis habenda est fides; nam *occipio* a *capio* fit; *occupo* videtur potius ex verbo obsoleto *cupo* compositum. Diomedes, l. I, p. 374, docet *scalpo,* non *sculpo* dicendum esse: gemmam *scalptam,* non *sculptam;* adjecta tamen præpositione, *insculpo,* et *insculptam* gemmam dicendum esse. Phocas tamen, p. 1715, et *scalpo* et *sculpo* posuit inter verba quorum præterita exeunt in *psi.* Priscianus, l. X, p. 884, tum *scalptum,* tum *sculptum* a præteritis *scalpsi* et *sculpsi* posuit.

E IN *I* MUTANT QUÆ EX VERBIS *Teneo*, *sedeo*, *rego*, *lego*, *is*, *emo*, *premo*, *specio*, verbo prisco, ut *aspicio*. Excipe *relego*, et *perlego*, et *coemo*.

U IN *E* BREVE MUTANT *Dejero*, *pejero*, a *juro*.

Dejuro apud Plautum aliquoties reperitur, in Rud. act. V, sc. 2, v. 49, et in Casin. act. III, sc. 5, v. 37; *perjuro* non solum apud eumdem, sed etiam apud Horatium, l. II, sat. 3, v. 127 :

. . . . . Quare,
Si quidvis satis est, *perjuras*, surripis, aufers
Undique?

et apud Ovidium, Amor. III, 11, 22 : « *perjuratos* deos; » cætera semper *u* simplicis retinent, ut *adjuro*, *conjuro*.

Nonnullæ diphthongi etiam in vocales migrant.

Æ IN *I* LONGUM MUTANT quæ fiunt ex verbis *cædo*, *lædo*, *quæro*, ut *concido*, *allido*, *exquiro*.

AU IN *O* MUTANT quæ ex verbo *plaudo*, ut *explodo*, *complodo*, *supplodo*. Excipe *applaudo*. *Plodo* apud priscos pro *plaudo* dicebatur; vide Diomedem, l. I, p. 378.

AU IN *U* MUTANT quæ ex verbo *claudo*, ut *excludo*, *concludo*; vel fiunt a *cludo*, nam utroque modo dicitur.

AU IN *E* LONGUM unum mutat compositum ex verbo *audio*, *obedio*.

Composita quæ mutant *a* in *i* sive *e*, in supino habent *e*, ut *jacio*, *rejicio*, *rejectum*; *spargo*, *conspergo*, *conspersum*. Excipiuntur *go* syllaba finita, quæ *a* simplicis servant, ut *ago*, *frango*, *tango*; ut enim dicimus *actum*, sic *exigo*, *exactum*; ut *fractum*, ita *effractum*. *A* etiam retinent composita ex *cado*, ut *recasum*, *incasum*. Composita tamen ex *habeo*, *i* habent in supino, ut *exhibitum*; ex *salio* et *statuo*, *u*, ut *insultum*, *constitutum*. *Sapio* et ejus composita non videntur habere supina. Hæc præceptio his tribus versiculis continetur :

Simplicis *a* retinent tum *go* finita supini,
Tum *cado* quæ gignit; reliquis *e* contulit usus.
Hinc *habeo*, *salio* *statuo*que auferre memento.

Quos, si volet, explicabit præceptor, postquam de præteritis et supinis omnium verborum egerit.

201. Ex præpositionibus quædam interdum partem sui amittunt. *Con*, *n* sequente vocali, literam *n* abjicit, ut *coemo*, *cohæreo*, *coopto*, *cogo*; in quorum postremo etiam *a* verbi simplicis extritum est, *ago*; vel potius *o* et *a* in *o* longum coaluerunt. Quidam ex recentioribus hic præpositionem *cum* esse putat, non *con*, et literam *m* cum vocali præcedente fuisse extritam. Verum Quintilianus, l. I, c. 5, 69, *con* esse docet, non *cum*. « Frequenter autem, inquit, præpositiones quoque copulatio ista corrumpit; inde *abstulit*, *aufugit*, *amisit*, cum præpositio sit *ab* sola; et *coit*, cum sit præpositio *con* : sic *ignavi* et *erepti*. » Idem, c. 6, 17 : « Inhærent tamen quidam molestissima diligentiæ perversitate, ut *audaciter* potius dicant quam *audacter*, licet omnes oratores aliud sequantur; et *emicavit*, non *emicuit*, et *conire*, non *coire*. » Non dixit Quintilianus, ut vides, *cumire*, sed *conire*. Lege Gellium, l. II, c. 17.

Ab, in *amitto*, *b* amisit, ut ex Quintiliano modo vidisti. *Ob*, in *omitto*, *operio*, eamdem amisit.—*Ad* *d* in *aperio* et in verbis quorum prima est *s* litera, ut *aspiro*, *ascendo*, *asto*. Quidam tamen maxime antiquarii malunt *adspiro*, *adsto* scribere.— *Trans* duas ultimas literas fere abjicit, si verbis adjungatur quorum prima est *d*, vel *i*, vel *n*, ut *trado*, *trajicio*, *trano*; legitur et *transduco*, *transjectus* apud idoneos auctores. — *Abs*, in *asporto*, *b* abjicit, ut Priscianus, l. II, p. 571, docet.

Quædam literam aliquam adsiscunt euphoniæ

causa : sic *pro* et *re* sequente vocali *d* intercipiunt, ut *prodeo, prodigo, redamo, redeo, redimo, redoleo. Am, b,* ut *amburo, ambio, ambigo.*

Quarumdam ultimæ consonantes fiunt similes primis verborum quibus adhærent : sic *ad* mutat *d* in *c, f, g, l, n, p, r, s, t,* ut *accipio, afficio, aggredior, alludo, annumero, appono, arrodo, assideo, attingo.* — *Ob,* in *b, c, f, g, p,* ut *obbibo, occurro, offundo, oggannio, oppono.* — *Sub, b* in *c, f, g, m, p, r,* ut *succurro, sufficio, suggero, summitto, suppeto, surripio.* — *In* et *con,* sequentibus *l, n, r,* in easdem migrant, ut *illudo, innitor, irrideo, colligo, connecto, corripio.* Interdum tamen maxime apud antiquarios reperiuntur integræ præpositiones, ut *adfero, adsideo, adnitor, adcresco, conrado, conloquor, inlicio.* — *Sub,* sequente *m,* fere manet integra, ut *submitto, submoveo, submergo;* quidam tamen malunt *summitto* scribere. In verbo *agnosco d* abjicitur, et in *cognosco, n;* vide Diomedem, l. I, p. 378; nam veteres *gnosco, gnovi* dicebant. Idem sentit Priscianus, l. II, p. 569 : « Est, inquit, quando *n* principalis syllabæ ante se assumit *g,* ut *natus, gnatus, notus, gnotus* antique, unde *ignotus; nosco, gnosco, novi, gnovi.* » Idem tamen, l. I, p. 556, ait *n* mutari in *g,* ut *ignosco, ignavus, ignotus, ignarus, ignominia, cognosco, cognitus.* Sed sententiæ incertus subjungit : « Potest tamen in quibusdam eorum etiam per concisionem adempta *n* videri, quia in simplicibus quoque potest inveniri per adjectionem *g,* ut *gnatus, gnarus.* » Quidam ex recentioribus a verbo γινώσκω putat γνώσκω, *gnosco* factum. Fortasse videar tibi nimium grammaticus; audi de eadem re principem oratorum in Oratore, c. 47, 158 : « *Noti,* inquit, erant et *navi* et *nari,* quibus quum *in* præponi oporteret, dulcius visum est *ignoti, ignavi, ignari* dicere, quam ut veritas postulabat. » Quintilianus in eadem est sententia; lege locum quem paulo ante attulimus. Sed redeamus ad reliquas præpositiones. — *Inter,* si grammaticis credimus, *r* mutavit in *l,* præposita verbo *lego, intelligo* quasi *interlego.* — *Per* adjecta verbo prisco *lacio* genuit *pellicio,* quod et *perlicio* aliquoties apud Livium legitur, l. IV, c. 15, l. XXXI, c. 27; unde *perlecto, as,* frequentativum; item *pelluceo,* quod et *perluceo* dicitur.

Quædam ultimas consonantes mutant in diversas ab iis quibus præponuntur : sic *con, in,* præpositæ literis *b, m, p,* mutant *n* in *m,* ut *combibo, committo, compono, imbibo, immitto, impono.* Aliquando interponitur *b,* ut *comburo.* Interdum *n* migrat in *m,* nulla harum trium literarum interposita, ut *comedo.* — *Ab,* præposita verbis *fugio* et *fero, b* mutat in *u, aufugio, aufero;* hujus præpositionis meminit Cicero in Oratore, c. 47, 158.

Ex, præposita dictioni incipienti a vocali, aut consonantibus *c, p, q, s, t,* manet integra, ut *exaro, exoro, excutio, expono, exquiro, exscribo, extenuo.* Præposita *f,* in eamdem fere migrat, ut *efficio, effundo;* ante cæteras consonantes locum habet *e,* ut *educo, eludo, emitto, enarro, eripio, eruo, eveho, ejicio.*

Dis et *di* idem significant, ut inquit Priscianus, l. XIV, p. 1002, ut *ab* et *abs. Dis* præponitur verbis incipientibus a literis *c, p, q, s, t* et *i* consonante, ut *discumbo, dispono, disquiro, dissolvo, dissideo, distraho, disjicio, disjungo;* reperitur apud Ciceronem et *dijungo,* ad Atticum, l. VII, ep. 1, 9 : « Redeamus domum; *dijungere* me ab illo volo; » et Divinat., l. II, c. 36, 77 : « Jumenta *dijungere.* » Excipe *dijudico.* Dum vero literæ *f* præponitur, in eamdem migrat, ut *diffundo, diffido.* Cæteris consonantibus præponitur *di,* ut *diduco, diligo, dimico, dinumero, dirigo, dirumpo.* Terent., Adelph. act. III, sc. 3, v. 370, *disrumpor* ait, quo verbo utuntur homines vehementer irati; ubi tamen *dirumpor* legunt quidam. *Disraro* est apud Columel., l. IV, c. 32.

Am, præpositio græca (facta enim est ex ἀμφί, de qua in Rudimentis egimus), cum dictionibus incipientibus a vocalibus *a, e, i, u* præponitur, *b* euphoniæ causa intercipit, ut *ambages, ambesus, ambigo, amburo;* cum vero consonantibus *h, q,* mutat *m* in *n,* ut *anhelo, anquiro;* cum *p,* manet integra, ut *amputo.*

Hactenus de verborum compositione; neque enim putavi eam usui omnino committendam, qui, quamvis sit optimus magister, a paucis tamen, ut par est, colitur, et a plerisque in medio cursu deseritur.

202. Deinceps de præteritis supinisque agendum est. Præteriti vocabulum sæpe invenies apud Varronem, nonnunquam apud Quintilianum, l. I, c. 6, 10 : « Quia, inquit, prima positio *paciscor* cum haberet naturam patiendi, faceret tempore præterito *pactus sum.* » Eodem capite, 26 : « Quod verbis etiam accidit, ut *fero, tuli;* cujus præteritum perfectum et ulterius non invenitur. » Obiter locu-

tionem notabis : *Amo* facit tempore præterito *amavi*. Sic Probus de Catholicis verborum, p. 1480, solet loqui.

Supini vocem nondum inveni apud Varronem, Quintilianum, Gellium et reliquos hujus classis. Probus, Phocas, Diomedes, de præteritis verborum tantum egerunt. Priscianus de utrisque copiosissime. Quid supinum apud Probum, Phocam, Diomedem, Donatum significet, invenies in Supini tum declinatione, tum constructione.

Cum geminat primam simplex, composta priorem
Præteriti amittunt [1]; præter *præcurro*, *repungo*.
Quæque sibi gignunt, *sto*, *do*, cum *poscere*, *disco*.
Præteritis quæcumque carent, spoliato supinis,
Ut *glisco*, *vergo*, *ferio*, cum *polleo*, *vado*.
Ambigo, cum *satago*, *quæso*, quibus *hisco*, *fatisco*,
Et *furit*, et *mœret*, tum *aveo*, tum *ringor* et *aio*,
Et *vescor*, *liquor*, *medeor*, *reminiscor* adauge.

[1] Ut *tendo, tetendi; extendo, extendi.*

Decurro, excurro, procurro, interdum primam geminant. Suetonius, in Nerone, c. 11 : « Notissimus eques Romanus elephanto supersedens per catadromum *decucurrit.* » Livius, l. II, c. 17 : « Quum plures igni quam ferro armati *excucurrissent,* cæde incendioque cuncta complent. » Suetonius, in Galba, c. 18 : « Cumque exterritus luce prima ad expiandum somnium, præmissis qui rem divinam appararent, Tusculum *excucurrisset,* nihil invenit, præter tepidam in ara favillam. » Livius, l. XX, apud Priscianum, l. X, p. 901 : « Et si ferocius *procucurrissent.* » *Repungo,* ut placet Capro, apud Priscianum, eodem libro, p. 894, cum significat *vicissim pungere,* facit *repupugi;* cum vero ad rationes refertur, *repunxi;* neutrum adhuc, si bene memini, apud veteres legi.

Prisci Latini solebant *peposci, memordi, pepugi, cecurri,* secunda litera per *e*, scribere more Græcorum, qui suum παρακείμενον, hoc est, præteritum perfectum, hoc modo augent, γράφω, γέγραφα. M. Tullius et C. Cæsar, ut Gellius inquit l. VII, c. 9, *memordi, pepugi, spepondi* dixerunt.—*Vergo, verxi* leges apud Diomedem, l. I, p. 366, et *versi* apud Probum, de Catholicis verborum, p. 1486; sed neutrum videtur esse in usu. — *Vado* non habet *vasi,* quamvis habeant composita. — *Ambegi, sategi* tunc utare licet, cum apud idoneos auctores legeris. — *Quæso quæsivi* fecit apud vetustissimos, quos antiquarius Sallustius imitatus est; vide Priscianum, eodem libro, p. 902. — *Furo,* prima positio, jam exolevit. Priscianus, l. VIII, p. 843, affirmat *infio* et *furo* apud Varronem inveniri. — *Mœreo,* unde *mœror, mœrui* debuit facere; sed in usu non est, inquit Priscianus, l. VIII, p. 817. *Mœstus* enim nomen est, cum dicimus *mœstus sum,* de quo etiam in secunda conjugatione dicemus. — *Aveo* hic non salutare, sed concupiscere significat. — Probus, in Catholicis verborum, p. 1482, docet *aio* facere præterito *ai, aisti, ait;* apud D. Augustinum, antiquitatis scriptorumque veterum peritissimum, aiunt reperiri in Epist. 153, 2, et in Epist. 238, 6 (edit. Bened. 1679) secundam personam *aisti,* qua non video cur non utamur; prima tamen *ai* prorsus videtur exolevisse. — *Liceor* et *opperior* non carent præteritis. Cic., Verr. act. II, l. III, c. 33, 77 : « Herbitenses quum viderent, si ad Æschrionem pretium recidisset, se ad arbitrium libidinosissimæ mulieris spoliatum iri, *liciti sunt* usque eo quoad se efficere posse arbitrantur. » Terent., Phorm. act. III, sc. 2, v. 513 :

Si non tum dedero unam præterea horam, ne *oppertus* [*sies.*

Apud Plautum reperitur etiam *opperitus,* Mostel. act. III, sc. 2, v. 101 :

Seni non otium erat, id *sum opperitus.*

Inquam, inquis, inquit (nam *inquio* inusitatum est, et illud Ciceronis de Orat. l. II, c. 63, 256, quod affert Priscianus, l. X, p. 876 : « Attendere et aucupari verba oportebit, *inquio*, ut ea quæ sunt frigidiora vitemus, etc., » legitur ex vetusto codice *inquo*, et Diomedes, l. I, p. 375, docet *inquam* esse primam personam indicativi), hoc, inquam, verbum secundam personam habet præteriti. Cic., de Orat., l. II, c. 64, 259 : « Tu vero, *inquisti*, molestus non eris. » — De verbo *nideo* nullam fecimus mentionem, quod insolens videatur, neque video cur *renideo*, quod in usu est, non habeat *renidui*.

203. Insuper a verbo, seu nomine nata, *tepesco*,
Mitesco veluti, quorum de nomine lis est;
Aut certe capiunt a verbis unde trahuntur.
Adde quibus nomen vehemens meditatio fecit [1],
Esurit excepto; veterum monumenta revolve.

[1] Ut *cœnaturio, dicturio.*

Inchoativa verba, hoc est, quæ actionem quidem non incipientem, sed inchoatam ita significant, ut magis ac magis increscat, si a verbis fiant, ut *refrigesco, incalesco*, aut carent præteritis, aut certe a primogeniis ea mutuantur, ut *refrixi, incalui.* Sin a nominibus deducantur, prorsus videntur præteritis destitui, ut *ingravesco, mitesco, herbesco, silvesco.* Certant grammatici de nomine horum verborum, siquidem veteres *inchoativa*, juniores partim *exercitativa*, partim *augmentativa* appellant; de quibus fusius in Rudimentis. — *Dicturio, empturio*, et cætera quæ *meditativa* veteres grammatici ab assidua et vehementi meditatione sic appellarunt (quid enim aliud meditatur, quid cogitat aliud qui esurit, cœnaturit, quam cibum cœnamque?) fere præterito carent. Duo, *parturio, nupturio*, videntur *parturivi, nupturivi*, vel potius *parturii, nupturii* habuisse; sed desiderantur veterum testimonia. Apuleius in Apolog. (post medium) *nupturisse* dixit; qui licet interdum eleganter loquatur, non tamen inter classicos a doctis numeratur. *Esurio* etiam supinum habet. Terent., Heaut. act. V, sc. 3, v. 983 :

> Modo liceat vivere, est spes. *Cl.* Quæ? *S.* Nos *esuri-*
> [*turos* satis.

Scaturio, ligurio, abligurio, obligurio, non sunt meditativa, cum diversa sint et significatione et quantitate; nam *u* literam producunt. Horat., l. II, sat. 4, v. 79 :

> Tractavit calicem manibus, dum furta *ligurit;*

cum meditativa eamdem corripiant, *esŭrit, partŭrit, cœnatŭrit.*

PRIMA CONJUGATIO

204. Præteritum primæ facit *avi, atum*que supinum [1],
Ut *neco :* nam *necui, nectum* sibi pignora servant.
At *cubui, domui, crepui vetui*que [2] supina
Dant in *itum*, ut *cubitum;* hæc *tonui sonui*que [3] sequuntur.

[1] Ut *eneco, avi, atum*, et *enecui, enectum.* — [2] *Cubo, domo, crepo, veto.* — [3] *Tono, sono.*

M cubo cum recipit[1], tantum tibi tertia flectet :
Ast id præteritis expungitur atque supinis.

[1] Ut *discumbo, discubui, discubitum.*

Neco apud priscos etiam *necui* fecit. Ennius, apud Priscianum, l. IX, p. 861 :

Hos pestis *necuit*, pars occidit illa duellis.

Verisimile est habuisse supinum *nectum*, unde est participium compositum *enectus*. Cic., Tusc., l. I, c. 5, 10 : « Mento summam aquam attingens, siti *enectus* (1) Tantalus ; » et ad Att., l. VI, ep. 1, 2 : « *Enecta* fame, siti provincia. » Reperitur etiam *enecatus* apud Plinium, l. XVIII, c. 34, 1; itaque *eneco* tum *enecui*, tum *enecavi* facit. Suetonius in Illustr. Grammat. de Lælio Præconino, c. 3 : « In podagræ morbum incidit, cujus impatiens veneno sibi perunxit pedes, et *enecuit* ita, ut parte ea corporis quasi præmortua vixerit. » *Interneco, internecui, internectum.* Cic., XIV Phil., c. 3, 7 : « *Internecti* (2) nota testamenta, credo, subjiciunt. » Plaut., Amph. act. I, sc. 1, v. 34 :

Duello extincto maximo, atque *internectis* (3) hostibus.

Non inveni *internecatum.* — *Cubo* etiam *cubavi* interdum facit, unde est *cubasse* apud Quintilianum, l. VIII, c. 2, 21. Plin., l. XI, c. 15, 5, de apibus : « Nam nisi *incubavere*, favos lividos faciunt. » — *Discrepo, discrepavi.* Cic., de Orat., l. III, c. 30, 119 : « Nihil sane ad rem pertinet, si qua in re *discrepavit* (4) ab Antonii divisione nostra partitio. » Horatius, de Arte poetica, v. 219, *discrepuit* dixit. *Increpo*, cum significat reprehendere, ut quidam volunt, *avi* facit; sed nullum citant testem, nam illud ex II libro ad Quint. Fr. : « Cato Pompeii in me perfidiam *increpavit,* » locutio est ex Ciceronis loco deprompta, mutato tamen tempore. Nam Cicero, l. II, ep. 3, 3, sic scripsit : « De me multa, me invito, cum mea summa laude dixit. Quum illius in me perfidiam *increparet,* auditus est magno silentio malevolorum. » Malim *increpui* dicere. Plin., l. III, ep. 9, 36 : « Summo die Salvius Liberalis reliquos legatos graviter *increpuit.* » Sueton., in Vespas., c. 8 : « Voce etiam gravissima *increpavit* (5) : maluissem allium oboluisses. » Plaut., Amph. act. V, sc. 1, v. 25 :

Totus timeo, ita me *increpuit.*

Livius, l. XXIV, c. 17, « graviter *increpitus* » dixit. Plinius, l. XXVIII, c. 50, 4, « prius *defricatis* maculis » dixit; et l. VIII, c. 41, 4 : « Pantheras *perfricata* carne aconito barbari venantur; » et l. XXVI, c. 58, 1 : « *infricata* polemonia; » et de ovis agens, l. XXIX, c. 11, 5 : « triduo *incubata* (6); » et Horat., Epodon II, v. 51 :

Eois *intonata* fluctibus hiems ;

quæ loca argumento sunt nonnulla ex iis quæ faciunt præterito *ui* fecisse aliquando etiam *avi;* unde participia *defricatus, intonatus.*

Laurentius Valla, l. I, c. 2, præcipit futurum in *rus* verborum primæ conjugationis quorum supinum in *itum* sive *ctum* exit, fieri tanquam a supino in *atum*, ut *cubaturus, domaturus, crepaturus, vetaturus, tonaturus, sonaturus, fricaturus, secaturus.* Horat., l. I, sat. 4, v. 44 :

Magna *sonaturum*, des nominis hujus honorem.

Cicero ad Att., l. XII, ep. 18, 1 : « Quæ res forsitan *sit refricatura* vulnus meum. » Colum., l. V, c. 9 : « Supra quam ramum *secaturus es.* »

Item nomina verbalia, ut *cubatio, domatio, crepatio, vetatio, tonatio, sonatio, fricatio,* non *cubitio, domitio, frictio;* et ita in cæteris. « *Sectio*

(1) Orellius, *enecatus*; Priscianus autem, l. IX, p. 861, *enectus*, quem secuti sunt Olivet, Lallemand, Ernesti, Teubner.

(2) *Internectus* admittit Voss., l. V, c. 20. Scribunt vero Orellius et Teubner : « Non inustæ belli *internecini* notæ. Testamenta, credo, subjiciunt... » Sic antea Lallemand, Olivet, Ernesti.

(3) Lemaire et Teubner, *internecatis*, post Lambin. et Gruterum.

(4) Orellius, *discrepuit.* « Sic, ait, Cdd. aliq. » Olivet, Lallemand, Ernesti habent *discrepavit.* Teubner, *discrepuit.*

(5) Lemaire et Teubner, *increpuit*, post Casaubonum.

(6) Sic et Dalecampius; Lemaire, *incubita.*

tamen, inquit Laurentius, crebrius reperitur, quam *secatio*. » Virgilius, Georg. IV, v. 102, *domiturus* dixit:

. . . . . Et durum Bacchi *domitura* saporem.

Frictio non raro reperitur. Celsus, l. I, c. 3 : « In ipso quoque itinere frequens *frictio*. » Plinius, l. XXIII : « *Frictiones* inhibet oculorum (7). » *Incubitio* apud eumdem, l. X, c. 54 (8). Et Nonius Marcel., c. 3, 22, in illo Ciceronis de Senect., c. 13, 45 : « Bene enim majores nostri *accubitionem* epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, convivium nominarunt. » *Accubitionem* legit, non *accubationem*. Quare diligenter evolvendi sunt scriptores; nam et *fricatio*, et *frictio*, et *fricatus*, *us*, et *incubatio*, et *incubitio*, et *incubatus*, et *incubitus* dicitur; *cubatus*, *us*, et *cubitus*. — *Domitor* et *sector*, a *domitus*, *sectus* fiunt. *Domatio*, *domitio* non videntur usitata; *domitura* utitur Plinius, l. VIII, c. 70, 5, et Columel., l. VI, c. 2.

Tonatio (9) est apud Senecam, l. II, c. 12, de Natur. quæst.

Idem Laurentius docet participia præteriti temporis fieri a supinis in *itum*, vel *ctum*, ut *domitus*, *vetitus*, *frictus*, *sectus*; cæterum ex allatis exemplis apertum est et in *atus* interdum exire, ut *perfricatus*, *incubatus*, etc.

Quæ ex verbo *cubo* componuntur, si literam *m* admittunt, tertiæ sunt conjugationis, ut *accumbo*, *decumbo*, *discumbo*, *incumbo*, *recumbo*, *occumbo*, *procumbo*; quam rursus in præteritis et supinis amittunt, ut *accubui*, *accubitum*. Non tamen, prout cuique libuerit, licet *m* literam addere vel adimere; ut enim *discumbo*, *succumbo* semper eam retinent, ita *excubo*, *secubo*, *supercubo* eamdem respuunt. Cætera et admittunt et abjiciunt; *decumbo* tamen et *procumbo* rarissime sine *m* reperiuntur.

(7) Nihil inveni simile in 23; sed in 33, c. 34 : « *Fluxiones* inhibet oculorum. » Robert. Steph. et Calep. habent *frictiones*.

(8) Robert. Stephanus : « *Incubitoni* datur initium post novam lunam. Al., *incubationi*. » Dalecamp. et posteriores *incubationi* scribunt.

(9) In edit. Lipsii 1652, Lemaire, Teubn., legitur pro *tonatio*, *conatio*.

205. *Dimicat*, *avi*, *atum*; *micui* [1] nil amplius optat.
A *fricui* [2], *frictum*; a *secui* [3], deducito *sectum*.
A *lavi* [4], *lotum* aut *lautum*, nec sperne *lavatum*.
Ex *lavo* compositum, ceu *diluo*, tertia poscit.
Potatum a *poto*, seu *potum* flectito. *Juvi*
A *juvo* tantum, vel capies a prole supinum.
Dat *plicui* [5] *plicitum*, compostum [6] poscit utrumque.
Supplicat, *avi*, *atum*, genitumque ex nomine solum.

[1] *Mico*. — [2] *Frico*. — [3] *Seco*. — [4] *Lavo*. — [5] Ut *explico*. — [6] Ut *duplico*, *triplico*.

Dimicui semel atque iterum invenitur apud Ovidium, Am. II, 13, 28, et II, 7, 2. *Emico emicui* facit, ut simplex. Quintilianus, l. I, c. 6, 17, reprehendit quosdam qui *emicavit* potius quam *emicuit* dicebant. Seneca, lib. de Consolat. ad Helviam, c. 11, *emicaturus* ab *emicavi* fecit. « Terrena, inquit, sunt pondera, quæ non potest amare sincerus animus ac naturæ suæ memor; levis ipse, expers curæ, et quandoque emissus fuerit ad summa *emicaturus*. » Solinus, c. 56, *micavi* dixit : « Si repente *micaverit* coruscatio; » sed hic auctor non omnibus facit satis.

Si rem accuratius velimus excutere, *lavatum* a præterito *lavavi*, quod jam exolevit, fit; *lautum* vero, et, *au* mutata in *o*, *lotum* a *lavo*, *is*, *lavi* tertiæ conjugationis factum est. Probus, l. II, p. 1484, ait *lavo*, *as*, facere *lavavi*; *lavo*, *is*, *lavi*. Sunt qui *lavatum* non libenter admittant, cum tamen eo

idonei auctores utantur. Terent., Eunuch., act. III, sc. 4, v. 600 :

. . . . . Abeunt *lavatum*.

Ovidius, Fast. III, v. 12 :

Sacra *lavaturas* mane petebat aquas.

Horat., l. I, sat. 6, v. 125 :

Ast ubi me fessum sol acrior ire *lavatum*
Admonuit.

Potus etiam active accipitur. Cic., pro Milone, c. 21, 56 : « Adde inscitiam pransi, *poti*, oscitantis ducis. » Idem, Fam., l. VII, ep. 22 : « Itaque et si domum bene *potus*, seroque redieram, tamen id caput, ubi hæc controversia est, notavi. » — *Jutum* a *juvo* non puto esse usitatum, quare ejus loco dicemus *adjutum*. Sall., in Jugurtha, c. 47, *juvaturum* dixit a *juvavi*, sed utrumque priscum est : « Ratus, id quod res monebat, frequentiam negotiatorum et commeantium *juvaturum* exercitum. » — *Plico*, ut Phocas, p. 1712, et Diomedes, l. I, p. 362, veteres et illustres grammatici, docent, *plicui* tantum facit, quod tamen nondum inveni; videtur etiam *plicavi* aliquando fecisse, quantum ex compositis possumus conjicere; nam *applico, complico, explico, implico* utrumque præteritum et supinum habent; quorum *applico* cum ad navigationem spectat, fere *applicavi* facit; *explico* vero, cum explanare significat, *explicavi*. — *Replico* ferme *replicatum* habet, unde suspicor præteritum *replicavi* usitatius esse.

Participia in *rus* ferme a supinis in *atum* deducuntur, a cæteris rarius. Ovidius, Fast. V, v. 220 : *impliciturus* dicit. Participia præteriti temporis in *atus* et *itus* exeunt; *applicatus* tamen et *complicatus* frequentiora sunt quam *applicitus, complicitus*; exemplis supersedeo, ne longior sim. — *Supplico*, et quæ ex nomine componuntur, præterito *avi*, supino *atum* contenta sunt : *duplico, triplico, quadruplico, multiplico*. Plinius, l. XXXIV, c. 19, 9 : « Primus hic *multiplicasse* varietatem videtur. » Cæsar, Bello civ., l. III, c. 32 : « Itaque æs alienum provinciæ eo biennio *multiplicatum* est. » Plinius, l. VII, c. 49, 1 : « Cornici novem nostras attribuit ætates Hesiodus, quadruplum ejus cervis, id *triplicatum* corvis. » Plaut., Stich. act. III, sc. 1, v. 4 :

Lucrisque *quadruplicavit* rem meam.

206\. Ex *do* compositum [1] variabit tertia; præter
Quæ *venum, circum, pessum*que, *satis*que crearunt [2].
Do, dedit atque *datum*; verum *didit* omne *ditum*que
Exigit, ut *tendo, trado*, quod tertia flectit.
A *sto* flecte *steti, statum; stiti* at inde profecta,
Atque *stitum* cupiunt, multo sed crebrius *atum*.

[1] Ut *vendo, condo*. — [2] *Venundo, circumdo, pessumdo, satisdo*.

Abscondo, ut docet Priscianus, l. X, p. 890, *abscondidi* facit, ut reliqua ex *do* composita, citatque Plautum in Carbon. : « Secundum ipsam aram aurum *abscondidi*. » Sil., l. VIII, v. 191 :

. . . . . Vitreisque *abscondidit* antris.

Nonius Marcel., c. 2, 59, idem sentit; citans enim priscos auctores, qui *abscondi* usi sunt, sic inquit : « *Abscondi*, pro *abscondidi*. Cæcil. Exul. : Nam hic in tenebris se *abscondit*. » Idem affert Pomponii carmen, ubi est *abscondisti*. Seneca *abscondi* solet dicere, l. III, c. 25, de Benef. : « Bello civili proscriptum dominum servus *abscondit*. » Idem, Consol. ad Helviam, c. 16 : « Nunquam more aliarum, quibus omnis commendatio ex forma petitur, tumescentem uterum *abscondisti*. » Lucan., l. X, v. 112 :

. . . . . Laqueataque tecta ferebant
Divitias, Crassumque trabes *absconderat* aurum.

Gellius, l. XVII, c. 9 : « Epistolam scriptam super rebus arcanis hoc modo *abscondisse*. » Caper, nobilissimus grammaticus, *abscondi* inquit, p. 2240, non *absconsi*; et *absconditus*, non *absconsus*. Dio-

medes tamen, l. I, p. 372 : « *Abscondor*, ait, *absconsus*; sed *absconditus* melius, quia simplex *condor, conditus.* » Itaque *abscondidi* priscum videtur. Quidam locum Plinii, l. VIII, c. 19, 3, depravate afferunt : Velut deputans *absconsione* turpitudinem; cum apud Plinium sic legatur, ubi de leone loquitur : « Idem ubi virgulta silvasque penetravit, acerrimo cursu fertur, velut *abscondente* turpitudinem loco. »

Statum, teste Prisciano, l. IX, p. 863, priorem producit; unde Lucanus, l. II, v. 16 :

> Ergo ubi concipiunt quantis sit cladibus orbi
> *Constatura* fides superum.

Inde tamen derivata, ut *status, a, um, stabilis, a* corripiunt. « Composita ab eo, inquit idem, varie vetustissimi protulerunt, *asto, astitum* et *astatum; præsto, præstitum* et *præstatum*. Æmilius Porcina orator, in oratione uti lex Æmilia abrogetur : « Tempore *astiturum*, atque petiturum me abesse. » Brutus in ep. : « Occiso C. Cæsare, postquam mare transierat, *præstatum* est. » Hæc ille. Multo tamen frequentius participia in *rus* a supinis in *atum* fiunt. Mart., l. X, epigr. 41 :

> *Constatura* fuit Megalensis purpura centum.

Plinius, l. XVII, c. 35, 12 : « *Extatura* etiamnum duabus gemmis. » Quintilianus, l. II, c. 11, 1 : « Video quosdam in ipso statim limine *obstaturos* mihi. » Cic., Fam., l. XI, ep. 9, 1 : « Utrumque me *præstaturum* spero. » Cicero, Fam., l. VI, ep. 8, 1, *præstituros* dixit : « Eodem die tamen ad me reverterunt, mihi hoc dederunt, ut esses in Sicilia quod velles; se *præstituros* (1) nihil ex eo te offensionis habiturum. » Cicero ad Brutum, l. I, ep. 11, 1 : « Ut non dubitem quin se *præstiturus* (2) fuerit acerrimum propugnatorem communis libertatis. »

207. *Nexo, as* tanquam priscum et obsoletum prætermisi, cujus nec Phocas nec Diomedes mentionem fecerunt; nec Priscianus, l. X, p. 904, docere potest *nexui, nexum*, a *nexo* esse, ex his locis Virgilii : Æn. V, v. 425 :

> Et paribus palmas amborum *innexuit* armis.

Ibid., v. 510 :

> . . . . . Nodos et vincula linea rupit,
> Queis *innexa* pedem malo pendebat ab alto.

Hæc enim a verbo *innecto, is*, sunt; et idem Priscianus antea attulerat priorem locum, ut probaret *necto nexui* facere. Virgilius participio *nexantem* eodem libro, v. 279, usus est. Quod si quis ægre ferat verbum *nexo* hinc relegatum, hoc versiculo licet utatur :

> *Nexuit* ac *nexum* *nexo* genuisse putatur.

Quædam, quæ modo sunt primæ, fuerunt etiam tertiæ apud priscos, cujusmodi sunt *sono, is; lavo, is;* sed *sono* jam exolevit; *lavo* tertiæ etiam Virgilius usus est, Æn. III, v. 663 :

> Luminis effossi fluidum *lavit* inde cruorem.

Horat., l. I, sat. 5, v. 24 :

> Ora manusque tua *lavimus*, Feronia, lympha.

Nam, si præteritum a *lavo* esset, produceretur prima; itaque *lavit* pro *lavat*, *lavimus* pro *lavamus* posita sunt; inde infinitum *lavere*, et passivum *lavi*, et alia id genus leges apud Nonium Marcellum, de Mutatis Conjugationibus, c. 10, 4, ubi etiam *sonit, resonit* pro *sonat, resonat* invenies. Priscianus, l. X, p. 884, ait omnia primæ conjugationis quorum præteritum exit in *ŭi*, vocales divisas, fuisse apud vetustissimos tertii ordinis.

A *cœno* et *poto*, ut docet Varro, l. VIII, ad Ciceronem de Lingua latina, apud Gellium, l. II, c. 25, etiam *cœnatus sum* et *potus sum* fiunt. Ego *pransus sum, cœnatus sum, potus sum* hodie apud te; pro *prandi, cœnavi, potavi*, nondum quod meminerim legi apud veteres; nam quod Ovidius dixit, Fast. III, v. 542 :

> . . . . . Senem *potum* *pota* trahebat anus;

et Cicero, Fam., l. VII, ep. 22 : « Itaque etsi domum bene *potus*, seroque redieram, tamen, etc. » Idem, pro Milone, c. 21, 56 : « Adde inscitiam *pransi, poti*, oscitantis ducis. » Idem, ad Att., l. II, ep. 16, 1 : « *Cœnato* mihi et jam dormitanti pridie Kalendas Maias epistola est illa reddita. » Idem,

---

(1) Olivet, Lallemand, Ernesti, Lemaire, Orellius et Teubner : *præstaturos*.
(2) Iidem : *præstaturus*.

Divinat., l. I, c. 27, 57 : « Qui cum *cœnati* quiescerent. » Idem, pro Dejot., c. 15, 42 : « Quum illa munera inspexisses *cœnatus*. » Horat., l. I, sat. x, v. 60 :

> . . . . . Amet scripsisse ducentos
> Ante cibum versus, totidem *cœnatus*;....

pransus, cœnatus, potus, confecto prandio, cœna, potatione, sive a prandio, cœna, potatione, significant. Non. Marcellus, c. 2, 195 : « *Cœnatus,* ut *pransus,* ut *potus,* ut *lotus,* id est, confecta cœna. »

Juro juravi et *juratus sum* facit. Plaut., Curcul. act. IV, sc. 4, v. 10 :

> Quod *fui juratus,* feci.

Idem, Rud. act. V, sc. 3, v. 16 :

> . . . . . Non tu *juratus* mihi *es*?
> *L. Juratus sum,* et nunc jurabo.

SECUNDA CONJUGATIO

208. Altera præteritis dat *ui;* dat *itum*que supinis,
Ut *moneo, taceo;* gignit sed *torreo, tostum.*
Sorbeo cum sociis [1] dat *ui,* tamen absque supino.
A *doceo, doctum;* a *teneo* deducito *tentum.*
Censeo fert *censum; mistum* tibi *misceo* donat.
Quod dat *ui* neutrum [2], *timeo*que carento supinis.
Poscit *itum valeo, careo, placeo*que *dolet*que,
Et *jaceo, caleo, noceo* cum *pareo* junges.

[1] Ut *absorbeo, exorbeo.* — [2] Ut *horreo, egeo.*

Arcitum ab *arceo* non facile invenias; *exerceo* tamen et *coerceo,* ex eo composita, *exercitum, coercitum* habent, unde participia *exercitus* et *coercitus;* contra *taceo, tacui, tacitum* facit, cum *reticeo, conticeo* supino careant. — *Sorbeo sorbui* facit. Plinius, l. XXII, c. 49, 5 : « His qui coagulum lactis *sorbuerint.* » Cicero, in Brut., c. 81, 282 : « Sed hunc quoque *absorbuit* æstus quidam, non insolitæ adolescentibus, gloriæ. » Idem, II Phil., c. 29, 71 : « Gustaras civilem sanguinem, vel potius *exsorbueras.* » Idem, pro L. Muræna, c. 9, 19 : « Multorum stultitiam perpessus est, arrogantiam pertulit, difficultatem *exsorbuit.* » — *Sorpsi, sorptum* fiunt a *sorbo, is,* verbo tertiæ conjugationis, ut a *scribo, scripsi, scriptum,* quod tamen Capro, p. 2240, displicet. « Dicendum non est *sorbo,* inquit, sed *sorbeo,* nec *sorpsi,* sed *sorbui;* sic et *absorbui,* non *absorpsi,* ut Lucanus. » Probus, de Catholicis verborum, p. 1480, ubi de *beo* syllaba finitis agit : « *Sorbeo,* inquit, *sorbui;* nam *sorbsi* barbarismus est. » Idem tamen, p. 1485, cum de *bo* syllaba terminatis agit : « *Bo,* inquit, terminata tertiæ correptæ, *psi,* ut *nubo, nubis, nupsi;* aut *bui,* ut *sorbeo, sorbes, sorbui,* quamvis et *sorbsi* lectum sit. » Hæc ille. Lucanus, l. IV, v. 100 :

> *Absorpsit* penitus rupes, et tecta ferarum.

Illud Plinii, si tamen usquam est : « Et vernatio utilis erit, si postquam *sorpta fuerit,* deinde rejicitur; » nusquam potui invenire, neque qui locum affert, libri aut capitis meminit. — *Censio, is, censire* apud vetustissimos fuit quartæ conjugationis, unde *censio* nomen verbale, *censitor* etiam nunc extant; hinc compositum *recensio, is,* unde participium *recensitus,* penultima longa; Claudianus, in Eutropium, l. XX, v. 60 :

> Prisca *recensitis* evolvite sæcula fastis.

Suetonius, in Julium Cæsarem, c. 41 : « Ex iis qui *recensiti* non essent. » — Quidam adjiciunt *frendo, ui, fressum,* cum *frendo* verbum sit pri-

scum, et tertiæ conjugationis quod frangere significat. Pacuvius in Antiopa, apud Nonium, c. 5, 103 : « Fruges *frendo* solos, ac sic probo te. » Accius Troad., apud eumdem : « Saxo fruges *frendas.* » Festus : « *Frendere* est frangere, unde et faba *fresa.* » Itaque *frendo, is* facit *frendi, fressum :* mutata est enim litera *n* in *s,* ut *pando, passum;* pro *pansum, frensum.*

Neutra secundi ordinis, quæ præterito faciunt *ui,* raro habent supinum. Plinius, l. XVII, c. 35, 11 : « Hujus serendi ratio dicetur, eadem *valitura* in omni genere. » Seneca, l. I, de Benef., c. 11 : « Quo facile *cariturus* est. » — Quamvis Priscianus, l. IX, p. 869, et l. XI, p. 932, *cassum* etiam a *careo* fieri existimat; tamen in l. XI, p. 921, ubi de participiis agit : « Quibusdam tamen, inquit, *cassus* magis nomen esse videtur, ut *lassus.* » Idem in eodem, p. 926, ubi de temporibus agit, affirmat esse nomen. « Addunt, inquit, quidam etiam a *careo, cassus,* quod si esset, deberet et *cassurus* facere futurum, non *cariturus,* quod Juvenalis, l. II, sat. 6, v. 39, protulit :

» . . . . . Tollere dulcem
» Cogitat hæredem, *cariturus* turture magno.

Ergo *cassus* magis est nomen, sicut *lassus,* et maxime cum vanum significat, ut *cassa* fraude parat. » Hæc ille. Virgilius, Æn. XII, v. 75 :

Nuntius hæc Idmon Phrygio mea dicta tyranno
Haud *placitura* refer.

Plinius ad Sparsum, l. VIII, ep. 3 : « Interim tamen tanquam *placituram,* et fortasse placebit, exspecta. » Livius, l. XXXIX, c. 43 : « Ignominiane sua quemquam *doliturum* censeret? » Stat., Theb., l. VII, v. 775 :

. . . . . Vade, diu populis promissa voluptas
Elysiis, certe non perpessure Creontis
Imperia, haud vetito nudus *jaciture* sepulcro.

Ovidius, Metam. XIII, v. 590 :

Des mihi sacrificos, *caliturasque* ignibus aras.

Plaut., Mil. act. V, v. 18 :

Jura te non *nociturum esse* hominem de hac re nemi-[nem (1).

Cæsar, Bello civ., l. III, c. 28 : « Jurejurando accepto nihil iis *nocituros* hostes, se Otacilio dediderunt. » Seneca, de Benef., l. II, c. 14 : « Sunt quædam *nocitura* impetrantibus, quæ non dare; sed negare beneficium est; » et paulo inferius : « Sic ea quæ *nocitura* sunt, etc. » — Apud Ulpianum, Dig., l. XL, tit. IV, lege 12, et Javolenum, Dig., l. IV, tit. VIII, lege 39, reperitur : *Paritum esse* conditioni, sententiæ. — His *coaleo* addi potest. Tacit., Annal., l. XIII, c. 26 : « *Coalitam* libertate irreverentiam eo prorupisse frementibus. » Idem, Hist., l. IV, c. 55 : « Si Alpes præsidiis firmentur, *coalita* libertate, dispecturas Gallias quem virium suarum terminum velint. » Gellius, l. XII, c. 1 : « Cujus in corpore cujusque ex sanguine concretus homo et *coalitus sit.* » — *Pateo, patui* supino caret; nam *passum,* quod Priscianus, l. IX, p. 870, putat ex ipso verbo nasci, fit a *pando.* « A *pateo,* inquit, l. X, p. 892, *passum* dicimus. Unde Virgilius in III Æneid., v. 263 :

» At pater Anchises *passis* de littore palmis. »

Idem, Æn. II, v. 403 :

. . . . . *Passis* Priameia virgo
Crinibus.

Phocas, p. 1719, negat *pateo* participium habere in *rus,* quo pacto solet ille loqui, cum significat verbum aliquod carere supino, etiamsi de præteritis tantum egerit. *Passus* vero a *pandor* deducitur, ut Virgilius, Æn. I, v. 480 :

Crinibus Iliades *passis.*

Diomedes, l. I, p. 373, etiam docet *passus* a *pandor* fieri, unde :

Crinibus Iliades *passis.*

Gellius, l. XV, c. 15, quæ Priscianus a *pateo* deducit, a *pando* nasci docet. « Ab eo, inquit, quod est *pando, passum* veteres dixerunt, etc.; et *passis* manibus, et velis *passis* dicimus, quod significat diductis atque distentis. »

Lateo caret supino; vide Priscianum, l. XI, p. 921.

---

(1) Sic esse in Mssis aliquot dicit Vossius l. VII, c. 21. Lambinus vero, Gruterus et recentiores scribunt :

Jura te *nociturum esse* homini de hac re nemini.

209. Dant *di*, *sum*, *video*, *sedeo*, cum *prandeo;* verum
S geminat *sessum; stridi*[1] nil postulat ultra.
Mordeo, præterito geminato, flecte *momordi*,
Morsum; sic *spondet*, *tondet*, sic *pendeo* flectes.
Dat *mansi*[2], *mansum; minui* sed *præminet* optat,
Prominet, *immineo*, simul *eminet* absque supino.
Hæreo dat *si*, *sum*, cum *suadet*, *mulcet* et *ardet*,
Tergeo cum *mulget*, *ridet;* sed *torqueo*, *tortum*.
S jussi[3], *jussum* geminant. *Indulgeo*, *si*, *tum*.
Urgeo, *si* tantum, cum *fulget*, *turget* et *alget*.
Luget fert *luxi;* jampridem quæro supinum.
Luceo duntaxat *luxi;* sic *frigeo*, *frixi*.
Augeo præterito facit *auxi*, *auctum*que supino.
Evi, *etum*, *vieo*, *flet*, *net*[4], cum *doleo*, quæque
A *pleo* nascuntur, *repleo* ceu, *suppleo*, *complet*.
Civi[5] sume *citum;* quartæ sed pignora redde.

[1] *Strideo.* — [2] *Maneo.* — [3] *Jubeo.* — [4] *Fleo, neo.* — [5] *Cieo.*

Prandi usitatissimum est. Plaut., Menæch. act. II, sc. 3, v. 50 :

Prandi in navi.

Idem, Pœn. act. III, sc. 5, v. 14 :

Calidum *prandisti* prandium.

Cic. ad Att., l. V, ep. 1 : « Sed *prandimus* in Arcano. » — *Pransus sum* affert etiam Gellius ex Varrone, l. II, c. 25, quod nondum, nisi me fallit memoria, legi apud veteres. Supra in extremo scholio in I Conjug., ex Nonio Marcello diximus quid *cœnatus*, *pransus*, *potus* significat. — *Hæsurus* est apud Ovidium, Trist. III, eleg. 4, v. 36. — *Mulceo* et *mulgeo* consentiunt præteritis et supinis. Virg., Georg. III, v. 400 :

Quod surgente die *mulsere*, horisque diurnis,
Nocte premunt.

Plinius, l. X, c. 56, 1 : « Caprisque cæcitas, quas ita *mulsere*, oboritur. » Varro, de Re rust., l. II, c. 11 : « A mulgendo, atque ortu optimum est id quod neque emunctum longe abest a *mulso*. » Quidam, ut Priscianus inquit, l. IX, p. 870, differentiæ causa, *mulxi* a *mulgeo* dixerunt, sed nullum citant testem. Verisimile est *mulxi*, *mulctum* aliquando etiam fuisse, unde *mulctra*, *mulctrale* dicta sunt. Sallustius, l. IV Histor., referente eodem Prisciano, « verbis *permulcti* » dixit a *permulceo*, quo participio usus est etiam Gellius, l. I, c. 11. Phocas, p. 1713, idem præteritum, hoc est *mulsi*, tribuit utrique. Diomedes, l. I, p. 363, *mulxi* verbo *mulgeo* attribuit.

Tergeo, *es*, secundi ordinis, non semel apud idoneos auctores reperitur. Cicero ad Quint. Fr., l. II, ep. 10 : « Amabo te, advola, consolabor te, et omnem *abstergebo* dolorem. » — *Arsurus* sæpe invenitur. Ovid., Metam. XIV, v. 747 :

Luridaque *arsuro* portabat membra pheretro.

Idem, Fast. IV, v. 510 :

Portat et *arsuris* arida ligna focis.

Torsum a *torqueo* apud vetustissimos reperitur; sed jam exolevit. — *Indulsum* non facile invenies, neque grammatici ullum testem citant. « De *urgeo*, inquit Phocas, p. 1713, et *turgeo* ambigitur; » sed quod attinet de *urgeo*, Cicero ad Quint. Fr., l. III, ep. 9, de Gabinio loquens, omnem sustulit dubitationem : « Illum, inquit, neque *ursi*, neque levavi,

testis vehemens fui; » et Asinius Pollio ad Ciceronem (Fam., l. X, ep. 32) : « Nec vero minus Lepidus *ursit* me, et suis et Antonii literis, ut legionem tricesimam mitterem sibi. » — *Tursi* confirmat Priscianus, l. IX, p. 870, priscorum testimoniis. Ennius, Annal. IX :

> Cyclopis venter velut olim *turserat* alti
> Carnibus humanis distentus.

Fulsum et *alsum* invenies apud Priscianum, ibid., sed neminem citat. *Alsum* tamen videtur aliquando in usu fuisse, unde Cicero *alsius* dixit ad Att., l. IV, ep. 8 : « Nihil quietius, nihil *alsius*, nihil amœnius; » et ad Quint. Fr., l. III, ep. 1, 5 : « Jam ἀποδυτηρίῳ nihil *alsius*, nihil muscosius. — *Luctum* supinum a *lugeo* postulat ratio præteriti, sed auctoritas deficit, inquit Priscianus, l. IX, p. 874; quod idem de *polluceo*, *polluxi*, verbo prisco, ille sentit. — *Frigeo*, ut ex composito *refrigeo* seu *refrigesco* intelligitur, *frixi* facit. Cic., Fam., l. IX, ep. 10 : « Ego cæteroqui animo æquo fero, unum vereor, ne hasta Cæsaris *refrixerit*. » Idem sentit Priscianus, l. IX, p. 870; sed l. XI, p. 932, sic scribit : « Pleraque tamen neutrorum secundæ conjugationis in *ui* divisas desinentia præterito, deficiunt in supinis, ut *horrui*, *rubui*, *egui*, *frigui*, *rigui*; » idem credo me legisse apud Donatum, sed nulla video veterum testimonia. — A *pleo* verbo obsoleto multa fiunt, ut *expleo*, *impleo*, etc. — *Citum* a *cieo* priorem corripit, ut suo loco dicemus; addita præpositione fit quarti ordinis, ut *accio*, *concio*, *excio*; vide Diomedem, l. I, p. 374. *Conciere* secundæ conjugationis legitur. Livius, l. I, c. 59 : « Elatum domo Lucretiæ corpus in forum deferunt, *concient*que miraculo, ut fit, rei novæ atque indignitate homines. »

210. Nunc *oleo* dat *ui*, dat *itum*, sic pignora [1] patris
Quæ servant sensum; *evi*, *etum* fert cætera proles [2].
Ast *abolevit itum* dat; fert *adolevit adultum*.
Ex *veo* fit *vi*, *tum* : *moveo fovеo*que fatentur.
A *caveo cautum*; a *faveo* deducito *fautum*.
Vi neutrum tantum poscit, ceu *flaveo*, *livet*,
Et *paveo*, *fervet*, *connivi* [3], hoc postulat et *xi*.
Audeo nunc *ausus*, *gavisus gaudeo* poscit,
Et *solitus soleo*, *solui* tibi, Crispe, placebat.

[1] Ut *oboleo*, *suboleo*. — [2] Ut *obsoleo*. — [3] *Conniveo*.

Oleo, *olui*, *olitum* (si tamen *olitum* usquam est) apud priscos etiam *olevi*, *oletum* fecit; quæ ex eo componuntur, si odorem significant, hoc est, simplicis significationem retinent, in *ui* et *itum* exeunt, ut *oboleo*, *suboleo*, *redoleo*, *peroleo*. Plaut., Mostel. act. I, sc. 1, v. 38 :

> *Oboluisti* allium.

Suetonius, in Vespasianum, c. 8 : « Voce etiam gravissima increpuit : maluissem allium *oboluisses* (1). » Interdum maxime apud vetustissimos etiam in *evi* desinunt. Plautus, Casin. act. IV, sc. 3, v. 16 :

> Jam *obolevit* (2) Casina procul.

Et Lucilius, 30, apud Priscianum, l. IX, p. 872 :

> Quis totum scis corpus jam *perolesse* bisulcis;

pro *perolevisse*. Quæ a simplicis significatione discedunt, *evi* faciunt, ut *exoleo*, *inoleo*, vel potius *exolesco*, *inolesco*; nam positiones *exoleo*, *inoleo* non facile invenies; *obsoleo*, *obsolesco*; *adoleo*, *adolesco*; *aboleo*, *abolesco*; quorum *obsoleo* et *exoleo obsoletum*,

(1) Sic Casaub.; Lemaire, *aboluisses*; Teubner, *oboluisses*.

(2) Lemaire post Lambinum, Gruterum, *oboluit*.

exoletum faciunt; *inoletum* seu *inolitum* non memini legisse apud veteres. *Adoleo, adultum; aboleo, abolitum.* Hoc postremum exemplis fulciemus; nam de cæteris nulla est controversia. Livius, l. III, c. 55 : « Cujus rei prope jam memoria *aboleverat.* » Tacit., Annal. l. IV, c. 35 : « An illi quidem septuagesimum ante annum perempti, quomodo imaginibus suis noscuntur, quas ne victor quidem *abolevit.* » Idem, l. XVI, c. 6 : « Corpus non igni *abolitum,* ut romanus mos. » Plinius, l. XIV, c. 5, 1 : Quarumdam ex his jam etiam nominibus *abolitis.* » Quintilianus, l. I, c. 6, 20 : « Sed *abolita* atque abrogata retinere, insolentiæ cujusdam est. » Priscianus legit apud Varronem, l. III, Rhet., *adoluerit,* pro *adoleverit;* item apud Cassium, ad Tiberium, II, *adoluerunt;* Diomedes vero *adoleverunt* legit; vide illum, si vacat, l. IX, p. 872; hunc, l. I, p. 370.

Tum *connivi,* tum *connixi* ostendit Priscianus eodem libro, p. 866, priscorum testimoniis. — *Ferbeo* etiam per *b* scribitur, ut idem eodem loco ait, unde *ferbui.* — *Ausi, gravisi* prisca sunt. — *Solui,* pro *solitus sum,* usus est Sallustius, II Hist., ut idem, p. 872, docet. — Quidam addunt *mœreo, mœstus sum;* sed *mœstus* potius nomen quam participium videtur. Donatus in secunda Arte, p. 1756, quinque tantum neutro-passiva enumerat : *gaudeo, soleo, audeo, fio, fido.* Phocas, p. 1712, affirmat tantum esse eadem quinque; idem sentit Priscianus, l. VIII, p. 818; neque *cœno, prandeo, poto* a veteribus appellantur neutro-passiva. Itaque *mœreo* præterito videtur carere, quod Priscianus, l. VIII, p. 817, ubi de Defectivis agit, affirmat, ut supra diximus.

Multa hujus ordinis fuerunt apud vetustissimos etiam tertii, quorum nonnulla apud posteros invenies : *fervo, is* apud Terentium, Adelph. act. IV, sc. 1, v. 536; Virgilium, Propertium, l. II, 8, 32, et nonnullos alios invenitur; — *fulgo, effulgo* apud Virgilium. — Georg. I, v. 455 :

> Omnia tunc pariter vento nimbisque videbis
> *Fervere.*

Idem, Æn. VI, v. 827 :

> Illæ autem paribus quas *fulgere* cernis in armis,
> Concordes animæ nunc.

Idem, Æn. VIII, v. 676 :

> . . . . . Instructo Marte videres
> *Fervere* Leucaten auroque *effulgere* fluctus.

Quintilianus, l. I, c. 6, 8, notat Lucilium, quod *fervit* verbo tertii ordinis fuerit usus; ait enim *fervo* Latinis inauditum esse. Probus, l. I, p. 1413, Lucilii et Terentii testimoniis, reprehendit eos qui id negant, existimantes Virgilium brevem pro longa posuisse.

Libet, licet, piget, pudet, placet, duplex præteritum habent : *libuit, libitum est; licuit, licitum est, piguit, pigitum est; puduit, puditum est; placuit, placitum est; miseret, misertum est,* et interdum *miseritum est* tantum; *tædet,* vel potius *pertædet, pertæsum est,* quæ omnia apud idoneos auctores inveniuntur. Cicero, ad Att., l. II, ep. 1, 5, *liciturum* dixit : « Sed neque magnopere dixi esse nobis laborandum, quod nihilo magis ei *liciturum* esset plebeio rempublicam perdere, quam similibus ejus, me consule, Patriciis esset licitum. » Nec video cur *liceo, es* non habeat supinum *licitum,* si opus fuerit. Plinius, l. XXXVI, c. 24, 6, *puditurum* dixit; et Sallustius *pœniturum* ausus fuit dicere, ut notavit Quintilianus, l. IX, c. 3, 12.

TERTIA CONJUGATIO

211. Postulat in *spicio* aut *licio* quod desinit, *exi*,
Ectum, ut *conspicio*, *allicio*; tamen *elicit*[1] optat
Elicui, *elicitum*; a *feci*[2] deducito *factum*;
A *jeci*[3], *jactum*; dat *fodi*[4] *s* duplice *fossum*.
Vult *fugi*[5] *fugitum*; *sapui sapiive*, nec ultra
Progreditur *sapio*; *cupio ivi* gignit et *itum*.
Dat *capio cepi*, *captum*; sed *cœpio* priscum
Fert *cœpi*, *cœptum*; a *rapui*[6] deducito *raptum*.
Dat *peperi*[7] *partum* aut *paritum*; sint pignora quartæ.
Dant *cussi*, *cussum cutio* finita[8]; parente
Uteris *quassi*[9], *quassum*, si legeris usquam.
Rite *uo* poscit *ui* ac *utum* : sit *diluo* testis.
A *ruo* dic *ruitum*, sed *utum* dant pignora[10] tantum.
A *struxi*[11] *structum*; a *fluxi*[12] deducito *fluxum*.
Congruo nulla, *luo*, *metuo*que, *pluo*que supina;
Annuo cum sociis[13], *batuo*, *ingruo*, *respuo* gignunt.

[1] *Elicio.* — [2] *Facio.* — [3] *Jacio.* — [4] *Fodio.* — [5] *Fugio.* — [6] *Rapio.* — [7] *Pario.* — [8] Ut *excutio*, *discutio.* — [9] *Quatio.* — [10] Ut *diruo*, *obruo.* — [11] *Struo.* — [12] *Fluo.* — [13] Ut *renuo*, *innuo.*

Specio, *spexi*, *spectum* verbum priscum est, unde nata sunt *aspicio*, *conspicio*, *inspicio*, *perspicio*, *respicio*. Lege Varronem, l. VI, 82, de Lingua latina. — *Allicio*, *illicio*, *pellicio*, ex *lacio* verbo obsoleto nata sunt; vide Festum. *Allicui*, *pellicui*, quæ Priscianus affert, l. X, p. 877, pro *allexi*, *pellexi*, jam exoleverunt. — Varroni, *sapivi* vel *sapii*; Probo, *sapui*; Charisio, *sapui* vel *sapivi* probatur. Lege Priscianum, l. X, p. 879. *Sapui* tamen cæteris videtur usitatius, unde *resipui*, *desipui*. *Sapivi* ferè ab auctoribus imminuitur *sapii*, unde *sapisti*. Mart., l. IX, epigr. 6, v. 1 :

> Nubere vis Prisco, non miror, Paulla : *sapisti*.

Terentius, Heaut. act. IV, sc. 8, v. 843 :

> . . . . . Quum te intelligo
> *Resipisse*.....

Cicero *resipivi* pleno verbo usus est, ad Atticum, l. IV, ep. 5, 1 : « Vix aliquando te auctore *resipivi* ; » sic enim in correctis legitur, ubi quidam *resipui* legunt (1). *Resipio* ait Diomedes, l. I, p. 374, migrasse in quartum ordinem; sed nullius testimonio id confirmat. *Sapitum*, media seu longa seu brevi, non videtur usitatum. — *Cœpio*, quo Cato apud Festum et Plautus, Menæch., act. V, sc. 5, v. 57, usi sunt, exolevit; præteritum tantum, et quæ inde fiunt, in usu sunt; habet etiam præteritum *cœptus sum*. Cicero, de Clar. Orat., c. 88, 301 : « Hortensius igitur, cum admodum adolescens orsus esset in foro dicere, celeriter ad majores causas adhiberi *cœptus est*. » Ibidem, c. 67, 236, de Pisone : « Is cum satis floruisset adolescens, minor haberi *cœptus est* postea. » Cum

(1) Olivet, Lallemand, *resipivi*; Ernesti, Lemaire, Orelli, Teubner, *resipui*.

pario, priscis temporibus, quartæ fuerit conjugationis, nemini mirum videri debet, si ex eo composita ejusdem sint ordinis. Ennius apud Priscianum, l. X, p. 880 : « Ova *parire* solet genus pennis condecoratum. » — *Quatio*, unde oriuntur *cutio* syllaba terminata, ut *incutio, discutio*, etc., præterito caret, ut Charisius apud Priscianum, ibidem, docet; videtur tamen *quassum* aliquando habuisse, unde *quassæ rates, arma quassa*, et id genus alia. Item *quassare*, verbum frequentativum. — *Pluo plui* facit præterito. Livius, l. XXIV, c. 10 : « Nuntiabatur Romæ in foro Boario sanguinem *pluisse*. » Ibidem, l. XXXIX, c. 56 : « Sanguinem (2) per biduum *pluisse* in area Concordiæ satis credebant. » Idem, l. XL, c. 19 : « In area Vulcani et Concordiæ sanguinem *pluit*. » Sic Plinius, l. II, c. 57, 1, et Valerius Maximus, l. I, c. 6, 5. Priscianus, l. X, p. 881, *pluvi* putat esse, idque confirmat tribus locis Decadis II, quæ non extat. Illud Livii, l. I, c. 31 : « Nuntiatum est regi patribusque in monte Albano lapides (3) *pluisse*, » videtur etiam Priscianus *pluvisse* legisse, sed in correctis *pluisse* legi. Cicero item, de Divinat., l. II, c. 27, 58, sanguinem *pluisse* dixit; quidam legit *pluvisse*. Denique semper in castigatis libris *plui*, non *pluvi* invenio. Verisimile tamen est et *pluvi* olim fuisse usitatum. — *Annutum* et *renutum* invenies apud Priscianum, l. X, p. 882 (4), sed non probat. Videntur nonnulla ex his aliquando habuisse supinum, unde nomina *nutus* et *renutus* relicta sunt. — *Cluo* a nonnullis hic ponitur, cum sit secundi ordinis *clueo*, ut testimonia Pacuvii, Plauti et Lucretii docent (5). Illud Ciceronis in Bruto, c. 25, 97 : « Tum duo Cæpiones multum *clientes* consilio, et lingua, plus auctoritate tamen et gratia sublevabant, » quidam corrupte legunt *cluentes*.

(2) In his duobus, Gruterus, Lemaire, Drakenborch et Teubner habent *sanguine*.

(3) Iidem, *lapidibus*.

(4) Hic tamen non habet *annutum* et *renutum*, sed *annutum* et *innutum*.

(5) Vide Nonium Marcel., c. II, 147; — Plaut., Menæch. act. IV, sc. 2, v. 7, et alibi; — Lucret., I, v. 581.

212. *Bo* [1] dat *bi*, dat *itum*. *Scabo*, *lambo* carento supinis.
A *scripsi* [2] *scriptum*; a *nupsi* [3] deducito *nuptum*.
Ici [4] fert *ictum*; a *duxi* [5] depromito *ductum*.
A *parsi*, *parsum*; geminat quoque *parco peperci*.
Vinco cupit *vici*, *victum*; a *dixi* [6] exige *dictum*.
*Sco vi tum*que petit, ceu *nosco*, *quiesco*, *suesco*.
Dat *gnitus agnosco*; *cognosco* jungitur illi.
Dat *pasco pastum*; *conquexi* [7] linque vetustis.
Ut *disco didici* tantum, sic *posco poposci*.
Dispesco dat *ui*, pariter *compescere* solum.

[1] Ut *bibo*. — [2] *Scribo*. — [3] *Nubo*. — [4] *Ico*. — [5] *Duco*. — [6] *Dico*. — [7] *Conquinisco*.

Lambitum invenies apud Priscianum, l. X, p. 884, sine ullo tamen testimonio. — *Nupsi* vel *nupta sum*; utrumque enim usitatum est : Cicero, pro Cluent., c. 5, 11 : « Quæ brevi tempore post patris mortem *nupsit* A. Aurio Melino consobrino suo. » Idem, Fam., l. XV, ep. 3 : « Quocum *esset nupta* regis Armeniorum soror. » Plaut., Asin. act. V, sc. 2, v. 19 :

. . . . . Ego istuc scio,
Ita fore illi, dum quidem cum illo *nupta eris*.

Sorbo, is, sorpsi, sorptum sitne usitatum beneque latinum, supra dictum est. — *Parco* etiam *parcitum* videtur fecisse. Plinius, l. XXXIII, c. 21, 12 : « Italiæ *parcitum est* vetere interdicto parum ut diximus; » quem locum quidam sic corrigunt : Italiæ *parci*, vetere interdicto patrum, diximus; et, quod non nihil ad rem facit, inde nomen *parcitas* videtur factum. Seneca, de Clement., l. I, c. 22, 2 : « Civitatis autem mores magis corrigit *parcitas* animadversionum. » Item *parcui* priscum

præteritum, apud Nonium, c. 2, 653. *Conquinisco*, teste Capro (apud Priscianum, l. X, p. 885), apud vetustissimos *conquexi* fecit. Priscianus, p. 887, supina *discitum, poscitum, compescitum, dispescitum* admittit; sed l. XI, p. 921, ubi de participiis in *rus* agit, se revocat, docetque verba unde hæc fiunt, supinis carere. Apuleius in Phædone *disciturus* dixit, cujus sermo non semper probatur eruditis.

213. *Do di, sum* gignit, veluti *defendere, cudo*.
N tamen amittunt *fundo*, cum *scindere, fingo*.
S geminat *fissum* ac *scissum*; dat *pandere passum*.
Tundo petit *tutudi, tunsum;* sed pignora[1] *tusum*.
Sume *cado, cecidi, casum;* cape *cædo, cecidi,*
Cæsum; dat *tentum* vel *tensum tendo, tetendi*.
Pedo pepedit habet; *pensum* fert *pendo, pependi*.
Tum *rudo*, tum *sido*, tum *strido* carento supinis.
Dant *si, sum claudo, lædo*, cum *rodere, trudo,*
Divido, cum *plaudo, rado*, cum *ludere; vasi*
Ac *vasum* a *vado* capiunt sibi pignora[2] tantum.
Cedo petit *cessi; cessum* facit inde supino.

[1] *Retundo, retunsum.* — [2] Ut *invado*.

« *Cudo*, ut inquit Priscianus, l. X, p. 889, secundum Diomedem, et Charisium, et Phocam, *cusi;* secundum alios, *cudi;* et videtur etiam Virgilius sic protulisse, Æn. I, v. 174 :

» Ac primum silicis scintillam *excudit* Achates,
» Suscepitque ignem foliis.

Excudit enim tam præsens quam præteritum potest intelligi; sed quia *suscepit* subjunxit, melius præteritum intelligitur. Idque etiam Servius in Commentariis Æneidos comprobat his verbis : « Excudit autem, feriendo ejecit, quia cudere est » ferire. » Hæc Priscianus. Verum quod ad Diomedem attinet, cum Diomedes ipse libro I dixisset *cudo, cusi*, mox se revocavit his verbis : Vel potius *cudi*, ut ejus compositum (1) :

Ac primum silicis scintillam *excudit* Achates.

Phocas, p. 1715, *cudi* probat, non *cusi* : « Pauca, inquit, præterea eamdem clausulam habent, novissima litera præsentis temporis in *i* conversa : *ico, ici; solvo, solvi ; cudo, cudi; volvo, volvi* (2). » Hæc grammatici. Audi Columel., l. VIII, c. 5 : « Die undevigesimo animadvertat, an pulli rostellis ova *percuderint* (3). » Item Varronem, de Re rust., l. III, c. 9 : « *Excusos* pullos subducendum ex singulis nidis, et subjiciendum ei quæ habeat paucos; ab eaque, si reliqua sunt ova pauciora, tollenda et subjicienda aliis quæ nondum *excuderunt*. » Itaque *cudo cudi* facit, ut composita *percudi, excudi*. Supina *incusum, excusum* simplici *s* scribuntur ab *incudo, excudo;* at *incussum, excussum* gemino *s* a verbis *incutio, excutio* fiunt.

Edo, edi, esum. Plaut., Menæch. act. I, sc. 2, v. 38 :

. . . . . Ubi *esuri* sumus?

(1) Locum non inveni ubi Diomedes hujusmodi retractationem habeat. Dicit tamen post Alvarum Voss., l. V, c. 26 : « Diomedes quoque lib. primo, cum dixisset *cudo, cusi*, mox se revocans ait : Vel potius *cudi*, ut ejus compositum :

» Ac primum silici scintillam *excudit* Achates. »

(2) Hæc verba eodem modo quo Alvarus scripsit Vossius, l. V, c. 26. Apud Phocam vero, qualem edidit Putsch, p. 1715, legitur : « ....conversa, *vinco vici, rumpo rupi, solvo solvi, cudo cudi, volvo volvi.* »

(3) Editio quam secutus est D. Nisard habet *pertuderint*; sed Forcellini, *percuderint*.

Sic *adesum, ambesum, peresum, comesum.* Cicero, pro Cluent., c. 62, 173 : « Celerius potuit *comesum* (4) quam epotum in venas permanare. » Idem in Sal., c. 7, 20 : « Patrimonio non *comeso*, sed devorato. » Priscianus, l. X, p. 892, *comestum* legit pro Cluent. Diomedes, l. I, p. 382, ait dubitasse veteres dicendum esset *comesus*, an *comestus;* « sed Didius ait, inquit idem Diomedes, de Sallustio : *Comesto* patrimonio. Valgius autem, de Tralatione : *Comesa* patina. Similiter et Varro. Et ita melius quasi *adesa* et *ambesa.* » *Scando* et *mando*, ut ait Priscianus, l. I, p. 921, præteritis carent, quamvis utrumque apud vetustissimos inveniatur. *Mansus* certe apud Ciceronem est, de Orat., l. II, c. 39, 162 : « Atque omnia minima *mansa*, ut nutrices infantibus pueris in os inserant; » et Quintilianus, l. X, c. 1, 19, « cibos *mansos* » dixit; et Plinius, l. XXVI, c. 81 : « Imponatur trita vel *mansa.* » Phocas, p. 1715, neque *scandi*, neque *mandi* rejicit. — *Frendo, is, frendi, fressum* gemino *s*, priscum est, de quo supra diximus. — Nonnulla composita ex *cado* supinum habent, ut *incido, occido, recido.* Plinius, l. II, c. 27, 2 : « Verum hæc ideo facta, quia *incasura* erant illa. » Cicero, pro Milone, c. 36, 100 : « Vosque obsecro, Judices, ut vestra beneficia, quæ in me contulistis, aut in hujus salute augeatis, aut in ejusdem exitio *occasura* esse videatis. » Idem ad Att., l. IV, ep. 16, 12 : « Id ego puto, ut multa ejusdem, ad nihilum *recasurum.* » — Composita ex verbo *tendo* frequentius in *tus* exeunt, *contentus, extentus, intentus, prætentus, protentus;* dicitur et *extensus, intensus; ostensus* tamen elegantius est quam *ostentus*, quo prisci usi sunt. — *Pedo;* hujus verbi supinum non facile invenies; qui putant habere *peditum*, non satis probant; carmen enim quo id docent varie legitur, ita ut ignores sitne nomen an verbum. — Livius, l. XLV, c. 26, *pendissent* dixit : « Vectigal dimidium ejus quod regi *pendissent* (5). » — *Sido* præteritum mutuatur a *sedeo, sedi*, teste Prisciano, l. X, p. 889; proprio tamen usus est Columella, l. XII, c. 24 : « Deinde patiemur picem considere, et quum *siderit*, aquam eliquabimus. » Seneca, de Benef., l. II, c. 14 : « Cum *subsedit* cupiditas...., » dixit a *subsido.* — *Claudo* etiam *cludo* ab auctoribus probatis dicitur. — *Vasi, vasum*, ut supra diximus, inusitata sunt; quæ habent composita, ut *invado, invasi, invasum.*

(4) Orellius et Teubner *comestum* habent.

(5) Ruddim. Etym., l. III, c. 1, præcept. 29, nota 80, affirmat se, in omnibus quas sibi videre contigit editionibus, legisse *pependissent.* Drakenborch habet *pendissent;* Teubner, *pependissent.*

214. Dat *xi, ctum go* vel *guo*, ut *plango, extinguo;* supinis
N tamen abjiciunt *stringo*, cum *pingere, fingo.*
Tango cupit *tetigi, tactum; egi ago* poscit et *actum :*
Sume *pago* [1] *pepigi, pactum;* cape *pangere, panxi*
Vel *pegi, pactum;* gaudent composta [2] secundo.
Dat *legi, lectum; fregit* dat *frangere, fractum.*
Negligit, exi, ectum, cum *intelligo, diligo* poscit.
Prodigo cum *dego, sugo* privato supinis;
Dat *pungo pupugi, punctum;* dant pignora [3] ferme
Punxi. Vult *si, sum, spargo*, cum *mergere, tergo.*
Dant *xi, xum, figo, frigo :* caret *ango* supinis.

[1] *Pago* priscum est. — [2] *Impegi, compegi.* — [3] Ut *expungo.*

Pergo, surgo, ex *rego* composita, verba sunt imminuta, pro *perrego, surrego;* præterita et supina plena sunt : *perrexi, perrectum; surrexi, surrectum.* — *Ringo, is* non videtur usitatum. *Ringor* deponens præterito caret, ut initio diximus. — « *Pepigi*, ut Quintilianus docet, l. I, c. 6, 10, fit a verbo

prisco *pago*, quod *paciscor* significat. Prima quoque aliquando positio, inquit, ex obliquis invenitur, ut memoria repeto convictos a me qui reprehenderant quod hoc verbo usus essem, *pepigi*. Nam id quidem dixisse summos auctores confitebantur, rationem tamen negabant permittere; quia prima positio *paciscor*, cum haberet naturam patiendi, faceret tempore præterito *pactus sum*. Nos præter auctoritatem oratorum atque historicorum, analogia quoque dictum tuebamur. Nam cum in XII Tabulis legeremus, Ni ita *pagunt*, inveniebamus simile huic *cadunt*, inde prima positio, etiam si vetustate exoleverat, apparebat *pago*, ut *cado;* unde non erat dubium, sic *pepigi*, nos dicere, ut *cecidi*. » Hactenus ille. — *Pango, panxi*. Columel., l. XI, c. 2: « Eamque (olearem taleam) oportet, quum *panxeris*, fimo et cinere mistis oblinere. » Fecit et *pegi* apud priscos, ut docet Priscianus, l. X, p. 894, quod nunc in compositione manet: *impingo, compingo, impegi, compegi*. — *Prodigo, dego*, ex *ago* composita, *prodegi, degi*, quamvis *prodegi* parum sit usitatum, carent supinis; at *cogo, coegi, coactum* facit. Nomen *suctus* apud Plinium reperitur (1) : quid si supinum *suctum* etiam in usu fuit? — Nihil causæ est cur *lingo* excipiatur, cum *linctum* sit in usu. Plinius, de Sulphure, l. XXXV, c. 50, 4 : « Prodest et suspiriosis *linctum*. » — *Pupugi* frequentissimum est; at *punxi* non facile invenias. — Diomedes, l. I, p. 376, existimat *anxus sum* ab *angor* deduci; Priscianus, l. X, p. 895, putavit *anctum* esse supinum : sed neutrum est in usu.

(1) Sic lib. XXX, c. 20, 4 : « Si catuli.... *suctum* lactis accipiant. » Sic et aliis locis.

215. A *traxi* [1], *tractum*; a *vexi* [2] deducito *vectum*.
Meio facit *minxi*, *mictum*, nec plura require.
Lo [3], *luit* atque *litum*; *colo*, *cultum*; *consulo* gignit
Consultum; *occulit*, *occultum*; ast *alo* poscit et *altum*.
Ante caret *cello* [4], *præcello*, *excello* supinis.
Præteritum duplex *perculsi*, *perculit* optat
Percello, *perculsum*; haud plura require supina.
Dat *pello pepuli*, *pulsum*; vult *fallo fefelli*,
Falsum. A *velli* vel *vulsi* deducito *vulsum*.
Sublatum tollo nunc tantum, ac *sustulit* optat.
Sallo facit *salsi*, *salsum*; dat *psallere psalli*.
Malo, *volo*, *nolo*, cum *psallo*, carento supinis.
Mo [5], per *ui*, dat *itum*; *tremo* flectitur absque supino.
Dant *psi*, *ptum demo*, *promo*, cum *sumere*, *como*.
Emi [6] fert *emptum*; *premo pressi*, *s* duplice, *pressum*.
Dat *posui* [7] *positum*; *genitum genuisse* [8] reposcit.
Dat *cecini cantum*; *cinui* dant pignora [9] *centum*.
A *sino* fit *sivi* atque *situm*; dat *sternere stravi*
Ac *stratum*; *sprevi*, *spretum* dat *spernere* ; *cerno*
Crevi; sed *cretum* capiunt sibi pignora [10] solum.
Dat *tempsi*, *temptum temno*, si legeris usquam.

[1] *Traho*. — [2] *Veho*. — [3] Ut *molo*. — [4] *Antecello*. — [5] Ut *vomo*. — [6] *Emo*. — [7] *Pono*. — [8] *Gigno*. — [9] Ut *concinui*, *concentum*. — [10] *Decrevi*, *decretum*.

Lini, vel *livi*, *levi*ve, *litum*que trisulcum
Fert *lino*. *Po*, *psi ptum*que petit, ceu *scalpere*, *carpo*.
A *strepui*[1] *strepitum*; a *rupi*[2] deducito *ruptum*.
Linquo sibi *liqui*, cupiunt sibi pignora[3] *lictum*.
Dat *coxi*[4] *coctum*; *tero trivi* poscit et *itum*.
A *gero* fit *gessi*, *gestum*; dat *curro cucurri*,
Cursum; *quæsitum quæro*, *quæsivit* habeto.

[1] *Strepo*. — [2] *Rumpo*. — [3] Ut *relinquo*. — [4] *Coquo*.

Unum duntaxat *meio i* consonantem ante *o* habet. Diomedes, l. I, p. 366; Phocas, p. 1716; Priscianus, l. IX, p. 871, aiunt *mingo* facere præterito *minxi*. *Meio* vero ait Diomedes facere *meii* et *minxi* (1). Priscianus nullum ei præteritum tribuit. Quidam putant *mingo* esse barbarum, quia in libris qui modo extant non reperitur; verisimile tamen est Phocam et Diomedem id legisse apud veteres. — *Alo alitum* vel *altum* supino facit; *altus* participium sæpenumero invenitur; *alitus*, rarius. Valer. Max., l. V, c. 4, 7 : « Quid enim tam inusitatum, tam inauditum, quam matrem natæ uberibus *alitam esse?* » — *Cello, is* jam prorsus exolevit. — *Celsus, excelsus, præcelsus* nomina potius videntur quam participia. *Excelleo, es* secundi ordinis usus est Cicero prima epistola ad filium, teste Prisciano, l. X, p. 896 : « Quare effice et labora ut *excelleas*. » *Cello* sine diphthongo scribitur, a quo *excello*, *præcello*, *antecello*, *percello* deducit Priscianus, qui *excello, is* putat facere *exculi*, quemadmodum *perculi*, vel ut alii, inquit ille, *excellui*. Probus, l. I, p. 1487, ubi agit de *lo* syllaba finitis: « Tertiæ correptæ, inquit, aut *lui*, ut *excello, excellis, excellui*; aut *li*, ut *tollo, sustollo, sustuli*. » Itaque *antecello, præcello, excello, lui* faciunt. — *Refello* supino caret. — *Tollo* quondam *tetuli* fecit. — *Sallo, is* tertiæ est conjugationis. Sallustius, III Hist., apud Priscianum, l. X, p. 909 : « Parte consumpta reliqua cadaverum, ad diuturnitatem usus *sallerent*. » Mumius, apud eumdem, p. 910 : « Isthæc sum multo sale *salsurus*. » *Salio, is* quartæ est. Cornel. Severus, l. VIII, apud Priscianum, p. 910 : « Ad quem *saliti* pumiliones afferebantur. » Celsus, l. II, c. 18 : « Item pisces omnes, qui salem non patiuntur, solidive *saliuntur*. » Visum est *salio* simplici potius quam gemino *l* scribere, cum prima corripiatur apud Ovidium, Metam. III, v. 587. Phocas, p. 1715, et Diomedes, l. I, p. 366, verbum *adimo* a *demo*, alii ab *emo* deducunt. — *Crevi* pro *vidi, judicavi* usi sunt prisci. *Crevi* hæreditatem, pro *adii* aliquoties apud Ciceronem invenitur, ad Att., l. XI, ep. 2, 1. — Præteritum *tempsi*, supinumque *temptum* non facile reperias; compositum *contempsi, contemptum* usitatissimum est. — *Crepo, is* tertiæ conjugationis quoque hic a quibusdam ponitur; non videtur esse in usu. — *Linquo* caret supino; composita habent, ut *relictum, delictum*. — De verbo *currendi* et ex eo compositis initio dictum est.

(1) Hæc Diomedes l. I, p. 366, Putsch : « *Mingo, minxi* sed *mio, mis, mit*, et *meio, meias, meiavi* dicitur et *mixi*. » In edit. Putsch, Phocas habet *meio, minxi*; sed apud Lindemann. : « *mingo, minxi*. »

216. *Ferre*[1] *tuli latum*que; *uro* dabit *ussit* et *ustum*.
Præteritum *verri* a *verro* est, *versum*que supinum.
A *sero* fit *sevi* atque *satum*; *vi* rustica proles[2]
Fert et *itum*; dat *ui*, *ertum* aliena a rure propago[3].
So[4] *sivi situm*que petit; dat *visere visi*
Ac *visum*; *incesso, incessi* tamen absque supino.

[1] *Fero*. — [2] Ut *obsero, circumsero*. — [3] Ut *exero, desero*. — [4] Ut *capesso, facesso*.

Doceantur pueri verbum *fero* cum præpositionibus *ad, ex, con, in, dis* copulare, quæ sæpe eis negotium facessunt : *affero, attuli, allatum; effero, extuli, elatum; confero, contuli, collatum; infero, intuli, illatum; differo, distuli, dilatum.*—« *Verro,* inquit Priscianus, l. X, p. 900, secundum Servium, *versi* facit; secundum Charisium autem, *verri,* quod et usus comprobat. Licinus Macer, pro Tuscis : « Quos oportuit amissa restituere, hisce » etiam reliquias *averrerunt.* » Publius in Muro Mutone : « Cellas servorum *converri.* » Hæc ille. *Versi* tunc licebit utaris, cum legeris apud classicos. Diomedes, l. I, p. 375, ait verborum *verro, meto, furo* non facile reperiri præteritum; *versus* tamen a *verro* fieri. Seneca, in dialogis de Superst., *versa* templa; et Plautus in Pseudolo, I, 2, 31, *versa* sparsa.

Sero apud vetustissimos etiam *serui* fecit, ut ex Ennio et Catone constat apud Priscianum, l. X, p. 900; supinum *sertum,* unde est illud Lucani, l. X, v. 164 :

. . . . . *Sertas* nardo florente coronas;

unde et *serta* dicta sunt. Composita quæ ad rem rusticam pertinent, faciunt præterito *evi,* supino *itum,* ut *insero, insevi, insitum,* unde *insitiones* dicuntur; *dissero,* hoc est, dissemino, *dissevi, dissitum; consero,* simul sero, *consevi, consitum; assero,* juxta sero, *assevi, assitum.* Quæ vero a simplicis significatione recedunt, *erui* et *ertum* faciunt, ut *insero,* id est, immitto, *inserui, insertum;* sic *dissero,* hoc est, disputo; *consero,* misceo, certo; unde *conserere* prælium, certamen, manum, etc.; *assero,* affirmo. *Obsero,* circumsero, vel potius sero ut simplex, *obsevi, itum* tantum. *Exero,* id est, extraho, *exerui, exertum* tantum; *desero,* derelinquo, *deserui, desertum :* hoc raro ad rem rusticam pertinet. Varro, de Re rustica, l. I, c. 23 : « Nam et in recentibus pomariis *desitis* seminibus, etc. »

Capesso, capessivi, capessitum. Tacit., Annal. l. XV, c. 49 : « At Flavius Scevinus et Afranius Quintianus, uterque senatorii ordinis, contra famam sui principium tanti facinoris *capessivere.* » Ibidem, l. XII, c. 30 : « Igitur degressus castellis Vannius funditur prælio; quanquam rebus adversis laudatus, quod et pugnam manu *capessivit* (1), et corpore adverso vulnera excepit. » Idem, l. XIII, c. 25, verbo imminuto usus est : « Sed qui nondum honorem *capessisset,* etc. » D. Augustinus, de Civit. Dei, l. II, c. 11, verba Ciceronis ex l. IV de Rep. referens, sic ait : « Siquidem quod in eo quoque de Republica libro commemoratur, et Æschines Atheniensis, vir eloquentissimus, cum adolescens tragœdias actitavisset, rempublicam *capessivit.* » Tacit., Annal., l. XII, c. 25 : « Consuleret reipublicæ Britannici pueritiam robore circumdaret; sic apud D. Augustum, quanquam nepotibus subnixum, viguisse privignos; a Tiberio super propriam stirpem Germanicum assumptum, se quoque accingeret, juvene partem curarum *capessituro.* » — *Facesso* itidem, *facessivi, facessitum.* Idem, Hist. l. IV, c. 43 : « Igitur a laude Cluvii Rufi, qui perinde dives et eloquentia clarus, nulli unquam sub Nerone periculum *facessisset;* » hic imminuto verbo usus est, pro *facessivisset,* quod ita esse docet supinum *fecessitum.* Cic., Verr. act. II, l. IV, c. 64, 142 : « Antea quum audissent ei negotium *facessitum,* etc. » Illud Divinat. in Cæcil., c. 14, 45 : « Ipse profecto metuere incipies, ne innocenti periculum *facesseris,* » in libris quibusdam, ut Priscianus, l. X, p. 902, inquit, *facessieris* legitur, quod propius vero est. Grammatici qui hæc putarunt in *si, sum* exisse, non videntur syllabæ imminutionem animadvertisse. Nam et Caper apud Priscianum *lacessi* putavit esse præteritum a verbo *lacesso,* cum legisset apud Lucilium, XIV, *lacessisse.* Cicero modo imminuto, modo pleno verbo utitur. Fam., l. XI, ep. 3 : « Nos, Antoni, te nulla *lacessivimus* injuria. » Idem in Pisonem, c. 23, 55 : « Sponsione me, ni Esquilina introisset, homo promptus *lacessivit.* » Idem, Philipp. II, c. 1, 1 : « Tu ne verbo quidem violatus ultro me maledictis *lacessisti.* » Terent., prologo Phorm., v. 13 :

Vetus si poeta non *lacessisset* prior.

Livius, l. X, c. 27 : « Per biduum *lacessiere* hostem. » — *Accersio* et *lacessio* etiam quartæ conjugationis reperiuntur. Idem, l. III, c. 45 : « Placere itaque patrem *accersiri* (2). » Columel., l. IX, c. 8 : « Solent cœli novitate *lacessiri.* » *Incesso, in-*

(1) Lemaire et Teubner : *capessiit.*

(2) Lemaire et Drakenborch, *arcessi;* Teubner vero, *accessiri.*

cessi. Cæsar, Bello civ., l. III, c. 74 : « Exercitui quidem omni tantus *incessit* ex incommodo dolor, etc. » Livius, l. XXIV, c. 13 : « Ipsum ingens cupido *incesserat* Tarenti potiundi. » Idem, l. III, c. 59 : « Ingens metus *incesserat* patres. » Tacit., Annal. l. III, c. 71 : « Quotiens valetudo adversa Flaminem Dialem *incessisset.* » Columel., l. XII, c. 17 : « Pluviæ *incesserunt.* »

217. *Pinsitus* ac *pistus*, *pinsus*que a *pinsuit* exit.
Xi, xum dant *plecto*, cum *flecto, nectere, pecto;*
Dant quoque *pecto xui, necto*que; *peto ivit* et *itum;*
Stertuit (1) a *sterto* tantum; *meto messuit* optat.
Ad *messum*, *s* gemino; *misi* dat *mitto*, supinum
S duplici *missum;* a *verti* [1] deducito *versum.*
Sisto, stiti, statum, activum; neutrale sequetur
Sto verbum; unde *stiti* atque *stitum* sibi pignora [2] sument
A *vixi* [3] *victum;* a *volvi* [4] deflecte *volutum.*
Texui amat *texo* ac *textum, solvi*que [5] *solutum.*

[1] *Verto.* — [2] Ut *resisto, insisto.* — [3] *Vivo.* — [4] *Volvo.* — [5] *Solvo.*

Pinso, pinsui, pinsitum, pinsum, pistum facit. Columel., l. XII, c. 27 : « Irim bene *pinsitam*, nec plus unciæ pondere addito. » Vitruvius, l. VII, c. 1 : « Et id *pinsum* absolutum non minus crassitudine sit dodrantis. » Ibid : « Idque *pinsum* absolutum ne minus pede sit crassum. » Plinius, l. XVIII, c. 20, 6 : « Si *pistæ* serantur. » « *Pecto*, inquit Priscianus, l. X, p. 902, cujus præteritum plerique *pexui*, Asper tamen *pectivi*, Charisius *pexi* protulerunt. Mæcenas in Octavia :

» *Pexisti* capillum naturæ muneribus gratum. »

Hæc ille. Columel, l. X, v. 94 :

Verum ubi jam puro discrimine *pectita* tellus.

Idem, l. XII, c. 3, ante med. : « Præparatæ sint, et *pectitæ* lanæ. » — *Nexo, is,* si tamen unquam fuit, jam exolevit; nam illud Virgilii Æn. V, v. 425, quod Priscianus, l. IX, p. 861, affert :

Et paribus palmas amborum *innexuit* armis,

affert Diomedes, l. I, p. 366, ut doceat *necto nexui* facere, non *nexo.* — *Sisto*, activum, præterito facit *stiti*, ut docet Gellius, l. II, c. 14, supino *statum*, ut docent jurisperiti, Digest. l. II, tit. 10 : « Si quis cautionibus judicio sistendi causa factis non obtemperaverit. » Ulpian.: « Quum quis judicio sisti promiserit, neque adjecerit pœnam, si *statum* non *esset* (2). » Ibidem sæpe etiam preteritum invenies. — Cum vero neutrum est, commune habet præteritum cum verbo *sto*. Composita neutra sunt, et tam in præterito quam in supino *i* vocalem servant, ut *resisto, resisti, restitum;* sic *subsisto, obsisto, persisto, insisto*, quorum supinis tutius uteris, cum apud probatos scriptores legeris. Quid Diomedes, l. I, pp. 369, 376; quid Priscianus, l. X, p. 903, de *sisto*, verbo activo, senserit, satius esse puto silentio involvere, quam tibi

(1) Ruddim. Etym., l. III, c. 1, præcept. 39, nota 81, postquam admonuit præteritum *sterti* a duobus fuisse admissum, quin exemplo confirmarent, addit : « Sed (quod omnes fugisse videtur) locupletissimum hujus præteriti exemplum suppeditat Ovidius, Heroid. VIII, 21 :

Si socer ignavus vidua *stertisset* in aula,
Nupta foret Paridi mater, ut ante fuit.

Eodemque tempore dictum accipio illud ejusdem Persii, III, 3 :

Stertimus indomitum quod despumare Falernum
Sufficiat. »

Editio quidem Variorum habet *stertisset;* Burmannus vero et alii post ipsum *sedisset* scribunt; neque Forcellini aliud affert quam *stertui.*

(2) In edit. Tauchnitz, Lipsiæ, 1829, verba ab Alvaro allata reperies, tit. 5 : « Si quis in jus vocatus non ierit,... » hoc modo : « Cum quis ....neque adjecerit pœnam, si *status* non esset. » Cæterum, tit. « Si quis cautionibus, » qui est 11, participium *status* invenitur.

fastidium movere. *Statum*, supinum a *sisto*, videtur priorem producere, cum inde *Jupiter stator* deducatur priore longa; Ovidius, Fastorum VI, v. 793 :

> Tempus idem *statoris* erit, quod Romulus olim
> Ante Palatini condidit ora jugi (3).

Calvo, quod *calvi* facit, teste Prisciano, l. X, p. 883, tanquam priscum et obsoletum prætermissum est.

(3) Cnipping, Oxonienses, Lemaire, Teubner :
Tempus idem *stator ædis habet*, quam Romulus olim.

« Olim, ait Oxoniensis edit., edebatur : « Tempus idem » *statoris* erit, » producta in *statoris* prima syllaba, quod ferri nequit. Heinsius igitur ex Ursini optimo, uno Patavino et Margine Sarraviani, *stator ædis habet*, recepit. » Hæc jam notaverat Cnipping.

QUARTA CONJUGATIO

218. *Ivi, itum*, ut *polio, fastidio*, quarta requirit.
Fert *veni, ventum, venio; sepelire* [1] *sepultum.*
Singultum singultit [2] amat; dat *amixit* [3] *amictum.*
Ex *pario* natum [4] per *ui* flectatur et *ertum.*
*Comperio reperit*que [5] petit *ri*, poscit et *ertum.*
Sancio dat *sanxi, sanctum*, simul optat et *itum;*
Sentio vult *si, sum; sepsi* dat *sepio, septum.*
Hausi [6] fert *haustum;* dat *vinxi vincio, vinctum.*
Farcio dat *farsi, fartum;* vult *fulcio fulsi*
Ac *fultum; sarsi, sartum* dat *sarcio* verbum.
Veneo fert *venum*, quod ferme *veniit* optat.
Dat *salui* [7] *saltum :* proles [8] sibi vindicat *ultum.*

[1] *Sepelio.* — [2] *Singultio.* — [3] *Amicio.* — [4] Ut *aperio, operio.* — [5] *Reperio.* — [6] *Haurio.* — [7] *Salio.* — [8] *Insilio.*

Probus, p. 1480, Phocas, p. 1717, Diomedes, l. I, p. 367, Priscianus, l. X, p. 905, docent verba quarti ordinis facere *ivi*, vel *ii* gemino *i*, ut *audivi* vel *audii, munivi* vel *munii*, etc. Alia tamen aliis usitatiora sunt, id quod assidua lectio docebit; aliis præterea oratores, aliis poetæ frequentius utuntur. Solus Diomedes ex veteribus, si bene memini, verbi *amiciendi* mentionem facit, et, quod mirum est, inter verba tertii ordinis. « Secunda forma, inquit, l. I, p. 364, in *i* puram litteram desinit, ut *alo, alui; arguo, argui*, etc.; quod quidam exterminant, *amicio, amicui*, ut Brutus in laudatione Appii Claudii : « Qui te toga prætexta » *amicuit.* » Sed Varro in Cinorhetore : « Celerius mater *amixit.* » Hæc ille. *Amicio* docet Horatius quarti esse ordinis, l. II, epist. I, v. 269 :

> Deferar in vicum vendentis thus et odores,
> Et piper, et quidquid chartis *amicitur* ineptis.

Item Ovidius, Pont. l. III, eleg. 8, v. 13, et Metam. l. V, v. 546. — Participium *amictus* frequentissimum est. Cicero, II Phil., c. 34, 85 : « Sedebat in rostris collega tuus *amictus* toga purpurea. » *Amixi* magis placet quam *amicui :* ut enim *sancio, vincio, xi* faciunt, ita *amicio.*—Livius, l. XLIV, c. 39, *sepivi* dixit : « Ideo cum munimentis ea *sepissent;* » pro *sepivissent.* — *Haurio haurivi*, vel potius *haurii*, interdum facit. Varro apud Priscianum, l. X,

p. 905, ad Ciceronem : « Cum inde *haurierint.* » Apud Apul. aliquoties *hauritum* reperitur. Virgilius, Æn. IV, v. 383, *hausurum* dixit. — *Salio* etiam *salii* facit. Stat., Theb. l. IX, v. 132 :

. . . . . Expulsi *salierunt* cuspide dentes.

Virgil., Georg. II, v. 384 :

Mollibus in pratis unctos *saliere* per utres;

in quibusdam tamen libris, teste Prisciano, l. X, p. 906, *saluere* invenitur. — *Raucio* invenio apud eumdem Priscianum, ibid., p. 904, cujus tamen neque Phocas, neque Diomedes meminerunt, citatque Ciceronem, de Orat., l. I, c. 61, 259 : « At Æsopum, si paulum *irrauserit*, explodi; » qui locus nunc sic habet : « Itaque nos raucos sæpe attentissime audiri video, tenet enim res ipsa, atque causa; at Æsopum si paulum *irraucuerit* (1), explodi. » Est igitur prima positio *irrauceo.* — *Cambio, campsi* (2) posuit Charisius, l. III, p. 219, quo tum demum uteris, cum apud bonos auctores inveneris.

(1) Orellius notat editiones veteres habere *irraucuerit;* sed ipse scribit *irrauserit;* atque post ipsum Teubner.

(2) Putsch scribit *cambsi*, quod negat Priscianus fieri posse, l. X, p. 883 : « Nunquam enim *b* ante *s* in principio syllabæ potest inveniri, ut *Pseudolus, ipse.* »

DE PRÆTERITIS ET SUPINIS VERBORUM DEPONENTIUM

219. Ex *or* finitis activam fingito vocem,
Ut *vereor, vereo, veritum;* fluet inde supinum,
Præteritumque simul *veritus sum;* cætera fingi
Hac ratione queunt. Pauca excipienda memento.
A *reor*, esto *ratus; nanciscor, nactus* habeto.
Orsus ab *ordiri* deducitur; *usus* ab *utor.*
Vult *fateor fassus; proficiscor* sume *profectus.*
Metiri mensus gignit, *pactus*que *paciscor.*
*Com*que *miniscor* amat *commentum; adipiscor, adeptum.*
Ultus ab *ulciscor* venit; *expergiscor* habebit
Experrectus; at *oblitum obliviscor* adoptat.
Da *labor lapsus; misereri* funde *misertus.*
Fert *utus loquor*, atque *sequor; queror* accipe *questus.*
Dat *nitor nixus nisus*que; *gradi* (1) accipe *gressus.*
Redde *fruor, fruitus; morior* tibi *mortuus* hæret.
Nascor amat *natus*; tandem fert *ortus oriri.*
In tribus extremis per *iturus* flecte futurum.

Verborum deponentium atque communium præterita et supina hoc modo investigantur : Finge primum vocem activam, deinde redde ei præteritum supinumque, prout postulant tradita præcepta. Verbi causa, ex verbo *lætor*, finge *læto, as,*

(1) « Infinitum *gradi*, ait Forcellini, vereor ut sit in usu, præterquam in compositis, » quibus scilicet *a* mutatur in *e*, *aggredi, congredi,* etc.

unde fiet *lætavi*, *lætatum;* ex *vereor*, finge *vereo*, unde *verui*, *veritum;* ex *fungor*, *fungo*, unde *funxi*, *functum;* ex *potior*, *potio*, unde *potivi*, *potitum*, quemadmodum quatuor conjugationum præcepta postulant. Postremo, rejectis præteritis vocis activæ, deduces ex supinis participia præteriti temporis, unde, adhibito verbo substantivo, fient præterita, *lætatus sum, veritus sum*, et cætera eodem modo.

Depaciscor, *depactus sum*. Cicero, de Invent., l. II, c. 24, 72 : « *Depactus est* cum eis ut arma et impedimenta relinqueret. » *Depectus* legitur etiam apud Ulpianum, Digest, l. III, tit. VI, lege 3, ubi tamen quædam exemplaria *depactus* habent. Quidam *depeciscor* , *depectus sum* pro *depaciscor*, *depactus sum* scribunt; malim per *a* scribere. — *Com*que *miniscor*, pro *comminiscor;* aliter non poterat carmen ingredi. — Verbo *apiscor* utitur Tacitus, Annal. l. VI, c. 45 : « Nihil abnuentem, dum dominationis *apisceretur*. » Ibid., c. 3 : « At Junium Gallionem, qui censuerat ut prætoriani, actis stipendiis, jus *apiscerentur* in quatuordecim ordinibus sedendi, violenter increpuit. » *Apiscor aptus sum* fecit apud priscos, unde *adipiscor*, *adeptus sum*, et *indipiscor*, *indeptus sum*. Pacuvius Hermion. : « Quod ego in acie celebri objectans vitam, bellando *aptus sum*. » Vide Non. Marcellum, c. 4, 3. — *Fruor fruitum* facit. Cic., Tusc., l. 3, c. 17, 38 : « Zeno, Stoicorum acutissimus contendere et magna voce dicere solebat, eum esse beatum, qui præsentibus voluptatibus frueretur confideretque se *fruiturum*. » Ulpianus, Digest., l. VII, tit. IV : Quibus modis usus fructus, vel usus amittitur, lege 29 : « Licet proprietarius mihi pensionem solverit, tamen usum fructum amitti; quia non meo nomine, sed suo *fruitus est* emptor. » Novius apud Gellium, l. XVII, c. 2 : « Qui non parsit, apud se *fruitus est* (2). » Cicero in Hortensio : « Summa amœnitate *perfructus est* » dixit, teste Prisciano, l. X, p. 883. — *Nixus* frequentissimum est; *nisus*, rarius. Vitruvius, l. I, c. 1 in fine : « Ut architectus his literis imbutus hæc *nisus sum* scribere. » *Enixus* ad partum spectat; *enisus*, ad cæteros conatus. Cic., ad Quint. Fr., l. III, ep. 9, 2 : « Angit unus Milo; sed velim finem afferat consulatus; in quo enitar non minus quam sum *enisus* in nostro. » Cæsar, Bello civ, l. II, c. 6 : « Brutus celeritate navis *enisus est*, ut parvo momento antecederet. » *Adnisus* sive *annisus* frequens est. Livius, l. V, c. 25 : « Et patres hoc idem de intercessoribus legis *annisi*. » Idem, l. IV, c. 43 : « Patres summa ope *annisi sunt*. » Sic *annisurus*. L. II, c. 39 : « *Annisurum*, ut appareat exilio sibi irritatos, non fractos animos esse. » Idem, l. XLIV, c. 22 : « Illud affirmare pro certo habeo audeoque, me omni ope *adnisurum esse* ne frustra vos hanc spem de me conceperitis. » Idem, l. I, c. 9, *annixurus* dixit : « Quod *annixurus* pro se quisque sit. » *Connisus* memini legisse apud Tacitum. — *Adnixus, connixus, innixus, obnixus* per *x* literam. Diomedes, l. I, p. 371, et Servius in illud Virgilii, Æn. I, v. 148 :

> Cymothoe simul et Triton *adnixus* acuto
> Detrudunt naves scopulo,

aiunt apud veteres hæc per *x* literam, sua vero ætate per *s* fuisse scripta.

A verbis *morior, nascor, orior*, fiunt participia *moriturus*, *nasciturus*, *oriturus*. Portius Latro, Declam. in Catil., c. 8 : « Famam vero popularem a majoribus nostris sæpenumero accepimus, neque temere unquam *nascituram esse*, neque temere occasuram. » *Nasciturus* adeo rarum est, ut Phocas, p. 1722, dixerit *nascor* eo destitui. — *Tutum* a *tuor* non est in usu. *Tuitus sum* a *tueor* fit. Quintilianus in Declam. I, c. 13, pro Cæco : « *Tuitus sum* adolescentis miserrimi causam. » Plinius, l. VI, ep. 29, 10 : « *Tuitus sum* Julium Bassum; » neque est cur excipiatur, cum analogiam sequatur. — *Fatiscor*, quod quidam putant *fessus sum* facere, nondum potui invenire; illud tamen apud Gellium, l. XVII, c. 2, legi : « *Fatiscor* a *fateor* fieri, ut *fruniscor* a *fruor*. » Diomedes, l. I, p. 372, *fessus* docet nomen esse his verbis : « *Fatigor fatigatus sum* facit, non *fessus;* et longe falluntur, qui opinantur ex *fatigor fessus* derivari : nam *fessus* est appellatio. » Hæc ille.

Priscianus, l. X, p. 888, ait *defetiscor* facere supino *defessum*, et præterito *defessus sum*. *Defessus* tamen, ut *fessus*, nomen potius videtur. Itaque

---

(2) Veteres editiones habent *fruitus;* recentiores post Gronov. *frunitus;* discrimen idem in *fruisci* et *frunisci*.

existimo *defetiscor* præterito carere. *Defatiscor* apud Terentium est, Phorm. act. IV, sc. 1, v. 588 :

> Neque *defatiscar* unquam ego experirier,
> Donec tibi id quod pollicitus sum effecero.

Liceor et *opperior* non carent supinis, ut quidam existimant. Cicero, Verr. act. II, l. III, c. 33, 77 : « Herbitenses, quum viderent, si ad Æschrionem pretium recidisset, se ad arbitrium libidinosissimæ mulieris spoliatum iri, *liciti sunt* usque eo quoad se efficere posse arbitrabantur. » Terentius, Phorm. act. III, sc. 2, v. 513 :

> Si non tum dedero, unam præterea horam ne *oppertus* [*sies.*

Si utriusque vocem activam finxeris, existet et præteritum et supinum.

DE INSTITUTIONE GRAMMATICA

LIBER SECUNDUS

DE OCTO PARTIUM ORATIONIS

CONSTRUCTIONE

QUID SIT SYNTAXIS ET IN QUOT PARTES DISTRIBUATUR

220. *Syntaxis* græce, latine *constructio*, est recta partium orationis inter se compositio. Porro recta compositio censenda est, qua usi sunt auctores qui pure et emendate scripserunt. Hæc duplex est : altera *transitiva*, cum partes nimirum orationis in casum dissimilem præcedenti transeunt : Cicero, Att., l. II, ep. 20, 1 : « Pompeius amat nos, carosque habet; » altera *intransitiva*, cum orationis partes aut nullum post se casum habent : idem ad Quintum Fr., l. III, ep. 3, 1 : « Valent pueri, studiose discunt, diligenter docentur; » aut certe non diversum ab eo qui antecessit : idem, Phil. II, c. 44, 113 : « Pax est tranquilla libertas. » Utraque in *justam* et *figuratam* dividitur : illa omnibus suis numeris perfecta atque expleta est; idem Lentulo, Fam., l. I, ep. 1, 1 : « Ego omni officio, ac potius pietate erga te cæteris satisfacio omnibus; mihi ipse nunquam satisfacio; » in hac, ut plena sit, non nihil desideratur; idem ad Att., l. XV, ep. 17, 2 : « Ego, si Tiro ad me, cogito in Tusculanum; » quæ omnibus suis numeris absoluta erit, si duo verba addas hoc modo : « Ego, si Tiro ad me *venerit*, cogito in Tusculanum *proficisci;* » aut mutatur aliquid, ut justa efficiatur; idem ad eumdem, l. XIII, ep. 28, 1 : « Quam enim turpis est assentatio, quum *vivere* ipsum turpe sit nobis. » Si *vita ipsa* dixisset, justa erat.

De figurata copiosius postremo loco dicendum est. Nunc a justa, eaque intransitiva, quod facilior expeditiorque sit, initium faciemus; ad quam antequam aggredior, illud etiam atque etiam eos rogatos velim qui hunc libellum sunt lecturi, ut ne ægre ferant, si syntaxeos præcepta pluribus interdum illustrata exemplis offenderint : neque enim casu aut temere, sed consulte et cogitato id factum est. Nam cum grammaticæ præceptiones aridæ, jejunæ et insulsæ ipsæ per se sint, nisi veterum scriptorum nitore et elegantia condiantur, brevi domestica barbarie latinæ linguæ rudes infuscabunt.

DE

CONSTRUCTIONE INTRANSITIVA

(DE NOMINE ET VERBO)

221. Verbum personale finiti modi antecedit nominativus aperte vel occulte ejusdem numeri et personæ.

Cicero, l. IV : « Si *vales*, bene est; *ego* quidem *valeo*. » Terentius, Eunuch. act. I, sc. 2, v. 86 :

Quis hic *loquitur?*

Idem, ibid., act. III, sc. 2, v. 465 :

Quid *stamus*, cur non *imus* hinc?

Etsi verba quæ *impersonalia* vocantur, fere antecedit nominandi casus aperte vel occulte, ut suis locis planum faciemus, satius tamen visum est a vulgari et communi præceptione non discedere, atque in re non ita magni momenti connivere, quam stomachum iis movere, in quorum animis vetus opinio jam olim penitus insedisset. Quanquam, si quis hæc ad vivum resecare velit, nonnulla procul dubio verba reperiet, quæ nullum prorsus ante se casum habeant. Varro, de Ling. lat., l. X, 32, verba impersonalia appellat declinationum species quæ habent tempora sine personis; quas species ait esse quatuor : *rogandi*, ut *seriturne* et *sereturne? respondendi*, eadem figura fieri extremis syllabis demptis; *optandi*, ut *vivatur, ametur, viveretur, amaretur; imperandi*, etc.; qui Varronis locus locupletissimus testis est, etiam Ciceronis ætate, fuisse cognita verba quæ posteri *impersonalia* nominarunt. Gellius, l. XV, c. 13, more nostro locutus est. *Veritum*, inquit, sicut *puditum, pigitum*, non personaliter per infinitum modum dictum esse non a vetustioribus tantum videmus, sed a M. quoque Tullio, II de Fin. (c. 13, 39) : « Primum, inquit, Aristippi Cyrenaicorumque omnium, quos non *est veritum* in ea voluptate, quæ maxima dulcedine sensum moveret, summum bonum ponere. » Hæc ideo attulimus, ut intelligeremus non esse hoc verborum genus a junioribus grammaticis confictum. Qui impersonalia de medio sustulerunt, non satis eorum naturam vimque vocabuli videntur perspexisse. Non enim ita impersonalia appellantur, ut *in* præpositio privationem nominativi personæ, ut vocant, agentis vel patientis declaret, ut vulgo persuasum est; sed ideo impersonalia, sive species declinationum quæ habent tempora sine personis a Varrone dicuntur, propterea quod privantur præcipuis personis, hoc est, prima et secunda; atque ita se rem habere ex eodem Varrone suo loco apertissime demonstrabimus. Qua de re hoc loco ne verbum quidem faciat præceptor, qui suis auditoribus consultum volet.

Agentis et *patientis* voces, quas plerique huic præcepto addunt, consulto prætermisimus, tum quod parum faciant ad ejus cognitionem, tum vel maxime, ne cui ansam præberemus philosophandi, non sine temporis jactura et puerorum cruciatu.

APPENDIX I.

222. Prima et secunda persona fere non explicantur, nisi cum diversa studia significamus. Auctor ad Herennium, l. IV, c. 53, 66 : « *Ego* capitis mei periculo patriam liberavi, *vos* liberi sine periculo esse non curatis? »

Aut cum plus significamus quam dicimus. Idem, ibid., c. 30, 41 : « *Tu* ista nunc audes dicere? » Cicero in Verrem, Act. II, l. III, c. 16, 43 : « *Tu* innocentior quam Metellus? » *Tu* plus significat quam verbum ipsum per se declarat.

Hic, ne aut discretionis aut emphasis nomine terreantur tirones, rem teneant; vocabula discent suo tempore. Admoneantur sæpenumero ne tertio quoque verbo, ut fit, *ego, tu, nos, vos* non sine nausea effutiant. Aliis præterea de causis explicantur hæ personæ, quas veterum scriptis legendis usus, optimus magister, docebit.

APPENDIX II.

223. Verbum infinitum interdum partes nominativi agit. Cicero in Orat., c. 22, 74 : « *Oportere* enim perfectionem declarat officii. » Terentius in Heaut., act. III, sc. 2, v. 549 :

Non est *mentiri* meum.

Item verbum cum suo casu. Cicero ad Marium, Famil., l. VII, ep. 3, 4 : « *Vacare culpa* magnum est solatium. » Brutus ad Atticum, l. I, ep. 17 in fine : « Dolet mihi, *quod tu nunc stomacharis.* »

Verba *apparet, fallit, fugit, prœterit, latet,* interdum loco nominativi membrum orationis habent. Cicero, Philip. II, c. 34, 84 : « Non dissimulat, Patres conscripti, apparet *esse commotum,* sudat, pallet. » Idem in Bruto, c. 58, 211 : « Legimus epistolas Corneliæ, matris Gracchorum; apparet *filios non tam in gremio educatos,* quam in sermone matris. » Idem ad Att., l. XII, ep. 32, 1 : « Apparebat *illas literas non ipsius esse.* » Idem in Orat., c. 67, 225 : « Quem, quæso, nostrum fefellit *ita vos esse facturos?* » Livius, l. XXXI, c. 25 : « Non fefellit Achæos *quo spectasset tam benigna pollicitatio.* » Cicero ad Att., l. VII, ep. 18, 3 : « De Dionysio fugit *me ad te antea scribere.* » Idem ad Silium, Famil., l. XIII, ep. 65, 1 : « Non me præterit *nos eam rem Ephesi expertos esse.* » Plinius, l. II, c. 18, 1 : « Latet plerosque *magna cœli assectatione compertum a principibus doctrinæ viris superiorum trium siderum ignes esse.* »

Idem accidit nonnunquam verbis passivis. Cicero, de Amic., c. 15, 53 : « *Tarquinium dixisse* fertur (1), tum cum exul esset, se intellexisse quos fidos amicos habuisset, quos infidos. » Idem, Tusc. l. V, c. 16, 47 : « Ex quibus *bonorum beatam esse vitam* concluditur. » Plinius, l. VIII, c. 50, 7 : « *Qualem fuisse* traditur (2) *Q. Sertorii* cervam. » Quod idem verbo *videtur* usu venit, modo aperte : Cicero, Tusc. l. V, c. 5, 12 : « Non mihi videtur *ad beate vivendum satis posse virtutem* (3); » modo obscure : idem ad Att., l. XII, ep. 28, 3 : « Velim aliquando, cum erit tuum commodum, Lentulum puerum visas, eique de mancipiis, *quæ* tibi videbitur, attribuas; » deest enim *attribuenda esse.* Ad eumdem, ibid., ep. 30 : « Quod Lentulum invisis, valde gratum; pueros attribue ei *quot et quos* videbitur; » deest *attribuen-*

(1) Orellius et Teubner, *ferunt.*

(2) Sic antiquæ editiones; Dalecampius et seqq. : *tradunt.*

(3) Sic d'Olivet, Lallemand, Ernesti, Lemaire, Orellius et Teubner.

dos esse. Plura ejusdem exempla adjungam, quæ Budæus in Comment. linguæ græcæ, p.1002, affert. Pro C. Rab., c. 7, 20 : « Fit senatusconsultum ut C. Marius, L. Valerius, consules, adhiberent tribunos plebis et prætores, *quos* eis videretur. » Idem in Frumentaria, Verr. act. II, l. III, c. 7, 18 : « Consulibus Senatus permisit ut vini et olei decumas, quas ante te vendere in Sicilia quæstores consuessent, Romæ venderent, legemque his rebus, *quam* ipsis videretur, edicerent. » Cæsar, Bello Gall., l. IV, c. 8 : « Ad hæc, Cæsar *quæ* visum est respondit. » Lege Budæum, si voles plura.

APPENDIX III.

224. Voces copulatæ sæpe verbum plurale desiderant. Cicero ad Atticum, l. XII, ep. 53 : « Hic nobiscum *sunt* Nicias et Valerius. »

Interdum singulari contentæ sunt. Idem, de Senectute, c. 19, 67 : « Mens, et ratio, et consilium in senibus *est.* »

Nonnunquam omittitur conjunctio. Idem ad Quintum Fratrem, l. I, ep. 1, c. 5, 15 : « Frons, oculi, vultus, persæpe mentiuntur; oratio vero sæpissime. »

Voces copulatas appellamus conjunctionibus copulativis vinctas. Hic nulla facienda est mentio syllepseos aut zeugmatis; nec ægre ferat magister bene docendi studiosus, si tenelli auditores figurarum nomina ignorent, dummodo rem ipsam teneant.

Sunt qui non audeant vocibus copulatis verbum singulare attribuere, cum M. Tullius aliique idonei auctores quam frequentissime ita loquantur, maxime ubi de rebus inanimis est sermo. Cicero, pro C. Rab., c. 8, 24 : « Virtus, et honestas, et pudor cum consulibus esse cogebat. » Idem, de Senect., c. 19, 67 : « Mens enim, et ratio, et consilium in senibus *est.* » Idem ad Quint. Fr., l. III, ep. 3, 1 : « Me autem jam et mare istuc et terra *sollicitat.* » Idem ad Octavium, l. II ad Brut., ep. 8 : « Nisi forte frustra eos appello, quorum aures atque animus a nobis *abhorret* (1). » Idem ad Att., l. XII, ep. 25, 1 : « Mihi et res et conditio *placet.* » Idem ad Pompeium, Famil., l. V, ep. 7, 3 : « Scribam aperte, sicut et mea natura et nostra amicitia *postulat.* » Idem, pro Quint., c. 2, 5 : « Non eo dico, C. Aquili, quo mihi *veniat* in dubium tua fides et constantia. » Idem ad Att., l. VII, ep. 3, 10 : « Dionysius noster, qui est nobiscum, et Nicias Cous non *rebatur* oppidum esse Piræea. » Idem ad eumdem, l. XVI, ep. 6, 1 : « *Egit* pater et filius ut tibi sponderem. » Idem, pro Domo sua, c. 31, 82 : « Ubi enim tuleras, ut mihi aqua et ignis (2) *interdiceretur ?* » Idem ad Curionem, Fam., l. II, ep. 6, 4 : « Dux nobis et auctor opus *est.* » Omitto plura ejusdem testimonia. Cæsar, Bello Gall., l. I, c. 1 : « Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, a Belgis Matrona et Sequana *dividit.* » Sallustius, in Catil., c. 52 : « Libertas et anima nostra in dubio *est.* » Ibid. : « Næ ista vobis mansuetudo et misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam *vertet.* » Ibid., c. 50 : « Dispositis præsidiis, uti res atque tempus *monebat.* » Livius, l. I, c. 22 : « Tum ætas viresque, tum avita quoque gloria animum *stimulabat.* » Varro, de Ling. lat., l. VIII, 10 : « Consul *fuit* Tullius et Antonius. » Quintil., l. VI, c. 1, 24 : « *Affert* in his momentum, et ætas, et sexus, et pignora. » Plinius, l. IX, c. 74, 7 : « Piscium lupus et trichias bis anno *parit.* » Suetonius in Claud., c. 30 : « Auctoritas dignitasque formæ non *defuit* vel stanti vel sedenti. » Curtius, l. VIII, c. 7, 12 : « Persarum te vestis et disciplina *delectat.* »

Poetæ etiam verbo plurali aliquando utuntur intercedente præpositione *cum.* Virgilius, Æn. I, v. 292 :

. . . . . Remo cum fratre Quirinus
Jura *dabunt.*

Oratores, singulari. Cicero ad Quint. Fr., l. III, ep. 2, 3 : « Domitius cum Messala certus esse

(1) Orellius, *abhorrent;* ita et Teubner qui post septimam l. II ad Brut. epistolam, sequenti hunc præposuit titulum : « Pseudociceronis epistola ad Octavium. »

(2) Orell. et Teubner : *aqua et igni.*

videbatur. » Idem, I Catil., c. 2, 4 : « *Occisus est* cum liberis M. Fulvius consularis. » Idem ad Att., l. VII, ep. 14, 3 : « Tu ipse cum Sexto scire velim quid *cogites.* »

APPENDIX IV.

225. Verbum plurale nobiliorem personam sequitur.

Prima nobilior est quam secunda et tertia. Secunda tertiæ anteponitur. Cicero ad Terentiam, Famil., l. XIV, ep. 5, 1 : « Si *tu* et Tullia, lux nostra, *valetis*, *ego* et suavissimus Cicero *valemus.* »

Hic utuntur interdum oratores numero singulari, sed rarius. Cicero, pro Rabir. Posth., c. 6, 13 : « Nam quum..... existerent nonnullæ, sed perpaucæ tamen acerbæ sententiæ, quæ censerent ut tribuni, ut præfecti, ut scribæ, ut comites omnes magistratuum lege hac tenerentur; vos, vos, inquam, ipsi, et Senatus frequens *restitit.* » Idem in Sall., c. 3, 10 : « Qui mihi dies, si cum omni reliqua vita conferatur, animo quidem meo superet; cum universi vos populusque Romanus frequens adventu meo *gratulatus est.* »

Poetæ, etiam intercedente præpositione *cum*, verbum multitudinis præstantiori personæ reddunt. Virgilius, Æn. II, v. 434 :

. . . . . *Divellimur* inde
Iphitus et Pelias mecum.

Oratores vero verbum nominativo reddunt, nulla habita ratione ablativi. Cicero ad Att., l. III, ep. 8, 4 : « Atque utinam jam ante vidisses, nec totum animum tuum mœrori mecum *dedisses!* » Quod idem et poetæ faciunt. Horatius in Arte poet., v. 153 :

Tu, quid ego et populus mecum *desideret*, audi.

Ovidius, Fast. I, v. 12 :

Tu quoque cum Druso præmia fratre *feres.*

Verbum personale infiniti modi postulat ante se accusandi casum. Cicero ad Att., l. XV, ep. 9, 2 : « *Hunc* quidem *nimbum* cito transiisse lætor. » Terentius in Adelphis, act. I, sc. 1, v. 80 :

. . . Salvum *te* advenire, Demea,
Gaudemus....

DE ADJECTIVIS ET SUBSTANTIVIS

226. Nomina adjectiva, pronomina et participia cohærent cum suis substantivis, genere, numero et casu.

Cicero, Verr. act. II, l. IV, c. 40, 86 : « Erat *hiems summa, tempestas perfrigida, imber maximus.* » Terentius in Eunucho, act. IV, sc. 3, v. 660 :

Ille autem *bonus vir* nusquam apparet.

Curtius, l. VI, c. 3, 11 : « *Parva* sæpe *scintilla contempta magnum* excitavit *incendium.*

Participia *factus, creditus, dictus, dicendus, visus, appellatus,* et cætera ejusdem generis, si inter duo substantiva ponuntur, non continuo cum precedente consentient. Quis enim sic audeat loqui? Reipublicæ pestis a Cicerone *appellata est Antonius.* Furiam a M. Tullio aiunt *dictam Clodium.* Nec itidem, si post utrumque collocentur, cum alterutro consentire poterunt, nisi quis existimet (ne a propositis exemplis recedamus) bene latine dici : Reipublicæ pestis a Cicerone *Antonius appellata* est. Quid igitur observandum? Ego sic existimo, habendam esse rationem, quod ad constructionem attinet, non collocationis verborum, sed ipsarum rerum; ut enim permutatis verbis non mutatur sensus, ita nec constructionis ratio. Itaque quocumque modo disponantur substantiva, eadem erit constructio. Antonius a Cicerone appellatus est reipublicæ pestis; hic est rerum simplex ordo. Commuta, versa, ut libet, substantiva, muta quadrata rotundis; *Antonius* et participium *appellatus* semper cohærebunt. Livius, l. XXXVI, c. 36 : « Ludique ob dedicationem facti, quos primos scenicos fuisse Valerius Antias auctor est *Megalesia appellatos.* » Idem, l. XXVIII, c. 11 : « Cære porcus biceps, et agnus mas, idemque *femina natus* erat. » Plinius, l. III, c. 9, 9 : « Dein Puteoli *colonia Dicæarchia dicti.* » Ibid., c. 10, 1 : « Oppidum Pœstum Græcis *Posidonia appellatum.* » Justinus, l. I, c. 2, de Semiramide : « Sic, inquit, primis initiis sexum mentita, *puer credita* est. »

Non me fugit interim probatos scriptores aliter locutos fuisse; sed tunc figurata est constructio : quos ita imitabimur, ut ab eorum vestigiis ne digitum quidem discedamus, nisi volumus in solœcismum aut ejus speciem incidere. Cicero, de Divin., l. II, c. 43, 90 : « O delirationem incredibilem! non enim omnis *error* stultitia est *dicenda.* » Terent., Phorm. act. I, sc. 2, v. 93 :

> . . . . . Nunquam æque, inquit, ac modo
> *Paupertas* mihi onus *visum* est (1) et miserum, et [grave.

Livius, l. I, c. 1 : « *Gens* universa Veneti *appellati.* » Idem, l. XXIX, c. 14 : « Populus frequens dona Deæ in Palatium tulit, lectisterniumque et *ludi* fuere Megalesia *appellata.* » Illa : Nescio quid *absente nobis* domi turbatum est; *Triste lupus* stabulis; *Dulce* satis *humor;* et quæ sunt ejusdem generis, ad figuratam constructionem, vel potius hellenismum spectant; quare reserventur suis locis.

(1) Sic Rob. Stephanus, Schrevelius, Camus edit. ad usum Delph. — Bentlei : *visa est,* quo modo legi dicit apud Priscianum, p. 1026; Bentleium secutus est Lemaire, qui annotat « vulgo *visum.* » Teubner, *visumst,* quomodo solet pro *visum est; opust,* pro *opus est, scitast* pro *scita est.*

APPENDIX I.

227. Substantiva conjuncta fere adjectivum multitudinis requirunt. Livius, l. XXIV, c. 6 : « *Hippocrates* et *Epycides nati* Carthagine, sed *oriundi* ab Syracusis. »

Quod si adjectivum singularis sit numeri, cum viciniore substantivo genere, numero et casu consentiet. Q. Cicero, de Petitione consulatus, c. 14, 54 : « Multorum arrogantia, multorum contumacia, multorum malevolentia, multorum superbia, multorum odium ac *molestia perferenda* est. » Terentius in Eunucho, act. II, sc. 3, v. 365 :

> Viden', otium et *cibus* quid facit *alienus?*

Conjuncta appellamus substantiva, quæ connexiva conjunctione colligata sunt; sic Paulus jureconsultus, Digest., l. L, tit. XVI, De verbor. significat., lege 28 : « Oratio, inquit, quæ neque conjunctionem, neque disjunctionem habet, ex mente pronuntiantis vel disjuncta vel conjuncta

accipitur. » Idem, ibid., lege 53 : « Sæpe ita comparatum est, ut conjuncta pro disjunctis accipiantur, et disjuncta pro conjunctis. »

Nonnunquam singulare adjectivum, etc., pluribus substantivis redditur, ita tamen ut cum viciniore cohæreat. Cicero, De universo (fragm., c. 9) : « Nox igitur, et *dies* ad hunc modum et ob has *generata* causas unum circuitum orbis efficit. » Idem, in Pis., c. 4, 9 : « Lex Ælia et *Fusia eversa* est, propugnacula murique tranquillitatis atque otii. »

Poetæ substantivis præpositione *cum* copulatis plurale adjungunt suo jure. Ovid., Metam. II, v. 257 :

Sors eadem *Ismarios Hebrum cum Strymone* siccat.

APPENDIX II.

228. Adjectivum plurale præstantius genus sibi vindicat; virile præstantius est muliebri et neutro.

Terentius in Andria, act. V, sc. 3, v. 892 :

Domus, uxor, *liberi inventi,* invito patre.

Livius, l. XXXVII, c. 3 : « Decem *ingenui*, decem virgines, *patrimi* omnes *matrimi*que.... adhibiti. » Idem, l. I, c. 36 : « *Concilia populi, exercitus vocati.* » Virgilius, Æn. VII, v. 575 :

. . . . . *Cæsos*que reportant
Almonem puerum fœdatique ora Galesi.

Neutrum muliebri præfertur, præcipue cum de rebus inanimatis sermo est. Sallustius in Catil., c. 54 : « Igitur his *genus,* ætas, eloquentia, prope *æqualia* fuere. » Idem, ibid., c. 20 : « Divitiæ, *decus*, gloria in oculis *sita* sunt. »

Adjectivum femininum interdum respondet viciniori substantivo pluralis numeri. Livius, l. XXXVII, c. 57 : « Hoc S. C. *literæ*que a Sp. Posthumio prætore in Etruriam *missæ* sunt. » Lucanus tamen, l. I, v. 175 (si locus non est vitiosus), aliter locutus est :

. . . . . Mensuraque juris
Vis erat; hinc *leges* et plebiscita *coactæ* (1).

Quo exemplo quidam adducti arbitrati sunt neutro generi in universum, femininum præstare; alii vero tum demum muliebre neutrali anteponunt, cum de rebus animatis agitur, ut : *Lucretia* et ejus mancipium sunt *castæ*; alii paulo pressius docent, nimirum id fieri (si tamen unquam reperiatur) cum participium adhibetur, ut : Allocutus sum *matres* vestras, earumque mancipia, vestri desiderio *flagrantes*. Sed cum veterum testimoniis id minime doceant, resque in dubio sit, tutius fuerit circuitione uti, hoc modo : Lucretia castissima fuit, qua virtute etiam ejus mancipium floruit, aut ornatum fuit, aut quid simile. Livius, l. VIII, c. 11, figurate masculino usus est : « *Latium,* inquit, *Capua*que agro *multati;* » non enim ad vocem, sed intellectum retulit, hoc est, *Latini* et *Campani*. Vide Budæum in Comment. linguæ græcæ, p. 1089.

Poetæ suo more, etiam intercedente præpositione *cum*, numerum multitudinis generisque præstantiam amant. Ovidius, Fast. IV, v. 54 :

Illia cum Lauso de Numitore *sati*.

(1) Annotat hic Petr. Aug. Lemaire versum hunc ita citatum inveniri apud Priscianum, p. 1100; editiones tamen quasdam habere *coacta*, « quod, ait, fere malim. »

APPENDIX III.

229. Cum substantivis rerum inanimatarum plerumque jungitur neutrum multitudinis.

Livius, l. XXXVII, c. 32 : « *Ira* et *avaritia* imperio *potentiora* erant. » Idem, l. XXXV, c. 21 : « Formiis *portam murum*que de cœlo *tacta* nuntiatum est. » Idem, l. V, c. 19 : « Jam *ludi Latinæ*que *instaurata erant* (1). »

Ne forte suspiceris apud historicos tantum reperiri hoc genus loquendi, unum atque alterum locum ex Cicerone afferam. De Offic., l. I, c. 4, 14 : « Quam similitudinem natura ratioque ab oculis ad animum transferens multo etiam magis *pulchritudinem, constantiam, ordinem* in consiliis factisque *conservanda* (2) putat. » Idem, de Finib., l. V, c. 12, 35 : « Quamobrem etiam sessiones quædam, et flexi fractique motus, quales protervorum hominum.... esse solent, contra naturam sunt.... Itaque e contrario moderati æqualesque *habitus, affectiones, usus*que corporis *apta* esse ad naturam videntur. »

Cum post neutra, masculina multitudinis ponuntur, solet Cicero cum masculinis jungere adjectivum. In Catil. IV, c. 1, 1 : « Video, Patres conscripti, in me omnium vestrum ora atque *oculos* esse *conversos*. » Idem, Somn. Scip., c. 3, 13 : « Concilia *cœtus*que hominum jure *sociati*, quæ civitates appellantur. » Idem ad Att., l. I, ep. 17, 4, feminino plurali viciniori reddidit adjectivum : « Nobis inter nos nostra sive incommoda, sive vitia, sive *injurias* esse *tolerandas*. » Prætermitto illud Solini, c. 33 : « *Polypus* et *chamæleon glabra* sunt. » Nam hic auctor non omnibus facit satis. Quo pacto Plinius, l. IX, c. 44, videtur locutus : « *Mollia* sunt *loligo, sepia, polypus*, et cætera ejus generis. » Nisi *mollia* subaudias *genera;* dixerat enim : « Sunt autem tria *genera* in primis quæ mollia appellantur. » In his neutrum jungitur cum masculinis rerum animatarum, quod mox in relativis videbis.

Servatur interdum simplex constructionis ratio. Quintilianus, l. I, c. 10, 17 : « Transeamus igitur id quoque, quod *Grammatice* quondam ac *Musice junctæ* fuerunt. » Justinus, l. IX, c. 8 : « *Misericordia* in eo et *perfidia* pari jure *dilectæ*. »

(1) Drakenborch, Lemaire, *instauratæ;* Teubner vero, *instaurata*.

(2) Olivet, Lallemand, Ernesti, Lemaire, Orelli, *conservandum;* Teubner, *conservandam*.

RELATIVA

230. Relativum *qui, quæ, quod* concordat cum antecedente in genere et numero. Cicero ad Tironem, Famil., l. XVI, ep. 7 : « *Nemo* nos amat, *qui* te non diligat. » Idem ad Terentiam, ibid., l. XIV, ep. 3, 1 : « Accepi ab Aristocrito tres (1) *epistolas, quas* ego lacrymis prope delevi. » Idem ad Atticum, l. XIII, 30 : « O *te* ferreum, *qui* illius periculis non movearis (2)! »

Item pronomina *hic, iste, ille, ipse, is* et *idem*, cum fiunt relativa. Idem ad Atticum, l. III, ep. 1 : « Eunti mihi Antium.... venit obviam tuus *puer; is* mihi literas abs te, et commentarium consulatus mei græce scriptum reddidit. »

(1) Orellius et Teubner, *tris*.

(2) Iidem, *moveris*.

Si plura antecedant substantiva conjunctionibus ligata, idem observandum est in relativis quod paulo ante de adjectivis dictum est. Cicero, Off., l. I, c. 1, 1 : « Propter summam et *doctoris* auctoritatem, et *urbis, quorum* alter te scientia augere potest, altera exemplis. » Idem ad Q. Cæcilium, l. III ad Att., ep. 20, 1 : « Sed tibi venire in mentem certo scio, quæ *vita* esset nostra, quæ *suavitas,* quæ *dignitas,* ad *quæ* recuperanda per fortunas incumbe. » Idem, Phil. II, c. 30, 75 : « Repetebant præterea *Deos* penates patrios, *aras, focos, larem* suum familiarem, in *quæ* tu invaseras. »

Interdum redditur relativum viciniori substantivo. Idem in Pis., c. 20, 46 : « Mihi nunquam veniret in mentem furorem et *insaniam* optare vobis, in *quam* incidistis. » Livius, l. XXXVII, c. 56 : « Oppida, vici, castella, *agri qui* ad Pisidiam vergunt. » Cæsar masculinis et feminino rerum animatarum relativum neutrum reddidit, Bell. Gall., l. V, c. 12 : « *Leporem,* et *gallinam,* et *anserem* gustare fas non putant; *hæc* tamen alunt animi voluptatisque causa. » Ubi non speciem, sed genus *animal* respexit : *Hæc* tamen *animalia* alunt.

Quidam personam addunt, in qua etiam relativum cum antecedente consentiat; negant alii addendam, quod nullam certam personam includat provocabulum sive relativum, unde a veteribus infinitum pronomen appellatum sit; qua de re supra in Rudimentis satis dictum est.

Hac et ejusdem generis quæstionibus prætermissis, multis propositis exemplis exerceantur pueri quam studiosissime, nullusque prætermittatur dies quin aliquid latine scribant : ita enim fiet ut brevi magnos faciant progressus. Assuescant denique potius emendate loqui et scribere, quam barbare disputare. Illæ vero concertationes, in quibus de limanda oratione, de orthographia, de notandis vitiis agitur, maxime sunt utiles : nam et animos excitant alacrioresque reddunt, et ingenia alunt.

Illud Plinii lib. XVIII, c. 82 : « *Nube gravida candicante, quod* vocant tempestatem albam, grando imminebit; » et alia id genus Figuratæ constructioni reservavimus.

Illud pene me fugerat, orationis membrum interim vice antecedentis poni, idque in neutro genere. Cicero ad Att., l. II, ep. 19, 2 : « *Pompeius,* nostri amores, *quod* mihi summo dolori est, *ipse se afflixit.* » Idem, pro Corn. Balbo, c. 2, 5 : « Unum objicitur, *natum esse Gadibus, quod* negat nemo. »

Sui et *suus* quidam iis relativis quæ posuimus addunt; sed, cum sint reciproca, in suum locum differantur.

APPENDIX I.

231. Relativum *qui, quæ, quod,* quum antecedenti præponitur, cum eodem genere, numero et casu perquam venuste cohæret.

Cicero, pro Sylla, c. 33, 92 : « *Quæ* prima innocentis mihi *defensio* est oblata, suscepi. » Idem ad Atticum, l. IX, ep. 15, 6 : « *Quos* cum Matio *pueros* (1) et Trebatio miseram, epistolam mihi attulerunt. » Idem in prima Tusculana, c. 18, 41 : « *Quam* quisque norit *artem,* in hac se exerceat. » Idem ad Atticum, l. XII, ep. 34 : « *Quibus* de *rebus* ad me scripsisti, quoniam ipse venio, coram videbimus. »

In oratione plena omnibusque suis numeris absoluta, antecedens nomen et præit et subit relativum. Cicero ad Quint. Fr., l. III, ep. 3, 1 : « *Diem* scito esse nullum, *quo die* non dicam pro reo. » Idem pro Rab. perduel. reo, c. 9, 25 : « *Causam* enim suscepisti antiquiorem memoria tua, *quæ causa* ante mortua est, quam tu natus esses. » Auctor ad Heren., l. I, c. 2, 2 : « Oratoris officium est, de iis *rebus* posse dicere, *quæ res* ad usum civilem, etc. » Cæsar, Bello Gall., l. I, c. 6 : « Erant omnino *itinera* duo, *quibus itineribus* domo exire posset. » In his exemplis atque aliis, quibus, ne longus sim, supersedeo, antecedens

(1) Hanc existere lectionem, aliasque annotat Orellius; ipse habet: « Quos cum Matio..., pueri epistolam, etc. »

30

non modo præcedit, sed etiam sequitur relativum; hoc tamen inter prius et posterius interest, quod illud numero et genere cum relativo consentit; hoc vero, genere, numero et casu. Præterea hoc quam sæpissime omittitur; illud rarius atque ea lege, ut alterum necessario maneat. Cicero ad Att., l. XIII, ep. 51, 1 : « Ad Cæsarem *quam* misi *epistolam*, ejus exemplum fugit me tum tibi mittere. » Nam plena oratio est : Exemplum ejus epistolæ, *quam epistolam* misi ad Cæsarem, fugit me tum tibi mittere. Livius, l. XXIX, c. 31 : « *Quem* ceperant exules *montem*, herbidus aquosusque est. » Justa oratio est : *Mons, quem montem* ceperant exules, herbidus aquosusque est.

Potest et per interrogandi et dandi casus genus hoc dicendi efferri, ita tamen ut inter relativum et antecedens aliquid interponatur, ut : *Quarum* Plato *artium* fuit peritissimus, sum ipse penitus ignarus. *Quibus* operam das *disciplinis* diligentissime, frater tuus pro nihilo ducit.

Nonnunquam in hoc loquendi genere verborum ordo perturbatur, atque fit oratio durior. Ponam unum exemplum, quo res fiat planior : *Urbs, quam urbem* statuo, vestra est; oratio est plena atque justa; aufer antecedens, quod præit relativum, sic : *Quam urbem* statuo, vestra est, pereleganter es locutus. Inverte verba sic : *Urbem quam* statuo, vestra est; paulo durius locutus es, latine tamen. Itaque in hac et similibus locutionibus, non ponitur casus pro casu, sed invertitur perturbaturque verborum ordo. Sed de his in Figurata Constructione.

232. Quod si inter duo substantiva ponatur, cum alterutro consentire poterit, etiam si alterum proprium sit.

Sallust., Catil., c. 55 : « Est locus in *carcere quod* Tullianum appellatur. » Curt., l. III, c, 8, 13 : « Darius ad eum *locum*, *quem* Amanicas Pylas vocant, pervenit. »

Proprium substantivum non rapit ad se relativum, ut quidam arbitrantur. Cicero, de Nat. Deor., l. II, c. 20, 52 : Propius a terra Jovis *stella* fertur, *quæ Phaeton* dicitur. » Livius, l. XXXVI, c. 30 : « Herculi sacrificium fecit in *loco quem Pyram*, quod ibi mortale corpus ejus dei sit crematum, appellant. »

APPENDIX II.

233. *Quantus*, *qualis* et cætera id genus nomina, cum relativa fiunt, non cum antecedente, sed cum consequente substantivo, genere, numero et casu consentiunt.

Cicero ad Cassium, Famil., l. XII, ep. 7, 1 : « Dixi de te quæ potui, tanta contentione, *quantum forum* est. » Idem in Bruto, c. 27, 103 : « Utinam in Tib. Graccho Caioque Carbone talis mens ad rempublicam bene gerendam fuisset, *quale ingenium* ad bene dicendum fuit! »

Decem sunt quæ *relativa accidentis* vocant, *quantus, qualis, quot, quotus, quoteni, quotuplus, quotuplex, quotennis, cujus, cuja, cujum, cujas*, quorum, exceptis primis duobus, fere, quod ad rem attinet, nullus est usus. Quare puto hæc dissimulanda esse : quorsum enim miseri pueri sine causa cruciabuntur? Nolim hic nimium sollicitum præceptorem de vocabulorum ratione, cur hæc *accidentis*; illa, de quibus supra diximus, *substantiæ* vocentur; nisi vero etiam Categoriæ Aristotelis sint explicandæ. Sint itaque contenti adolescentes syntaxeos cognitione; substantiam et accidens relinquant dialecticis. Aut certe uno verbo explicentur : substantiæ vocari relativa, quod nomina substantiva referant; accidentis vero, quod adjectiva.

Quatuor illa, *alter, alius, reliquus, cætera, cæterum*, quæ *diversitatis relativa* quidam appellant, alii vero in partitivis nominibus adnumerant, ejusdem sunt ingenii : nam neglecto antecedente consequens amplectuntur, ut : Pueri ingenui verecundiam amant, *cætera*que animi *ornamenta*.

APPENDIX III,

NOMINATIVO ET VERBO, ADJECTIVO ET SUBSTANTIVO, RELATIVO ET ANTECEDENTI COMMUNIS.

234. Nominativus et verbum, adjectivum et substantivum, relativum et antecedens interdum, maxime apud historicos et poetas, sensu et significatione consentiunt, quamvis voce discrepent.

Virgilius, Æn. I, v. 212 :

Pars in frusta *secant,* veribusque trementia *figunt.*

Livius, l. XXXVII, c. 20 : « *Pars* in juveniles lusus *versi, pars vescentes* sub umbra, quidam somno etiam strati. » Terentius in Andria, act. III, sc. 10, v. 608 :

Ubi illic est *scelus qui* me perdidit.

In constructione proprie spectantur voces; aliquando tamen scriptores potius significationis ac sensus rationem habentes quam vocum, diversos numeros atque genera conjungunt, verbi causa : *Pars* in frusta *secant. Pars* singularis est numeri, si vocem spectes; at pluralis, si significationem : nam *pars* aliquot significat ex Trojanis; merito igitur ei datum est verbum multitudinis *secant.* Item *pars* generis est feminini, si vocem attendas; si vero sensum ac significationem consideres, sæpe masculini est generis : *Pars* in juveniles lusus *versi.* Liv., l. I, c. 37 : « Maxima *pars,* ut ante dictum est, ab equitibus in flumen *acti;* » siquidem *pars* milites significat in juveniles lusus versos, et in flumen actos. Idem, l. II, c. 59 : « Cætera *multitudo* sorte decimus quisque ad supplicium *lecti.* » *Scelus* eodem modo et *senium,* quum masculinis adjectivis aut relativis adjunguntur, scelestum et senem significant. Terent., in Eunuch. act. II, sc. 4, v. 302 :

Ut *illum* dii deæque *senium* perdant, qui hodie me re-[moratus sit.

235. Denique hujus loci sunt nomina quæ numero singulari multitudinem significant, ut *turba, populus.* Ovidius, Fast. II, v. 507 :

Thura *ferant, placent*que novum pia *turba* Quirinum,
Et patrias artes militiamque *colant.*

Terentius in II prol. Hecyr., v. 40 :

. . . . . *Populus convolant* (1),
Tumultuantur, clamant, pugnant de loco.

Præterea nonnulla partitiva, cujusmodi sunt *quisque, uterque, neuter, uter, alter, alius, aliquis.* Livius, l. I, c. 49 : « Pro se *quisque* scelus regium ac vim *queruntur.* » Idem, l. II, c. 15 : « *Missi* confestim honoratissimus *quisque* ex Patribus. » Plaut in Amph. :

Uterque deluduntur (2).

Idem, Menæch, act. V, sc. 2, v. 29 :

Uter meruistis culpam?

Idem, ibid., v. 34 :

. . . . . Quoties edixi tandem tibi,
Ut caveres, *neuter* ad me *iretis* cum querimonia?

Plinius, l. XI, c. 36, 2, de formicis agens : « Ex diverso *convehunt altera* alterius ignara. » Virgilius, Æn. II, v. 667 :

Ascanium, patremque meum, juxtaque Creusam,
Alterum in alterius *mactatos* sanguine cernam.

---

(1) Teubner : *convolat, tumultuantur.*

(2) Verba hæc sunt in altero ex argumentis quæ fabulæ præposita sunt; sed Curcul., I, 3, 31, legitur : « *Uterque insaniunt.* »

Sallustius in Catil., c. 52 : « Inertia et mollitia animi, *alius* alium *exspectantes*, cunctamini. » Curtius, l. V, c. 5, 12 : « Nisi mutuo essemus miseri, olim *alius* alii *potuissemus* esse fastidio. » Terent., in Adelph. act. IV, sc. 4, v. 637 :

Aperite, aliquis, actutum ostium.

Donatus in hunc ita scribit : « *Aliquis* vim habet pluralem, quamvis singulariter dicatur; non enim est aliquis nisi de multis. »

Huc etiam spectant vocabula quæ positione quidem unius sunt generis, significatione vero alterius, ut jam diximus; quale est et illud Curtii, l. IV, c. 4, 17 : « Duo *millia*, in quibus occidendis defecerat rabies, crucibus *affixi*, per ingens littoris spatium pependerunt; » et similia quæ apud historicos leguntur. Hoc genus loquendi rarum est apud oratores. Cicero, de Fin., l. III, c. 2, 8 : « Quod cum accidisset, ut *alter* alterum nec opinato *videremus*, surrexit statim. » Quintilianus, Declam. VI, c. 6 : « Cum pater filiusque de vinculis contenderent, et sibi *quisque* carcerem *vindicarent* (3). » Juniores hic figuram *synthesin* excogitaverunt veteribus inauditam.

(3) Burmannus, *vindicaret*.

SUBSTANTIVA CONTINUATA

236. Substantiva continuata, quæ ad eamdem rem spectant, casu concordant, quamvis genere et numero aliquando dissentiant.

Cicero, Fam. l. I, ep. 1 : « M. Cicero S. D. *P. Lentulo proconsuli.* » Cæsar, Bello Gall., l, I, c. 1 : « Gallos ab Aquitanis *Garumna flumen* dividit. » Plinius ad Caninium, l. I, ep. 3, 1 : « Quid agit *Comum*, tuæ meæque *deliciæ?* »

Continuata substantiva dicuntur quæ nulla conjunctione sunt vincta; quæ genere et numero, ut diximus, nonnunquam dissident. Cicero ad Att., l. I, ep. 8, 3 : « *Tulliola, deliciolæ* nostræ, tuum munusculum flagitat. » Cic., Fam., l. VIII, ep. 8, 1 : Scito *Sempronium Rufum, mel* ac *delicias* tuas, calumniam maximo plausu tulisse. »

Quintilianus, l. IX, c. 4, 24, docet id quod magis est commune, latiusque patet, debere præcedere his verbis : « Quædam ordine permutato fiunt supervacua, ut *fratres gemini;* nam si præcesserint *gemini*, *fratres* addere non est necesse. » Contra quod præceptum veteres sæpe faciunt. Cicero, de Divin., l. II. c. 43, 90 : « Procles et Eurysthenes, Lacedæmoniorum reges, *gemini fratres* fuerunt. » Livius, l. I, c. 33 : « In ore Tiberis *Ostia urbs* condita. » Idem, l. XXXV, c. 22 : « Ad *Tagum amnem* ire pergit. » Idem, l. XXI, c. 51 : « Profectus ad *Trebiam flumen*, collegæ conjungitur. » Idem, l. XLII, c. 54 : « Est sub radicibus *Ossæ montis.* » Cæsar uno periodo docuit utrumque dici posse. Bello Gall., l. I, c. 1 : « Initium capit a *flumine Rhodano*, continetur *Garumna flumine.* »

Quod ad casum attinet, interim alterum genitivi est casus. Cic. ad Att., l. V, ep. 18, 1 : « Cassius in *oppido Antiochiæ* cum omni exercitu. » Virgilius, Æn. III, v. 293 :

. . . . . Et celsam *Buthroti* ascendimus *urbem*.

237. Quærunt hoc loco grammatici utri potius substantivo reddendum sit verbum, adjectivum et relativum; magis, an minus communi. Ego, quantum memini observasse, existimo, si alterum proprium sit hominis, cum eo verbum cæteraque consentire. Cicero : « *Tulliola, deliciolæ* nostræ, tuum munusculum *flagitat.* » Idem, Fam., l. VII, ep. 1, 2 : « *Deliciæ* vero tuæ, noster *Æsopus* ejusmodi *fuit*, ut *ei* desinere per omnes homines liceret. » Idem, Tuscul., l. I, c. 31, 77 : « Acerrime autem, *deliciæ* meæ, *Dicæarchus* contra hanc immortalitatem *disseruit.* » Idem, pro Corn. Balbo, c. 15, 34 : « Cum duo *fulmina* nostri imperii, su-

bito in Hispania Cn. et P. *Scipiones exstincti* occidissent. » Idem, de Harusp., c. 3, 5 : « Quid enim *hunc* persequar, *pecudem* ac *belluam*, pabulo inimicorum meorum et glande *corruptum?* »

Si vero de aliis rebus agatur, sæpissime video verbum, adjectivum relativumque magis communi respondere. Livius, l. XXXVII, c. 56 : « De *Solis urbe, quæ* in Cilicia *est*, egerunt. » *Soli, Solorum* nomen est urbis. Idem, l. III, c. 1 : « *Antium, propinquam, opportunam* et *maritimam urbem*, coloniam deduci posse. » Aurelius Victor, de Viris illustr., c. 2 : « *Ludos consualia* simulavit, ad *quos* cum utriusque sexus multitudo venisset, dato suis signo, virgines raptæ sunt. » Plinius, l. II, c. 53, 2 : « *Volsinii, oppidum* Tuscorum opulentissimum, totum *concrematum* est fulmine. » Idem, l. III, c. 9, 17 : « Præterea auctor est Antias *oppidum* Latinorum *Apiolas captum* a L. Tarquinio rege. » Idem, l. XXXI, c. 8, 2 : « *Tungri, civitas* Galliæ, fontem *habet* insignem. » Livius, l. II, c. 33 : « Ita fusi Volsci Antiates, *Corioli oppidum captum.* » Idem, l. XXXIX, c. 22 : « *Ludi Tauritia* (1) per biduum *facti* religionis causa. » Idem, l. V, c. 21 : « Pergo ad *delendam urbem Veios.* » Ibid., c. 22 : « Hic *Veiorum* occasus fuit *urbis opulentissimæ* Etrusci nominis. » Justinus tamen, l. IX, c. 1, 2, ad proprium respexit : « Ad cujus, inquit, emolumentum egregie pertinere ratus, si *Byzantium*, nobilem et maritimam *urbem*, receptaculum terra marique copiis suis *futurum* (2) in potestatem redegisset. » Hanc substantivorum continuationem vocant juniores *appositionem*, quam obscuriorem reddiderunt, dum sit ne figura altercantur, et particulas nescio quas avidius persequuntur.

(1) Lemaire, Drakenb., Teubner, *ludi Taurii.*

(2) Gronovius, et Lemaire qui Wetzel sequitur : « *futuram;* » quod in melioribus codicibus esse ait Ruddim. Synt., l. I, c. 1, præc. 9, not. 80.

UTRINQUE NOMINANDI CASUS

238. Omne verbum personale finiti modi utrinque nominativum habere potest, cum utrumque nomen ad eamdem rem pertinet, cujusmodi maxime est verbum substantivum, vocativum, et alia quamplurima.

Terentius, Phorm. act. IV, sc. 1, v. 574 :

. . . . . *Senectus* ipsa est *morbus*.

Cicero, de Officiis, l. II, c. 9, 31 : « De amicitia alio libro dictum est, *qui* inscribitur *Lælius.* » Sallustius, Catil., c. 1 : « *Virtus clara æterna*que habetur. » Cicero, ad Atticum, l. III, ep. 5 : « *Ego* vivo *miserrimus.* » Idem, II Phil., c. 46, 118 : « Defendi rempublicam *adolescens*, non deseram *senex.* »

Hæc præceptio complectitur verba omnia personalia, cujuscumque sint generis : activa, Cicero, pro C. Balbo, c. 5, 11 : « Audivi hoc de parente meo *puer.* » — Passiva; idem, de Orat., l. II, c. 4, 18 : « Hoc nos ab istis adolescentibus facere *inviti* et *recusantes* heri coacti sumus. » — Neutra; idem, de Senect., c. 11, 38 : « Venio in Senatum *frequens.* » — Deponentia et communia ad hæc tria revocantur, ut post dicemus. Virg., Æn. VI, v. 1 :

Sic fatur *lacrymans*.....

« *Boni* moriuntur *læti.* » Senec., Thyest. act. III, v. 453 :

Venenum in auro bibitur; *expertus* loquor.

Pater discedentem filium amplexus est *tristis*. Cum igitur hoc præcepto omne verborum genus contineatur, non est cur hic, quæ substantivi aut vocativi vim habent, aut verba gestuum, aut similia addantur. Vocativa verba vocant, *appellor, vocor, nuncupor, nominor, dicor*, et si qua sunt de eodem genere.

239. Illud mihi pene exciderat, quod plerique omnes grammatici tradunt, verbum substantivum, quod idem de vocativo dictum sit, cum inter duos nominandi casus diversi numeri ponitur, consentire cum præcedenti, ut : *Adolescentes* modesti *sunt* ornamentum juventutis. Cum vero post utrumque collocatur, cum propiori, ut : Adolescentes modesti *ornamentum est* juventutis. Cives flagitiosi *sentina* reipublicæ *appellatur*; quo pacto certe non ausim loqui sine idonei alicujus auctoris testimonio : nam hæc solœcismi speciem præ se ferunt; nec enim verborum mutatio constructionem mutat. Videndum itaque est utrum substantivum sit verbi, ut ita dicam, basis et fundamentum; nam cum eo verbum consentiet, ubicumque sit locorum. Verbi causa, in hac oratione, ne longius abeamus, *Adolescentes modesti sunt ornamentum juventutis*, verbi basis et fundamentum, quod suppositum vocant, est *Adolescentes modesti*; quocumque modo vertas hæc verba, semper verbum suum requiret suppositum : Ornamentum juventutis sunt adolescentes modesti; Modesti adolescentes ornamentum sunt juventutis; Reipublicæ sentina appellantur cives flagitiosi; Flagitiosi cives reipublicæ sentina appellantur. Sic Plinius, l. XXXIII, c. 13, 4 : « Nota argenti *fuere bigæ* atque *quadrigæ*. » Livius, l. XXI, c. 15 : « Captum oppidum est cum ingenti præda; quanquam pleraque ab dominis de industria corrupta erant, et in cædibus vix ullum discrimen ætatis ira fecerat, et *captivi* militum præda *fuerant*, tamen, etc. » Lucanus, l. III, v. 108 :

Omnia *Cæsar erat.*

Ovidius, Metam. I, v. 292 :

Omnia *pontus erat* (1), deerant quoque littora ponto.

Idem in eodem, v. 121 :

Tum primum subiere domus, domus *antra fuerunt.*

Idem, Metam. VII, v. 796 :

Gaudia principium nostri *sunt*, Phoce, doloris.

Lucanus, l. IX, v. 811 :

Sanguis *erant lacrymæ.*

Quod si aliter loquamur, figurata erit constructio, ut censet Budæus in Comment. linguæ græcæ, p. 1089, ubi alterum Ciceronis, alterum Plinii locum affert. In Pisonem, c. 4, 8 : « Exposui breviter consulatum meum; aude nunc, o furia, de tuo dicere, cujus *fuit initium ludi* Compitalitii tum primum facti post L. Metellum et Q. Marcium consules; » ubi verbum ante duos nominativos ponitur. Plinius, l. IV, c. 5, 1, de Peloponneso loquens : « *Angustiæ*, inquit, unde procedit, *Isthmos appellatur*; » ubi *appellantur*, ut ratio grammaticæ postulat, legunt quidam. Alia præterea reperiuntur. Seneca, epist. 4, 8 : « Magnæ *divitiæ sunt* lege naturæ composita *paupertas*. » Hic, ut verum ingenue fatear, non auderem aliter loqui. Cicero, Parad. VI, c. 3, 51 : « *Contentum* vero suis rebus *esse*, maximæ *sunt* certissimæque *divitiæ*. » Nulla melior tutiorque præceptio est, quam optimorum auctorum usus, quo præceptore securus loqueris et scribes.

(1) Cnipping, Lemaire, Oxon. : « Omnia pontus *erant*. » Teubner : « Omnia pontus *erat*. »

NOMINATIVUS POST VERBUM INFINITUM

240. Verbum personale infiniti modi post se nominativum petit, cum res ad nominativum præcedentis verbi pertinet.

Cicero, de Nat. deorum, l. I, c. 36, 101 : « Nolo esse *longus*. » Idem, pro Mar–

cello, c. 7, 21 : « Malim videri nimis *timidus* quam parum *prudens.* » Terent., Adelph. act. I, sc. 2, v. 126 :

Pater esse disce ab illis qui vere sciunt.

Ibid., act. V, sc. 6, v. 900 :

. . . . . Meditor esse *affabilis.*

Non solum hoc fit accedentibus verbis optandi, sed aliis etiam. Auctor ad Herennium, l. IV, c. 53, 66 : « Ego patriam liberavi, vos *liberi* esse non curatis? » Seneca, ep. 6, 6 : « *Amicus* esse mihi (cœpi). » Idem, Consol. ad Helviam, c. 3 : « Perdidisti enim tot mala, si nondum *misera* esse didicisti. » Cicero, Fam., l. XV, ep. 15, 1 : « Ejus consilii *princeps* ego fuisse videor. » Idem ad Atticum, l. IX, ep. 10, 2 : « *Amens* mihi fuisse videor. » Idem, pro Sextio, c. 67, 141 : « Nec Aristidis fuga, qui unus omnium *justissimus* fuisse traditur. »

An res ad nominativum præcedentis verbi spectet, facile est cognoscere, exempli causa : *Cæsar* cupit esse *rex. Quis* cupit esse *rex?* Cæsar. *Crassus* studet videri *dives.* Quis studet videri *dives?* Crassus. Pertinet igitur *dives* ad nominativum præcedentis verbi, nimirum *Crassus.*

APPENDIX I.

Si verba *puto, aio, refero* et alia ejusdem significationis infinitum præcedant, durior efficitur oratio. Lucanus, l. IX, v. 1037 :

Utque fidem vidit sceleris, tutumque putavit
Jam *bonus esse socer;* lacrymas non sponte cadentes
Effudit, gemitusque expressit pectore læto.

Orator dixisset : *se bonum esse socerum.*

Tutumque putavit Cæsar, cum Pompeii caput oblatum est, jam *bonus esse socer.* Sic Catul., IV, v. 1 :

Phaselus ille, quem videtis, hospites,
Ait *fuisse* navium *celerrimus.*

Ovidius, Metam. XIII, v. 141 :

. . . . . Sed enim quia retulit Ajax
Esse Jovis *pronepos.*

Idem, Trist. l. II, v. 9 :

Deme mihi studium, vitæ quoque crimina demes,
Acceptum refero versibus *esse nocens.*

Hæc in soluta oratione vitabit puer, uteturque accusativo.

APPENDIX II.

241. At si accusativus antecessit, et sequatur necesse est.

Cicero, Catil. I, c. 2, 4 : « Cupio, Patres conscripti, *me* esse *clementem;* cupio in tantis reipublicæ periculis *me* non *dissolutum* videri. » Idem in Bruto, c. 73, 257 : « Ego *me Phidiam* esse mallem, quam vel optimum *fabrum* tignarium. »

Nonnunquam subauditur præcedens accusativus. Curtius, l. VIII, c. 11, 4 : « Octoginta talenta constituit *daturum* Alexander; » pro *se daturum.* Illud ejusdem, quod affert Budæus in Comment. linguæ græcæ, p. 57 : « Ad vestras manus confugio; invitis vobis *salvum* esse nolo; » tam durum est quam quod durissimum. Hunc locum suspicor esse depravatum, multo enim aliter hodie legitur, l. VI, c. 9, 24 : « Ad vestras manus, ad vestra arma confugio : invitis vobis *salvus esse* nolo. » Sic enim habent libri omnes, quos quidem legerim. Neque illud Ennii in Epicharmo apud Ciceronem, Acad. Prior., l. II, c. 16, 51, ad rem videtur facere :

Nam videbar somniare me, et *ego esse mortuum.*

Est enim perturbatus sensus, pro : Nam et ego videbar somniare *me esse mortuum* (1). Idem locum Ciceronis pro Quintiliano, c. 18, 59, affert : « Nunc in causa superiore, ne ut par quidem sit postulat, *inferiorem esse* patitur; » ubi ait desiderari *sese.* In libris tamen correctissimis legitur : « *inferiorem esse se* patitur. »

(1) Scribunt Orellius et Teubner : « Nam videbar somniare *memet esse mortuum.* »

APPENDIX III.

242. Infinitum *esse*, accedente verbo *licet*, dandi vel accusandi casum post se postulat.

Cicero, Tuscul. l. I, c. 15, 33 : « Licuit esse *otioso Themistocli*, licuit *Epaminondæ.* » Idem, ad Atticum, l. I, ep. 17, 6 : « *Mihi negligenti* esse non licet. » Idem pro Flacco, c. 29, 71 : « Cur *iis* per te frui libertate sua, cur denique esse *liberis* non licet? » Idem pro Corn. Balbo, c. 12, 29 : « Quod si *civi* Romano licet esse *Gaditanum* sive exilio, sive rejectione hujus civitatis, etc. »

Interim deest dativus. Cicero, pro Ligar., c. 6, 18 : « Liceat esse *miseros*, quanquam hoc victore esse non possumus. » Idem ad Att., l. X, ep. 8, 4 : « In Italia nos sedentes quid erimus? nam *medios* esse jam non licebit. »

Infinitum *esse* cum cæteris verbis quæ dativo gaudent, fere accusativum habet. Terent, Heaut. act. II, sc. 3, v. 387 :

Expedit *bonas* (1) esse vobis.

Idem, Phorm. act. V, sc. 2, v. 765 :

Nostrapte culpa facimus, ut *malos* (2) expediat esse.

Quintilianus tamen, l. XI, c. 1, 50, dativo usus est : « Oderit reum, inquit, verba aucupantem, et anxium de fama ingenii, et *cui* esse *diserto* vacet. » Illud vero Valerii, l. V, c. 4, de Cimone minus usitatum : « Nam etsi maximo *tibi* postea, et *civi*, et *duci* evadere contigit, plus tamen aliquanto laudis in carcere, quam in Curia assecutus es. » Item, l. III, c. 6 : « L. quoque Sylla, cum imperator esset, *chlamydato sibi* et *crepidato* Neapoli ambulare deforme non duxit. »

Illud loquendi genus : *Tibi* necesse est *viro* forti esse, rarum videtur; quo tamen Livius, l. XXI, c. 44, usus est in oratione Annibalis : « *Illis timidis* et *ignavis* licet esse; .....*vobis* necesse est fortibus *viris* esse. » Cum infinito *esse* accedit verbum *dandi*, plane videtur poetica locutio. Ovidius, Metam. VIII, v. 690 :

. . . . . *Vobis immunibus* hujus
Esse mali *dabitur.*

Horatius, Arte poet., v. 372 :

. . . . . *Mediocribus* esse *poetis*
Non homines, non dî, non *concessere* columnæ.

(1) *Bonas*, Rob. Stephanus, Camus ad usum Delph., Schrevelius, Juvencius, Teubner; *bonis*, Bentlei, Lemaire.

(2) *Malos*, Rob. Steph., Schrevelius, Juvencius, Teubner; *malis*, Bentlei, Camus, Lemaire.

Illa : Videris *mihi* esse *prudens;* Videor *tibi* esse *gravis,* non sunt hujus loci : nam nominativus *prudens, gravis,* non ad dativum pertinet, quod hic requiritur, sed ad nominativum verbi præcedentis, ut supra diximus. Cicero, II Phil., c. 14, 36 : « Nescio quid *turbatus mihi* esse videris (3). »

(3) Orellius : « Nescio quid conturbatus esse videris, » atque addit : « Nec reprehendi debet, tanquam sit hexametri exitus, in clausula tam brevi. » — Idem Teubner.

INTERROGATIONIS ATQUE RESPONSIONIS CONSENSUS

243. Interrogatio et responsio casu consentiunt.

Cui præceptori dedisti operam? *Platoni.* — *Cujus* est hæc oratio? *Ciceronis.* — *Quem* existimas fuisse principem oratorum? *Demosthenem.* — Quo *morbo* fuisti impeditus? Assidua *febricula.*

Certa dictionum proprietas in causa est quominus interrogatio et responsio casu cohæreant, ut : Cujus est hoc pallium? *Meum.* — Quanti emisti calamum? *Quadrante.* Hæc et similia progrediente tempore discent adolescentuli; quare ne hac exceptione terreantur.

DE

CONSTRUCTIONE TRANSITIVA NOMINIS

GENITIVUS POST NOMEN SUBSTANTIVUM

244. Quotiescumque duo nomina substantiva rerum diversarum in oratione continuantur, alterum erit genitivi casus. Cicero in Pisonem, c. 19, 43 : « Supplicium autem est *pœna peccati.* » Idem ad Fam., l. II, ep. 11, 1 : « Mirum me *desiderium* tenet *urbis.* » Idem, de Amicitia, c. 22, 82 : « Maximum *ornamentum amicitiæ* tollit, qui ex ea tollit verecundiam. »

Huc spectat omnis substantivorum silva, sive rem possessam, sive numerum, sive mensuram significent, ut : *equus Alexandri; par amicorum; modius tritici.* Præterea verbalia in *tor, trix, sor, us, io,* ut : *servator patriæ; expultrix vitiorum; censor morum; contemptus divitiarum; moderatio animi.* Denique substantiva omnia continuata res diversas significantia, quocumque nomine censeantur; neque de his admoneantur pueri, cum ad rem nihil faciant.

Reus genitivo vel ablativo cum præpositione *de* gaudet. *Reus audaciæ, avaritiæ; de ambitu, de vi,* apud Ciceronem leguntur.

APPENDIX

245. Adjectiva, cum substantive ponuntur, more substantivorum construuntur. Cicero, de Senectute, c. 11, 36 : « *Tantum cibi* et *potionis* adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. » Idem, Divin. in Cæcil., c. 5, 19 : « Sicilia tota, si una voce loqueretur, hoc diceret : *Quod auri, quod argenti, quod ornamentorum* in meis urbibus, sedibus, delubris fuit,..... id mihi tu, C. Verres, eripuisti atque abstulisti. » Pompeius ad Marcellum et Lentulum, in Epist. 12, 4 ad Att., l. VIII : « Vos hortor, ut *quodcumque militum* contrahere poteritis, contrahatis. »

Hujus classis sunt *multum, plus, plurimum, tantum, quantum, minus, minimum, summum, extremum, ultimum, postremum.* Cic. ad Att., l. II, ep. 12, 4 : « Terentia delectata est tuis literis, et impertit tibi *multum salutis* (1). » Idem, pro Murena, c. 38, 82 : « Vident *quantum* in te sit *animi, quantum ingenii, quantum auctoritatis.* » Idem, Fam., l. VI, ep. 21, 1 : « Præsertim cum omnium *rerum* mors sit *extremum.* » Livius, l. X, c. 11 : « Ventumque ad *inopiæ ultimum* foret. » Curtius, l. VIII, c. 1, 15 : « Ad *ultimum periculi* pervenerat. » Cic., II Phil., c. 44, 113 : « Pax est tranquilla libertas, servitus *postremum malorum* omnium. »

Abdita rerum, strata viarum, occulta saltuum,

(1) Orellius : « *multam salutem,* » adnotans alios habere *multum salutis.* — Orellium secutus est Teubner.

incerta fortunæ, et id genus alia, fere apud historicos et poetas reperiuntur. Virgilius, Æn. II, v. 332 :

Obsedere alii telis *angusta viarum.*

Livius, l. XXX, c. 15 : « Regio more ad *incerta fortunæ* venenum erat. » Tacit., Hist. l. III, c. 82 : « Per *angusta* et *lubrica viarum* flexerant. » Idem, Annal. l. I, c. 61 : « Præmisso Cæcina, ut *occulta saltuum* scrutaretur. »

GENITIVUS VEL ABLATIVUS POST NOMEN SUBSTANTIVUM

246. Substantiva, cum ad laudem vel vituperationem referuntur, genitivo vel ablativo gaudent.

Cicero, Fam., l. IV, ep. 8, 1 : « Neque monere te audeo, *præstanti prudentia virum;* nec confirmare *maximi animi hominem*, unumque fortissimum. » Plinius, l. VII, c. 2, 17 : « Choromandarum gentem vocat Tauron silvestrem, sine voce, *stridoris horrendi, hirtis corporibus, oculis glaucis, dentibus caninis.* »

Præposita exempla utrumque casum complectuntur. Hic variabunt tirones orationem : M. Tullius, *vir singularis ingenii*, a M. Antonio crudelissime trucidatus est; *Singulari vir ingenio* Cicero miserandum in modum interiit. *Pueri tardi ingenii* sæpe ingeniosis palmam præcipiunt; *Tardo ingenio pueri* plerumque labore et diligentia ingeniosos superant.

GENITIVUS POST NOMEN ADJECTIVUM

247. Adjectiva quæ scientiam, communionem, copiam, et his contraria significant, cum genitivo junguntur, ut *peritus, ignarus, particeps, expers, plenus, inanis.*

Cicero in Bruto, c. 21, 81 : « Fabius Pictor et *juris*, et *literarum*, et *antiquitatis* bene *peritus.* » Idem, de Orat., l. II, c. 1, 1 : « M. autem Antonium omnino omnis *eruditionis expertem* atque *ignarum* fuisse. » Idem, de Finibus, l. V, c. 23, 67 : « Cum ita copulatæ (virtutes) connexæque sint, ut omnes *omnium participes* sint. » Idem, Fam., l. IX, ep. 22, 4 : « *Stultorum plena* sunt omnia. » Ex eodem, de Orat., l. I, c. 9, 37 : « Omnia nonne *plena consiliorum, inania verborum* videmus ? »

Hoc loco quam plurima nomina a grammaticis recensentur; delectu tamen opus est; aliis enim oratores, aliis historici et poetæ frequentius utuntur. *Doctus, indoctus, ignarus, rudis, callidus, prudens, imprudens, nescius, inscius, certus, incertus, consors, exsors, compos, impos, immunis, insons, insolens, insuetus, dives, largus, liberalis, benignus, prodigus, fœcundus, plenus, refertus, fertilis, pauper, egenus, inops, indigus, parcus, sterilis, nudus, vacuus, truncus.* Gellius, l. XIII, c. 12 : « *Juris*que civilis

doctum. » Plinius, l. XXV, c. 3 : « Lenæum grammaticæ *artis doctissimum* (1). » Horat., Arte poet., v. 380:

*Indoctus*que *pilæ*, *disci*ve, *trochi*ve, quiescit.

Cicero, pro Flac., c. 7, 16: « Imperiti homines, *rerum* omnium *rudes ignari*que. » Idem in Brut., c. 64, 228 : « L. Sisenna, doctus vir et studiis optimis deditus, bene latine loquens, *gnarus reipublicæ.* » Colum., l. II, c. 2 initio : « *Callidissimi* rusticarum *rerum* genera terreni tria esse dixerunt. » Livius, l. XXXIV, c. 28 : « Quæ minus infida ac trepida fuisset, ni Achæi *locorum prudentes* instititissent. » Idem, ibid., c. 9 : « Commercio eorum Hispani *imprudentes maris* gaudebant. » Terent., Eunuch. act. I, sc. 2, v. 136 :

Imprudens harum *rerum*, *ignarus*que *omnium*.

Plinius, l. VIII, ep. 23, 8 : « Accedit lacrymis meis, quod absens et impendentis *mali nescius*, pariter ægrum, pariter decessisse cognovi. » Cicero in Bruto, c. 85, 292 : « Se autem (Socrates) omnium *rerum inscium* fingit et rudem. » Quintilianus, l. IV, c. 3, 8 : « Judex quam primum *certus* esse *sententiæ* cupit. »

Certior genitivo, vel ablativo cum præpositione *de* gaudet. Cicero ad Att., l. III, ep. 10, 3 : « Faciam te *consilii* nostri *certiorem*. » Idem, Fam., l. IV, ep. 5, 6 : « Cum te tranquilliorem animo esse cognoro, *de iis rebus*, quæ hic geruntur,.... *certiorem* faciam. » Livius, l. IV, c. 23: « Tubero *incertus veri* est. » Idem, l. IV, c. 57 : « Non quia *incertus sententiæ* fuerit. » Cicero, pro Flacco, c. 15, 35 : « Nam fratres quidem *consortes* sunt *mendicitatis*. » Livius, l. XXII, c. 44 : « Se omnis *culpæ exsortem*, omnis *eventus participem* fore diceret. » Cicero, II Phil., c. 38, 97 : « Tu *mentis* es *compos?* » Idem, Att., l. IX, ep. 6, 4 : « Non sum, inquam, mihi crede, *mentis compos*. » Plaut., Casin. act. III, sc. 5, v. 7 :

Eripite isti gladium, quæ sui est *impos animi*.

Seneca, de Vita beata, c. 26, 4 : « Animus *vitiorum immunis*. » Quintilianus, Declam. IX, c. 8 : « Quis crederet inter duos amicos, quorum alterum *immunem malorum* omnium fortuna fecerat, alterum, etc. » Livius, l. XXXIV, c. 32 : « *Insontes* publici *consilii*. » Cicero, Att., l. II, ep. 21, 3 : « Itaque ille amicus noster *insolens infamiæ*. » Ibid., 4 : « Tam *insuetus contumeliæ*. » Solin., c. 44 : « Opulenta ac *dives urbium ;* » et c. 58 : « Variarum *opum dives*. » Virg., Æn. IX, v. 26 :

. . . . . *Dives* pictai *vestis* et *auri*.

Idem, l. XI, v. 338 :

Largus opum.

Sallust., Catil., c. 7 : « *Laudis avidi*, *liberales pecuniæ*. » Horat., l. II, sat. 3, v. 3 :

. . . . . *Vini somni*que *benignus*.

Idem, l. I, ode 12, v. 37 :

Regulum et Scauros, *animæ*que magnæ
Prodigum Paullum.....

Tacitus, in Agric., c. 12: « *Frugum fœcundus* (2). »

Plenus apud Ciceronem fere interrogandi casum postulat. Pro Fonteio, c. 1, 1 : « Referta Gallia negociatorum est, *plena civium* Romanorum ; » aliquando etiam ablativum, ut suo loco dicemus. Livius, l. V, c. 34 : « Gallia *frugum hominum*que *fertilis*. » Horat., l. II, sat. 3, v. 142 :

Pauper.... *argenti*.... et *auri*.

Livius, l. IX, c. 6 : « *Omnium egeni* corpora humi prostraverunt. » Cicero, de Amic., c. 15, 53 : « Tum intelligitur quam fuerint *inopes amicorum*. » Plinius, l. VIII, c. 61, 2 : « *Stipendiorum indiga*. » Tacit., Hist. l. III, c. 75 : « Civium *sanguinis parcum* credidere. » Idem, Hist. l. I, c. 3 : « *Virtutum sterile* seculum. » Quintilianus, l. IV, c. 1, 25 : « Asperitas *nuda quæstionum*. » Terent., Heaut. act. I, sc. 1, v. 90 :

Sine me, *vacuum* (3) tempus ne quod dem mihi
Laboris.....

Virgilius, Georg. IV, v. 310 :

. . . . . Et visenda modis animalia miris
Trunca pedum primo.

Horum nonnulla etiam cum ablativo junguntur, de quibus suo loco dicemus.

(1) Sic antiqui et Dalecamp ; alii expunxere *doctissimum*.

(2) Apud Lemaire legitur : « *patiens frugum*, fecundus.... » Teubner : « *patiens frugum* [fecundum]; sed affert Forcellini plura ab eodem, ut Ann. l. VI, c. 27 : « Æmilium genus *fecundum* bonorum *civium*. » Putat autem scribendum *fecundum* per *e*, neque per *œ* aut *æ*.

(3) Lemaire, *vacivum ;* Teubner, *vocivum*.

248. Item quædam in *ax*, *ius*, *idus* et *osus*. Philosophus *tenax recti;* nullius *culpæ conscius*, *avidus virtutis*, *studiosus literarum*. Quibus adde *memor*, *immemor*, *securus*, ut : *memor beneficii*, *immemor injuriæ*, *securus rumorum*.

Quintilianus, l. I, c. 1, 5 : « *Tenacissimi* sumus *eorum* quæ rudibus annis percepimus. » Cicero, II Phil., c. 22, 54 : « Hujus *rei* ne posteritatem quidem omnium seculorum unquam *immemorem* fore. » Idem, Fam., l. V, ep. 5, 1 : « Cum T. Pomponius homo omnium meorum in te *studiorum* et *officiorum* maxime *conscius*, *tui cupidus*, *nostri amantissimus*, ad te proficisceretur, aliquid mihi scribendum putavi. »

Non omnia quæ in has syllabas exeunt, patrium casum admittunt; sed certa quædam, eaque partim sunt oratoria, partim historica et poetica : id quod optimus magister usus te docebit. *Capax*, *tenax*, *rapax*, *ferax*, *edax*, *conscius*, *dubius*, *anxius*, *providus*, *cupidus*, *avidus*, *curiosus*, *incuriosus*. Seneca, ep. 7, 5 : « Parum *tenax recti*. » Idem, de Benefic., l. VI, c. 28 : « Me tempestas occupavit, *portus* ac *præsidii* dubium. » Plinius, l. XXV, c. 3, 2 : « *Medicinæ* peculiariter *curiosus*. » Plinius Junior, l. VIII, ep. 20, 1 : « Ita natura comparatum, ut *proximorum incuriosi*, longinqua sectemur. » Quintilianus, l. VIII, c. 3, 51 : « In quod sæpe incidit etiam Cicero *securus* tam parvæ *observationis*. » Seneca, de Vita beata, c. 26, 3 : « Vivit enim (sapiens) præsentibus lætus, *futuri securus*.

Trepidus rerum suarum, *timidus lucis*, *floridus ævi*, *fervidus ingenii*, *validus animi*, *devius æqui*, *egregius facti*, *dubius animi;* multa præterea quæ certis locis comprehendi non possunt, ut : *præceps animi*, *integer vitæ*, *sceleris purus*, *ambiguus consilii*, *inglorius militiæ*, *immodicus iræ*, *fessus belli*, *laudis avarus*, *tenuis opum*, quæ promiscue a grammaticis numerantur inter ea quæ genitivo adhærent, fere ad historicos et poetas spectant. Seneca, qui proxime accedit ad historicos, de Vita beata, c. 21, 1 : « Abduntur, inquit, in aliquas rimas *timida lucis*. » Idem, c. 6 : « Beatus est ergo *judicii rectus*. » Illud de Invent., l. II, c. 11, 36, quod affert Budæus in Commentariis linguæ græcæ, p. 1045 : « Hoc autem ipsum genus erit eo firmius, si eo ipso in genere, quo arguetur, *integer animi* fuisse demonstrabitur, » in nullo prorsus libro reperi; sed pro *animi*, *ante*, sic : « Integer *ante* fuisse demonstrabitur. »

PARTITIVA

249. Partitiva genitivo multitudinis gaudent.

Cicero, de Nat. deor., l. I, c. 35, 97 : « Elephanto *belluarum nulla* prudentior. » Idem, de Senect., c. 10, 32 : « *Minus* habeo *virium*, quam *vestrum utervis*. » Idem ad Quintum Fratrem, l. II, ep. 4, 2 : « Domus *utriusque nostrum* ædificatur strenue. »

Partitivum nomen est quod significat multa sigillatim, ut *quisque*, *unusquisque*, *uterque*, *neuter;* vel unum e multis, ut *alter*, *alius*. Hæc partim sunt universalia, ut *nemo*, *nullus;* partim particularia, ut *quidam*, *aliquis;* partim interrogativa, ut *quis*, *uter;* partim infinita, quæ eadem sunt quæ interrogativa, cum scilicet nihil quærunt, ut : Nescio *quis vestrum* loquatur. Ignoro *uter vestrum* sit doctior. Verum, cum pueri has finitiones distributionesque vix unquam teneant, non video cur eis hæc sint inculcanda. Fortasse commodius fuerit, quæ maxime partitiva sunt, habere

in promptu, ordine elementorum : *Alius*, *aliquis*, *alter*, *alteruter*, *nemo*, *neuter*, *nullus*, *quis*, *quicumque*, *quidam*, *quilibet*, *quisquis*, *quivis*, *quispiam*, *quisquam*, *quisque*, *solus*, *ullus*, *unusquisque*, *uter*, *uterque*, *utercumque*, *uterlibet*, *utervis*.

Item numeralia nomina. Livius, l. I, c. 56 : « Imperium summum Romæ habebit, qui *vestrum primus*, o juvenes, osculum matri tulerit. » Curtius, l. VIII, c. 2, 17 : « *Octoginta Macedonum* interfecerunt. » Idem, ibid., c. 8, 9 : « Nolo *singulos vestrum* excitare. »

Denique quæcumque adjectiva partitionem significant, interrogandi casum possunt admittere. Cicero, de Senectute, c. 17, 59 : « *Multæ* etiam *istarum arborum* mea manu sunt satæ. » Livius, l. XXXI, c. 45 : « *Macedonum* fere *omnibus* et *quibusdam Andriorum*, ut manerent persuasit. » Curtius, l. X, c. 8, 4 : « Cum *paucis amicorum* ad Leonnatum pervenit. » Plinius, l. VIII, c. 73, 4 : « *Lanarum nigræ* nullum colorem bibunt. »

Nonnunquam substantiva maxime apud Plinium hanc constructionem admittunt; l. X, c. 81, 1 : « *Volucrum animal* parit Vespertilio tantum. » L. IX, c. 74, 7 : « *Piscium lupus* et *trichias* bis anno parit. » Nisi forte quis dicat audiendum nomen partitivum *solus*. — Numeralia frequentissime cum suis substantivis copulantur : *Septimus rex* Romanorum; *duo milites; singuli duces*.

SUPERLATIVA

250. Si multa ejusdem generis comparentur, utendum est superlativo cum genitivo plurali.

Cicero, Tuscul. l. V, c. 9, 24 : « Hic autem (Theophrastus), *elegantissimus omnium philosophorum* et eruditissimus, non magnopere reprehenditur, cum tria genera dicit bonorum. » Plinius, l. XXXIII, c. 6, 9 : « Demosthenes, *summus oratorum* Græciæ (1). »

Hic, ut perspicuum est, comparantur multa ejusdem generis; nam et Theophrastus unus fuit ex omnibus philosophis, et Demosthenes de oratoribus unus; sic enim Laurentius, l. I, c. 13, quæ sunt ejusdem generis, explicat. Passim apud Cicenem et cæteros scriptores invenies genitivum *omnium* cum superlativo, quod quidam videntur negasse, captiosis nescio quibus conclusiunculis circumscripti. Idem, Fam., l. XI, ep. 21, 1 : « Dii isti Segulio malefaciant homini *nequissimo omnium* qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt. »

Interim conferuntur res diversi generis, maxime accedente adverbio *non solum*. Cicero, pro Domo sua, c. 18, 48 : « Hoc tu scriptore, hoc consiliario, hoc ministro, omnium *non bipedum solum*, sed etiam *quadrupedum impurissimo*, rempublicam perdidisti. » Clodius, de quo hic agitur, bipes procul dubio, non quadrupes fuit. Macrobius, Saturn., l. VII, c. 11, Ciceronem imitatus, immerito a Valla l. I, c. 13, reprehenditur : « Age, inquit, Servi, *non solum adolescentium*, qui tibi æquævi sunt, sed *senum* quoque *omnium doctissime*. » Plinius,

(1) Ita et Dalecamp; Lemaire vero : « *summus* Græciæ *orator*. »

l. XXXIII, c. 4, 3 : de annulis agens : « Longo certe tempore ne senatum quidem Romanorum habuisse aureos manifestum est. Siquidem his tantum qui legati ad exteras gentes ituri essent, annuli publice dabantur ; credo, quoniam ita *exterorum honoratissimi* intelligebantur. » Nec enim legatus romanus unus erat ex gentibus exteris. Martialis, quæ maxime inter se sunt contraria, contulit, l. XII, Epigr. 36 :

Non es, crede mihi, bonus : quid ergo?
Ut verum loquar, *optimus malorum*.

Nisi quis dicat more suo fuisse jocatum, atque de industria in grammaticorum leges peccasse. Cicero in Brut., c. 9, 37 : « Phalereus enim successit eis senibus adolescens, *eruditissimus* ille quidem *horum omnium*, sed non tam armis institutus quam palæstra. » Idem, de Orat., l. II, c. 23, 95 : « Tum Phalereus ille Demetrius *omnium istorum* mea sententia *politissimus*, aliique eorum similes exstiterunt. » Hæc Ciceronis loca apertissime docent non male latine dici : Antonius est *horum*, sive *istorum omnium eloquentissimus*, quamvis non sit unus ex his aut ex istis.

APPENDIX I.

251. Tam superlativa quam partitiva etiam genitivo singulari, qui multitudinem significet, conjunguntur.

Cicero pro Quintio, c. 2, 7 : « Habet adversarium P. Quintius, verbo, Sextum Nævium ; revera, *hujusce ætatis* homines *disertissimos*, fortissimos, *ornatissimos nostræ civitatis*. » Idem, pro Rabir. Posth., c. 9, 23 : « Virum unum totius *Græciæ* facile *doctissimum* Platonem,..... in maximis periculis insidiisque esse versatum accepimus. »

An *quisquam Clodiæ gentis* cum Pompeio Magno conferendus est?

Huc spectant quæcumque nomina numero singulari multitudinem significant, ut *populus*, *gens*, *municipium*, *ætas*, *Italia*, *Græcia*, pro ipsis Italis, Græcis. *Nemo totius Italiæ* eloquentior fuit Cicerone. Curtius, l. IX, c. 6, 11 : « Tuo vero capite ignobilem vicum emi *quis* ferat, non *tuorum* modo *militum*, sed *ullius* etiam *gentis* barbaræ civis, qui tuam magnitudinem novit? »

APPENDIX II.

252. Tum superlativa nomina, tum etiam partitiva, qui cum suis substantivis casu cohærent, et genere et numero consentiunt.

Cicero, de Nat. deor., l. II, c. 52, 130 : « *Indus* vero, qui est omnium fluminum *maximus*, non aqua solum agros lætificat et mitigat, sed eos etiam conserit. » Plinius, l. XVIII, c. 18, 1 : « *Hordeum* frugum omnium *mollissimum* est. » Pomponius Mela, l. II, c. 7 : « Famam habet ob Cereris templum *Enna præcipua* montium (1). »

Supervacanea videri posset hæc appendix, nisi grammatici præciperent tam superlativa quam partitiva genus petere a genitivo, si velis grammatice

(1) Henric. Stephanus interpungit aliter : « Famam habet ob Cereris templum Enna, præcipua. Montium Eryx maxime memoratur.... et Ætna quæ Cyclopas olim tulit. » Gronovius autem : « Famam habet ....Enna. Præcipui montium Eryx maxime.... et Ætna. »

loqui; exempli causa : Leo est *fortissimum animalium*, grammatice dici; at *Leo* est *fortissimus* animalium, latine. Ego certe nolim grammatice loqui. Quod si quando adjectiva cum substantivis non consentiant, in substantiva transeunt. Cicero, Fam., l. VI, ep. 21, 1 : « Præsertim cum omnium rerum mors sit *extremum ;* » *extremum* substantivum est; at in illo Quintiliani, Declam. VI, c. 9 : « *Mors* sit *extrema* malorum, » adjectivum. Cicero, II Phil., c. 44, 113 : « Pax est tranquilla libertas, servitus *postremum* malorum; » hic *postremum* non petit genus a genitivo *malorum*, sed est substantivum, ut in illo Taciti, Ann. l. III, c. 49 : « Post celebre carmen, quo Germanici *suprema* defleverant. » Ejusdem generis videntur hæc loca Plinii, l. IX, c. 7, 1 : « *Velocissimum* omnium animalium, non solum marinorum, est Delphinus, ocior volucre, acrior telo. » Et l. X, c. 92, 1 : « Venenis Capreæ et Coturnices pinguescunt, *placidissima* animalium (2). » Et l. VIII, c. 50, 1 : « Cervis quoque est sua malignitas, quanquam *placidissimo* animalium. » Vel dicemus more Græcorum masculina jungi cum neutris, quale est illud Virgilii, Ecl. III, v. 80 : « *Triste lupus* stabulis. » Item feminina. Quintilianus, l. XI, c. 1, 76 : « *Tutissimum* ergo pœnitentiæ confessio, et satisfactio culpæ. » Lege Budæum in Commentariis linguæ græcæ, p. 1055. Quod si hæc displicent, subaudiatur *animal*.

(2) Dalecamp, Lemaire et Teubner : « *placidissima animalia.* » Atque ita scriptum affirmat Ruddim. omnibus quos viderit libris.

253. Quod si nullum sit substantivum, cum genitivo, quod attinet ad genus, consentient.

Livius, l. I, c. 54 : « *Summi infimique Gabinorum* Sex. Tarquinium dono deum sibi missum ducem credere. » Quintilianus, l. IX, c. 4, 79 : « Et quidem Ciceronem sequar; nam is *eminentissimos Græcorum* est secutus. » Plinius, l. XXII, c. 57, 1 : « *Sapientissima animalium* esse constat, quæ fruge vescantur. » Idem, l. X, c. 74, 1 : « *Ovorum alia* sunt candida, ut columbis, perdicibus; *alia* pallida, ut aquaticis, etc. »

Si genitivus nominis sit collectivi, non necessario cum eo consentient superlativa aut partitiva; ut : *Summi infimique civitatis* Tarquinium excepeperunt. *Nemo* hujus *oppidi* Tarquinium excepit. Item si superlativa substantive ponantur. Cicero, Fam., l. VI, ep. 21, 1 : « Quum omnium *rerum* mors sit *extremum.* » Superlativa *extremum, supremum, ultimum, summum*, ut supra diximus, substantiva aliquando fiunt genere neutro. Lucanus, l. X, v. 467 :

. . . . . Cogunt tamen *ultima rerum*
Spem pacis tentare ducem.

Curtius, l. VI, c. 5, 1 : « Jamque rex *ultima Hyrcaniæ* intraverat. » Idem, l. VIII, c. 9, 8 : « Dyardanes minus celeber auditu est, quia per *ultima Indiæ* currit. » Tacitus, Hist. l. IV, c. 12 : « *Extrema* gallicæ *oræ* occupavere. » Idem, Hist. l. III, c. 47 : « *Summa navium* tabulis augent. » Quintilianus, Declam. XIX, c. 5 : « Orbitates ac *liberorum suprema* plangantur ? »

APPENDIX III.

254. Genitivus tam superlativi quam partitivi in ablativum cum præpositione *e*, vel *ex*, vel *de*, mutari potest.

Cicero, pro Cluent., c. 38, 107 : « *Ex his omnibus* natu *minimus*..... P. Saturius

in eadem sententia fuit. » Idem, pro Sex. Rosc., c. 1, 1 : « *Audacissimus* ego *ex omnibus?* minime. » Idem, Fam., l. XVI, ep. 1, 3 : » *De* tuis innumerabilibus in me *officiis* erit hoc *gratissimum.* » Idem, X Phil., c. 2, 5 : « Permitto ut *de* tribus *Antoniis* eligas *quem* velis. » Quintilianus, Declam. VI, c. 18 : « Timui ne *quem ex meis* viderem. »

Livius, l. I, c. 53 : « Sextus, filius ejus qui *minimus ex tribus* erat, transfugit ex composito Gabios; » sic habent correcti libri, non *minor ex tribus*, ut quidam citant.

Partitiva eleganter ablativo junguntur. Cicero, pro Ligar., c. 5, 15 : « Quam *multi* enim essent *de victoribus*, qui te crudelem esse vellent, cum etiam de victis reperiantur. » Idem, Acad. Prior., l. II, c. 6, 17 : « Quidam *e philosophis*..... faciundum omnino non putabant. »

Item numeralia. Cicero, de Divin., l. II, c. 42, 88 : « Panætius, qui *unus e Stoicis* astrologorum prædicta rejecit. » Idem, Parad. II, 16 : « C. Marium vidimus, qui mihi secundis rebus *unus ex fortunatis hominibus*; adversis *unus ex summis viris* videbatur. » Idem, pro Planc., c. 32, 78 : « *Unus* fuit *de magistratibus*..... defensor salutis meæ. » — *Unus* hoc modo fere construitur, cum principium numeri est; cum vero idem est quod *solus*, genitivo etiam jungitur. Plinius, l. IX, c. 27, 1 : « Acipenser *unus omnium* squamis ad os versis contra aquam in nando meat. » Curtius, l. VIII, c. 4, 21 : « Haud amplius, quam ut *duo ex tribus filiis* secum militarent, exegit. » Cicero in Orat., c. 15, 50 : « Quoniam id *secundum* erat *de tribus.* » Idem, Offic., l. II, c. 10, 36 : « Erat igitur *ex tribus* quæ ad gloriam pertinerent, hoc *tertium.* »

255. Mutatur interdum genitivus superlativi in accusativum cum præpositione *inter* vel *ante*.

Cicero, pro Sex. Rosc., c. 6, 16 : « Rectum putabat pro eorum honestate se pugnare, propter quos ipse *honestissimus inter suos* numerabatur. » Seneca, l. II, Controv. 9 : « Ille Crœsus *inter reges opulentissimus*, ad tormenta post tergum vinctis manibus ductus est. » Pomponius Mela, l. II, c. 1 : « Borysthenes gentem sui nominis alluit, *inter* Scythiæ *amnes amœnissimus.* » Livius, l. I, c. 15 : « Multitudini gratior fuit quam patribus, longe *ante alios acceptissimus* militum animis. »

Superlativum nomen cum præpositione *inter* non solum apud poetas, sed etiam apud oratores invenitur. Quintilianus, Declam. VI, c. 21 : « Et, quod *inter ista difficillimum* est, amore mei vicit etiam matrem. » Plinius, l. XIII, c. 3, 1 : « *Inter omnes potentissimus* odor, quisquis novissime additur. » Justinus, l. XXXVI, c. 2 : « *Minimus* ætate *inter fratres* Joseph fuit. »

Harum præpositionum adminiculo licebit nobis has et similes locutiones, quæ parum latinæ putantur (Lucretia est *castissima suarum sororum*; Antonius est *doctissimus aliorum*), sine ulla grammaticorum reprehensione efferre, hoc modo : Lucretia *castissima inter suas sorores* numeratur, vel habetur; Antonius longe *ante alios doctissimus* est, vel *inter cæteros doctissimus* est. Seneca, de Vita beata, c. 28 : « *Inter cætera mala* illud *pessimum* est (1). » Nonne vides quemadmodum res diversi generis comparentur? Nec enim Sextus Roscius, de quo Cicero loquitur, unus fuit ex suis municipibus; neque Romulus, de quo agit Livius, unus de aliis fuit; nec illud malum, de quo Seneca, unum e cæteris malis fuit. Age vero, cur reprehen-

(1) Hæc reperi in edit. quadam Parisin. 1587 : *Ex editione Romana.* Lipsius autem, paulo antequam ad hæc verba ventum est, hæc scribit : « Abest a meis. Est vero hic lacuna ingens, et reliqua desunt hujus libri. Quæ continenter vulgo leguntur, aliena a toto argumento sunt, et merito abjunxi. »

damus eum qui sic loquatur : Lucretia *castissima* est *suarum sororum?* Certe M. Tullius pro Sex. Rosc. Am., c. 6, 15, fere eodem modo locutus est : « Sex., inquit, Roscius pater hujusce, municeps Amerinus fuit quum genere, et nobilitate, et pecunia non modo *sui municipii*, verum etiam ejus vicinitatis facile *primus*. » *Primus sui municipii*, quid aliud est, quam suorum municipum primus? Item Gellius, l. IX, c. 16 : « Vir *ætatis* suæ *doctissimus;* » perinde est ac si dixisset : *suorum æqualium doctissimus*. Quod si tantopere censoriam grammaticorum virgulam perhorrescimus, utamur verbo pro superlativo, ad hunc modum : Lucretia suis sororibus plurimum castitate *præstat;* Lucretia suas inter sorores longe castitate *præstat*. Antonius eruditione cæteris condiscipulis plurimum *præstat*, vel suos inter æquales longe doctrina *præstat*. Audi Ciceronem, de Clar. Orat., c. 56, 204 : « Nihil tam dissimile, quam Cotta Sulpitio, et uterque æqualibus suis plurimum *præstitit*. » Ibid., c. 64, 230, de Hortensio loquens : « Suos inter æquales longe *præstitit*. » Idem, de Fin., l. II, c. 33, 110 : « Homini, qui cæteris animantibus plurimum *præstat*, præcipui a natura nihil datum esse dicemus? » Certe Plinius, l. XXXIV, c. 22, 3, tam morosæ et anxiæ observationis securus, « Ostracitis, dixit, tota nigra, et *cæterarum sordidissima* (2). » Tacitus in Agricola, c. 34 : « Ii *cæterorum* Britannorum *fugacissimi*, ideoque tandiu superstites. »

(2) Ita quoque Dalecamp; Lemaire : « *e cæteris sordidissima*. »

APPENDIX IV.

256. Superlativa, præter proprium casum, admittunt etiam casum suæ positionis. Cicero, de Clar. Orat., c. 20, 78 : « Fuit Sextus Ælius *juris* quidem *civilis* omnium *peritissimus;* » *omnium*, superlativi; *juris civilis*, positivi casus.

Admittunt et genitivum partitionis, more nominum unde formantur. Plinius, l. IX, c. 74, 8 : « *Plurimi piscium* tribus mensibus, Aprili, Maio, Junio (pariunt). »

Sunt qui superlativa partitivorum generi subjiciant, cum hæc nudam partitionem, illa vero præcipue comparationem adsignificent. Quamvis etiam hæc illa aliqua cognatione attingant, quod scilicet unum e multis significent, non continuo tamen partitiva sunt. Si quando tamen more partitivorum construuntur, positiva a quibus fiunt, imitantur. Ut enim *multus* partitive ponitur, sic *plures* et *plurimi*. Ejusdem generis videntur illa quæ substantivis destituta genitivum habent. Lucanus, l. II, v. 272 :

..... *Minimas rerum* discordia turbat.

Suetonius in Tito, c. 8 : « Hos..... partim subjici ac venire imperavit, partim in *asperrimas insularum* avehi. » Tacitus, Hist. l. II, c. 11 : « *Prima consiliorum* frustra ceciderant. » Et illud Quintiliani, . IX, c. 4, 79, quod supra attulimus : « Nam is *eminentissimos Græcorum* est secutus. » In his enim et similibus nulla videtur comparatio esse, sed partitio; quod facile intelligitur, si genitivum eodem casu jungamus cum superlativo, hoc modo : *minimas res*, *asperrimas insulas*, *eminentissimos Græcos;* quod ipsis maxime partitivis usu venit. Quid enim aliud, *nulla belluarum*, *quidam militum*, *nemo principum*, quam, *nulla bellua*, *quidam miles*, *nemo princeps* significat?

GENITIVUS VEL DATIVUS POST NOMEN

257. Nomina quæ similitudinem aut dissimilitudinem significant, interrogandi vel dandi casum exigunt. Terentius, in Eunuch. act. III, sc. 2, v. 496 : « *Domini similis*, etc. » Cicero, de Fin., l. V, c. 5, 12 : « Non video cur non potuerit *patri similis* esse filius. » Idem, II Phil., c. 24, 59 : « Saturavit se (Antonius) sanguine *dissimillimorum sui* civium. »

Item, *communis*, *proprius*. Cicero, de Senect., c. 11, 35 : « Id quidem non *proprium senectutis* vitium est, sed *commune valetudinis.* » Idem, pro Sex. Rosc., c. 26, 72 : « Quid tam est *commune* quam spiritus *vivis*, terra *mortuis*, mare *fluctuantibus*, littus *ejectis?* » Plinius, l. VII, c. 26, 1 : « *Cæsari proprium* et peculiare sit, præter supradicta, clementiæ insigne. »

Quæ similitudinem dissimilitudinemve significant, sive ad mores, seu ad formam referantur, interrogandi vel dandi casum assumunt. Proposita exempla ad mores pertinent; ad formam ille Ciceronis locus spectat, de Nat. deor., l. II, c. 59, 149 : « *Plectri similem* linguam nostri solent dicere, *chordarum* dentes, nares *cornibus iis* qui ad nervos resonant in cantibus. » Idem, ibid., l. I, c. 28, 78 : » Est enim vis tanta naturæ, ut homo nemo velit nisi *homini* (1) *similis* esse, et quidem formica *formicæ.* Sed tamen *cujus hominis?* » Ecce in utroque loco utrumque casum conjunxit.

(1) Orellius et Teubner : *hominis;* quod esse in cod. Rob. Stephani et aliis melioris notæ observavit Vossius, Constr. c. 11.

DATIVUS POST NOMEN

258. Nomina quibus commodum, voluptas, gratia, favor, æqualitas, fidelitas, et his contraria significantur, dativum poscunt, ut : Consul *salutaris, perniciosus reipublicæ; jucundus, molestus, gratus, invisus, propitius, infestus civibus; fidus, infidus imperio; par, impar* tanto *oneri*. Cicero, Fam., l. VI, ep. 6, 4 : « Erat meum consilium cum *fidele Pompeio,* tum *salutare utrique.* » Idem ad Att., l. XII, ep. 4 : « O *gratas* tuas *mihi jucundas*que literas! »

Item verbalia in *bilis*, ut *amabilis*, *formidabilis*, *optabilis*. Cic., VII Phil., c. 3, 7 : « *Cuique* pax præsertim civilis, quanquam *omnibus bonis*, *mihi* tamen in primis fuit *optabilis* (1). »

Quædam præterea quæ ex præpositione *con* componuntur, ut *conscius*, *consentaneus*, *concors*, *concolor*, *confinis*. Cicero, Tuscul. l. II, c. 4, 10 : « *Mihi* sum *conscius* nunquam me nimis vitæ cupidum fuisse. » Idem, IX Phil., c. 7, 15 : « Quum.... ejusque (Sulpitii) mors *consentanea vitæ* fuerit, sanctissime honestissimeque actæ. »

(1) Hic notat Orellius habere quosdam : « *Mihi* tamen in primis, etc. » Illud *mihi* Teubner post Orellium omisit.

Fidus frequentissime dativum habet, cum genitivo raro admodum reperitur. Virg., Æn. XII, v. 659:

> Præterea regina *tui fidissima* dextra
> Occidit ipsa sua.

Par apud poetas etiam genitivo casui adjungitur. Lucan., l. X, v. 382:

> Quem metuis *par hujus* erat.

Æqualis, cum ad ætatem tempusque refertur, fere genitivum habet. Cicero, de Fin., l. IV, c. 24, 66 : « Conferam autem avum tuum, Drusum, cum C. Graccho *ejus* fere *æquali.* »

Quæ in *bilis* exeunt, passionem significant. *Penetrabilis* sæpe apud poetas active ponitur. Virg., Æn. X, v. 481 :

> Aspice, num mage sit nostrum *penetrabile* telum.

Conscius, cum ad personas refertur, dativum habet. Terent., Adelph. act. III, sc. 2, v. 349 :

> *Mihi* sum *conscia* a me culpam esse hanc procul.

Cum vero ad rem, genitivo frequentissime. Cicero, pro Cæl., c. 29, 68 : « Multarum *rerum consciis* servis. » Interdum dativum. Cicero, pro Cæl., c. 21, 52: « Huic *facinori* tanto tua mens liberalis *conscia.* » Pro Cluent, c. 20, 56 : « *Conscium* illi *facinori* fuisse arbitrabatur. »

Seneca, de Vita beata, c. 8 : « *Concors sibi.* » Colum., l. VII, c. 3 : « Palatum atque lingua *concolor lanæ* est. » Plinius, l. VIII, c. 10, 4 : « Sed tamen in extremis Africæ, quæ *confinis Æthiopiæ* est. » Idem, l. XII, c. 18 : « *Contermina Indis* gens Ariana appellatur. »

Supplex, *obvius*, *obnoxius*, *absonus*, *pervius*, etiam huc spectant. Cicero, Tuscul. l, I, c. 29, 71 : « Nec *judicibus supplex* fuit. » Idem, epist. ad Att., l. VI, ep. 12 : « *Mihi* tuæ literæ volent *obviæ.* » Plinius, l. III, ep. 14, 5 : « Vides quot *periculis*, quot *contumeliis*, quot *ludibriis* simus *obnoxii?* » Terent., Adelph. act. V, sc. 7, v. 916 :

> *Fratri* ædes fient *perviæ.*

Livius, l. XXVI, c. 39 : « *Perviæ* naves *pugnantibus* erant. »

DATIVUS VEL ACCUSATIVUS CUM PRÆPOSITIONE *AD* POST NOMEN.

259. *Accommodatus*, *appositus*, *aptus*, *idoneus*, *habilis*, *utilis*, *inutilis*, *natus huic rei*, vel *ad hanc rem.*

Cicero in Pisonem, c. 17, 41 : « Ille gurges atque helluo *natus abdomini suo*, non *laudi* atque *gloriæ*,..... omnes fortunis, multos fama vitaque privasset. » Idem, de Clar. Orat., c. 68, 239 : « Cn. Pompeius, vir *ad omnia* summa *natus.* »

Prætermitto omnium exempla, ne longior sim, laborem molestiamque afferam ediscentibus. Cicero, in Verr. act. II, l. V, c. 41, 108 : « Homo bene *appositus ad* istius *audaciam.* » Quintilianus, l. IV, c. 3, 11 : « Judicis quoque noscenda natura est, *juri* magis an *æquo* sit *appositus.* » Cicero, Fam., l. VI, ep. 19 : « Ejus Falernum mihi semper *idoneum* visum est *deversorio.* » Idem, Att., l. V, ep. 6, 1 : « Instruar etiam consiliis *idoneis ad* hoc nostrum *negotium.* » Idem, de Leg., l. I, c. 9, 26 : « Natura..... figuram corporis *habilem* et *aptam ingenio humano* dedit. » Colum., l. II, c. 2 : « *Habilis frumentis* terra. » Cicero, de Orat., l. I, c. 54, 231 : « Si mihi calceos Sycionios attulisses, non uterer, quamvis essent *habiles* et *apti ad pedem.* » Livius, l. VII, c. 10 : « Hispano cingitur gladio, *ad* propiorem *habili pugnam.* » Cicero, Offic. l. III, c. 6, 29 : « Nonne igitur sapiens, si fame ipse conficiatur, abstulerit cibum alteri homini *ad* nullam *rem utili.* » Idem, de Fin., l. I, c. 4, 12 : « Quod et acutum genus est, et *ad usus* civium non *inutile?* »

ACCUSATIVUS VEL ABLATIVUS POST NOMEN

260. Adjectiva quibus generalis dimensio significatur, accusativum vel ablativum casum postulant, qui certam mensuram significet.

Livius, l. XXXVII, c. 37 : « Fossam *sex cubitis* (1) *altam*, duodecim latam cum duxisset, extra duplex vallum fossæ circumdedit. » Columella, l. V, c. 3 initio : « Esto ager *longus pedes mille ducentos*, *latus pedes* centum viginti. »

Generalem dimensionem significant : *longus*, *latus*, *altus*, *profundus*, *crassus;* certam mensuram : *digitus*, *uncia*, *palmus*, *dodrans*, *pes*, *cubitum* seu *ulna*, quæ idem est, *passus*, *stadium*, *miliare* sive *milliarium*. Plinius, l. XXXV, c. 49, 1 : « Lydion, quo utimur, *longum sesquipede*, *latum pede*. »

Interdum adhibetur genitivus. Columella, l. XI, c. 2 circa finem : « Medicæ singulos cyathos serere oportet in areolis *longis pedum* denum. »

(1) Lemaire, *cubita;* Rudimannus, qui hunc locum in exemplum affert, habet *cubitis.*

ABLATIVUS POST NOMEN

261. *Extorris*, *nudus*, *dignus*, *contentus*, *inanis*,
Atque *refertus*, *inops*, *locuples*, *alienus*, *onustus*,
Immunis, *plenus*, *cassus*, *dives*que, *potens*que,
Tum *fretus*, *vacuus*, tum *captus*, *prœditus*, *orbus*,
Indignus, *liber*, *viduus* sibi jure latinum
Assumunt casum, ut : *Summo* vir *dignus honore*.

Livius, l. XXXV, c. 19 : « Hoc (jusjurandum) *patria extorrem* in tuam regiam adduxit. » Cicero ad Att., l. VII, ep. 13 : « Huic tradita Urbs est *nuda prœsidio, referta copiis*. » Idem, Fam., II, ep. 12 : « Tu mihi obviam mitte epistolas *te dignas*. » Idem, pro Quint., c. 3, 12 : « Mediocri *quœstu contentus* esse non poterat. » Idem, de Clar. Orat., c. 70, 247 : « Lentulus.... non *tardus sententiis*, non *inops verbis*. » Idem, Verr. act. II, l. III, c. 73, 170 : « *Locuples copiis* civitas. » Idem, de Divin., l. I, c. 38, 82 : « Neque hoc (dii) *alienum* ducunt *majestate* sua. » Idem, de Prov. Consul., c. 8, 18 : « *Alienum* sibi videri *dignitate* imperii. » Idem, de Divin., l. I, c. 29, 60 : « *Onusti cibo* et vino perturbata et confusa cernimus. » Plinius, l. XVII, c. 37, 7 : « Caprificus *omnibus immunis* est quæ adhuc diximus. » Seneca, Hipp., v. 1054 : « *Metu immunis*. » Cicero, de Finib., l. III, c. 13, 43 : « Eo beatior quisque sit, quo sit corporis aut externis *bonis plenior*. » Virgilius, Æn. II, v. 85 :

. . . . . Nunc *cassum lumine* lugent.

Cicero, de Offic., l. II, c. 16, 57 : « P. Crassus, quum *cognomine dives*, tum *copiis*. » Virgilius, Æn. X, v. 201 :

Mantua *dives avis*....

Livius, l. I, c. 34 : « Anco regnante, Lucumo, vir impiger ac *divitiis potens*, Romam commigravit. » Ibid., l. VI, c. 13, nove dixit : « Multitudo hostium, *nulli rei*, præterquam *numero freti*. »

Cicero, de Finib., l. IV, c. 5, 12 : « *Vacui negotiis*, honeste ac liberaliter possumus vivere. » Cicero, pro Rab., c. 7, 21 : « *Confectus senectute*, præpeditus morbo, mancus, et membris omnibus captus, ac debilis. » Idem, Fam., l. IV, ep. 13, 3 : « *Orbus iis rebus* omnibus, quibus et natura me, et voluntas, et consuetudo assuefecerat. » Idem, de Finib., l. V, c. 29, 87 : « *Liber terrore* animus. » Columella, l. II, c. 14 a medio : « *Viduus pecudibus* ager. » Plinius, l. III, proœmio, 3 : « *Vidua fama* sua nomina. »

Quædam ex his, ut supra dictum est, etiam genitivum poscunt ; item *dignus*. Balbus ad Ciceronem, l. VIII ad Att., ep. 15 : « Obsecro te, Cicero, suscipe curam, et cogitationem *dignissimam tuæ virtutis*. » Suetonius in Othone, c. 4 : « Ut jam vix ullus esset, qui non et sentiret, et prædicaret solum *successionis* (1) imperii *dignum*. » Illud Ciceronis de Aruspiciis, c. 24, 51, depravate affertur : Unum esse in hac civitate *dignum hujus imperii ;* sic enim habent libri omnes : « Unum esse in hac civitate *dignum* hujus imperii *gloria*. »

Indignus, orbus, cassus, onustus, eumdem casum, rarissime tamen, recipiunt.

(1) Burmann habet *successionis ;* Lemaire, *successione*, ubi annotat : « Burman. revocavit librorum *successionis*, contra usum scriptoris, qui unice observandus. » Teubner, *successione*.

OPUS

262. *Opus*, nomen adjectivum, antecedente verbo substantivo, ablativum postulat. Terent., Andr. act. I, sc. 1, v. 32 :

Nihil isthac *opus* est *arte*, ad hanc rem quam paro.

Cicero, ad Att., l. XII, ep. 37 : « Apud Terentiam *gratia opus* est nobis tua tuaque *auctoritate*. »

Sæpe etiam cum substantivis more adjectivorum consentit, neque tamen in casus declinatur. Cicero, Fam., l. II, ep. 6, 4 : *Dux* nobis et *auctor opus* est. » Idem, Fam., l. XVI, ep. 5 : « Is omnia pollicitus est, *quæ* tibi essent *opus*. » Idem ad Att., l. VI, ep. 9 : « Dices *nummos* mihi *opus* esse ad apparatum triumphi. » Livius, l. XXX, c. 4 : « Scipio ad comparanda ea *quæ opus* erant, tempus habuit (1). »

Opus cum genitivo junxit Plancus ad Consules, Prætores, etc., apud Ciceronem, Fam., l. X, ep. 8, 3 : « Sed aliquantum nobis *temporis*, et magni *laboris*, et multæ *impensæ opus* fuit, ut quæ reipublicæ bonisque omnibus polliceremur, exitu præstaremus (2) » ; nisi forte subest aliqua figura quæ nos latet : nam *temporis* ab *aliquantum* pendet ; genitivi vero *laboris* et *impensæ* non video unde pendeant. Illud Quintiliani, l. XII, c. 3, 8 : « Sed etiam si nosse quid quisque senserit volet, *lectionis opus* est ; » castigatiores codices habent *lectione*.

Jungebant prisci *opus* etiam cum accusandi casu. Plaut., Trucul. act. V, v. 10 :

Puero *opus* est *cibum*.

(1) Lemaire, Drakenb., Teubner : « ad comparanda ea quæ *in rem* erant. »

(2) Orellius post Olivet, Ernesti : « Aliquantum temporis, et magni *labores*, et multæ *impensæ* opus fuerunt. » Eamdem quam Alvarus lectionem sequitur Lallemand. Teubner vero Orellium secutus est.

Usus, cum *opus* significat, eodem modo fere construitur. Plaut., Asin. act. I, sc. 1, v. 76 :

> Viginti jam *usus* est filio argenti *minis*.

Virgilius, Æn. VIII, v. 441 :

> Arma acri facienda viro : nunc *viribus usus*,
> Nunc *manibus* rapidis.

Plaut., Pseud. act. I, sc. 3, v. 151 :

> Ad eam rem *usus* est *hominem* astutum, doctum,
> Et callidum ; [scitum

pro *Opus est homine astuto*, etc. Idem, Persa, act. II, sc. 5, v. 27 :

> Ad eam rem *usus* est tua mihi *opera*.

Cicero, Tuscul., l. IV, c. 3, 5, *usus* pro *opus* utitur, sed sine casu : « De cæteris studiis alio loco et dicemus, si *usus* fuerit. » Itaque *usus* pro *opus* cum ablativo fere apud poetas, maxime comicos, in usu est. Terent., Hecyr. act. III, sc. 1, v. 327 :

> Non *usus facto* est mihi nunc hunc intro sequi.

263. Adjectiva diversitatis et numeralia ordinis ablativum cum præpositione *a* vel *ab* admittunt.

Cicero, Acad. Prior., l. II, c. 32, 101 : « Certa igitur cum illo qui *a te* totus *diversus* est. » Idem ad Att., l. XVI, ep. 3, 4 : « Navigationis labor *alienus* non *ab ætate* solum nostra. » Idem, Acad. Prior., l. II, c. 6, 16 : « Post autem confecta a Carneade, qui est *quartus ab Arcesila*. » Hirtius, de Bello Alex., c. 66 : « Imperio et potentia *secundus a rege*. »

Alienus etiam genitivo et dativo conjungitur. Cicero, de Fin., l. I, c. 4, 11 : « Quis *alienum* putet ejus esse *dignitatis*, quam mihi quisque tribuit? » Sallustius in Catil., c. 40 : « Ille eos in domum D. Bruti perducit, quod foro propinqua erat, nec *aliena consilii* propter Semproniam. » Cicero, pro Cæcin., c. 9, 24 : « Quod *illi causæ* maxime est *alienum*. » Quintilianus, l. I, procemio, 5 : « Ego cum nihil existimem *arti* oratoriæ alienum. » Usitatius tamen ablativo jungitur.

264. Item, *securus*, *liber*, *vacuus*, *purus*, *nudus*, *inops*, *orbus*, *extorris*.

Cicero, in Verrem, act. II, l. IV, c. 10, 23 : « His quidem temporibus in omni orbe terrarum *vacui*, *expertes*, *soluti* ac *liberi* fuerunt *ab omni sumptu*, *molestia*, *munere*. » Idem, pro Domo sua, c. 22, 58 : « Tam *inops* autem ego eram *ab amicis?* aut *nuda* Respublica *a magistratibus?* »

Plinius, l. XXVIII, c. 42, 1 : « Pelles ejusdem animalis substratæ *securos* præstant *ab eo metu* somnos. » Cicero, de Arusp., c. 6, 11 : « Quæ tandem est in hac urbe tanta domus *ab ista* religionis *suspicione* tam *vacua* atque *pura?* » Seneca, ep. 4, 1 : « Mentis ab omni labe *puræ* et splendidæ. » Cicero, pro Flacco, c. 23, 54 : « Usque eo *orba* fuit *ab optimatibus* illa concio, ut princeps principum esset Mæandrius. » Livius, l. V, c. 30 : « Ne exulem *extorrem* populum Romanum *ab solo* patrio, ac diis Penatibus in hostium urbem agerent. »

COMPARATIVA

265. Comparativo utimur cum ablativo, quando vel plura diversi generis comparantur. Cicero, I Catil., c. 3, 6 : « *Luce* sunt *clariora* nobis tua consilia. » Curtius, l. IX, c. 2, 27 : « *Majora* sunt *periculis* præmia. » — Vel, cum duo ejusdem aut diversi generis conferuntur. Cicero ad Octav., in lib. II ad Brut., ep. 8 : « Quæ non posterior dies *acerbior priore?* et quæ non insequens hora *antecedente calamitosior* populo Romano illuxit? » Virtus multo *pretiosior* est *auro.*

Apud veteres interdum leges comparativum cum ablativo, etiam cum res ejusdem generis conferuntur. Plinius, l. XXVI, c. 11, 1, ubi de generibus marmoris agit : « Pretiosissimi, inquit, quædam generis Lacedæmoniorum viride *cunctis*que *hilarius.* » Eodem libro, c. 14, 9, ubi de ea navi agit, qua Caius obeliscum ex Ægypto Romam importavit : « D. Claudius, inquit, aliquot per annos asservatam, qua Caius Cæsar importaverat, *omnibus* quæ unquam in mari visæ sunt *mirabiliorem.* Valerius Maximus, l. IV, c. 3, 6 : « Idem sensit Fabricius Luscinus honoribus et auctoritate omni *civitate* temporibus suis *major.* » Gellius, l. I, c. 5 : « Hortensius omnibus ferme *oratoribus* ætatis suæ, nisi M. Tullio, *clarior.* » Virgilius, Æn. VIII, v. 162 :

> . . . . . Sed *cunctis altior* ibat
> Anchises.

Juniores grammatici subaudiunt vocem excludentem, *cæteris* vel *reliquis.*

Donatus, edit. II, p. 1746; Servius in eumdem, p. 1782; Diomedes, l. I, p. 310; Priscianus, l. III, p. 599, docent comparativo locum esse, etiam cum res ejusdem generis comparantur.

In illo Sallustii : « Nulla arte *cuiquam inferior;* » item Plinii, l. III, c. 20, 3 : « *Nulli* amnium claritate *inferior;* » comparativum, ut vides, dativo adjungitur.

APPENDIX I.

266. Ablativus comparativi, intercedente conjunctione *quam*, mutari potest in casum verbo congruentem.

Cicero, in Verr. act. II, l. III, c. 16, 43 : « Tu innocentior *quam Metellus?* » Idem ad Att., l. XIV, ep. 20, 3 : « Nemo unquam neque poeta, neque orator fuit, qui quemquam meliorem *quam se* arbitraretur. » Livius, l. XXX, c. 30 : « Melior tutiorque est certa pax, *quam* sperata *victoria.* » Terentius, in Phorm. act. IV, sc. 2, v. 590 :

> Ego hominem callidiorem vidi neminem
> *Quam Phormionem.*

Si ablativus a nominibus *nemo, nullus,* aut a relativo *qui, quæ, quod* fiat, non erit locus huic permutationi; ut enim bene latine dicimus : Marco Tullio, *quo* nemo Romanorum fuit *eloquentior,* caput per summam injuriam abscissum est; ita inepte dicemus : Marco Tullio, *quam qui* nemo Romanorum fuit *eloquentior,* etc.

APPENDIX II.

267. Comparativa, quemadmodum et cætera adjectiva, cum partitionem adsignificant, genitivum desiderant. Livius, l. III, c. 41 : « In hanc sententiam ut discederetur, *juniores patrum* evincebant. » Horatius, Arte poet., v. 366 :

O *major juvenum*....

Auctores tamen sæpius ablativo utuntur cum præpositione *e* vel *ex*. Cicero, ad Att., l. XVI, ep. 13, 1 : « Ante scripta epistola *ex duabus tuis prior* mihi legi cœpta est. » Plinius ad Caninium, l. III, ep. 7, 2 : « *Minorem e liberis* duobus amisit. »

Cum partitio significatur, potest comparativus genitivum admittere, sive de duobus, sive de pluribus agatur. Sic Livius : « *Juniores patrum* evincebant. » Curtius, l. VII, c. 2, 30 : « Cleander *priores* (1) *eorum* intromitti jubet. » Plinius, l. XI, c. 90 : « *Animalium fortiora*, quibus sanguis crassior; sapientiora, quibus tenuior; timidiora, quibus minimus aut nullus. » Horatius, l. IV, Ode 14, v. 14 : « *Major Neronum*. » Idem, l. I, Sat. 6, v. 120 :

. . . . . Qui se
Vultum ferre negat *Noviorum* posse *minoris*.

(1) Edit. variorum, Lemaire, etc., habent *primores*. Drakenborch, Teubner, ut Alvarus.

Scriptores sæpius, ut dixi, ablativo cum præpositione utuntur, qui casus partitioni, maxime ubi nomen est comparativum, aptissimus est. Quintilianus, Declam. XIX, c. 2 : « Ego sum *infelicior ex parentibus* duobus. » Idem, Declam. VIII, c. 11 : « Dii non sinant ut *ex liberis vilior* incipiat esse periturus! » Cæsar, Bello civ., l. III, c. 108 : « In testamento Ptolomæi patris hæredes erant scripti *ex duobus filiis major*, et *ex duabus*, ea quæ ætate antecedebat. »

Aliquando genitivus in accusativum, antecedente præpositione *inter*, mutatur. Quintilianus, Declam. IX, c. 7 : « Ille quoque occisus est, qui *inter nos*, ut apparet, *fortior* fuit. »

APPENDIX III.

268. Præter suum casum admittunt comparativa ablativum significantem excessum. Hercules fuit *procerior* te *cubito*. Curtius, l. V, c. 1, 26 . « Turres *denis pedibus*, quam murus, *altiores* sunt. »

Item casum suæ positionis. Cicero, ad Plancum, in l. XVI ad Att., ep. 16, 7 : « *Mihi* nemo est *amicior*, nec jucundior, nec carior Attico. »

Denique hos ablativos : *opinione*, *spe*, *æquo*, *justo*, *solito*, *dicto*. Cicero, de Clar. Orat., c. 1, 1 : « *Opinione* omnium *majorem* cepi dolorem. » Livius, l. XXV, c. 7 : « Reate saxum ingens visum volitare, sol rubere *solito magis*, sanguineoque similis. »

Columella, l. III, c. 19 : « (Malleolus) nec *major pede*, nec *dodrante minor* esse debet. » Ibidem : « Paulo *minor dodrante*, *longior* utique *semipede*. » Ovidius, Fast. IV, v. 606 :

Speque redit *citius*.

Cicero, de Amic., c. 16, 58 : « Ne quid.... *plus æquo* in amicitiam congeratur. » Quintilianus, l. IX, c. 4, 125 : « Membrum *longius justo*, tardum; brevius instabile est. » Livius, l. XXIII, c. 47 : « *Dicto* prope *citius*, equum in viam Claudius dejecit. »

ABLATIVUS SIGNIFICANS LAUDEM, VITUPERATIONEM, PARTEM.

269. Pleraque adjectiva ablativum postulant significantem laudem, vituperationem vel partem.

Q. Cicero, de Petit. consul., c. 3, 12 : « Non erit difficile certamen cum iis competitoribus, qui nequaquam sunt tam *genere insignes* quam *vitiis nobiles*. » Cicero, de Orat., l. I, c. 25, 115 : « Sunt quidam aut ita *lingua hæsitantes*, aut ita *voce absoni*, aut ita *vultu motu*que corporis *vasti* atque *agrestes*, ut etiamsi ingeniis atque arte valeant, tamen in oratorum numerum venire non possint. » Idem in Verr. act. II, l. I, c. 48, 127 : « Qui ob jus dicundum M. Octavium Ligurem, hominem *ornatissimum loco*, *ordine*, *nomine*, *virtute*, *ingenio*, *copiis*, poscere pecuniam non dubitarit. » Sallustius, in Catil., c. 59 : « Ex altera parte C. Antonius *pedibus æger*, quod prælio adesse nequibat, M. Petreio legato exercitum permittit. »

Quamvis oratores libentius substantiva cum adjectivis copulent, ut : vir *summa eloquentia, eximia virtute, excellenti ingenio;* tamen non raro ipsis adjectivis ablativum laudis aut vituperationis attribuunt. Cicero, de Fin., l. IV, c. 28, 78 : « Horridiores evadunt, asperiores, duriores et *oratione* et *moribus*. » Idem, de Orat., l. I, c. 29, 132 : « Ego enim neminem nec *motu* corporis, nec ipso *habitu* atque *forma* aptiorem, nec *voce* pleniorem aut suaviorem mihi videor audivisse. » Idem, de Clar. Orat., c. 31, 117 : « Ut vita, sic *oratione* durus, incultus, horridus. »

Ablativo partis rarius utuntur. Idem, Tuscul., l. IV, c. 17, 37 : « Ergo is, quisquis est, qui moderatione et constantia quietus *animo* est, sibique ipse placatus. » Quintilianus, l. VI, c. 3, 77 : « Qui *pedibus* æger, cum vellet videri commodioris valetudinis, etc. » Poetæ frequenter. Martialis, l. XII, epigr. 54, 1 :

Crine ruber, niger *ore*, brevis *pede*, *lumine* læsus.

APPENDIX.

270. Ablativum partis frequenter in accusativum mutant poetæ. Virgilius, Æn. I, v. 589 :

*Os humeros*que deo similis.

Horatius, l. I, ep. 10, v. 50 :

Excepto, quod non simul esses, *cætera* lætus.

Item historici, sed rarius. Livius, l. XXI, c. 8 : « Falarica erat Saguntinis missile telum hastili abiegno, et *cætera* tereti, præterquam ad extremum. » Pom–

ponius Mela, l. II, c. 1 : « Satarchæ.... totum braccati *corpus*, et nisi qua vident, etiam *ora* vestiti. »

Curtius, l. VI, c. 5, 3, ablativo usus est : « Ego, inquit, *cæteris* lætus, hoc uno torqueor. » Accusativus *cætera* frequens est apud Livium, l. I, c. 32 : « Proximum regnum *cætera* egregium, ab una parte haud satis prosperum fuerat. » Idem apud Plinium, l. XII, c. 13, 1 : « Est et terebintho similis *cætera*, pomo amygdalis; » et l. XXXVII, c. 52, 2 : « Est et alia iris *cætera* similis (1), et prædura. » Gellius, l. XIX, c. 10 : « Memini me quondam et Celsinum Julianum Numidam ad Frontonem Cornelium, *pedes* tunc graviter ægrum ire et visere. » Hanc constructionem, quam Servius, in Virg. Æn. I, v. 593, *figuram græcam* appellat, recentiores *synecdochen* vocant ; fortasse non male, quod substracta præpositio *secundum* intelligatur a Latinis, ut Græcis *κατά*. Nam synecdoche non solum tropus est, sed etiam lexeos figura, cum nimirum substractum verbum aliquod satis ex cæteris intelligitur. Vide Quintilianum, l. IX, c. 3, 58. Denique, sive hac de causa ita appelletur, sive quia id quod partis est toti attribuitur, ut aliqua ex parte synecdochen tropum imitetur, missa hæc faciamus : nam pueris tenebras offundunt.

(1) Dalecamp : « ceræ similis; » Lemaire : « *cætero* similis. »

DE

CONSTRUCTIONE TRANSITIVA VERBI

271. Verba, quod ad significationes seu genera attinet (utrumque enim, teste Donato, edit. II, p. 1756, et Diomede, l. I, p. 326, idem valet), quinque sunt : activa, passiva, neutra, communia, deponentia.

Activa ea demum crediderunt Phocas, p. 1711, Donatus, Diomedes cæterique veteres, quæ *o* litera terminata, passiva fierent, litera *r* apposita, ut *laudo*, *laudor*.

« *Neutra* sunt, inquit Donatus, quæ *o* litera terminantur, et, accepta *r* litera, latina non sunt, ut *sto*, *curro;* sunt etiam neutra, quæ *i* litera terminantur, ut *odi, novi, cœpi, memini*. Sunt item, quæ in *um* syllabam desinunt, ut *sum, prosum, obsum*. Sunt item, quæ in *t* literam exeunt, et *impersonalia* dicuntur, ut *pudet*, *pœnitet*, *libet*, *oportet;* sed hæc et similia defectiva existimanda sunt. Sunt præterea neutro-passiva, ut *gaudeo, gavisus sum; soleo, solitus sum; audeo, ausus sum; fio, factus sum; fido, fisus sum.*» Hactenus Donatus. Diomedes, p. 327, neutra *o* litera finita docte et acute in tria genera distribuit, quorum alia agentis significationem habent, sive (ut Phocas, nobilis et antiquus grammaticus, inquit) quæ actum significant, et activam habent significationem, ut *facio*, *ambulo*, *curro:* alia, quæ patientis habent significationem, ut *veneo*, *vapulo;* alia postremo sunt, in quibus nec agentis nec patientis significatio dignoscitur, hoc est, quæ nec actionem nec passionem significant, ut *sedeo, jaceo, sto;* nescis enim agatne quis an patiatur. Hæc ultima « quidam *supina* dixerunt, inquit Diomedes, alii *absolutiva*. » Hinc apertissime intelligitur veteres verba omnia quæ literam *r* assumere non possent, quantumvis cum accusativo conjungerentur (ut *facio*, *calefacio*, *odi*, *novi*), in neutris numerasse.

Passiva sunt, quæ ita *r* litera terminantur, ut, ea deposita, activa fiant, ut *laudor*, *laudo*.

Communia, quæ *r* litera terminata, tum actionem, tum passionem significant, ut *hortor*, *complector*.

Deponentia, quæ itidem litera *r* terminata, actionem tantum significant, ut *aucupor*, *loquor*.

Ego (dicam enim quod sentio) quadripartitam existimo esse hanc distributionem : quædam namque actionem significant, ut *ædifico*, *curro*, *sequor;* alia passionem, ut *vapulo*, *verberor;* alia tum actionem, tum passionem, ut *dignor*, *amplector;* de quibus supra in Rudimentis copiose dictum est, multaque veterum exempla allata sunt. Alia denique nec actionem neque passionem significant, ut *sedeo*, *jaceo;* hæc et similia proprie neutra sunt, meritoque supina verba a quibusdam appellata, quod videlicet veluti otiosa resupinaque stertant, utriusque actionis expertia. Hactenus de verborum generibus.

Quod vero ad constructionem attinet, duplex est verbum : alterum *intransitivum*, quod post se aut nullum casum habet, ut *venio*, *redeo;* aut similem præcedenti. Livius, l. I, c. 32 : « Juste pieque *legatus* venio. » Terent., Andr. act. I, sc. 1, v. 137 :

. . . . . Redeo inde *iratus* atque ægre *ferens;*

de quo supra dictum est; — alterum *transitivum*, quod in casum diversum a præcedente transit; hoc in *activum*, *passivum* et *neutrum* partitur.

Activum verbum est, quod post se accusativum postulat, cujuscumque sit positionis, ut *laudo*, *facio*, *sequor*, *amplector*, *odi : Doleo vicem tuam;* Ingrati animi *crimen horreo;* quamvis hæc duo postrema et similia neutro-passiva possint appellari, ut postea dicemus; libenter hoc genus verborum, si per grammaticos liceret, *accusativum* appellarim, quemadmodum quidam veterum accusativas præpositiones vocant quæ accusandi casu gaudent.

Passivum est, quod in ablativum transit cum præpositione *a* vel *ab*, ut *Laudor a te*. Seneca, ep. 90, 4 : « Infirmiores *a validioribus tuebantur*. » Verrius Flac. apud Priscianum, l. VIII, p. 791 : « Sævitiaque eorum *abominaretur ab omnibus*. » Hoc fere in *or* desinit.

Neutrum, quod transit in genitivum, dativum, vel ablativum casum, ut *Egeo tui; Opitulor tibi; Fungor meo munere.*

Quæ diximus, de propriis casibus accipienda sunt; nam de communibus omni verborum generi post dicendum erit. Per hæc tria genera fusa atque dispersa sunt *impersonalia* : activa, ut *pudet, piget;* passiva, ut *pugnatur, itur;* neutra, ut *libet, licet.* De neutris primo dicemus, tum quia casuum ordo id exigit; tum (quod magis me movet) ut, cognita neutrorum turba, facilius cognoscant adolescentes activa sive accusativa verba.

GENITIVUS POST VERBUM

272. *Sum* genitivum petit, cum possessionem significat. Cicero, Fam., l. II, ep. 13 : « Jam me *Pompeii* totum *esse* scis. » — Aut ad aliquid pertinere. Idem, XII Phil., c. 2, 5 : « Cujusvis *hominis est* errare; *nullius*, nisi insipientis, in errore *perseverare.* » Idem, de Offic., l. I, c. 34, 122 : « *Est* igitur *adolescentis* majores natu vereri. »

Item hæc duo, *Interest* et *Refert*. Idem, de Finibus, l. II, c. 22, 72 : « *Interest omnium* recte facere. » Quintilianus, l. IX, c. 4, 44 : « Plurimum *refert compositionis*, quæ quibus anteponas. »

Est, Interest, Refert, cum officium atque ad rem pertinere significant, prima et secunda persona carent, qua de causa impersonalia verba, sive verba sine personis (ut Varro loquitur, l. X, 32) possunt appellari. Itaque, cum verbum impersonale dicimus, præpositio *in* privationem declarat primæ et secundæ personæ, quibus verbum privatur, non nominativi, sive personæ agentis seu patientis, ut grammatici juniores volunt. Sed hac de re supra in Rudimentis dictum est, pluraque suo loco dicentur.

Hæc tria verba (ut ad rem redeamus) modo nominativum habent aperte. Cicero, Tuscul., l. V, c. 28, 81 : « Sapientis *est* enim *proprium*, nihil quod pœnitere possit, facere. » Idem, in Partit., c. 24, 84 : « *Quod* enim permagni *interest*, pro necessario sæpe habetur. » Idem, Fam., l. V, ep. 20, 5 : « Non adscripsi id *quod* tua nihil *referebat.* » Modo infinitum verbum, aut orationis membrum loco nominativi accipiunt. Idem, de Orat., l. II, c. 27, 117 : « Tardi ingenii *est rivulos consectari, fontes rerum non videre.* » Idem, Fam., l. III, ep. 5, 4 : « Utriusque nostrum magni *interest ut te videam ante quam decedas;* » *ut te videam ante quam decedas*, hoc membrum, sive pars totius orationis, verbi *interest* nominativus est. Itidem, *majores natu vereri* vice nominativi ponitur; nisi quis velit *officium* seu *proprium* subaudire, ut : Adolescentis *officium* est majores natu vereri; ut illud : Sapientis est *proprium*, nihil quod pœnitere possit, facere.

EXCEPTIO.

273. *Interest* tamen et *Refert* hos ablativos habent : *mea, tua, sua, nostra, vestra*. Cicero, Fam., l. XVI, ep. 4 : « *Tua* et *mea* maxime *interest* te valere. » Terent., Hecyr. act. V, sc. 3, v. 811 :

. . . . . *Tua* quod nil *refert*, percontari desinas.

Cicero, pro Cluent., c. 54, 149 : « Hic *sua* putat *interesse*, se re ipsa et gesto nego-

tio, non lege defendi. » Idem, pro Sull., c. 28, 79 : « *Vestra* enim, qui cum summa elegantia atque integritate vixistis, hoc maxime *interest.* »

Cuja vel *cujus interest* pereleganter dicitur. Cicero pro Vareno (apud Priscianum, l. XII, p. 950) : « Ea cædes si potissimum crimini datur, detur ei *cuja interfuit*, non ei *cuja* nihil *interfuit.* » Idem, I Phil., c. 9, 21 : « Quis est enim hodie, *cujus intersit* istam legem manere? »

Priscianus, l. XII, p. 950 : « *Interest* et *Refert*, inquit, genitivo solent adjungi omnium casualium, absque supradictis quinque pronominibus, pro quorum genitivis ablativos ponimus possessivorum, ut : *Interest*, et *Refert mea, tua, sua, nostra, vestra ; cuja* quoque, infiniti possessivum, cum supradictis verbis pro genitivo primitivi ponitur. Cicero, pro Vareno : « Ea cædes si potissimum cri- » mini datur, detur ei *cuja interfuit*, non ei *cuja* ni- » hil *interfuit.* » Hæc ille. Vides ut Priscianus, qui de comicis versibus accuratissime scripsit, affirmet *mea, tua, sua, nostra, vestra, cuja* casus esse ablativos, non accusativos? Scio quantas tragœdias hi casus excitaverint : alii enim summa vi nituntur docere accusandi esse, quibus Plautinos ac Terentianos pedes non arbitror admodum favere, cum eos huc atque illuc non secus ac Lesbiam normam flectere ac torquere possis. Illud Donati in Terent. Phorm. act. IV, sc. 5, v. 722 :

..... Quid *tua*, malum ! id *refert*?.....

magis urget. Et « quære, inquit, quomodo dicatur : quid mea, quid tua? An deest *ad?* ut sit *ad mea, ad tua?* » Sed hæc viderint iidem coryphæi. Pueri dumeta ista ne per somnum quidem attingant.

Quibus genitivis jungantur pronomina *meus, tuus, suus, noster, vester ;* item, dicaturne bene latine : *Tua adolescentis interest* majores natu vereri; *Mea consulis refert* rempublicam vigilanter administrare, et cætera id genus suo loco invenies.

274. Verbum *Est*, pro ablativis *mea, tua, sua, nostra, vestra*, habet *meum, tuum, suum, nostrum, vestrum.*

Cicero, de Finibus, l. II, c. 14, 44 : « Si memoria forte defecerit, *tuum est* ut suggeras (1). » Idem, Fam., l. VI, ep. 5, 2 : « Puto *esse meum* quid sentiam exponere. » Ovidius, Fast. IV, v. 889 :

Nulla mora est operæ; *vestrum* dare, vincere *nostrum est.*

APPENDIX.

275. *Magnum, parvum, tantum, quantum* junguntur in genitivo cum verbis *Interest* et *Refert.*

Cicero, Fam., l. XVI, ep. 1 : « *Magni* ad honorem nostrum *interest* quam primum ad Urbem me venire. » Idem, Att, l. II, ep. 23 : « *Permagni* nostra *interest* te.... esse Romæ. » Idem ad Quint. Fr., l. I, ep. 1, c. 7, 20 : « *Parvi refert* abs te ipso jus dici. » Pompeius Lentulo, in l. VIII ad Att., ep. 6 : « Scio *quanti* reipublicæ *intersit*, omnes copias in unum locum primo quoque tempore convenire. »

---

(1) Orellius et Teubner : « Nisi memoria forte defecerit; » omissis quæ sequuntur. Item antea Olivet, Lallemand, Ernesti, Lemaire. Notat Olivet habuisse Manutium et Lambinum : « *Tuum est* ut suggeras. »

Obiter notabis verbum *Interest*, loco genitivi, posse accusativum cum præpositione *ad* recipere. Cicero, Fam., l. V, ep. 12, 2 : « Equidem *ad* nostram *laudem* non multum video *interesse.* » Postremum locum quidam legunt : *Scio quanti reipublicæ sit. Intersit* tamen legendum esse confirmat epistola 11 Ciceronis lib. VIII ad Att., 3, in qua refert Cicero eadem verba : « *Magni*que, inquit, *interesse reipublicæ* scripseras, omnes copias primo quoque tempore in unum locum convenire. » Cicero, pro lege Manilia, c. 7, 18 : « Etenim illud primum *parvi refert,* vos publicanis amissa vectigalia postea victoria recuperare. » Ulpianus, Dig., l. XLVII, tit. II, lege 27 : « Scilicet si *tanti interfuit.* »

Cætera hujusmodi per adverbium adduntur, ut : *Plurimum interest; Maxime refert; Nihil interest.*

Cicero, Tuscul., l. I, c. 43, 102 : « Theodori quidem *nihil interest,* humine an sublime putrescat. » Idem, Fam., l. V, ep. 12, 2 : « Equidem ad nostram laudem non *multum* video *interesse;* sed ad properationem meam *quiddam interest,* non te exspectare. »

Hujus classis sunt *parum, paululum, aliquantulum, multum, permultum, magis, maxime, minus, minime, nihil, aliquid, vehementer, tantopere, magnopere, infinitum, tantulum, plus, plurimum.* Plinius, l. XVI, c. 74, 2 : « *Infinitum refert* et lunaris ratio. » Cæterorum passim occurrunt testimonia, quæ, ne longus sim, prætermitto. *Quantum* apud Ciceronem invenies. Pro Murena, c. 2, 4 : « Ostendam alio loco, *quantum* salutis communis *intersit,* duos consules in republica Kalendis Januariis esse. » Idem, pro Milone, c. 21, 56 : « Semper ille, et *quantum interesset* Publii Clodii, etc. » Plin., l. II, c. 13, 12 : « *Tantum interest,* subeant radii, an superveniant. »

276. *Misereor, satago* genitivum casum adsciscunt. Cicero, Att., l. IV, ep. 5, 2 : « Qui etiam tum quum *misereri mei* debent, non desinunt invidere. » Terentius, Heaut. act. I, sc. 3, v. 225 :

. . . . . Is quoque *rerum* suarum *satagit.*

Misereor interdum dandi casum postulat. Seneca, l. I, Controv. 2, initio : « *Misereor tibi,* puella. »

Miserendi verbum etiam dandi casum olim habuisse, aperte Diomedes, l. I, p. 294, et Priscianus, l. VIII, p. 795, docent, et, quod pluris faciendum est, illud Senecæ l. I, Controv. 2 : « Fortuna hoc me coegit pati; misereri debent omnes mei. Et ego *misereor tibi* (1), puella; sed non facimus miserandas sacerdotes. » Sic habent libri correctissimi. Adducitur et alter locus ejusdem a quibusdam, de Vita beata, c. 24 : « Hunc promereor, illi reddo, huic succurro, *huic misereor.* » Priscianus tamen docet in veteribus codicibus haberi : « *Hujus* (2) *misereor.* » Vide ejusdem castigationes. Neque illud Ciceronis, Tuscul., l. II, c. 9, 21 :

Perge, aude, nate, illacryma patris pestibus,
Miserere, gentes nostras flebunt miserias;

videtur ad rem facere, cum dativus *pestibus,* non cum verbo *miserere,* sed cum *illacryma* jungatur,

(1) Forcellini ita scribit; sed Lemaire, *tui.*

(2) Habent *hujus* Lipsius, Lemaire, Teubner.

quod elegantissime dandi casum petit. Idem, de Nat. deor., l. III, c. 33, 82 : « Quid dicam de Socrate, cujus *morti illacrymari* soleo, Platonem legens? » Livius, l. XL, c. 56 : « Meo infelici *errori* unus *illacrymasti.* » — *Recolo tui* nondum apud veteres, quod meminerim, legi.

277. *Obliviscor, recordor, reminiscor, memini* pro *recordor,* tum genitivum, tum accusativum postulant.

Cicero, Tuscul., l. III, c. 30, 73 : « Est enim proprium stultitiæ, aliorum vitia cernere, *oblivisci suorum.* » Idem, VIII Phil., c. 8, 25 : « *Omnia obliviscor;* in gratiam redeo. » Terentius, Eunuch. act. IV, sc. 8, v. 800 :

Faciam ut *mei* semper *memineris.*

Cicero, de Senect., c. 7, 21 : « *Omnia* quæ curant *meminerunt.* »

Cicero, pro Planc., c. 28, 69 : « Hujus *meriti* (1) in me *recorder.* » Idem, II pro Leg. Agr., c. 27, 73 : « Est operæ pretium *diligentiam* majorum *recordari.* » Cæsar, Bello Gall., l. I, c. 13 : « Sin bello persequi perseveraret, *reminisceretur* et veteris *incommodi* populi Romani, pristinæque *virtutis* Helvetiorum. » Cicero, Fam., l. IV, ep. 5, 5 : « *Ea* potius *reminiscere,* quæ digna tua persona sunt. »

Recordor, memini pro *recordor,* etiam cum ablativo et præpositione *de* junguntur. Cicero, pro Planc., c. 42, 104 : « Quoniam istis vestris lacrymis *de illis recordor,* quas pro me sæpe et multum profudistis. » Idem ad Att., l. XV, ep. 27 : « *De Planco memini.* » Ibid. : « Et *de Herode* et *Mettio meminero* et *de omnibus* quæ te velle suspicabor. » Ex illo Ciceronis loco pro Ligar., c. 12, 35 : « Quoniam hoc est animi, quoniam etiam ingenii tui, te aliquid de hujus illo quæstorio officio cogitantem, etiam *de aliis quibusdam quæstoribus* reminiscentem recordari; » non satis intelligitur an *reminiscor* eodem modo construatur; nam ablativus (de aliis quibusdam quæstoribus) ad infinitum *recordari* referri potest, siquidem reminiscendo aliquid in memoriam reducimus ac recognoscimus. Idem, Tuscul., l. I, c. 24, 57 : « Declarare se non tum illa discere, sed reminiscendo recognoscere. » Sic illic *reminiscentem* pro *reminiscendo* videtur positum.

(1) Ita Olivet, Lallemand, Ernesti, Lemaire. Orellius et Teubner : *meritum.*

Memini pro *mentionem facio* cum genitivo vel ablativo et præpositione *de* jungitur.

Quintilianus, l. XI, c. 2, 16 : « Neque omnino *hujus rei meminit* usquam poeta. » Idem : « *De quibus* multi *meminerunt* (2). »

(2) Hunc textum afferunt Laur. Valla, l. III, c. 58, et Voss., de Constr., c. 28; sed non reperi. Est alius valde similis in Declamationibus Calpurnii Flacci, quæ Declam. Quintil. sequuntur in edit. Burmanni, nimirum 49 : « *De matre* nihil *meminit.* »

DATIVUS POST VERBUM

278. *Sum* modo dativum unum habet. Cicero, Att., l. VI, ep. 7 : « Sed nuntiant melius *esse ei* (1). » Terentius, Adelph. act. I, sc. 2, v. 127 :

Natura tu *illi* pater *es*, consiliis ego.

Modo duos. Cicero, Att., l. VI, ep. 2 : « Respondebo primum postremæ tuæ paginæ quæ *mihi* magnæ *molestiæ fuit.* »

Sum varie cum dativo jungitur : modo enim pro *habere* ponitur, ut : *Sunt mihi* omnia scripta Ciceronis. Summa necessitudo *mihi* tecum *est.* Cum duobus dativis junctum, plerumque per verbum *afficio* seu *affero* exponitur : Epistola tua *fuit mihi* magnæ *molestiæ, voluptati.* Et *parentibus honori,* et *amicis utilitati,* et *reipublicæ emolumento esse* poteris. — Modo dativus pro nominativo ponitur. Cicero, de Divin., l. I, c. 52, 119 : « Quod ne dubitare possimus, *maximo est argumento* quod paulo ante interitum Cæsaris contigit. » Idem, pro Domo sua, c. 42, 110 : « Libertatis simulacrum in ea domo collocabas, quæ domus *erat* ipsa *indicio* tui crudelissimi dominatus. » Denique multa quæ putantur dativum habere, ut *proximus, propinquus, cognatus, amicus, socius, familiaris, commilito, conservus, condiscipulus,* et alia id genus substantiva, dativum habent beneficio verbi substantivi, ut : Cæsar *est propinquus Marcello;* Lentulus *est familiaris Ciceroni.* Nam hæc separata a verbo substantivo non dativum habent, sed genitivum, ut : Annibal occidit omnes *propinquos Fabii,* non *Fabio.* Omnes *commilitones Julii* jugulati sunt, non *Julio.*

Proximus, propinquus, cognatus adjectiva, et quæ sunt generis ejusdem, dativum fere postulant, etiam absente verbo *Sum.*

(1) Post recentiores, Orellius et Teubner omittunt *ei.*

279. Verba quæ auxilium, adulationem, commodum, incommodum, favorem, studium significant, dandi casum postulant, ut : *auxilior, adulor, commodo, incommodo, faveo tibi; studeo philosophiæ.*

Cicero, Verr. act. II, l. IV, c. 17, 37 : « *Homini* jam perdito et collum in laqueum inserenti *subvenisti.* » Idem, de Orat., l. I, c. 61, 260 : « Quumque ita balbus esset (Demosthenes), ut ejus ipsius artis *cui studeret* primam literam non posset dicere, perfecit meditando ut nemo planius eo locutus putaretur. »

EXCEPTIO.

Incumbo, cum ad studium refertur, accusativum cum præpositione *in* postulat, ut : *Incumbo in studium* philosophiæ, literarum. Cicero, de Orat., l. I, c. 8, 34 : « Quamobrem pergite, ut facitis, adolescentes; atque *in* id *studium,* in quo estis, *incumbite.* » Idem ad Att., l. XVI, ep. 10 : « Nunc, mi Attice, tota mente *incumbe in* hanc *curam :* magna enim res est. »

Vel *ad*. Idem, Fam., l. X, ep. 10 : « Mi Plance, *incumbe* toto pectore *ad laudem*. » Idem, IV Catil., c. 2, 4 : « Quare, Patres conscripti, *incumbite ad* reipublicæ *salutem;* circumspicite omnes procellas quæ impendent. »

APPENDIX.

Consulo tibi, hoc est, prospicio tibi, non consilium do. Cicero, IV Catil., c. 2, 3 : « *Consulite vobis*, prospicite patriæ. »

Consulo te, id est, consilium a te peto. Cicero, Verr. act. I, c. 11, 32 : « Nunc ego, judices, jam *vos consulo* quid mihi faciendum putetis? id enim consilii mihi profecto taciti dabitis, quod egomet mihi necessario capiendum intelligo. »

Auxilium significant : *auxilior, opitulor, patrocinor, subvenio, succurro, medeor, medicor.* — Adulationem : *adulor, assentor, blandior, lenocinor, palpor, subparasito.* — Commodum : *consulo, provideo, prospicio, caveo, metuo, timeo.* — Incommodum : *doleo, displiceo, incommodo, detraho, impono, insulto, illudo, insidior, irascor, malecupio, maledico, malefacio, malevolo, noceo, officio, obtrecto.*— Favorem : *faveo, studeo, arrideo, assentio* vel *assentior, accedo tibi* et *tuæ sententiæ, adstipulor, benefacio, benignefacio, benecupio, benedico, benevolo, consentio, subscribo, suffragor.* — Studium : *studeo, vaco.* Singulorum exempla frequentissime tibi occurrent; quare ad alia transeamus.

280. Dativo item adhærent composita ex verbo *Sum*, et quæ obsequium, obedientiam, submissionem, repugnantiam significant, ut : *prosum, obsequor, obtempero, servio, repugno tibi.*

Cicero, de Offic., l. II, c. 10, 36 : « Contemnuntur ii qui nec *sibi* nec *alteri prosunt* (1), ut dicitur, in quibus nullus labor, nulla industria, nulla cura est. » Idem, pro Sul., c. 18, 50 : « Ego vero quibus *ornamentis adversor* tuis? aut cui *dignitati* vestræ *repugno?* »

Quæ ex verbo substantivo componuntur, sunt hæc : *absum, adsum, desum, insum, intersum, obsum, præsum, prosum, subsum, supersum,* quæ et alios casus possunt admittere, antecedente præpositione, ut : Cicero, de Orat., l. III, c. 4, 16 : « Neque *in Antonio deesset* hic ornatus. » Ibid., c. 35, 143 : « *In oratore* perfecto *inest* illorum (philosophorum) omnis scientia. » Pro S. Rosc. Am., c. 14, 39 : « Hunc ne *in convivio* quidem ullo fere *interfuisse.* » Ibid., c. 10, 28 : « *In* qua *re* nulla *subesset* suspicio. » De Clar. Orat., c. 67, 237 : « Paucæ centuriæ *ad consulatum defuerunt.* » Pro Flac., c. 23, 54 : « Exsiluerunt principes; neque *in* illa *concione adfuerunt.* » Hæc apud Ciceronem, et his similia, ejus scriptis evolvendis, leges.

Verbum *Possum,* quamvis his genere et cognatione proximum sit, usu tamen alienum est. Cicero, pro S. Rosc. Am., c. 1, 4 : « *Apud me* et amicitia, et beneficiis, et dignitate plurimum *possunt.* » Pro Quintio, c. 1, 2 : « Ego, *qui* neque usu satis, et ingenio parum *possum.* » Jungitur etiam cum accusativo, qui tamen a verbis *facio* et *ago* videtur regi. Cicero, pro Planc., c. 42, 102 : « *Quid* enim *possum* aliud, nisi mœrere, nisi flere? »

---

(1) Orellius cum recentioribus, et post illum Teubner, omittit *prosunt*, quod habet Manutius. Atque Langius de illo *nec sibi nec alteri* apud Olivet annotat : « Ita fere proverbiales sententiæ afferuntur, quasi vulgo vel a primo verbo notæ. »

OBSEQUIUM significant *inservio, indulgeo, morigeror, obsecundo, obsequor, placeo, satisfacio.* — OBEDIENTIAM : *ausculto, obedio, obtempero, pareo.* — SUBMISSIONEM : *ancillor, famulor, servio, cedo.* — REPUGNANTIAM : *adversor, obsto, obsisto, obstrepo, reluctor, repugno, resisto, reclamo, refragor.*

281. Dandi præterea casum desiderant, quæ eventum significant, ut : *accidit, cadit, contingit, evenit, obvenit, obtingit.*

Cicero, ad Quint. Fr., l. I, ep. 3, 1 : « A te *mihi* omnia semper honesta et jucunda *ceciderunt.* » Idem, Verr. act. II, l. II, c. 6, 17 : « Ei sorte provincia Sicilia *obvenit.* » Idem, de Offic., l. I, c. 7, 21 : « Quod *cuique obtigit*, id quisque teneat. »

Ejusdem generis sunt *incidit, cecidit, succedit, benevertit, malevertit, usuvenit,* quæ prima et secunda persona privantur. Unde *verba sine personis,* quando præcipuis personis carent, nominantur, sive *impersonalia,* eodem sensu.

Hæc habent a fronte nominativum casum, modo aperte, Cicero, de Senect., c. 3, 7 : « Si *id* culpa senectutis *accideret, eadem* mihi *usuvenirent.* » Sallustius, Jugurt., c. 43 : « Metelloque *Numidia evenerat.* » Livius, l. III, c. 26 : « *Quod* bene *verteret* ipsi reique publicæ. » — Modo membrum orationis, vice nominativi. Quintilianus, Declam. VI, c. 1 : « Non *contingit* mihi, quod cæteris miserrimum est, *filium efferre.* » Cic., Verr. act. II, l. I, c. 24, 63 : « *Accidit ut* illo itinere *veniret Lampsacum.* »

282. Item *libet, licet, liquet, expedit,* et quæ sunt generis ejusdem.

Terentius, Adelph. act. V, sc. 9, v. 996 :

. . . . . Facite quod *vobis libet.*

Cicero, de Orat., l. II, c. 4, 16 : « Sin *tibi* id minus *libebit*, non te urgebo. » Idem, in Verr. act. II, l. V, c. 70, 180 : « Non idem *mihi licet* quod *iis* qui nobili genere nati sunt. » Idem, Acad. Prior., l. II, c. 29, 94 : « Si habes quod *tibi* (1) *liqueat*, neque respondes, superbis. »

Hæc, ut apertum est, nominativus antecedit. Cic., pro Marcel., c. 10, 30 : « Multi dubitabant quid optimum esset; multi, *quid* sibi *expediret.* » Antecedit et infinitum, sive orationis membrum, loco nominativi. Cic., Tuscul., l. V, c. 19, 55 : « *Peccare* nemini *licet.* » Idem, de Senect., c. 23, 84 : « Non *lubet* enim mihi *deplorare vitam.* »

Generis ejusdem sunt : *conducit, competit, constat, dolet, suppetit, superat* pro *suppetit, suppeditat* pro *suppetit, præstat, placet, restat, stat, sedet* pro *placet.* Cic. ad Rufum, Fam., l. XIII, ep. 48 : « Quod tuæ *laudi*.... *conducere* arbitror. » Plin., l. II, c. 47, 4 : « *Competit* ferme et hoc *omnibus.* » Cic., Verr. act. II, l. III, c. 21, 54 : « Nympho, antequam plane *constitit*, condemnatur. » Terent., Adelph. act. II, sc. 5, v. 273 :

Hoc *mihi dolet*, nos pene sero scisse.....

Cic., Parad., VI, c. 3, 49 : « Uter igitur est divitior, cui deest, an *cui superat?* » Idem, de Clar. Orat., c. 70, 245 : « *Cui* si vita *suppeditavisset*,... consul factus esset. » Idem Tironi, Fam., l. XVI, ep. 5, 1 : « *Mihi placebat*, si firmior esses, ut te Leucadem deportaret. » Idem, pro Sext., c. 69, 146 :

---

(1) Orellius et Teubner, post Olivet, Lallemand, Ernesti : « Si habes quod liqueat, » sine *tibi*. Est autem in lib. I de Nat. deor., c. 42 : « *Cui* neutrum *licuerit* (vel *liquerit*, ut aliis placet), nec deos esse, nec non esse. »

« Multo *mihi*, multo, inquam, judices, *præstat* in eamdem illam recidere fortunam, quam tantam importare meis defensoribus et conservatoribus calamitatem. » Idem, Offic., l. III, c. 29 : « Qui e divisione tripartita duas partes absolverit, *huic* necesse est *restare* tertiam. » Virgilius, Æn. V, v. 418 :

Idque pio *sedet Æneæ*.....

Cicero Varroni, Fam., l. IX, ep. 2, 5 : « Modo *nobis stet* illud, una vivere in studiis nostris. »

Adde supradictis *incessit, accedit, confert, convenit, patet, vacat*. Livius, l. IV, c. 57 : « Gravior cura *Patribus incessit*. » Cicero, pro Quint., c. 1, 3 : « Illud quoque *nobis accedit* incommodum. » Quint., l. III, c. 7, 13 : « Interim *confert admirationi* multum etiam infirmitas; ut cum idem Tydea parvum, sed bellatorem dicit fuisse. » Cic., de Fin., l. III, c. 22, 74 : « Posterius *priori* non *convenit*. » Idem, Att. l. IV, ep. 14, 1 : « Velim domum ad tuos (2) scribas, ut *mihi* tui libri *pateant*, non secus ac si ipse adesses. » Ovid., Trist. II, v. 216 :

Non *vacat* exiguis rebus adesse *Jovi*.

(2) Orellius, post Ernesti, Lemaire : « ad te scribas. » Olivet, Lallemand : « ad tuos. »

283. Multa denique ex verbis neutris et præpositionibus *ad, con, in, inter, ob, præ, sub*, dandi casum sibi assumunt, ut *assurgo, consentio, immineo, illacrymo, intervenio, obversor, præluceo, succumbo*.

Cicero, pro Sext., c, 3, 7 : « *Mihi* ante oculos *obversatur* reipublicæ dignitas. » Idem, in Sall., c. 2, 5 : « Ego meis *majoribus* virtute mea *præluxi*. » Cic. Bruto, Fam., l. XI, ep. 5, 3 : « Te obsecro.... ut in perpetuum rempublicam dominatu regio liberes; ut *principiis consentiant* exitus. »

Multa sunt hujus loci, quorum nonnulla testimonia afferam. Cic., in Pison., c. 12, 26 : « An..... quisquam tibi paruit? quisquam in curiam *venienti assurrexit?* » Idem, pro Domo sua, c. 10, 25 : « Impendebat direptio; *imminebat* tuus furor omnium *fortunis*. » Sueton. in Vesp., c. 15 : « Justis *suppliciis illacrymavit* etiam et ingemuit. » Livius, l. I, c. 48 : « Huic *orationi* Servius cum *intervenisset*. » Ibidem, c. 36 : « Muro quoque lapideo circumdare urbem parabat, cum Sabinum bellum *cœptis intervenit*. » Cic., pro Dejot., c. 13, 36 : « Nec unquam *succumbet inimicis*, ne *fortunæ* quidem. »

Huc spectant : *acclamo, accubo, accumbo, accresco, adjaceo, adnascor, assisto, assideo, assuesco, consuesco, insulto, inhio, incumbo, indormio, incubo, illuceo, impendeo, ingemisco, insuesco, insideo, interjaceo, occurro, occurso, obrepo, oborior, obequito, præsideo, præeo, præcurro, subjaceo, subrepo, succresco, suboleo, succlamo*, et alia quæ ordine elementorum digesta paulo post videbis.

Sunt præter ea quæ hactenus numeravimus, alia quæ locis communibus comprehendi minime possunt, ut *confido, nubo, proficio, sufficio, hæreo*, itemque cætera. Neque ii loci quibus usi sumus placent : nam verba quam plurima necessario sunt excipienda, si rem diligentius inspicias. Quid *juvo, adjuvo, lego, sublevo, erigo, confirmo, corroboro, alo, nutrio, sustento, hortor, moneo* et alia pene infinita, nonne ad auxilium, commodum, favorem pertinent? *Perdo, vexo, infesto, crucio, occido*, et alia innumera, quis non videt incommodum significare? Quæ cum ita sint, visum est non inutile, neutra quæ dativum admitterent, literarum ordine recensere, non ut memoriæ a pueris mandentur, sed ut crebrius legantur.

284. NEUTRA QUÆ DATIVUM PETUNT ORDINE LITERARUM.

A

Absum.
Accedo tibi *et* tuæ sententiæ, *id est,* assentior; accedit hoc meis malis, *pro* additur.
Accidit.
Acclamo.
Accresco.
Accubo.
Accumbo.
Acquiesco.
Adequito.
Adhæreo.
Adhæresco.
Adnascor.
Adnato.
Adno.
Adstipulor.
Adsum.
Adulor.
Affulgeo.
Allaboro.
Ancillor.
Antecedo.
Antecello.
Anteeo.
Antesto.
Appareo.
Applaudo.
Appropinquo.
Arrideo.
Assentior.
Assentor.
Asservio.
Assideo.
Assisto.
Assuesco.
Assurgo.
Ausculto *pro* obedio.
Auxilior.

B

Benecupio.
Benedico.
Benefacio.
Bene sit tibi.
Benevertat.
Benevolo.
Benignefacio.
Blandior.

C

Cadit.
Caveo.
Cedit.
Cedo *pro* locum do.
Collibet.
Commodo *pro* prosum.
Competit.
Conducit.
Confert.
Confido.
Consentio.
Constat.
Consuesco.
Consulto *pro* prospicio.
Contingit.

D

Deficio.
Deservio.
Despero.
Desum.
Detraho.
Diffido.
Displiceo.
Dissentio.
Dolet.

E

Evenit.
Excello.
Expedit.

F

Famulor.
Faveo.
Fido.

G

Gratificor.
Gratulor.

H

Hæreo.

I

Ignosco.
Illabor.
Illacrymo.
Illacrymor.
Illuceo.
Illudo.
Immineo.
Immoror.
Impendeo.
Impono *pro* decipio.
Incessit.
Incommodo.
Incubo.
Incumbo *pro* innitor.
Indormio.
Indulgeo.
Ingemisco.
Inhæreo.
Inhio.
Innitor.
Inno, as.
Inservio.
Insideo.
Insisto.
Insto.
Insuesco.
Insulto.
Insum.
Insusurro.
Intercedo, *id est,* oppono me *et* impedio.
Interdico *pro* repugno.
Interjaceo.
Intersum.
Intervenio.
Invideo.
Irascor.

L

Lenocinor.
Libet.
Licet.
Liquet.

M

Malecupio.
Maledico.
Malefacio.
Malefit.
Malevertat.
Malevolo.
Medeor.
Medicor.
Metuo *amice.*
Moderor, *id est,* modum adhibeo.
Morigeror.

N

Noceo.
Nubo.

O

Obedio.
Obequito.
Obirascor.
Obloquor.
Obluctor.
Obnitor.
Oborior.
Obrepo.
Obsecundo.
Obsequor.
Obsisto.
Obsto.
Obsum.
Obtempero.
Obtingit.
Obtrecto.
Obvenit.
Obversor.
Occurro.
Occurso.
Officio.
Opitulor.

P

Palpor.

Parco.
Pareo.
Patet.
Patrocinor.
Placeo.
Præcello.
Præcurro.
Præeo.
Præluceo.
Præsideo.
Præstat.
Præsto.
Præstolor.
Præsum.
Proficio.
Prospicio tibi, *id est*, consulo tibi.
Prosum.
Provideo.
Proximo.

R

Recipio tibi, *id est*, promitto.
Reclamo.
Refragor.
Reluctor.
Renuntio, *id est*, abstineo *et* alieno me.
Repugno.
Resisto.
Respondeo *pro* satisfacio.

S

Satisfacio.
Servio.
Stat.
Studeo.
Subjaceo.
Suboleo.
Subrepo.
Subscribo, *id est*, assentior.
Subservio.
Subsum.
Succedo.
Succlamo.
Succresco.
Succumbo.
Succurro.
Sufficio, *id est*, par sum.
Suffragor.
Supersum.
Suppeditat *et* superat *pro* suppetit.
Suppetit.
Supplico.

T

Tempero *pro* abstineo.
Timeo *amice*.

V

Usu venit.
Vacat.
Vaco, *id est*, operam do.
Venit mihi in mentem.

DATIVUS VEL ACCUSATIVUS POST VERBUM

285. *Antecedo*, *anteeo*, *antesto*, *anteverto*, *attendo*, *præsto*, *præcurro*, *præeo*, *præstolor*, *incessit*, *illudo* dandi vel accusandi casum admittunt.

Cicero, de Fin., l. IV, c. 18, 51 : « Virtus tantum *præstat* cæteris *rebus* ut dici vix possit. » Livius, l. XXXVII, c. 30 : « Robore navium et virtute militum Romani longe *regios præstabant*. »

VERBA QUÆ VARIOS CASUS POSTULANT

Sunt quædam verba quæ varios casus, pro varia significatione, admittunt; cujusmodi sunt : *ausculto, caveo, consulo, cedo, commodo, detraho, formido, incumbo, impono, insideo, interdico, moderor, metuo, provideo, prospicio, recipio, respondeo, subeo, succedo, superat, suppeditat, sufficio, timeo*; hæc *ambigua* appellantur.

Alia, eadem manente significatione, varios nihilominus casus habent; hujus generis sunt *antecedo, anteeo*, etc. Cic., Offic., l. I, c. 30, 105 : « Natura hominis *pecudibus* reliquisque *belluis* antecedit. » Cæsar, Bello Gall., l. III, c. 8 : « Scientia atque usu nauticarum rerum *reliquos antecedunt*. » Cicero, Phil. IX, c. 1, 1 : « Cum Servius Sulpitius ætate *illis anteiret*, sapientia *omnibus* (1), subito ereptus, totam legationem orbam et debilitatam reliquit. » Idem, Offic., l. II, c. 10, 37 : « Admiratione autem afficiuntur ii, qui *anteire cæteros* (2) virtute putantur. » Idem, de Invent., l. II, c. 1, 2 : « Crotoniatæ multum *omnibus* corporum viribus..... .*antesteterunt*. » Pomp. Mel., l. III, c. 6, circa fin. : « Ex insulis, Scandinovia, quam adhuc Theutoni tenent, ut fœcunditate *alias*,

(1) Orellius et Teubner habent *illos, omnes*.
(2) Iidem dativum habent.

ita magnitudine *antestat.* » Terent., Eun. act. IV, sc. 6, v. 737 :

. . . . . Miror ubi ego *huic anteverterim.*

Tacit., Annal., l. XIII, c. 30 : « *Veneno* damnationem *antevertit.* »

Cic., pro Archia, c. 8, 18 : « Quoniam *me* in hoc novo genere dicendi tam diligenter *attenditis.* » Idem, de Fin., l. III, c. 12, 40 : « Quare *attendo te* studiose. » Idem, pro Cluent., c. 12, 35 : « *Attendite exitum.* » Proximum seculum dativum dedit huic verbo. Plin., l. I, ep. 8, 3 : « Nunc rogo, ut non tantum *universitati* ejus *attendas,* verum etiam, etc. » Idem, l. VII, ep. 26, 2 : « Neminem despicit, ac ne *sermonibus* quidem malignis *attendit.* » Idem in Panegyr., c. 65, 2 : « Jurat in legem attendentibus diis; nam *cui* magis quam *Cæsari attendant?* » Sueton. in Galba, c. 5, pro *operam dare* videtur posuisse : « Inter liberales, inquit, disciplinas, *attendit* et juri. » — Cicero in Catilina, IV, c. 9, 19 : « Hæc, non ut vos, qui *mihi* studio pæne *præcurritis,* excitarem, locutus sum. » Idem in Orat., c. 52, 176 : « Horum uterque *Isocratem* ætate *præcurrit.* » — Idem, pro Mil., c. 2, 3 : « Hesterna etiam concione incitati sunt, ut *vobis* voce *præirent* quid judicaretis. » Plin., l. XXVIII, c. 3, 2 : « De scripto *præire aliquem.* » Livius, l. VIII, c. 9 : « Agedum, pontifex publicus populi Romani, *præi verba* quibus me pro legionibus devoveam. » — Terent., Eunuch., act. V, sc. 6, v. 974 :

Quem præstolare, Parmeno, hic ante ostium?

Cic., Att., l. II, ep. 15, 3 : « Ita tamen ut quoniam tu certi nihil scribis, in Formiano *tibi præstoler* usque ad III Non. Mai. » Idem ad eumdem, l. III, ep. 20, 1 : « Ego huic *spei* et *exspectationi* quæ nobis proponitur, maximæ tamen volui *præstolari* apud te. » Idem in Catil., I, c. 9, 24 : « Quanquam quid ego te invitem, a quo jam sciam esse præmissos, qui *tibi* ad Forum Aurelium *præstolarentur* armati? » — Valer. Max. in Præf. : « Nec *mihi* cuncta complectendi cupido *incessit.* » Livius, l. IV, c. 57 : « Gravior cura *Patribus incessit.* » Colum., l. II, c. 10 : « Sterilitas annorum *incessit hominibus.* » *Incessit* multo frequentius cum accusativo legitur. Livius, l. I, c. 17 : « Timor deinde *Patres incessit.* » Idem, l. XXIV, c. 13 : « *Ipsum* ingens cupido *incesserat* Tarenti potiundi. » L. XXXVII, c. 16 : « Timor *incessit Livium.* » Tacit., Annal., l. I, c. 16 : « Cum Pannonicas *legiones* seditio *incessit.* » Terent., Andr. act. IV, sc. 5, v. 731 :

Nova nunc religio *in te* isthæc *incessit?*....

— Cic., pro Domo sua, c. 39, 104 : « Hic non *illudit auctoritati* horum omnium qui adsunt summorum virorum? » Idem, de Orat., l. I, c. 19, 87 : « Ipsa vero *præcepta* sic *illudere* solebat, etc. » — *Adulor* etiam cum accusativo jungitur. Cic. in Pis., c. 41, 99 : « Sine ulla specie consulari horrentem, trementem, *adulantem omnes,* videre te volui; vidi. » Colum., l. VII, c. 12 ante med., de canibus : « Illi *furem* quoque *adulantur.* » — *Despero* cum accusativo. Cæsar, Bello Gall., 5 : « *Desperare fugam* (3). » Cic. in Catil., II, c. 9, 19 : « Honores, *quos* quieta republica *desperant*, perturbata consequi se posse arbitrantur. » Cum dativo. Idem in Pis., c. 36, 89 : « Quid? quod tu toties diffidens ac *desperans rebus* tuis, in sordibus, lamentis luctuque jacuisti? » Cæsar, Bello Gall., l. III, c. 12 : « Suis *fortunis desperare* cœperant. »

Allatro, præcedo, antevenio, deficio, frequentissime cum accusativo junguntur, raro cum dativo. Plin., de Vir. illustr., c. 53 : « In Capitolium in intempesta nocte *eunti* nunquam canes *allatraverunt.* » Plaut., Asin. act. III, sc. 3, v. 39 :

Ut vestræ fortunæ *meis præcedunt,* Libane, longe.

Antevenio apud eumdem leges cum eodem casu. — Cæsar, Bello Gall., l. III, c. 5 : « Cum jam amplius horis sex continenter pugnaretur, ac non solum vires, sed etiam tela *nostris deficerent.* » Cicero accusativo utitur. Verr. act. II, l. II, c. 21, 52 : « *Me* dies, vox, latera *deficiant,* si hoc nunc vociferari velim. » Idem, pro Sext. Rosc., c. 32, 89 : « Tempus hercule *te* citius quam oratio *deficeret.* »

Insulto, medicor interdum accusativum habent, ut *decet,* dativum. — *Indignor* cum accusativo rei

(3) In hoc libro non inveni *desperare fugam;* sed cap. 26 *desperata re,* et cap. 37 *desperata salute;* unde, ut infra de verbo *antecello* et de *interdico,* n. 287, concludi possit latinum esse : *rem, salutem desperare.* Cæterum, Cic. ad Att., l. VII, 20, 1 : « *Pacem* enim *desperavi.* » Et in Somn. Scipionis, VII, 25 : « Si *reditum* in hunc locum *desperaveris.* »

jungitur. Quintil., l. I, c. 3, 6 : « Quidam *imperia indignantur*, quosdam continet metus. » Cicero, de Invent., l. I, c. 17, 24 : « Et dicere ea *quæ indignentur* adversarii, tibi quoque indigna videri. » — *Insulto* frequenter dativo jungitur. Livius, l. I, c. 48 : « Satis illum diu per licentiam eludentem *insultasse dominis.* » Rarius accusativo : Terent., Eunuch. act. II, sc. 3, v. 285 : « *Insultare fores* calcibus. » Tacit., Annal. l. IV, c. 59 : « Qui nunc *patientiam* senis, et *segnitiam* juvenis juxta *insultet.* » — *Medicor.* Terent., Andr. act. V, sc. 5, v. 945 :

> Quum egomet possim in hac re *medicari mihi?*

Ibid., sc. 1, v. 832 :

> . . . . . *Gnato* ut *medicarer* tuo.

Plin., l. XXV, c. 2 : « Ut omnibus *malis* humanis illius potissimum principis semper *medicetur* (4) majestas. » Petit et accusativum. Plaut., Mostel. act. II, sc. 1, v. 40 :

> Habe bonum animum, ego istum lepide *medicabor* [*metum.*

Omitto *palpo*, voce activa, quod Juvenalis, sat. I, v. 35, cum accusativo junxit. — *Nubo* non solum dativum, sed etiam ablativum cum præpositione *cum* postulat. Cicero Catoni, Fam., l. XV, ep. 3, 1 : « Iique mihi nuntiassent regis Parthorum filium *quocum esset nupta* regis Armeniorum soror, etc. » Plaut., Asin. act. V, sc. 2, v. 20 :

> . . . . . Ego isthuc scio
> Ita fore illi, dum quidem *cum illo nupta eris.....*

Excello sine controversia dativo gaudet; aiunt apud Lactantium cum accusativo etiam reperiri, quem locum nondum potui invenire. — *Antecello* docent multi junxisse Ciceronem cum accusativo : pro Cornel. : « Qui eloquentia *cæteros antecellit;* » qui locus, in ea oratione quæ exstat, nusquam est. Priscianus, l. X, pp. 896, 897, citat Ciceronem in I pro Cornel. hoc modo : « Qui eloquentia *cæteris antecellit;* » non *cæteros*. Habuit itaque Cicero plures orationes pro Cornelio; nam idem Priscianus eodem libro, p. 904, eumdem citat l. II pro Cornel., idemque Cicero in Orat., c. 67, 225, secundæ Cornelianæ meminit. Credo tamen habuisse accusativum; nam auctor ad Herenn., l. II, c. 30, 48, passive eo usus est : « An ad inferiores, qui omnibus his rebus *antecelluntur.* »

Noceo non solum apud Plautum (5), sed etiam apud Senecam accusativum nonnunquam habet; l. IV Controvers., ultima controversia : « Dum filium vindico, ubi *me* gravissime *nocere* possit, ostendit. » Et epist. 103, c. 4 : « Non, ne *te noceant*, sed ne fallant. » Libri tamen castigatiores sic habent : « Sic vivendo, quid consequeris? Non ut ne noceant, sed ne fallant. » Quidam etiam Livium, l. III, c. 55, hujus constructionis laudat auctorem : « Qui deorum *quemquam nocuerit;* » sed corrupte, ut alios non paucos; sic enim est apud Livium : « Sanciendo ut qui tribunus plebis, ædilibus, judicibus, decemviris nocuisset, ejus caput Jovi sacrum esset..... Hac lege juris interpretes negant quemquam sacrosanctum esse, sed eum qui eorum *cuiquam nocuerit* sacrum sanciri. »

Idem ait *facio* pro *proficio* dandi casum exigere, citatque Plinium, l. XXIII : « Mustum capitis *doloribus facit;* » quæ constructio non solum contra grammaticæ præcepta facit, sed etiam medicinæ leges funditus evertit. Longe aliter locutus est Plinius, c. 18, 1 : « Mustum, inquit, omne stomacho inutile, venis jucundum; » et paulo post : « Capitis dolores facit, et gutturi inutile. » — Idem verbum, adjunctis adverbiis *bene, benigne, male, præclare*, dativum petit. Idem, l. XXII, c. 22 : « Radix *Cœliacis præclare facit* in cinere tosta. » — Idem Plautum depravate citat in Captivis, act. II, sc. 2, v. 53 :

> . . . . . *Dicto* haud *audiebat,....*

cum vera lectio sit :

> Memini cum dicto haud audebat, facto nunc lædat licet

---

(4) Ita habet Dalecampius; Lemaire, *mederetur.*

(5) Ex Plauto afferunt locum Mil. act. V, v. 18 :

> Jura te non *nociturum esse hominem* de hac re neminem.

Sanctius, l. III, c. 3; Vossius, de Constr., c. 21, et Ruddiman., Syntax., l. I, c. 2. At Forcellini legendum putat *nemini*, et hoc habent Lemaire et Teubner. Cæterum Priscianus, l. XVIII, p. 1189 : « Romani, inquit, *lædo te, noceo tibi* dicunt et *te.* »

De Seneca vero, omnino putant non legendum esse accusativum Voss. et Ruddiman., ibid.

286. Quædam dativum simul et accusativum admittunt, ut : *metuo, timeo tibi calamitatem; invideo tibi laudem; assentior tibi cætera; gratulor tibi victoriam;* cur *tibi hoc* non *gratificer* nescio. — Alia etiam casum præpositionis petunt repetita præpositione, cujusmodi sunt : *absum, adhæreo, adhæresco, detraho, despero, insum, insideo, inhæreo, appropinquo, illudo, insulto.* Cic., Att., l. XI, ep. 11, 2 : « Non cessat *de nobis detrahere.* » Idem, de Orat., l. III, c. 43, 171 : « Quæ cum dixisset *in Albutium illudens*, ne a me quidem abstinuit. » Idem, pro Milone, c. 32, 87 : « Quæ tot annos illum *in* hanc *rempublicam insultare* videret, et pateretur. »

Sunt, præter ea quæ supra elementorum ordine enumeravimus, et alia fere poetica : *advigilo, adfremo, allabor, bello, certo, contendo, concurro, colludo, constrepo, dissideo, grator, insurgo, invigilo, insideo, lateo, indoleo, immorior, immurmuro, inserpo, intercurro, occumbo* neci, morti, *obambulo, obmurmuro, præsilio, pugno, remurmuro.* Plin. ad Romanum, l. VIII, epist. 8, *certo,* more poetarum, cum dativo junxit in descriptione cujusdam fontis : « Rigor, inquit, aquæ *certaverit nivibus,* nec color cedit. »

Quædam alia, quæ a nonnullis adduntur, con sulto prætermisi, quod apud veteres aut nulla testimonia repererim, aut non satis aperta; verbi causa, verbo *dominandi* dandi casum tribuunt, citantque Ciceronem pro Caio Rabirio Posth., c. 14, 39 : « *Dominatus est* enim, inquit, *Alexandriæ.* » Item Virgilium, Æn. I, v. 285 :

. . . . . Victis *dominabitur Argis;*

cum uterque casus non proprius, sed communis videatur. Eodem enim modo dicimus, *Mortuus est Alexandriæ*, et *Morietur Athenis, Argis.* Itaque malim uti ablativo cum præpositione *in,* quod frequentissimum est apud bonos auctores. Cicero, Tuscul., l. I, c. 30, 74 : « Vetat enim *dominans* ille *in nobis* Deus injussu hinc nos suo demigrare. » Idem, pro Cæcin., c. 25, 71 : « Denique nimia ista, quæ *dominatur in civitate* potentia, in hoc solo genere quiescit. » Aut accusativo cum eadem præpositione. Idem, de Senect., c. 11, 38 : « Ita enim senectus honesta est..... si usque ad ultimum spiritum *dominatur in suos.* » Diomedes, l. I, p. 300, numerat hoc verbum inter ea quæ ablativum habent : « *Dominor Græcis,* inquit ille, et *dominatus sum;* » magis tamen inclinat animus ut eos sequar qui dandi casum tribuunt. Virg., Æn. III, v. 97 :

Hic domus Æneæ cunctis *dominabitur oris.*

INTERDICO

287. *Interdico* singulare est : nam, præter dativum, ablativum habet. Cæsar, de Bello Gall., l. I, c. 46 : « Postea quam in vulgus militum elatum est, qua arrogantia in colloquio Ariovistus usus, omni *Gallia Romanis interdixisset....* multo major alacritas, studiumque pugnandi majus exercitu injectum est. »

Item accusativum. Livius, l. XXXIV, c. 7 : « *Feminis* duntaxat purpuræ *usum interdicemus.* »

Interdico frequenter, præter dativum, accusativum habet. Valer. Max., l. II, c. 7, 9 : « *Interdixit* etiam *ei convictum* hominum *usum*que balnearum. » Seneca, de Ira, l. III, c. 23, 5 : « Si jubes, Cæsar, statim *illi domum* meam *interdicam* (1). » Sic Justinus, l. XVI, c. 4, 5; Suetonius in Nerone, c. 32. — Cum ablativo frequentissime reperitur. Cicero, Phil. VI, c. 4, 10 : « Sic contemnit tanquam si illi *aqua* et *igni interdictum sit.* » Videntur dixisse etiam veteres : *Interdico tibi aquam et ignem;* unde a Cicerone dicitur, pro Domo sua, c. 31, 82 : « Ubi enim tuleras, ut

(1) Lipsius, Lemaire et Teubner : « *Illi domo* mea *interdicam;* » atque ita paulo supra in eodem capite

aqua et *ignis* mihi *interdiceretur?* » Ibidem, c. 18, 47 : « Velitis, jubeatisne ut M. Tullio *aqua* et *ignis interdicatur* (2) ? » Verba sunt Clodii. Verbum hoc, præter accusativum, non videtur habere ablativum, ut : *Interdico te aqua et igni.* Nam illud Cæsaris ita scriptum est in libris, quos quidem viderim, quemadmodum citavimus, prope finem I Belli Gall., neque arbitror *Romanos*, ut quidam citant, usquam esse.

(2) Orellius et Teubner utrobique habent *igni et aqua.* Ad posteriorem locum notat Olivetus : « Ita et veteres habent editiones, quas secutus est Manutius, et in veteri codice reperit Lambinus; neque aliter legebat grammatici juris consultissimus Fr. Sanctius, Minerv. l. III, c. 3. Si quis tamen malit *aqua et igni*, non repugnabo. »

ABLATIVUS POST VERBUM

288. *Sum* ablativum petit significantem laudem vel vituperationem.

Cicero Lentulo, Fam., l. I, ep. 5, 2 : « Tu fac *animo* forti magnoque *sis.* » Idem, post reditum ad Quirites, c. 1, 4 : « Bona valetudo jucundior est eis qui e gravi morbo recreati sunt, quam qui nunquam ægro *corpore fuerunt.* » Idem, contra Rullum, pro lege Agr. III, c. 2, 6 : « Quem vestrum tam tardo *ingenio fore* putavit. » Idem in Bruto, c. 58, 212 : « Summo iste quidem dicitur *ingenio fuisse.* »

APPENDIX.

Sum interdum genitivum habet, etiam cum laus vel vituperatio significatur.

Cicero, pro Sextio, c. 16, 36 : « Nimium me timidum, nullius *animi*, nullius *consilii fuisse* confiteor. » Idem ad Octavium, II ad Brut., ep. 8 : « Antonius vir maximi *animi*, utinam etiam sapientis *consilii fuisset!* » Plinius ad Clementem, l. IV, ep. 2, 1 : « *Erat* puer acris *ingenii*, sed ambigui. »

Non semper quæ ablativo efferuntur, genitivo efferri possunt, cujusmodi sunt hæc : Terent., Eunuch. act. I, sc. 2, v. 84 :

. . . . . Bono *animo es.*

Idem, Adelph. act. III, sc. 5, v. 513 :

Bono *animo* fac *sis*......

Idem, Phorm. act. V, sc. 8, v. 956 :

Animo virili præsentique ut *sis.*

Cic. in Brut., c. 5, 20 : « Nunc vero, inquit, si *es animo* vacuo, expone nobis quod quærimus. » Idem, ad Canin., Fam., l. II, ep. 17, 7 : « Hoc *animo* qui *sunt*, deteriores fiunt. » Idem., Att., l. VI, ep. 1, 14 : « Equidem *sum* magna animi *perturbatione* (1). » Item illa apud eumdem : pro Q. Rosc., VII, 20 : « Hic *capite* et *superciliis* semper *est* rasus (2). » Ad Att., l. II, 7, 2 : « Mira *sum alacritate* ad litigandum. » Fam., l. XVI, 15 : « Incredibili *sum sollicitudine.* » Fam., l. VI, 4 : « *Sum* magno *dolore;* » et multa id genus alia : itaque delectu opus est. — Alia contra genitivo potius quam ablativo efferuntur. Terent., Andr. act. III, sc. 10, v. 609 :

. . . . . Nullius *consilii*
Sum.....

Suet., in August., c. 76 : « *Cibi* minimi *erat*, atque vulgaris fere. »

(1) Orellius et Teubner : « in magna..... » postquam annotaverat Ernesti : « Addendum *in*, quod et libri quidam habent, absorptum a litera *m.* »

(2) Orellius et Teubner, *rasis;* item Ernesti, qui : « Arbitror, inquit, Ciceronem scripsisse *rasus.* »

ABLATIVUS

289. His *egeo*, *indigeo*, *careo*, *vaco*, *victito*, *vescor*,
Vivo, *supersedeo*, *potior*, *delector*, *abundo*,
Mano, *redundo*, *fluo*, *scateo*, *fruor* atque *laboro*,
Glorior, *oblector*, *lætor*, quibus addito *nitor*,
Consto, *pluit*, *valeo*, *possum*, *sto*, *fungor* et *utor*,
Quem Graii ignorant casum, tribuere Latini.

Cicero ad Quintum fratrem, l. III, ep. 5, 4 : « Incredibile est, mi frater, quam *egeam tempore.* » Idem, Offic. l. I, c. 19, 62 : « Nihil honestum esse potest, quod *justitia vacat.* » Plinius, l. VI, c. 35, 17 : « Pars quædam Æthiopum *locustis* tantum *vivit*, fumo et sale duratis. » Cicero, pro Sexto Roscio, c. 45, 131 : « Commoda *quibus utimur*, lucemque *qua fruimur*, spiritumque quem ducimus, ab eo nobis dari atque impertiri videmus. » Livius, l. I, c. 31 : « Nuntiatum regi patribusque est in monte Albano *lapidibus pluisse.* »

Quibus adde *periclitor*. Quintilianus, l. VI, c. 1, 36 : « Si aut *statu periclitari* aut *opinione* litigator videtur. »

Careo, *abundo*, *scateo* apud veteres etiam cum genitivo jungebantur. Unde Terentius, Heaut. act. II, sc. 3, v. 400, dixit : « *Tui carendum.* » Lucilius, apud Non. Marcel., c. 9, 6 : « Quarum et *abundemus rerum*, et quarum indigeamus. » Gellius, l. I, c. 17 : « *Irarum*que *scatebat* (1). » — *Vaco* pro *careo* hujus est loci : nam, cum *operam dare* significat, dativum amat. Exempla facile invenies apud idoneos auctores. — Plaut., Mostel. act. I, sc. 2, v. 74 :

. . . . . *Victitabam volupe;*
Parcimonia et duritia disciplinæ aliis eram.

Solinus, si modo tibi satis idoneus videtur, de Essænis loquens, c. 38 : « *Palmis*, inquit, *victitant.* » *Vivo* pro *victito*, *alor*. Cic., Verr. act. II, l. V, c. 50, 131 : « Ego naves inanes fuisse dico, remiges nautasque dimissos, reliquos *stirpibus vixisse* palmarum. » — *Supersedeo*, id est, *abstineo*. Idem, de Invent., l. I, c. 20, 28 : « Verborum *multitudine supersedendum est.* — Idem, de Divin., l. I, c. 34, 74 : « Herculisque simulacrum multo *sudore manavit.* » Idem, ibid., c. 43, 98 : « Quid? quum fluvius atratus *sanguine fluxit?* » Sic *affluo*, *diffluo*, *circumfluo*. — *Laboro*, id est, *premor*, *male habeo*. Cæsar, Bello civ., l. III, c. 9 : « Maxime *re* frumentaria *laborant* (2). » Sic *laborare fame*, *frigore*, *morbo*. Quintil., l. II, c. 17, 9 : « Medicina..... tota *constat experimentis.* » Cic., in Orat., c. 50, 169 : « *Nominibus* veterum *gloriantur.* » Idem, Tusc., l. V, c. 1, 2 : « Virtutis *fiducia nitendum* nobis est ad spem beate vivendi. » Idem, Offic., l. I, c. 30, 107 : « Alios videmus *velocitate* ad cursum, alios *viribus* ad luctandum *valere.* » Idem, pro Quint., c. 1, 2 : « Verum ita se res habet, ut ego, qui neque *usu* satis, et *ingenio* parum *possum*, cum patrono disertissimo comparer. » — *Sto* pro *obtemperare*, *assentiri*, *fidem habere*, *hærere*, *persistere*, eleganter jungitur cum ablativo. Cicero, pro Flac., c. 21, 50 : « Marcus Gratidius legatus, ad quem est aditum, actionem se daturum negavit, *re* judicata *stari* ostendit placere. » Idem, pro Cluent., c. 47, 132 : « Et si uterque censor censoris *opinione*

(1) Ita enim recte, ait Voss., Constr., c. 30, editio Ascensiana, et aliæ, ubi perperam in Stephanica *satagebat*.

(2) Lemaire et Teubner : « *A re* frumentaria *laborabant.* »

standum non putavit, quid est quamobrem, etc. » Hinc sunt illæ locutiones : *Stare decreto, pacto, jurejurando, promissis.*

Huc accedunt et illa : *Abire magistratu, consulatu ; cedo patria, urbe, domo. Exundo, exubero* addi possunt, quamvis rara sint.

Ex his quæ supra posuimus, *consto, laboro*, frequentissime præpositionem *ex* admittunt. Cic., Tusc., l. III, c. 1, 1 : « Cum *constemus ex animo* et *corpore.* » Idem, in Orat., c. 17, 55 : « Quum (actio) *constet e voce* atque *motu.* » Quo modo fere loquitur Cicero. *Laborare ex desiderio, ex renibus, ex intestinis, ex pedibus, ex invidia*, Tulliana sunt (Fam. l. XVI, 11, 1; Tusc., l. II, 25, 60; Fam., l. VII, 26, 1; ibid., IX, 23; pro Cluentio, LXXI, 202). —*Nitor, glorior* præpositionem *in* interdum admittunt. Idem, pro Milone, c. 7, 19 : « Cujus *in vita nitebatur* salus civitatis. » Idem, de Nat. Deor., l. III, c. 36, 87 : « Propter virtutem enim jure laudamur, et *in virtute* recte *gloriamur.* » Idem, in Vat., c. 12, 29 : « *De* tuis *divitiis* intolerantissime *gloriaris.* »

Ablativum verborum *lætor, tristor, oblector, delector*, si quis dixerit communem esse, atque spectare potius ad causam, minime ei repugnaverim ; hæc et alia nonnulla quæ versiculis continentur, non putavimus exemplis confirmanda, ne in re trita et quotidiana tempus frustra consumeremus. — *Periclitor*, cum ad periculum discrimenque refertur, ablativum etiam postulat. Martial., l. VI, epigr. 26, 1 : « *Periclitatur capite* Sotades noster. » *Capitis* sive *de capite periclitari*, nondum apud idoneos scriptores, quod meminerim, legi. Cum *experiri* significat, accusativum petit. Cic., pro Quint., c. 31, 96 : « Omnia circumspexit Quintius, *omnia periclitatus est.* »

APPENDIX I.

290. *Egeo, indigeo, potior*, etiam casum interrogandi admittunt.

Cicero, ad Att., l. VII, ep. 22, 2 : « *Egeo consilii*; quod optimum factu videbitur, facies. » Idem in Anton., Phil. VI, c. 3, 7 : « Hoc bellum *indiget celeritatis.* » Idem, Lent., Fam., l. I, ep. 8, 4 : « Otium nobis exoptandum est, quod ii qui *potiuntur rerum* præstaturi videntur. »

Potior frequentissime cum genitivo jungitur etiam pro *frui, tenere*, et interdum *vincere*. Cic., ad Lent., Fam., l. I, ep. 7, 5 : « Si exploratum tibi sit posse te illius *regni potiri.* » Idem, de Fin., l. I, c. 18, 60 : « Nullas enim consequuntur voluptates, *quarum potiendi* spe inflammati, multos labores magnosque susceperant. » Sallust., Jugurtha, c. 74 : « Romani *signorum* et *armorum potiti.* » Idem, Catil., c. 47 : « Cui fatum foret *urbis potiri.* » Auctor ad Herenn., l. IV, c. 25, 34 : « *Atheniensium potiti sunt* Spartiatæ. » Crebra occurrunt exempla, maxime apud historicos. Cum genitivo *rerum* elegantissime copulatur, significatque summam imperii administrare.

APPENDIX II.

291. *Potior, vescor, fungor, pluit*, non recusant accusandi casum.

Cicero, Tusc., l. I, c. 37, 90 : « Ego doleam, si ad decem millia annorum gentem aliquam *urbem* nostram *potituram* putem? » Plinius, l. X, c. 54, 3 : « Nonnullæ aves *vescuntur ea* quæ rapuere pedibus. » Terent., Adelph. act. III, sc. 4, v. 465 :

. . . . . Neque boni,
Neque liberalis *functus officium est* viri.

Livius, l. XL, c. 19 : « In area Vulcani et Concordiæ *sanguinem pluit.* »

Hæc quatuor verba non raro accusativo adhærent. Terent., Adelph. act. V, sc. 4, v. 875 :

. . . . . Ille alter sine labore patria *potitur commoda.*

Ibidem, v. 880 :

Miseriam omnem ego capio, hic *potitur gaudia.*

Plaut., Asin. act. II, sc. 2, v. 58 :

. . . . . Fortiter malum qui patitur, idem post *potitur* [*bonum.*

Cic., Phil. XIII, c. 3, 7 : « Vincamus odium, *pacem*que *potiamur* (1). » Legitur et *pace.* — Plinius, l. VIII, c. 76, 3 : « Si caprinum *jecur vescantur;* » et l. IX, c. 74, 1 : « *Ova vescentes;* » et l. XI, c. 75, 1 : « Qui *absinthium vescuntur.* » Tacitus in vita Agricolæ, c. 38 : « Eo ad extremum inopiæ venere, ut *infirmissimos* suorum, mox sorte ductos, *vescerentur.* » Terent., Heaut. act. I, sc. 1, v. 66 :

. . . . . Tute attente illorum *officia fungere.*

Ibid., act. III, sc. 3, v. 579 :

. . . . . Hæc ego præcipio tibi
Hominis frugi et temperantis *functus officium.*

Tacit., Annal., l. III, c. 2 : « Suprema ergo memoriam filii sui *munera fungerentur.* » Ibid., l. IV, c. 38 : « Ego me, Patres conscripti, mortalem esse, et hominum *officia fungi*..... et meminisse posteros volo. » — Livius, l. XXXIX, c. 56 : « *Sanguinem* (2) per biduum *pluisse* in area Concordiæ satis credebant. » Valer. Max., l. I, c. 6, 5 : « Ejusdem generis monstra alio tumultu credita sunt, puerum infantem semestrem in foro Boario triumphum proclamasse ; in Piceno *lapides* (3) *pluisse.* » Julius Obsequens, c. 59, de prodigiis : « In area Vulcani per biduum, in area Concordiæ totidem diebus *sanguinem pluit.* » —Item *utor* apud priscos. Plaut., Asin. act. I, sc. 3, v. 47 :

Cætera, *quæque* volumus *uti*, græca mercamur fide.

Neque illud Ciceronis, de Orat., l. II, c. 41, 171, quod quidam affert : « Si ærarii *corpus utimur* ad belli adjumenta, » contra nos facit, cum ubique sic legatur : « Si ærarii *copiis*, et ad belli adjumenta, et ad ornamenta pacis *utimur*, vectigalibus serviamus. » *Abutor* apud comicos sæpe accusativum habet. Terent., prologo Andriæ, v. 5 :

Nam in prologis scribundis *operam abutitur.*

(1) Orellius scribit *patiamur*; putat vero lectionem *potiamur* non esse spernendam. Idem habet Teubner.

(2) Lemaire, Drakemb., Teubner : *sanguine pluisse.* Sed l. XL, c. 19, legunt : « In area Vulcani et Concordiæ *sanguinem pluit.* »

(3) Lemaire : *lapidibus*, quamvis annotet omnes fere codices mss. et edd. veteres habere *lapides.*

APPENDIX III.

292. Neutra sæpe ablativum admittunt significantem partem. Cicero, de Orat., l. I, c. 26, 121 : « Equidem et in vobis animadvertere soleo, et in me ipso sæpissime experior, ut exalbescam in principiis dicendi, et tota *mente* atque omnibus *artubus contremiscam.* » Idem ad Quintum fratrem, l. I, ep. 1, c. 1, 4 : « Si tibi bellum aliquod magnum et periculosum administranti, prorogatum imperium viderem, *tremerem animo.* »

Hoc genere loquendi frequentius utuntur poetæ, qui ablativum etiam in accusativum mutare consueverunt. Horatius, l. I, epist. 6, v. 14 :

. . . . . *Animo*que et *corpore torpet.*

Idem, l. II, sat. 7, v. 57 :

. . . . . *Tremis* ossa *pavore.*

Virgilius, Georg., l. III, v. 84 :

Stare loco nescit, *micat auribus*, et tremit artus.

Plura exempla non solum apud Ciceronem, verum etiam apud alios scriptores invenies. Idem, Att., l. V, ep. 18, 2 : « Stamus animis, et quia consiliis, ut videmur, bonis utimur, *speramus* etiam *manu.* » Idem, Tusc., l. IV, c. 22, 49, dicit : « Hectorem..... toto *pectore trementem.* » Cæcil. ad Cic., Fam., l. VI, ep. 7, 4 : « Cum vero ad ipsius Cæsaris nomen veni, toto *corpore contremisco.* » Huc accedunt illa : *Cadere, concidere animo.* — Item *pendere animis.* Cicero, Tusc., l. I, c. 40, 96 : « Quod si exspectando et desiderando *pendemus animis,* cruciamur, angimur. » Cum vero singulari numero utimur, genitivo locus est. Idem, de Legibus, l. I, c. 3, 9 : « Ego *animi pendere* soleo, cum semel quid orsus, si traducor alio. » Cælius ad Ciceronem, Fam., l. VIII, ep. 5, 1 : « Ego quidem vehementer *animi pendeo.* » Sic Cicero, Att., l. VIII, ep. 5, 2; l. XI, ep. 12, 1; l. XVI, ep. 12.

DE

CONSTRUCTIONE VERBI ACTIVI

293. Verbum *activum*, vel potius *accusativum* verbum, cujuscumque id demum positionis sit, post se accusandi casum postulat, ut : *Deum cole. Imitare divos. Amplectere virtutem. Novi* animi tui *moderationem*. Non *decet* ingenuum *puerum* scurrilis jocus. Heu quam miseram *vitam vivunt* avari ! Cicero ad Att., l. IX, ep. 2, 2 : « Ingrati animi *crimen horreo.* » Idem ad eumdem, l. XIV, ep. 21, 3 : « Amariorem enim me senectus facit, *stomachor omnia.* »

APPENDIX.

Hæc tria postrema et similia tantisper activa censentur, dum accusandi casum sibi vindicant.

Nihil fere, in tota constructionis ratione, difficilius est quam verbi activi naturam cognoscere. Ego, ut verum aperte et ingenue confitear, nondum rationem inire potui, qua hanc præceptionem ita tironibus proponerem, facile ut intelligi posset. Nam illud tritum et pervulgatum præceptum : Omne verbum significans actionem post se accusativum postulat, ne ii quidem qui philosophiæ præceptis sunt imbuti, facile intelligent; neque mirum. Cur enim *pugno, dimico, servio, noceo, malefacio, insidior, adversor,* et sexcenta alia, non habeant accusandi casum, cum actionem significent? Nisi vero quis existimat minorem ibi esse actionem ubi res ferro et flammis agitur, quam ubi lingua et calamo. Quid enim causæ est quamobrem *lego* et *scribo* actionem significent; *pugno, dimico* actionis sint expertia? Quid? *Servio, noceo, insidior* otiosa erunt; *canto, rideo,* actuosa? Verum quoniam supra, ex veterum grammaticorum sententia, confirmavimus hæc etiam actionem significare, neque idem valere actionem significare et activum esse verbum, nihil est cur his diutius immoremur.

Nobis, quod ad constructionem attinet, illud erit verbum activum, vel potius accusativum (sic enim velim appellare omne id quod in accusativum transit), quod post se accusativum postulat, cujuscumque positionis. Porro verborum omnium positiones sive terminationes quinque sunt, cum quinque non amplius literis, indicativo modo, ut placet Diomedi, l. I, p. 337, finiantur : *O, R, T, M, I,* ut *amo, amor, pudet, possum, novi*. Diomedes, l. I, p. 326; Phocas, p. 1711; Priscianus, l. VIII, p. 787, ea demum appellant activa, quæ, *o* litera finita, passiva fieri possunt, *r* litera apposita; quibus *facio, calefacio, volo, novi, odi,* et reliqua omnia, quantumvis accusandi casu gaudeant, neutra sunt, si *r* literam assumendi negetur facultas. Nobis tamen ut puerorum imbecillitati consulamus, dabunt veniam veteres illi hujus artis proceres, si omnia quæ accusativum admittunt, cujuscumque illa sint terminationis, activa appellaverimus.

Horum quinque sunt genera sive ordines. Primum genus transit in accusativum primæ, secundæ et tertiæ personæ, ut *amo me, te, illum.* — Secundum in accusativum tertiæ personæ rei mutæ fertur ; ut : *aro campum, colo agros.* —Tertium, in accusativum significantem rem verbi, ut : *vivo vitam, curro cursum;* aut in accusativum mensuræ qua rem ipsam metimur, ut : *Vixi duas ætates, curro stadium.* Res verbi interim ablativo effertur. Cœlius ad Ciceronem, Fam., l. VIII, ep. 6, 4 : « Si Parthi vos nihil calefaciunt, nos hic *frigore frigescimus.* » Cicero ad Quint. Fr., l. III, ep. 3, 4 : « Patiamur illum *ire* nostris *itineribus.* » — Quartum genus multa deponentia amplectitur, et communia omnia, cum actionem significant, ut :

Sequor bonos, *amplector hospitem*. — Postremum genus amplectitur nonnulla verba mutila sive defectiva, cujusmodi sunt : *novi*, *memini*, *pudet*, et cætera ejusmodi. Item quæ *neutro-activa* licet appellare, cujus generis sunt : *anhelo*, *erubesco*, *crepo*, *calleo*, *doleo*, *horreo*, *indignor*, *ingemo*, *inclamo*, *lœtor*, *maneo*, *mœreo*, *obstupesco*, *roro*, *sono*, *sudo*, *studeo*, *stomachor*. Cicero, Phil. II, c. 12, 30 : « *Edormi crapulam*, inquam, et *exhala*. » Terent., Adelph. act. IV, sc. 1, v. 535 :

. . . . . Ego illius *sensum* pulchre *calleo*.

Seneca, ep. 65, 25 : « Non *contremiscamus injurias*, non *vulnera*, non *vincula*, non *egestatem*. » Plinius, l. XVII, c. 14, 5 : « Periculum eo tantum die est, si *roraverit* quantulumcumque *imbrem*. » Idem, Præfat., 5 : « Quanto tu ore patris *laudes tonas*. »

Conferamus quæ diximus in pauca. Verba *o* finita, quæ addita *r* litera fiunt passiva, ut *laudo*, *vitupero*; item quæ ad res mutas pertinent, ut *sero*, *colo*, *planto*, *rigo*, *pastino*, *occo*, *puto*, *ablaqueo*, *vindemio*, *meto*; præterea quibus res verbi, seu mensura rei additur, ut : *vivo vitam*, *ætatem*; *curro cursum*, *stadium*. Postremo communia omnia, cum actionem significant, accusativum exigunt.

Deponentia, cum latissime pateant, nam quædam interrogandi, alia dandi, alia accusandi, alia denique sexto casu gaudent, hac ratione, quæ accusativum petunt, deprehendes : Verbum deponens aut transitivum aut intransitivum est. De intransitivis satis dictum est. Transitiva, quæ genitivum, dativum, ablativum petunt, paulo ante commemorata sunt. Superest igitur ut cætera accusandi casum poscant. Quod idem de iis quæ *o* litera finiuntur, dictum sit : nam, si transitiva sunt, neque aut interrogandi, aut dandi, aut sextum casum exigunt, activa sunt. Quæ causa me impulit ut prius de verbis neutris, quam activis agerem. Mutila quæ accusativo gaudent, pauca sunt : *memini*, *odi*, *novi*, *cedo* pro *do*, *esse* pro *edere*, *pœnitet*, *piget*, *pudet*, *miseret*, *miserescit*, *tædet*. Neutro-activa legendis probatis scriptoribus observanda.

294. Deponentia literarum ordine colliget, cui otioso esse licebit.

A

Abominor.
Adipiscor.
Admetior.
Admiror.
Adorior.
Æmulor.
Aggredior.
Alloquor.
Architector.
Aspernor.
Assequor.
Aucupor.
Auguror.
Auspicor.
Aversor.

C

Calumnior.
Cohortor.
Comitor.
Commentor.
Commereor.
Comminiscor.
Confiteor.
Conor.
Conqueror.
Consector.
Consequor.
Consolor.
Conspicor.
Contemplor.
Contestor.
Contueor.

D

Demereor.
Demetior.
Demiror.
Demolior.
Demoror.
Depeculor.
Depopulor.
Deprecor.
Detestor.
Diffiteor.
Dignor.
Dilargior.
Dispartior.

E

Effaris *vel* effare.
Eloquor.
Ementior.
Emetior.
Execror.
Exhortor.
Exordior.
Exsequor.

F

Fabricor.
Fabulor.
Faris *vel* fare.
Fateor.
Fœneror.
Fruor.
Frustror.

H

Helluor.
Hortor.

I

Imitor.
Impertior.
Imprecor.
Inficior.
Insector.
Insequor.
Intueor.

J

Jaculor.

L

Lamentor.
Loquor.
Lucror.
Ludificor.

M

Machinor.
Meditor.
Mentior *pro* imitor.
Mercor.
Mereor.
Metior.
Minitor.
Minor.
Miseror.
Moderor.
Molior.
Moror.

Muneror.
Mutuor.

N

Nanciscor.
Nundinor.
Nutricor.

O

Obliviscor.
Obminor.
Obtestor.
Operior.
Opinor.
Ordior.

P

Paciscor.
Patior.
Percontor.
Periclitor, *hoc est*, experior.
Persequor.
Pigneror.
Polliceor.
Populor.
Prædor.
Præmeditor.
Præstolor.
Precor.
Profiteor.
Prosequor.

Q

Queror.

R

Recordor.
Remoror.
Reor.
Rimor.

S

Sciscitor.
Scitor.
Scrutor.
Sequor.
Solor.
Speculor.
Suspicor.

T

Testificor.
Testor.
Tueor.
Tutor.

U

Ulciscor.

V

Veneror.
Vereor.

Cicero, Att., l. IX, ep. 13, 1 : « Hic quidem mera *scelera loquuntur.* » Cæsar, Bello Gall., l. I, c. 40 : « Non minorem *laudem* exercitus, quam ipse Imperator *meritus* videbatur. » *Mereri bene* vel *male de aliquo*, est ei commodare vel incommodare. Cicero ad Lent., Fam., l. I, ep. 9, 23 : « Erat infinitum *bene de me meritos* omnes nominare. » Idem, pro Milone, c. 36, 99 : « Non enim inimici mei te mihi eripient, sed amicissimi non *male* aliquando *de me meriti*, sed semper optime. »

Decet, dedecet, juvat, delectat, modo nominativum habent aperte. Cicero in Brut., c. 85, 292 : « *Decet* hoc nescio quomodo *illum.* » Seneca, de Benef., l. II, c. 13, 1 : « *Te* omnia *dedecent.* » Plinius, l. IX, ep. 24, ad Sabinianum : « *Juvabit* hoc *te.* » Plaut., Capt. act. I, sc. 2, v. 33 :

Neque unquam quidquam *me juvat* quod edo domi.

Cicero, Fam., l. I, ep. 7, 10 : « *Me* status hic Reipublicæ non *delectat.* » — Modo infinitum aut verbum cum suo casu loco nominativi habent. Idem, Tusc., l. IV, c. 25, 55 : « Oratorem vero *irasci* minime *decet, simulare* non *dedecet.* » Plinius, l. I, ep. 13, 1 : « *Juvat* me quod *vigent studia.* » Cicero, ad Quint. Fr., l. II, ep. 13, 1 : « *Teque hilari animo esse....* me *juvat.* » Quintil., l. I, c. 1, 29 : « Tum præcipue in epistolis secretis et familiaribus *delectabit, ne hoc quidem neglectum reliquisse.* »

Decet etiam dandi casum habet. Terentius, Adelph. act. V, sc. 8, v. 932 :

. . . . . Imo hercle ita *nobis decet.*

Plaut., Amph. act. II, sc. 2, v. 188 :

Istuc facinus, quod tu insimulas, nostro *generi* non [*decet.*

Illud quod afferunt quidam Ciceronis de Orat. : « Quandoque id deceat prudentiæ tuæ, » suspicor nusquam esse. Antiqui, inquit Donatus, in Terent. Adelph. act. V, sc. 8, v. 932, si addebant statim verbum, *Nos decet facere, Nos decet dicere;* si non addebant : *Nobis decet*, dicebant. — Verbum *oportet*, cum his quæ modo commemoravimus, quidam conjungunt, quasi vere accusativum post se postulet, cum verbum sit absolutum atque intransitivum; quod modo nominativum aperte habet. Terent., Heaut. act. III, sc. 2, v. 536 :

Hæc facta ab illo *oportebant* (1), Syre.

Cicero, pro Corn. Balbo, c. 3, 8 : « Est enim aliquid *quod* non *oporteat*, etiam si licet. » — Modo membrum orationis loco nominativi. Idem, Phil. VII, c. 1, 3 : « *Irritari* (2) *Antonium* non *oportuit.* » Plaut., Milit. act. II, sc. 6, v. 80, dativum dedit huic verbo :

. . . . . Namque *homini* servos suos
Domitos habere *oportet* oculos et manus.

Aut ἀρχαϊσμὸς est, aut *hominem servum* scripsit Plautus (3).

---

(1) Lemaire, Teubner : *oportebat.* Alii, ex quibus H. Stephanus : *oportebant.*

(2) Orellius et Teubner : *irritatum;* d'Olivet, Lallemand, Ernesti : *irritari.*

(3) Lemaire et Teubner : *hominem servum.*

GENITIVUS PRÆTER ACCUSATIVUM

295. Verba accusandi, absolvendi, damnandi, potissimum *accuso*, *acerso* vel *arcesso*, *arguo*, *alligo*, *astringo*, *coarguo*, *defero*, *incuso*, *infamo*, *insimulo*, *postulo*, *absolvo*, *damno*, *condemno*, *convinco*, præter accusativum, genitivum admittunt qui pœnam crimenve certum aut incertum significet.

Cicero, pro Caio Rab., c. 9, 26 : « An non intelligis primum quos homines, et quales viros mortuos summi *sceleris arguas?* » Auctor ad Herennium, l. II, c. 13, 19 : « Caius Cælius judex *absolvit injuriarum* eum, qui Lucilium poetam in scena nominatim læserat. » Idem, l. IV, c. 16, 23 : « Majores nostri, si quam unius *peccati* mulierem *damnabant*, simplici judicio multorum maleficiorum convictam putabant. » Cicero, pro Caio Rab., c. 4, 12 : « Civem Romanum *capitis condemnari* coegit. » Terentius, Eunuch. act. IV, sc. 8, v. 808 :

Hic *furti* se *alligat.*

Plautus, Pœnul. act. III, sc. 4, v. 27 :

Homo *furti* sese *astringet.*

Livius, l. XXV, c. 2 : « Aliquot matronas apud populum *probri accusarunt.* » Sallustius, Jugurth., c. 32 : « Quos *pecuniæ* captæ *arcessebant.* » Pro Dejot., c. 11, 30 : « Non ficto crimine insectari, non expetere vitam, non *capitis arcessere.* » Idem, pro Cæcin., c. 9, 25 : « Ne *arguere* illum *rei* capitalis viderer. » Plinius ad Macrinum, l. VII, ep. 6, 6 : « Libertos ejus eosdemque cohæredes suos *falsi* et *veneficii* reos *detulerat* ad principem. » Tacit., Annal., l. VI, c. 47 : « Albucilla..... *defertur impietatis* in principem. » Plautus, Trucul. act. I, sc. 2, v. 88 :

Quia qui alterum *incusat probri*, eum ipsum se intueri [oportet.

Quintil., Declam. II, c. 3 : « Ut prius *infamaretur parricidii* Cæcus. » Seneca, ep. 22, 5 : « Puto nunc et stoicam sententiam quæris : non est quod quisquam *temeritatis* illos apud te *infamet*, cautiores quam fortiores sunt. » Cicero, Phil. II, c. 38, 99 : « *Probri insimulasti* pudicissimam feminam. » Suetonius in Cæsare dictat., c. 4 : « Cornelium Dolabellam, consularem et triumphalem virum, *repetundarum postulavit.* » Cicero, in Catil., I, c. 2, 4 : « Sed jam me ipse *inertiæ nequitiæ*que *condemno.* » Idem, Phil. II, c. 4, 9 : « At ego non nego, teque in isto ipso *convinco* non *inhumanitatis* solum, sed etiam *amentiæ.* » Genitivus pœnæ. Ulpianus, Digest. l. XLVII, tit. II, lege 49 : « *Dupli* nihilominus *condemnatus est.* » Cicero, Verr. act. II, l. III, c. 11, 28 : « Cupio *octupli damnari* Apronium. »

296. Rogabis fortasse cur hæc potissimum verba subjecerim. — Ne, si verborum turbam congessissem, ansam rudibus præberem errandi ; nec enim *corripio, reprehendo, vitupero, culpo, castigo, punio, plecto, mulcto, excuso* cum genitivo junguntur. Certe, *Reprehendo te avaritiæ, Culpo te pertinaciæ, Mulcto te exilii*, atque alia eodem modo non ausim sine alicujus probati auctoris testimonio dicere. — *Ago te injuriarum, furti*, non puto apud idoneos auctores inveniri ; sed *Ago tecum injuriarum, furti :* est namque verbum neutrum cum ad crimen refertur. Cicero, pro Cluent., c. 59, 163 : « Deinde aliquando *cum servo* Aviti *furti egit.* »

Auctor ad Herennium, l. I, c. 14, 24 : « *Cum eo* Accius *injuriarum agit.* » Ibid., c. 12, 22 : « Possit dicere..... *secum furti agi,* non peculatus oportere. » — *Sugillare aliquem parcimoniæ, taxare ambitionis, traducere luxuriæ,* video quibusdam placere; nihil tamen simile apud veteres, quod meminerim, legi. Quare interim dum hæc investigantur, dicam potius : *Culpare, reprehendere, sugillare, taxare alicujus parcimoniam, ambitionem, luxuriam,* etc. Seneca, ep. 108, 14 : « Cum cœperat *voluptates* nostras *traducere*, laudare castum corpus. » — *Peccas parricidii,* quod quidam afferunt, nondum potui reperire apud Quintilianum, Declam. VI. In VIII, c. 19, est : « Parricidium in utroque consummas; » non vero : « Parricidii peccas; » neque : « Infamas parricidii, » apud eumdem, VIII Declam., quamvis posterius bene latine dicatur, ut paulo ante ex Seneca docuimus. — *Purgo me apud aliquem,* seu *alicui de aliqua re,* usitatius est quam *alicujus rei.* Cicero, ad Att., l. X, ep. 18, 2 : « *De altero ei* me *purgavi.* » Plaut., Amph. act. III, sc. 2, v. 28 :

> Et id huc reverti, uti me *de hoc* (1) *purgarem tibi.*

Livius, l. XXXVII, c. 28, genitivo usus est. « Quibus, inquit, *purgantibus* civitatem omnis *facti dictique* hostilis adversus Romanos, et juvisse eos commeatu classem hostium arguit, etc. » — *Interrogare* et *urgere* apud Tacitum hujus ordinis sunt : Annal., l. XIII, c. 14 : « Sane pepigerat Pallas, ne cujus *facti* in præteritum *interrogaretur.* » Idem, l. VI, c. 29 : « Quia male administratæ *provinciæ,* aliorumque *criminum urgebatur.* » — Malim cum Cicerone dicere : *Arrogantiam alicujus increpare; improbitatem notare*, quam *Aliquem arrogantiæ increpare, notare improbitatis,* quod loquendi genus durissimum rarissimumque est. Suetonius, in Calig., c. 39 : « Modo *avaritiæ* singulos *increpans,* quod non puderet eos locupletiores esse quam se. » Gellius, l. IV, c. 12 : « Si quis eques Romanus equum habere gracilentum aut parum nitidum visus erat, *impolitiæ notabatur.* » — Libentius etiam cum Cicerone, pro Milone, c. 5, 12, dicam : « Invidiose *potentiam alicujus criminari,* » quam, *aliquem potentiæ criminari.* — Postremo illud, *Teneo te mendacii,* quod quidam Plauti testimonio confirmant, non facit ad rem. Plauti locus in Trucul. act. I, sc. 2, v. 30, ita habet :

> Manifestam mendacii, mala, te teneo.

Mendacii a nomine *manifestam* regitur. Sic Sallustius, Jug., c. 35 : « Jugurtha *manifestus* tanti *sceleris.* » *Teneri* voce passiva *furti, damni, commodati, depositi,* crebro dicunt jurisperiti, qua de re paulo post.

Quibusdam persuasissimum est verba accusandi, absolvendi, damnandi ablativum sine præpositione poscere, si nomen criminis sit incertum, cujusmodi est, *peccatum, maleficium, scelus, facinus,* et cætera; cum hæc genitivo efferantur, quemadmodum quæ certum crimen significant. Cicero, Tusc., l. III, c. 27, 64 : « *Peccati*que se *insimulant,* quod dolere intermiserint. » Auctor ad Herenn., l. IV, c. 16, 23 : « Majores nostri, si quam unius *peccati* mulierem *damnabant*, etc. » Cicero, Verr. act. II, l. V, c. 53, 139 : « *Convictos maleficii.* » Auctor ad Herenn., l. IV, c. 16, 23 : « Multorum *maleficiorum convictam* putabant. » Cicero, Fam., l. XIV, ep. 14, 2 : « Adjuvat etiam Piso, quod ab urbe discedit, et *sceleris condemnat* generum suum. » Idem, pro Caio Rab., c. 10, 27 : « Caium Marium, quem vere patrem patriæ, parentem, inquam, vestræ libertatis atque hujusce reipublicæ possumus dicere, *sceleris* ac *parricidii* nefarii mortuum *condemnabimus?* » Sic est in libris correctis, non *criminis nefarii,* quod etiam nobiscum facit. Idem, ibid., c. 9, 26 : « Non intelligis...... quales viros mortuos summi *sceleris arguas?* » Sic est in emendatis; Laurentius, l. III, c. 32, legit *criminis,* quod non minus ad rem facit. Plinius, l. XXXIII, c. 12, 1 : « Et nos *sceleris arguimus* illum. » Cicero, pro Cæl., c. 1, 1 : « Nec dubitet quin tanti *facinoris* reus *arguatur.* » Sallustius, Catil., c. 51 : « Quid autem acerbum aut grave nimis in homines tanti *facinoris convictos?* » Cicero, Verr. act. II, l. I, c. 28, 72 : « In quo video Neronis judicio non te *absolutum esse improbitatis,* sed illos *damnatos esse cædis.* »

Ipsum etiam vocabulum *criminis* aliquando genitivo effertur. Papinianus, Dig., l. XLVI, tit. III, lege 41 : « Reo *criminis postulato* interim nihil prohibet recte pecuniam a debitoribus solvi. » Justinus, l. IX, c. 4 : « Apud quos cum potentissimi quique rei ejus ipsius *criminis postularentur,* etc. »

---

(1) Lambinus, Gruterus, Lemaire et Teubner non habent *de hoc.*

Quæ cum ita sint, non video cur non dicatur bene latine : Hunc *accusare* potes vel *furti*, vel *sacrilegii*, vel *utriusque maleficii*, aut *criminis*, aut *sceleris*. Item : *Accusastin*e eum unius *peccati*, an multorum *maleficiorum? Condemnatus*ne es *furti*, an *sacrilegii*, an *alterius* tantum? Credo te *utriusque sceleris, facinoris condemnatum iri;* vel subaudito substantivo : Credo te *utriusque accusatum iri*.

APPENDIX I.

297. Genitivus criminis, maxime cum his verbis, *accuso*, *arguo*, *defero*, *postulo*, *appello*, *absolvo*, *damno*, *condemno*, in ablativum cum præpositione *de* mutari potest.

Cicero, Att., l. I, ep. 6, 1 : « Non committam posthac, ut me *accusare de* epistolarum *negligentia* possis. » Livius, l. XXVI, c. 38 : « Blattius *de proditione* Dasium *appellabat*. »

Verba hæc eleganter ablativum admittunt cum præpositione. Cicero, pro Rosc. Amer., c. 32, 90 : « Jam, quos nemo propter ignobilitatem nominat, sexcenti sunt qui inter sicarios, et *de veneficiis accusabant*. » Idem, de Invent., l. II, c. 11, 37 : « Negare oportebit de vita ejus et de moribus quæri; sed de eo crimine *quo de arguatur*. » Idem, pro Sext. Rosc., c. 23, 64 : « Nomina filiorum *de parricidio delata sunt*. » Idem ad Quint. Fr., l. II, ep. 3, 5 : « Sestius ab judice Cn. Nerio Pupinia *de ambitu est postulatus*. » Idem ad eumdem, l. II, ep. 16, 3 : « Quo die hæc scripsi, Drusus *erat de prævaricatione* a tribunis ærariis *absolutus*. » Idem, Verr. act. I, c. 13, 39 : « Quod in Marco Attilio, qui *de majestate damnatus est*, hoc planum factum est, eos pecuniam ob rem judicandam accepisse. » Idem, II Phil., c. 2, 4 : « Cujus etiam familiares *de vi condemnati* sunt. »

EXCEPTIO.

298. Hoc tamen nomen, *crimen*, ablativo sine præpositione effertur. Cicero, Fam., l. II, ep. 1, 1 : « Si iniquus es in me judex, *condemnabo* eodem ego te *crimine*. »

Dicimus etiam : *Capite aliquem damnare*, *punire*, *plectere*. Auctor ad Herennium, l. IV, c. 24, 33 : « Eum vos jurati *capite damnastis*. » Suetonius in Othone, c. 1 : « Ausus est milites *capite punire*. » Macer, Dig., l. XLVIII, tit. XI, lege 7 : « *Capite plecti* debent, vel certe insulam deportari. »

Vocabulum *criminis* videtur grammaticis occasionem dedisse jungendi etiam cætera nomina ablativo casu sine præpositione, cum verbis accusandi, absolvendi damnandique. Præcipiunt enim in universum omnia hæc posse genitivum vel ablativum admittere, ut : *Accuso* te *furti*, vel *furto; Arguo* te *avaritiæ*, vel *avaritia*, atque eodem modo cætera, quod nullius veteris testimonio probant. *Postulare* (1) *repetundis* fateor dixisse Suetonium in Othone, c. 2, et Tacitum, Annal., l. III, c. 38, si modo libri vacant mendo. Certe malim cum Cælio ad Ciceronem, l. VIII, ep. 8, 2, *de repetundis* dicere : « Pilius, inquit, *de repetundis* eum *postulavit*. » Idem, ibidem, 3 : « Ipse *de pecuniis repetundis est postulatus*. » Quintil., l. V, c. 13, 12 : « Hæres eras et pauper, et magna *pecunia appellabaris* a creditoribus. » Cicero præpositionem adjunxit, II Phil., c. 29, 71 : « *Appellatus es de pecunia*, quam pro domo, pro hortis, pro sectione debebas. » Illud Solini, c. 56 : « Quod si etiam ipse

(1) *Damnatum repetundis* habent Lemaire et Teubner, post Casaubonum; et Tacit. Gronovii, Lemaire et Teubner, *postulaverat repetundis*.

peccato aliquo *argutus sit* (2) ac revictus, morte mulctatur; » non me magnopore movet, tum quod in correctis libris adhibeatur præpositio *in*, tum etiam quod auctor hic videatur non parum de pura ac recta loquendi ratione defluxisse. Posterior lectio propior vero est; nam verba hæc interdum præpositionem *in* admittunt. Cicero, de Invent., l. II, c. 10, 32 : « Quare vitam ejus, quem arguit, ex antefactis accusator improbare debebit, et ostendere, si quo *in* pari ante *peccato convictus sit.* » Idem ad Quint. Fr., l. II, ep. 2, 1 : « Primum me tibi excuso in eo ipso *in quo* te *accuso.* » — *Damnare votis* dixit Virgilius, Eclog. V, v. 80 :

. . . . . *Damnabis* tu quoque *votis.*

Livius, l. VII, c. 28 : « *Damnatus voti.* » Et l. XXVII, c. 45 : « *Damnarentur*que ipsi *votorum.* »

(2) Henr. Stephanus : « Quod si etiam ipse *in peccato* aliquo *argutus sit* [ac revictus]. »

APPENDIX II.

299. *Absolvo, libero, alligo, astringo, mulcto, obligo, obstringo*, quemadmodum suapte natura ablativum petunt, ita et ablativum significantem pœnam crimenve sine præpositione admittunt.

Livius, l. I, c. 58 : « Ego me, etsi *peccato absolvo*, supplicio non libero. » Cicero, de Orat., l. I, c. 43, 194 : « Vitia hominum atque fraudes, *damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exiliis, morte mulctantur.* »

Hæc, extra crimen, ablativum, ut perspicuum est omnibus, exigunt; exempla, ne molesti simus, prætermittimus; veniamus ad crimen. Livius, l. II, c. 8 : « Latæ deinde leges..... quæ regni *suspicione* consulem *absolverent.* » Hoc verbum etiam ablativum cum præpositione, ut paulo ante diximus, recipit. Cicero, pro Cælio, c. 10, 24 : « *Prævaricatione est* Ascitius *liberatus.* » Idem, pro Flac., c. 17, 41 : « Ne Lucius Flaccus nunc se *scelere alliget*, cum jam testem illum effugere non possit. » Idem, IV Phil., c. 4, 9 : « Quem si consulem illa provincia putaret, neque eum reciperet, magno *scelere* se *astringeret.* » — *Damno*, cum pro *mulcto* accipitur, eodem modo construitur. Unde Tacitus in libro de Germanis, c. 29, *condemnare tributis* (1) dixit, et Seneca, ep. 95, 22, *damnari morbis* virilibus. Cicero, de Arusp., c. 13, 27 : « Quo castissimos ludos..... *scelere obligares.* » Idem, Offic., l. III, c. 4, 19 : « Num igitur se *obstrinxit* (2) *scelere*, si qui tyrannum occidit, quamvis familiarem? » Papinianus, Dig., l. XLVII, tit. II, lege 83 : « Ob pecuniam civitati subtractam, *actione* furti, non *crimine* peculatus *tenetur.* »

Quædam ex his cum genitivo reperiuntur. Livius, l. XLI, c. 19 : « Senatus nec *liberavit* ejus *culpæ* regem, neque arguit. » Hoc rarissimum est. — *Absolvo* sæpissime cum genitivo copulatur, de quo supra. — *Alligo*, *astringo* supra cum interrogandi casu vidisti. Vide nunc *obligo*, *obstringo*. Caius, Dig., l. XLVII, tit. II, lege 56, § 1 : « Eum, qui quid utendum accepit, si ipse alii commodaverit, *furti obligari* responsum est. » Ulpianus, ibidem, lege 44, § 8 : « *Furti obligetur.* » Idem, ibid., lege 47, § 8, ablativo usus est : « Ne *furto* (3) *sit obligatus.* » Ibidem, Jabolenus, lege 75 : « *Furto* (4) se *obligat.* » Ulpianus, eodem libro, lege 44, § 4 : « Qui alienum quid jacens lucri faciendi causa sustulit, *furti obstringitur.* » — *Teneor*, passivum verbum, etiam ad crimen spectat. Caius, ibidem, lege 56 : « Si pignore creditor utatur, *furti tenetur.* » Pomponius, ibidem,

(1) Gronovius, Lemaire et Teubner : *tributis contemnuntur.* « Suspicor, ait Gronov., a Tacito scriptum *condemnantur.* » Putat tamen et ab exemplis probat *tributis contemnere* accipi posse pro *tributa imponere*, quod est insultantium victis eosque contemnentium.

(2) Orellius et Teubner : *astrinxit.*

(3) Edit. Beck, *furti.*

(4) Edit. Beck, *furti.*

lege 45, § 1 : « Debitori iste *tenetur furti.* » In eodem libro inveni, lege 31, § 1 : « *Teneri damni;* » lege 15, § 2 : « *commodati;* » et l. XVI, tit. III, lege 1, § 8 : « *depositi;* » quæ locutio figurata est, nam deest ablativus *actione, crimine*, vel similia, quem jurisperiti aliquando adhibent. Papinianus, l. XLVII, lege 83 : « Ob pecuniam civitati subtractam *actione furti*, non *crimine peculatus tenetur.* » Paulus, ibidem, lege 84, § 2 : « *Furti actione tenebitur.* » Ulpianus, lege 17, § 1 : « Dicendum est *teneri* eum *furti judicio.* » Ibidem, lege 14, § 1 : « *Furti actione* non *teneor.* »

Quæ cum ita sint, non video cur non dicatur bene latine : Si quis furetur rem sacram de profano, *teneturne sacrilegii*, an *furti*, an *utriusque?* Cur enim non audiatur ablativus *actione* vel *judicio?* Eodem modo : Qui sustulerit rem suam de sacro, *furtine tenetur*, an *sacrilegii*, an *neutrius?* Perinde est ac si dicas : *Furtine actione tenetur*, an *sacrilegii*, an *neutrius?* Qui hæc et similia nomina tantum ablativo efferenda esse docent, veterum testimoniis confirment. Dicitur præterea aliquis *furti conveniri*, vel *actione furti;* quo pacto loquitur Ulpianus eod. lib., tit. I, lege 1, et tit. II, lege 36. Quædam consulto et cogitato prætermisimus, cujusmodi sunt : *Prehendi furti* et *furto*, apud Gellium, l. XI, c. 18; *Perdere aliquem capitis*, apud Plautum, Asin. act. I, sc. 2, v. 6; et cætera ejusdem generis.

300. Sunt qui laudandi verba et his contraria adjungunt, ut *laudo, commendo, probo te parcimoniæ; admiror te justitiæ.* Tu, si vis latine et oratorie loqui, dicito : *Laudo tuam parcimoniam, admiror tuam justitiam.* Nam illud Silii, l. IV, v. 259 :

Laudabat lethi juvenem;

item Virgilianum illud, Æn. XI, v. 125 :

Vir Trojane, quibus cœlo te laudibus æquem,
*Justitiæ*ne prius *mirer*, belline *laborum?*

ad hellenismum spectat.

Neque excusandi verba hujus loci videntur esse. Nolim enim dicere : *Excuso me tibi tarditatis*, sed cum Cicerone : *Excuso tibi tarditatem meam*, aut : *Affero excusationem tarditatis meæ;* sic ille ad Att., l. XV, ep. 26, 5 : « Varroni memineris *excusare tarditatem literarum* mearum. » Idem in Fam. (5) ait : « *Afferre excusationem cessationis.* » — *Reum facere rei capitalis, alienæ culpæ, de ambitu, de vi*, ad nominis substantivi constructionem spectant. Nam *reus* interrogandi vel auferendi casu cum præpositione *de* gaudet. Cicero, pro Milone, c. 16, 44 : « Milo *reus* est præclari *facti.*» Idem, pro Flacco, c. 3, 7 : « *Reus avaritiæ.* » Idem, Att., l. II, ep. 24, 4 : « Nunc *reus* erat apud Crassum Divitem Vettius *de vi.* »

(5) Hoc solum reperi l. X, ep. 4, 1: « Ego autem præteriti *temporis excusationem affero*, quod te profectum audieram. » Vide Forcellini, v. *Excusatio.*

301. *Admoneo, commoneo, commonefacio*, genitivum habent cum accusativo. Quintilianus, l. I, c. 5, 7 : « *Grammaticos officii* sui *commonemus.* » Auctor ad Herennium, l. IV, c. 24, 33 : « Cum ipse *te* veteris *amicitiæ commonefaceret*, commotus es ? »

Livius, l. XXXV, c. 13 : « Qui *admonerent fœderis eum* romani. » *Admoneo* et *commoneo*, pro genitivo, possunt et ablativum cum præpositione *de* admittere. Cicero, pro lege Man., c. 15, 45 : « *De quo* vos paulo ante invitus *admonui.* » Idem, Fam., l. IV, ep. 10, 2 : « Putavi ea *de re* te *esse admonendum.* » Idem, Verr. act. II, l. V, c. 42, 109 : « Te neque præsens filius *de* liberûm *caritate*, neque absens pater *de indulgentia* patria *commonebat.* »

302. Item *miseret, miserescit, piget, pœnitet, pudet, tædet.* Plautus, Trinum. act. II, sc. 4, v. 30 :

Miseret te aliorum, tui te nec *miseret*, nec *pudet.*

Terentius, Heaut. act. V, sc. 5, v. 1028 :

. . . . . Inopis nunc *te miserescat mei.*

Cicero, pro Planc., c. 31, 76 : « Vide quam *me verbi* tui *pœniteat.* » Terent., Adelph. act. III, sc. 3, v. 393 :

. . . . . . *Fratris me* quidem
*Pudet piget*que.

Cicero, in Pisonem, c. 24, 58 : « Crasse, *pudet me tui.* » Idem, Att., l. V, ep. 16, 2 : « Quid quæris? *tædet* omnino *eos vitæ.* »

Verbis impersonalibus, quæ ad hunc locum sese obtulerunt, facile nominandi casum aperte vel obscure tribuimus. Hæc quæ in manibus habemus, non ita facile antecedit nominativus; dabimus tamen operam, ut in lucem prodeat tandem aliquando. Primum omnium hæc priscis illis temporibus integra fuisse, omnibus personis numerisque absoluta, docent non obscura vestigia. Ennius, Hecub. apud Nonium, c. 7, 58 :

Miserete manus, date ferrum, qui me anima privem.

Virgilius, Æn. VIII, v. 573 :

. . . . . Arcadii, quæso, *miserescite* regis.

Plautus, Menæch. act. V, sc. 9, v. 7 :

Adolescens, quæso, loquere tuum mihi nomen, nisi [*piges* (1).

Quintilianus, l. IX, c. 3, 12 : « Eo usque processum est, ut non *pœniturum,* pro non acturo pœnitentiam, dixerit Sallustius. » Cicero, Tusc., l. IV, c. 37, 79 : « Vix a se manus abstinuit, tanta fuit vis *pœnitendi.* » Pacuvius, Armorum Judicio, prologo, apud Nonium, c. 7, 63 : « Nunc *pœnitebunt,* libant liberi grato ex loco. » Plaut., Casin. act. V, sc. 2, v. 3 :

Ita nunc *pudeo*, atque ita nunc paveo.

Gellius, l. I, c. 2 : « Has ille inanes cum flaret glorias, jamque omnes finem cuperent, verbisque ejus defatigati *pertæduissent.* »

Nominativum aperte simul cum accusativo nunc accipe. Terent., Adelph. act. IV, sc. 7, v. 758 :

Non *hæc te pudent?*

Lucanus, l. VIII, v. 495 :

. . . . . Semper metuet *quem sæva pudebunt.*

Terentius, Phorm. act. III, sc. 3, v. 553 :

. . . . . Quære obsecro,
Ne quid plus minusve faxit, *quod nos* post *pigeat.*

Idem, Adelph. act. I, sc. 2, v. 85 :

. . . . . *Quem* neque *pudet*
Quidquam, nec metuit quemquam.

Plaut., Stich. act. I, sc. 1, v. 50 :

Et *me* quidem hæc *conditio* nunc non *pœnitet.*

Hæc loca aperte docent verba hæc figurate genitivum habere pro nominativo. Nam justa et recta constructio est huic Plautino : *Hæc conditio pœnitet me;* figurata vero : *Pœnitet me hujus conditionis.* Sic, *Non hæc te pudent?* justa est; *Non horum te pudet?* figurata. Justa tamen exolevit, atque in ejus locum figurata successit.

Huic locutioni similis est illa : *Venit mihi in mentem Pompeii* vel *Pompeius.* Cicero, de Fin., l. V, c. 1, 2 : « *Venit* enim *mihi Platonis in mentem,* quem accepimus primum disputare solitum. » Idem, pro Rosc. Amer., c. 34, 95 : « *Venit mihi in mentem oris* tui. » Atticismus est, ut docet Priscianus, l. XVIII, p. 1201, ubi græca cum lati-

(1) « Veteres quoque Plauti editt. habent Menæchmis, act. V, sc. 9 : « Adolescens,... *piges.* » Quomodo et in Thesauro suo citat Rob. Stephanus. Sed in Camerariana et optima quaque est *piget.* » Hæc Voss., Analog., l. III, c. 42. — Lemaire, *piget.*

nis confert. Budæus, Comment. linguæ græcæ, p. 1061, etiam docet esse hellenismum. Nam justa oratio est, cum nominativus verbum *venit* antecedit. Cicero, Att., l. XII, ep. 37, 2 : « Nunquam ea *res* tibi tam belle *in mentem venire* potuisset. »

Quinque hæc verba videntur quondam fuisse deponentia, cui rei argumento est carmen Turpilii apud Nonium, c. 7, 80 :

> Quam matris, nunc patris me *miseretur* magis.

Quadrigarius apud Gellium, l. XX, c. 6 : « Cai Mari, ecquando te nostrum et Reipublicæ *miserebitur?* » Cicero, de Invent., l. I, c. 30, 48 : « Commune est quod omnes vulgo probarunt et secuti sunt hujusmodi : ut majoribus natu assurgatur, ut supplicum *misereatur.* » Unde adhuc illa extant, *misertum est, pigitum est, puditum est, pertæsum est.* Plautus, Trin. act. II, sc. 4, v. 29 :

> Nam nunc cum vidi miserum, et me ejus *miseritum* [*est.*

Terentius, Heaut. act III, sc. 1, v. 463 :

> Sic me dii amabunt, ut me tuarum *miseritum est*,
> Menedeme, fortunarum.

Silius, l. VII, v. 173 :

> Nec *pigitum*, parvosque lares humilisque subire
> Limina cœlicolam tecti.

Plautus, Bac. act. III, sc. 1, v. 12 :

> Neque mei, neque te tui intus *puditum est* factis, quæ [facis.

Livius, l. III, c. 39 : « Nec nominis homines tum *pertæsum esse.* » Cicero ad Quint. Fr., l. I, ep. 2, c. 2, 4 : « *Pertæsum est* levitatis, assentationis, animorum non officiis, sed temporibus servientium. » Suetonius, in Cæs., c. 7 : « Et quasi *pertæsus* ignaviam suam, quod nihildum a se memorabile actum esset. »

Aliquando omittitur accusativus. Virgilius, Æn. IV, v. 18 :

> Si non *pertæsum* thalami, *tædæ*que fuisset.

Cicero, ut modo diximus : « Pertæsum est enim levitatis. » Id quod sæpenumero activis usu venit. Idem, Att., l. II, ep. 24, 4 : « Prorsus vitæ tædet. » Idem, I Phil., c. 13, 33 : « Num te..... fortunæ tuæ, num amplitudinis, num claritatis, num gloriæ pœnitebat? » Terentius, Andr. act, V, sc. 3, v. 878 :

> Num cogitat quid dicat? num facti piget?

Illud Ciceronis, pro Ligario, c. 5, 14 : « Cai Cæsar, cave ignoscas, cave te fratrum pro fratris salute obsecrantium misereatur, » in libris correctis legitur : « *misereat.* » Priscianus tamen, l. VIII, p. 797, *misereatur* (2) legit. Et ut demus a Cicerone fuisse scriptum, non video cur passivum verbum sit appellandum, cum passiva accusativum minime regant. Quare si quæ hujus generis reperiantur, deponentia videntur potius appellanda. Cujusmodi est *vereor;* Pacuvius apud Nonium, c. 9, 3 :

> Nihilne te populi *veretur*, qui vociferare in via?

Accius, ibid. :

> Si tui *veretur* progenitoris, cedo.

Cicero hoc eodem non personaliter usus est, ut ex Gellio initio hujus libri ostendimus.

Priscianus, l. XVIII, p. 1134, docet ex Apollonio in ipsis verbis nominativum latere, verbi causa : *Pudet me tui*, hoc est : *Pudor me habet tui; Miseret me tui, miseratio me habet tui.* Mihi magis placet Plautina resolvendi ratio.

Habent, quemadmodum et cætera impersonalia, nonnunquam infinitum aut membrum orationis loco nominativi. Cicero ad Quint. Fr., l. 1, ep. 1, c. 9, 28 : « Non enim me *hoc* jam *dicere pudebit.* » Idem, Acad. Prior., l. II, c. 22, 69 : « *Pœnitet* enim *illa sensisse.* » Idem ad Att., l. XI, ep. 13, 2 : « Ait..... se *pœnitere, quod animum tuum offenderit.* »

---

(2) Orellius, *misereatur*; Teubner, *misereat.*

VERBA ÆSTIMANDI

303. Verba æstimandi, præsertim *æstimo*, *duco*, *facio*, *habeo*, *pendo*, *puto*, præter accusativum, hos fere genitivos assumunt : *magni*, *maximi*, *pluris*, *plurimi*, *parvi*, *minoris*, *minimi*, *tanti*, *tantidem*, *quanti*, *quanticumque*.

Cicero, Att., l. VIII, ep. 2, 4 : « Ego pro Pompeio libenter emori possum; *facio pluris* omnium hominum neminem. » Terentius, Andr. act. III, sc. 6, v. 575 :

Merito te semper *maximi feci*, Chreme.

Idem, Heaut. act. I, sc. 1, v. 155 :

Tu illum nunquam ostendisti *quanti penderes*.

Cicero, de Fin., l. II, c. 17, 55 : « *Magni æstimabat* pecuniam. » Ibid., c. 8, 24 : « Sed quia *parvi* id *duceret*. » Idem, Verr. act. II, l. IV, c. 9, 19 : « *Quanti* is a civibus suis *fieret*, *quanti* auctoritas ejus *haberetur* ignorabas? » Idem, Phil. VI, c. 4, 10 : « Hic *pluris habetur* quam Trebellius. » Idem, Fam., l. I, ep. 9, 5 : « *Putare* aliquid *minimi*. » Idem, pro Planc., c. 4, 11 : « *Magni putare* honores. » Quidam genitivum *majoris* addunt (1), sed sine veterum testimoniis; addunt et verbum *curandi;* sed Terentianus locus quo id confirmant, vitiose legitur; sic enim restituendus est, Heaut. act. IV, sc. 3, v. 715 :

Tu fortasse quid me fiat parvi pendis, dum illi consulas.

Ne igitur *parvi curas*, ut vulgo legitur, dixeris.

(1) Post Alvari mortem repertæ sunt Phædri fabulæ, in quarum una (Cæsar ad Atriensem) legitur : « Multo *majoris* alapæ mecum veneunt. »

APPENDIX I.

304. Dicimus etiam *magno*, *permagno*, *parvo*, et *magno pretio* æstimare.

Cicero, de Fin., l. III, c. 3, 11 : « Næ ego istam gloriosam memorabilemque virtutem non *magno æstimandam* putem. » Idem in Verr. act. II, l. IV, c. 7, 13 : « Tu ista *permagno æstimas?* » Valer. Max., l. V, c. 4, 1 : « *Magno* ubique *pretio* virtus *æstimatur*. » Seneca, de Benef., l. I, c. 8 : « Nisi forte *parvo* te *æstimas*. »

APPENDIX II.

305. *Nauci*, *flocci*, *pili*, *assis*, *teruntii*, *nihili*, cum verbo *facio* junguntur. Cicero, de Fin., l. II, c. 27, 88 : « Eum *nihili facit*. »

Dicimus etiam : Tuas minas *hujus* non *facio*. — *Flocci*, *nihili* tuas fortunas *pendo*. — Non *assis*, non *flocci* te *æstimo*. — *Pro nihilo habeo*, *puto*, *duco* divitias omnes præ virtute. — Non *nihilo* bonam valetudinem *æstimo*.

Hos genitivos separatim posuimus, quod non cum omnibus verbis æstimandi conjungantur. Plautus, in Bacch. act. V, sc. 1, v. 16 :

Perii! hoc servum meum non *nauci facere* esse ausum?

Cicero, Att., l. XIII, ep. 50, 3 : « Prorsus aveo scire, nec tamen *flocci facio*. » Catullus, X, v. 13 :

. . . . . Nec *faceret pili* cohortem.

Seneca, ep. 123, 11 : « Istos tristes et superciliosos alienæ vitæ censores..... *assis* ne *feceris.* » Plautus, Capt. act. III, sc. 1, v. 17 :

Neque ridiculos jam *terunci faciunt.*

Terentius, Adelph. act. II, sc. 1, v. 163 :

. . . . . Hanc injuriam mihi nolle
Factam esse, *hujus* non *faciam.*

Idem, Eunuch. act. III, sc. 1, v. 411 :

. . . . . Invidere omnes mihi
Mordere clanculum; ego non *flocci pendere.*

Ibidem, act. I, sc. 2, v. 94 :

Aut ego istuc abs te factum *nihili penderem.*

Plaut., Mostel. act. I, sc. 1, v. 73 :

. . . . . Neque quod dixi *flocci existumat.*

Illud de Divin., l. I, c. 58, 132 : « Non *habeo nauci* Marsum augurem, » videtur prisci alicujus poetæ. Cicero, pro Domo sua, c. 14, 38 : « Dixi apud Pontifices adoptionem nullo decreto hujus collegii probatam, *pro..... nihilo esse habendam.*» Idem, pro Cæcin., c. 19, 56 : Respuere defensionem, et *pro nihilo putare.* Idem, Verr. act. II, l. II, c. 16, 40 : « Tu ausus es *pro nihilo* præ tua præda tot res sanctissimas ducere? » Idem, de Fin., l. IV, c. 23, 62 : « Quippe qui primum valetudinem bonam expetendam negent esse, eligendam dicant, non quia bonum sit valere, sed quia sit non *nihilo æstimandum.* »

APPENDIX III.

306. *Sum*, pro *æstimor*, genitivos *magni*, *maximi*, *pluris*, *plurimi*, cæterosque admittit.

Cicero, pro Sext., c. 63, 142 : Quis Carthaginiensium *pluris fuit* Annibale, consilio, virtute, rebus gestis? » Idem, Fam., l. XV, ep. 15, 4 : « *Magni erunt* mihi tuæ literæ. »

SINGULARIA

307. *Æqui bonique*, vel *æqui boni facio*, *boni consulo*, singularia sunt.
Terentius, Heaut. act. IV, sc. 5, v. 788 :

. . . . . Equidem istuc, Chreme,
Æqui bonique facio.

Cicero ad Att., l. VII, ep. 7, 4 : « Tranquillissimus autem animus mei, qui totum istuc *æqui boni facit.* » Seneca, ep. 123, 1 : « Hanc coqui ac pistoris moram *boni consulo.* » Idem, de Benef., l. I, c. 8 : « Hoc munus rogo, qualecumque est, *boni consulas.* »

DATIVUS CUM ACCUSATIVO

308. Verba *dandi*, *reddendi*, *committendi*, *promittendi*, *declarandi*, *anteponendi*, *postponendi*, præter accusativum, dativum exigunt.

Cicero, pro Planc., c. 42, 102 : « *Salutem tibi* iidem *dare* possunt qui *mihi reddiderunt.* » Terentius, Andr. act. II, sc. 1, v. 310 :

Facile omnes cum valemus, recta *consilia ægrotis damus.*

Idem, Eunuch. act. V, sc. 2, v. 885 :

Ego *me* tuæ *commendo* et *committo fidei.*

Cicero, X Phil., c. 4, 9 : « Græcia *tendit dexteram Italiæ*, suumque *ei præsidium pollicetur.* » Idem, Att., l. X, ep. 6, 1 : « Meas *cogitationes* omnes *explicavi tibi* superioribus literis. » Idem, Part., c. 1, 1 : « Ista tua *studia* vel maximis *occupationibus* meis *anteferrem* libenter. » Plinius, l. XIII, c. 33, 1 : « Cyrenaica regio *loton* suæ *postponit paliuro.* »

Dandi, ut *do, dedo, tribuo, largior, concedo, ministro, suppedito, commodo, præbeo, exhibeo, impendo*, etc. — Reddendi, ut *reddo, restituo, refero, remunero, rependo, remetior, solvo*, etc. — Committendi, ut *committo, mando, commendo, trado, credo.* — Promittendi, ut *promitto, polliceor, spondeo.* — Declarandi, ut *aperio, declaro, expono, explico, significo, indico, demonstro, ostendo, dico, narro, loquor*, etc. — Anteponendi, ut *antepono, antefero, præpono, præfero. Præopto* etiam hujus est ordinis. Livius, l. XLIV, c. 22 : « Si quem id facere piget, et *otium* urbanum militiæ *laboribus præoptat*, e terra ne gubernaverit. » — Postponendi, ut *postpono, posthabeo, postfero.* Plinius, l. III, c. 5, 1 : « Agrorum cultu, virorum, morumque dignatione, amplitudine opum, *nulli* provinciarum *postferenda.* »

APPENDIX I.

309. Verbum *mutuo* non est hujus loci; non enim dicimus : *Mutuavi tibi pecunias; mutuasti mihi centum nummos;* sed : *Dedi tibi pecunias mutuas; dedisti mihi mutuos centum nummos; dedisti mihi mutuum frumentum.*

Cicero, Att., l. XI, ep. 3, 3 : « Egeo rebus omnibus, quod is quoque in angustiis est, quicum sumus, *cui* magnam *dedimus pecuniam mutuam.* » Terentius, Heaut. act. III, sc. 4, v. 601 :

. . . . . *Huic* drachmarum argenti hæc *mille dederat mutuum.*

Nondum, quod meminerim, verbum *mutuo,* pro *mutuum dare,* cum dativo post accusativum legi apud veteres; imo vero ne ipsum quidem verbum cum hujus significationis aiunt grammatici esse : nam illud Plauti in Trinum. act. IV, sc. 3, v. 44 : « Si quis *quid mutuaverit,* fit pro proprio perditum, » quo quidam suam sententiam confirmant, nusquam est; sic enim habet Plautus :

Si quis *mutuum quid dederit,* fit pro proprio perditum.

Reperitur hoc verbum, sed alia significatione, nimirum cum aliquid mutuum sumere significat, postulatque, post accusandi casum, ablativum. Valer. Max., l. VI, c. 2, prope finem : « Igitur æquitatem, quam impetrare non potuerat, extorsit; potius *præsidium* a libertate quam ab innocentia *mutuavit* (1). » Citatur et Seneca, epist. 81,

(1) Lemaire, *mutuata,* scilicet, mulier de qua hic.

15, sed depravate : « Quanto hilarior est qui solvit, quam qui *mutuatur;* » non *mutuat.*

Commodare interdum et de pecunia dicitur. Plautus in Asinaria, act. III, sc. 3, v. 135 :

> Viginti argenti *commodas* minas,

dixit. Ait quidam dici et de tritico, citatque Ciceronem, in Verrem, act. II, l. IV, c. 9, 20; sed incidit in librum male distinctum : « At publice, inquit, *commodasti* tritici modios sexaginta. » Audi ipsum Ciceronem : « Qui te, inquit, neque debent adjuvare, si possint; neque possunt, si velint; quibus tu privatim injurias plurimas contumeliasque imposuisti, etc. At publice *commodasti,* non sine magno quidem Reipublicæ provinciæque Siciliæ detrimento. Tritici modium LX millia empta populo Romano dare debebant et solebant, abs te solo remissum est. » Vides ut *privatim nocere* et *publice commodare* sibi adversentur?

APPENDIX II.

310. Alia præterea sunt hujus ordinis, ut : *Facio tibi injuriam; facio tibi fidem. Ago vobis maximas gratias. Interdixisti nobis usum purpuræ. Minor, minitor tibi mortem, tormenta. Scribo, mitto tibi* et *ad te literas.*

Cicero, Fam., l. V, ep. 10, 1 : « *Omnia mi* dura *imperas.* » Idem, ibid., l. IV, ep. 5, 5 : « *Quæ aliis* tute *præcipere* soles, *ea* tute *tibi subjice.* » Cicero, Att., l. XIII, ep. 38, 2 : « Tu *quod* ipse *tibi suaseris, idem mihi persuasum* putato. » Idem, ad eumdem, l. XIV, ep. 13 : « *Hoc* velim *tibi* penitus *persuadeas.* » Idem, ad eumdem, l. X, ep. 8 : «Volo *te tibi persuadere* mihi neminem esse cariorem te. »

Impero, præcipio tibi hoc latine dicitur. Cicero, pro Rosc. Amer., c. 21, 59 : « Nonnunquam etiam puerum vocaret, credo, *cui cœnam imperaret.* » — *Præcipio tibi ut scribas, ne scribas.* Sallustius, Jugurth., c. 14 : Micipsa, pater meus, moriens *mihi præcepit* (1), *uti* regnum Numidiæ tantummodo procurationem *existimarem* meam. » Cicero, de Amic., c. 20, 75 : « Recte etiam *præcipi* potest in amicitiis, *ne* intemperata quædam benevolentia, etc. » Plinius, l. VIII, ep. 19 : « *Imperare* dolori, *ut scriberem,* potui. »

Jubeo tibi hoc, jubeo tibi ut scribas, ne scribas, nondum, quod meminerim, apud classicos reperi. Macrobius, Saturn., l. I, c. 12, dativo usus est, sequente particula *ne* : « Propter quod, inquit, Hercules facturus sacrum.... sacrorum *custodibus jussit ne* mulierem interesse permitterent. » *Jubeo te ut scribas, ne scribas,* arbitror non bene latine dici, cum hoc verbum accusativum personæ respuat; quem si aliquando habere videatur, occulte aliunde pendet. Plaut., Aulul. act. I, sc. 1, v. 19 :

> Aut si respexeris donicum ego *te jussero;*

simul enim auditur *respicere.* Terent., Heaut. act. IV, sc. 5, v. 799 :

> *Ch.* Quin egomet jam ad eam deferam. — *Syr.* Imo *Jube* potius. [*filium*

Cicero, Att., l. VI, ep. 9, 1 : « Spero, quæ tua prudentia et temperantia est, et hercule, ut *me jubet* Acastus, confido te jam, ut volumus, valere. » Interdum duos accusativos videtur habere. Idem, Fam., l. XIII, ep. 26, 3 : « Quod quo minore dubitatione facere posses, literas ad te a Marco Lepido Cos., non quæ *te aliquid juberent* (neque enim id tuæ dignitatis esse arbitrabamur), sed quodammodo quasi commendatitias sumpsimus. » Deest infinitum *facere : te* enim præcedit infinitum suppressum; *aliquid* vero sequitur. Malim, ut ad rem redeam, uti infinito, quam finito verbo accedente particula *ut* vel *ne* : *Jubes me* Romam *proficisci,* quam *Jubes mihi ut* Romam *proficiscar. Jubeo,* se-

(1) Lemaire, *moriens præcepit,* sine *mihi.* — Havercamp et Teubner, ut Alvarus.

quente *ut*, sine casu apud Plautum, Amph. act. I, sc. 1, v. 50, legitur :

. . . .. . *Jubet* sententiam *ut dicant* suam.

Jubeo accusativum rei habet. Cicero, de Legib., l. I, c. 6, 18 : « Lex est ratio summa insita in natura, quæ *jubet ea* quæ facienda sunt, prohibetque contraria. » Hinc legimus passivum *jubeor*, *jubemur*, *jubetur*, *jussus*, apud idoneos scriptores.

Cum *decernere*, *statuere*, *creare* significat, non solum accusativum rei, sed etiam personæ admittit. Idem, pro Corn. Balbo, c. 17, 38 : « *Legem populum* Romanum *jussisse* de civitate tribuenda. » Idem, II Phil., c. 32, 80 : « Hic autem iratus, quæ dixit, Dii boni! primum cum Cæsar ostendisset se priusquam proficisceretur, *Dolabellam consulem esse jussurum.* » *Jussurum*, id est, *creaturum*.

APPENDIX III.

311. Multa denique composita ex activis et præpositione *ad*, *in*, *ob*, *præ*, *sub*, præter dativum, etiam accusandi casum postulant.

Cicero, Att., l. III, ep. 5 : « Inimici mei *mea mihi*, non *me ipsum ademerunt.* » Idem, ad eumdem, l. IX, ep. 7, 3 : « Vereor ne *Pompeio quid* oneris *imponam.* » Idem, III Phil., c. 6, 15 : « (Antonius) *ignobilitatem objicit* C. Cæsaris *filio.* » Idem, de Univers., c. 7 : « Deus *animum* ut dominum atque imperantem obedienti *præfecit corpori.* » Idem, pro Mur., c. 37, 80 : « Nolite *mihi subtrahere vicarium* meæ diligentiæ. »

Non omnia quæ ex activis verbis et præpositionibus *ad*, *in*, *ob*, *præ*, *sub*, componuntur, hujus sunt ordinis; sed quam plurima, cujusmodi sunt : *assero*, *admoveo*, *adjicio*, *adjungo*, *addo*, *addico*, *admetior*, *applico*, *admisceo*, *appono*, *adjudico*, etc.; — *infero*, *infigo*, *importo*, *injungo*, *injicio*, *indo*, *ingero*, *incutio*, *insero*, *inuro*, etc.; — *oppono*, *offundo*, *offero*; — *præcludo*, *præcipio*, *præscribo*, *præfinio*, *præparo*; — *subduco*, *subscribo*, *subjungo*, *suppono*, *suggero*.

APPENDIX IV.

Habeo tibi fidem, id est, *credo*, usitatissimum elegantissimumque est.
Adhibeo tibi fidem, in eadem re, dubium controversum est.

Sunt qui libentius *adhibere fidem* quam *habere* usurpent, cum illud semel apud Ciceronem, de Divin., l. II, c. 59, 122 : « Quod si insanorum visis *fides* non *est adhibenda*, quod falsa sunt, etc., » reperiatur, in multisque exemplaribus *habenda* (1) sit; hoc vero passim occurrat.

(1) Orellius et Teubner, *habenda*; aliquot codd., *adhibenda*.

GEMINI DATIVI PRÆTER ACCUSATIVUM

312. Sunt quibus geminus dativus præter accusativum apponitur : *Do tibi* hoc *laudi*, *vitio*, *culpæ*, *crimini*, *pignori*, *fænori*. —*Vertis* id *mihi vitio*, *stultitiæ*. — *Ducis honori*, *gloriæ*, *laudi*, *vitio*, *damno*.

Cicero, pro Sexto Rosc., c. 16, 48 : « Profecto te intelliges inopia criminum summam laudem *Sex. Roscio vitio* et *culpæ dedisse.* » Plautus, Epid. act. I, sc. 2, v. 5 :

. . . . . Quis erit *vitio* qui id *vertat tibi?*

Terentius, Adelph. act. I, sc. 2, v. 106 :

. . . . . Tu nunc *tibi*
Id *laudi duces,* quod tum fecisti inopia.

Cicero, pro Plancio, c. 36, 89 : « Tu id in me reprehendis, quod *Quinto Metello laudi datum est.* » Idem, pro Domo sua, c. 35, 95 : « Id quod *mihi crimini dabatur,* non modo peccatum non erat, sed erat res post natos homines pulcherrima. » Plaut., Mostel. act. IV, sc. 2, v. 61 :

Quadraginta etiam dedit *huic* quæ *essent pignori.*

Cicero, Verr. act. II, l. II, c. 70, 170 : « Idem pecuniam *iis* qui ab isto aliquid mercabantur, *fœnori dabat.* » Plaut., Capt. act. II, sc. 2, v. 9 :

Neque, pol, *tibi* nos, quia nos servas, æquum est *vitio* [*vertere.*

Sallustius in Jugurth., c. 11 : « Quod apud Numidas *honori ducitur.* » Cicero, in Sallust., c. 3, 7 : « Neque te tui piget, homo levissime, cum ea culpas quæ in historiis *gloriæ mihi ducis.* » Terentius, Adelph. Prologo, v. 5 :

. . . . . Vos eritis judices
Laudin' an *vitio duci* factum id oporteat.

Plautus, Bacch. act. V, sc. 1, v. 17 :

. . . . . Minusque id *mihi damno ducam.*

GEMINUS ACCUSATIVUS POST VERBUM

313. *Moneo, doceo* cum compositis; item *flagito, posco, reposco, rogo, interrogo, celo,* duos accusandi casus admittunt.

Cicero, Att., l. XIV, ep. 19, 1 : « *Idipsum* quod *me mones,* quatriduo ante ad eum scripseram. » Idem, ad eumdem, l. IX, ep. 9, 2 : « *Illud me* præclare *admones,* quum illum videro, ne nimis indulgenter, et ut cum gravitate potius loquar. » Idem, Fam., l. VII, ep. 21, 1 : « Silii *causam te docui.* » Idem, ad Quint. Fr., l. I, ep. 2, c. 3, 11 : « *Hoc te* ita *rogo,* ut majore studio rogare non possim. »

Cicero, Fam., l. VII, ep. 13, 2 : « Ut ego quoque *te aliquid admoneam* de vestris cautionibus. » Idem, Verr. act. II, l. IV, c. 26, 57 : « *Hoc* modo *me commonuit* Pisonis annulus, quod totum effluxerat. » Sic quidam hunc locum legunt, sed in omnibus libris quos quidem viderim : « Hic modo me commonuit (1), » legi; quare sine veterum testimonio non ausim huic verbo geminum accusativum dare, sed accusativum cum genitivo vel ablativo, ut supra dictum est. — Sallustius, Catil., c. 16 : « *Juventutem*..... multis modis mala *facinora edocebat.* » Cicero, de Orat., l. II, c. 45, 188 : « Hæc sunt illa *quæ me* ludens Crassus modo *flagitabat.* » — Idem in Verr. act. II, l. I, c. 17, 44 : « *Magistratum* Sicyonium *nummos poposcit.* » Idem in eumdem, act. II, l. IV, c. 51, 113 : « Ad

(1) Ita Orellius et Teubner.

Verrem adirent, et *eum simulacrum* Cereris et Victoriæ *reposcerent.* » Idem, Tusc., l. V, c. 19, 55 : « Non *quemvis hoc* idem *interrogarem.* » Idem, Fam., l. II, ep. 16, 3 : « Non enim *te celavi sermonem*. Terentius, Adelph. act. I, sc. 1, v. 54 :

> *Ea* ne *me celet*, consuefeci filium.

Plaut., Trin. act. III, sc. 3, v. 71 :

> *Uxorem* quoque ipsam hanc *rem* ut *celes* face.

Peto cum duobus accusativis nondum, quod meminerim, apud veteres inveni. *Petere jura Cordubam* dixit Plinius l. III, c. 3, 10 : ea dicendi figura, qua *petere in Indos, in Elymæos, in Carmanos, ad Seras, ad Trogloditas*, pro *ab Indis, ab Elymæis, a Carmanis, a Seris, a Trogloditis.* Vide l. XII, c. 1, 2; c. 14, 3; c. 23, 1; c. 39, 1; c. 40, 1. Sic Tacitus, Ann. l. XII, c. 14 : « Experimentis cognitum est Barbaros malle *Romam petere reges*, quam habere; » pro *Roma*, quomodo scriptum legi (2). Uterque tamen præpositionem subtraxit nominibus propriis. Prisci dicebant : *Exigor pecunias, portorium*, unde videntur etiam dixisse : *Exigo te pecunias, portorium*, quæ seculum eruditius rejecit. Vide Gellium, l. XV, c. 14.

Erudio, instituo, informo, instruo, imbuo, quamvis sint verba docendi, non tamen geminum accusativum habent, sed ablativum cum accusativo : *Erudire aliquem artibus, institutis, præceptis, laboribus, disciplina*, etc. *Informare, instituere, instruere aliquem ingenuis artibus, doctrina, literis græcis. Imbuere bonis moribus, doctrina, religione.* — *Erudio* apud poetas duos accusativos admittit. Statius, Theb. l. X, v. 506 :

> Et quæ *te leges, præcepta*que fortia belli
> *Erudiit* genitrix, nimium didicisse queretur.

Sic Ovidius aliquoties.

(2) *Roma* habent Gronovius, Lemaire, Teubner.

APPENDIX I.

314. *Moneo, admoneo, commoneo, doceo, edoceo, erudio te de hac re*, id est, *commonefacio, certiorem facio.*

Cicero, Att., l. XI, ep. 16, 5 : « Extremum est quod te orem,...... cum Camillo communices, ut *Terentiam moneatis de testamento.* » Sallustius, Catil., c. 48 : « *De itinere* hostium *senatum edocet.* » Cicero, Fam., l. II, ep. 12, 1 : « Obviæ mihi velim sint tuæ literæ, quæ *me erudiant de* omni *republica.* »

Interrogo, celo, eamdem præpositionem admittunt. Idem in Part., c. 1, 2 : « Sic ego *te* vicissim iisdem *de rebus* latine *interrogem?* » Idem, Fam., l. VII, ep. 20, 3 : « Bassus noster *me de* hoc *libro celavit.* »

Celo etiam dativo gaudet maxime voce passiva. Terent., Phorm. act. V, sc. 4, v. 824 :

> Si hoc *celetur patri* (1), in metu sim.

Verba *admoneo, commoneo* supra illustravimus exemplis. *Doceo* frequenter præpositionem recipit. Cicero, de Orat., l. II, c. 24, 102 : « Equidem soleo dare operam, ut *de sua* quisque *re me* ipse *doceat.* » — *Celo* frequentissime hoc modo construitur. Idem, pro Dejot., c. 6, 18 : « *De armis, de ferro, de insidiis celare te* noluit. » Et Verr. act. II, l. IV, c. 12, 29 : « Cupisse *te celare de phaleris.* »

(1) Vocem illam *patri* non reperi. Afferuntur exempla Hirtii, bello Alexandr., c. 7, et Ovid., Fast. IV, 149; sed alii Mss. habent accusativum. Nepos vero in Alcib., c. 5, habet : « Id *Alcibiadi* diutius *celari* non potuit. » Quod dicit Zumpt, § 391, esse omnino singulare.

ABLATIVUS PRÆTER ACCUSATIVUM

315. *Induo, insterno, vestio, exuo, calceo, cingo*, et his similia ablativum præter accusativum sibi asciscunt.

Cicero, de Nat. deor., l. II, c. 57, 142 : « *Oculos* (natura) *membranis* tenuissimis *vestivit* et sepsit. » Ibidem, l. III, c. 40, 94 : « Diligentius *urbem religione*, quam ipsis *mœnibus cingitis*. »

Livius, l. XXIX, c. 2 : « Nec ante abscessum est, quam *castris* quoque *exuerunt hostem*. » Plinius, l. VIII, c. 64, 1 : « Neminem hic alium, quam Alexandrum, regio *instratus ornatu*, recepit in sedem. » Auctor ad Herennium, l. IV, c. 47, 60 : « Citharœdus cum prodierit optime vestitus, *palla* inaurata *indutus*. » Plinius, l. VII, c. 19, 3 : « Nos quoque vidimus Athanatum nomine prodigiosæ ostentationis, quingenario *thorace* plumbeo *indutum, cothurnis*que quingentorum pondo *calciatum*, per scenam ingredi. » Livius, l. VII, c. 10 : « Armant inde juvenem æquales; pedestre scutum capit, Hispano *cingitur gladio*. » — His similia sunt *convestio, amicio, orno, tego, accingor*. Cicero, pro Domo sua, c. 38, 101 : « Ergo ejus domum eversam duobus *lucis convestitam* videtis. » Idem, II Phil., c. 34, 85 : « Sedebat in Rostris collega tuus, *amictus toga* purpurea. »

Nondum hæc verba, quod meminerim, legi apud veteres cum duobus accusativis juncta voce activa; passiva quidem apud historicos et poetas reperiuntur. Curtius, l. X, c. 7, 13 : « Itaque revocatus, *vestem* fratris eam ipsam quæ in sella posita fuerat, *induitur*. » Suetonius, in Ner., c. 51 : « Plerumque *synthesinam indutus*. » Virgilius, Æn. II, v. 391 :

. . . . . Deinde comantem
Androgei *galeam*, clypeique *insigne* decorum
Induitur.

Seneca, in Hercule OEtæo, act. I, v. 213 :

Nondum teneras *vestite genas*.

Quid si hæc more Græcorum dicta sunt? Cujusmodi illud Virgilii est, Æn. II, v. 221 :

Perfusus sanie vittas atroque *veneno*.

Nisi forte quis dicat apud priscos geminum accusativum etiam habuisse.

Excalceo, discalceo, discingo nondum cum accusativo et ablativo juncta inveni.

316. Item *implendi* verba, *onerandi, liberandi*, et his contraria.

Cicero, de Univers., c. 3 : « Cum constituisset Deus *bonis* omnibus *explere mundum*, mali nihil admiscere. » Idem, II Phil., c. 38, 99 : « Omnibus *eum contumeliis onerasti*. » Idem, Verr. act. II, l. IV, c. 17, 37 : « *Apollonium* omni *argento spoliasti*. » Idem, I Catil., c. 5, 10 : « Magno *me metu liberabis*, dummodo inter me atque te murus intersit. » Idem, de Offic., l. III, c. 4, 19 : « Num igitur *se astrinxit scelere*, si qui tyrannum occidit? »

Multa præterea *privandi*. Cicero, Att., l. IX, ep. 10, 1 : « Ægritudo *me somno privat*. » Terentius, Phorm. act. IV, sc. 4, v. 681 :

Emunxi argento senes.

Hujus classis sunt : *impleo, compleo, expleo, repleo, satio, saturo, farcio, refercio, cumulo, augeo, obvio, onero, premo, opprimo, levo, exonero, exhaurio, nudo, viduo, spolio, orbo, everto*, ut *Everto miseros omnibus fortunis; — libero, solvo, exsolvo, expedio, alligo, obligo, astringo, impedio, implico, irretio, illaqueo, privo, abstineo, fraudo, prohibeo, pello, abdico me prætura, consulatu, magistratu ;— afficio, muneror, dignor, prosequor*. Horum exempla, quoniam ubique sese offerunt, prætermittimus, ne longiores simus quam res postulat.

Impleo etiam genitivum admittit. Cicero, Fam., l. IX, ep. 18, 4 : « Sed quoniam, ut video, æstimationes tuas vendere non potes, neque ollam *denariorum implere*. » Livius, l. I, c. 46 : « Adolescentem suæ *temeritatis implet*. » Idem, l. V, c. 28 : « Multitudinem quoque, quæ semper ferme regenti est similis, *religionis* justæ *implet*. » Frequenter sic loquitur Livius, sed ablativus usitatior est. — Interdum ablativum habet cum præpositione *de*. Cicero, Acad. Prior., l. II, c. 27, 87 : « Res jam universas profundam, *de quibus* volumina *impleta sunt*, non a nostris solum, sed etiam a Chrysippo. » Martialis, l. XIV, epigr. 12 :

> Hos nisi *de* flava loculos *implere* moneta
> Non decet.

Nec hic Laurentii (l. III, c. 33) discrimen videtur locum habere. — *Compleo* apud Plautum cum genitivo reperitur, Menæch. act. V, sc. 5, v. 3 :

> Parasitus, qui me *complevit flagiti* et *formidinis*.

Superioribus addi possunt *muto, commuto, permuto*. Sallust., Catil., c. 58 : « Nemo nisi victor *pace* bellum *mutavit*. » Cicero, pro Cluent., c. 46, 129 : « Ad perniciem innocentis fidem suam et religionem *pecunia commutarit*. » *Permutare aliquid pretio, ære, merce*, etc.

ABLATIVUS CUM PRÆPOSITIONE *A* VEL *AB* PRÆTER ACCUSATIVUM

317. Verba *petendi*, *percontandi*, præter accusativum, fere ablativum cum præpositione *a* vel *ab* postulant, ut *posco, reposco, flagito, efflagito, postulo, deprecor, peto, contendo, exigo, percontor, quæro, sciscitor*.

Cicero, Divinat. in Cæcil., c. 9, 27 : « Nihil est enim quod minus ferendum sit, quam rationem *ab altero* vitæ *reposcere* eum qui non possit suæ reddere. » Idem, Fam., l. IV, ep. 13, 4 : « Quid acta tua vita, quid studia..... *a te flagitent* tu videbis. » Idem, de Orat., l. II, c. 29, 128 : « Quo facilius id *a te exigam* quod peto, nihil tibi *a me postulanti* recusabo. » Idem, pro Sylla, c. 26, 72 : « Quam multorum hic vitam est *a L. Sylla deprecatus*. »

Quæro, percontor, sciscitor a te vel *ex te*. Cicero, in Vatinium, c. 14, 33 : « *Quæro* illud etiam *ex te*, quod privatus admisisti. » Idem, de Nat. deor., l. I, c. 7, 17 : « Epicuri *ex Velleio sciscitabar* sententiam. » Auctor ad Herenn., l. II, c. 15, 22 : « *Ab adversariis percontabitur* accusator, quid futurum sit. »

Verba *petendi*, *percontandi* accusativum cum ablativo poscunt; nonnulla etiam duos accusativos admittunt, ut supra diximus. Cicero in Verr. act. II, l. IV, c. 16, 36 : « Non debebam ego *abs te* has *literas poscere*. » Idem in eumdem, act. II, l. II, c. 47, 117 : « Si *hoc me* (1) muneris non universa provincia *poposcisset*. » Idem in eumdem,

(1) Olivet, Lallemand, Ernesti, Lemaire, Orellius et Teubner : *a me*.

act. II, l. V, c. 49, 128 : *Abs te filium flagitat.* » Idem in eumdem, act. II, l. I, c. 24, 63 : « Accidit, cum iste *a Cn. Dolabella efflagitasset,* ut se ad regem Nicomedem mitteret. » Idem, Fam., l. III, ep. 10, 1 : « *Omnia* volo *a me* ut *postules,* et exspectes. » Idem, pro Mur., c. 1, 1 : « *Quæ deprecatus a Diis* immortalibus sum,..... *eadem precor ab* iisdem *Diis* immortalibus. » Cicero, Fam., l. XIII, ep. 73, 2 : « *A te* autem pro vetere nostra necessitudine etiam atque etiam *peto,* ut ejus filios, qui in tua potestate sunt, mihi potissimum condones. » Quidam sublata præpositione locum hunc depravarunt : « *Te* autem pro vetere nostra necessitudine etiam atque etiam *peto,* etc. » — *Rogo* etiam habet ablativum. Idem, Fam., l. XIII, ep. 1, 2 : « Nunc *a te* illud primum *rogabo,* ne quid invitus mea causa facias. » Sallustius, Jugurth., c. 64 : « *Ab Metello* petundi (consulatum) gratia missionem *rogat.* » — *Interrogo a te* non memini legisse. Cicero, Fam., l. XV, ep. 14, 5 : « Hoc *a te* ita *contendo,* ut in eo fortunas meas positas putem. » Plaut., Amph., in prologo, v. 64 :

Nunc hoc me *orare a vobis* jussit Jupiter.

Idem, in Bacch. act. IV, sc. 9, v. 102 :

Nunc, si me fas est, *obsecrare abs te,* pater.

Idem, Trin. act. II, sc. 2, v. 42 :

..... Res quædam est, quam volo
Ego me *abs te exorare.*

Supplico dativum habet, ut suo loco diximus. Cicero, pro Sext. Rosc., c. 27, 73 : « Non *quæro abs te,* quare patrem Sex. Roscius occiderit. » Idem, de Nat. deor., l. I, c. 9, 21 : « *Ab utroque* autem *sciscitor* cur mundi ædificatores repente extiterint. » Idem, de Clar. Orat., c. 46, 172 : « Cum (Theophrastus) *percontaretur ex anicula* quadam quanti aliquid venderet. » *Scitor* ejusdem est naturæ. Ovidius, Metam. X, v. 357 :

..... *Scitatur ab ipsa,*
Nominibus dictis, cujus velit esse mariti.

Horatius, l. I, ep. 7, v. 60 :

Scitari libet *ex ipso,* quæcumque refers.

Plaut., Capt. act. II, sc. 2, v. 13 :

Secede huc ; nam sunt *ex te* quæ solo *scitari* volo.

Hæc quatuor, *quæro, scitor, sciscitor, percontor,* cum ablativum habent personæ, fere membrum orationis loco accusativi habent. — *Quæso* ablativum etiam habet cum præpositione *ab* vel *abs.* Cicero, Fam., l. XIII, ep. 17, 2 : « Magnopere *a te quæso,* ut ad eam voluntatem, etc. » Idem, pro Arch., c. 2, 3 : « *Quæso a vobis* ut in hac causa mihi detis hanc veniam. »

318. Nonnulla hujus classis, præter ea quæ supra commemoravimus, interdum duplicem accusandi casum admittunt. Cicero ad Quint. Fr., l. I, ep. 1, c. 16, 46 : « *Illud* extremum *te oro* et *hortor.* » Idem ad Brut., l. I, ep. 10 : « *Hortare idem* per literas *Cassium.* » Sallustius, Jugurth., c. 49 : « *Pauca* pro tempore *milites hortatus.* » — Cicero, Verr. act. II, l. V, c. 45, 119 : « *Id*que postremum *parentes* suos liberi *orabant,* ut levandi cruciatus sui gratia lictori pecunia daretur. » Terentius, Eunuch. act. V, sc. 10, v. 1083 :

Unum etiam *hoc vos oro,* ut me in vestrum gregem
Recipiatis.

Idem, Andr. act. V, sc. 3, v. 902 :

Sine *te hoc exorem.*

Plautus, Capt. act. II, sc. 1, v. 17 :

Unum exorare vos sinite nos.

Idem, Bacch. act. V, sc. 2, v. 82 :

Hanc *veniam* illis sine *te exorem.*

Cicero, pro Quint., c. 31, 99 : « Itaque *te hoc obsecrat,* ut, etc. » Plautus, Aulul. act. II, sc. 2, v. 33 :

Quæso, *quod te percontabor,* ne id te pigeat proloqui.

Non statim existimabimus, si qua verba, præter proprium accusativum, admittant hos : *hoc, illud, istud, id, idem, quid, quod, aliquid, nihil, multa, unum,* atque cæteros id genus, posse etiam quosvis alios admittere ; nam his multo liberius, quam cæteris, utuntur auctores. Terentius, Heaut., act. IV, sc. 8, v. 873 :

Ego domi ero, si *quid me voles.*

Cicero, Att., l. VI, ep, 3, 1 : « Non quo *me aliquid*

iuvare posses. » Terentius, Eunuch. act. I, sc. 2, v. 150 :

Id, amabo, *adjuta me*.

Cicero, Att. l. VII, ep. 20, 2 : « Nec *te id consulo*. » Idem, I Cat., c. 5, 12 : « Sin tu (*quod te* jamdudum *hortor*) exieris. »

Oro, exoro, obsecro, obtestor, post accusativum personæ, fere subjunctivum postulant, intercedente *ut*. Cicero, Att., l. XI, ep. 1, 1 : « Idque *ut facias* te obtestor atque obsecro. » Idem, pro Mil., c. 34, 92 : « Quid restat, nisi ut orem obtesterque vos, judices, *ut* eam misericordiam *tribuatis?* » Idem, de Orat., l. II, c. 3, 14 : « Ita me frater exoravit..... *ut* huc secum *venirem*. » Ibid., l. I, c. 29, 133 : « Nunc te jam exoremus necesse est..... *ut* nobis *explices* quidquid est istud, quod tu in dicendo potes. »

319. Multa præterea verba *auferendi, removendi, abstinendi, accipiendi*, præter accusativum, ablativum etiam casum cum præpositione *a* vel *ab* admittunt.

Cicero, pro Domo sua, c. 9, 24 : « Tu provincias consulares, quas C. Gracchus... non modo non *abstulit a senatu*... » Idem, pro Milone, c. 28, 77 : « (Clodii) furores..... *a cervicibus* vestris *repuli*. » Idem, de Fin., l. II, c. 22, 71 : « *Abstinet* se *ab injuria*. » Idem, de Offic., l. III, c. 10, 44 : « Præclarum *a majoribus accepimus* morem. »

Fœneror, mutuor abs te pecuniam. Cicero, Tuscul., l. II, c. 18, 43 : « *A viris* virtus nomen *est mutuata*. »

Auferendi, ut *aufero, abduco, abstraho, abalieno, avello, abrado, avoco, eripio, abripio, surripio, furor*. — Removendi, ut *removeo, deterreo, absterreo, amoveo, arceo, repello, averto*. — Abstinendi, ut *abstineo, contineo, refræno, cohibeo*. — Accipiendi, ut *accipio, audio, emo, conduco, mercor, sumo, reporto, fero, colligo*. — Quædam etiam præpositionem *de* admittunt. Cicero, pro Corn., c. 5, 11 : « *Audivi* hoc *de parente* meo puer. » Idem, pro Flac., c. 20, 46 : « (Is) fundum Cymæum Romæ *mercatus est de pupillo*. » Idem, pro Sext. Rosc., c. 2, 6 : « Bona patris hujusce..... *de L. Sylla*..... duobus millibus nummûm sese dicit *emisse*..... Chrysogonus. »

320. *Intelligendi* verba præpositionem *ex* recipiunt; quæ interdum imitantur nonnulla ex iis quæ modo commemoravimus.

Cicero, Fam., l. II, ep. 11, 2 : « Ea enim certissima putabo quæ *ex te cognoro*. » Idem, de Senect., c. 19, 71 : « Poma *ex arboribus*, si cruda sint, vix *avelluntur*; si matura et cocta, decidunt. »

Intelligendi sunt : *intelligo, cognosco, agnosco, conjicio, disco*. — Ex iis quæ modo commemoravimus, maxime quæ e præpositione *ex* componuntur, ut *expello, ejicio, eripio*, præpositionem ipsam repetunt. Cicero, pro Quint., c. 7, 28 : « *Expulsus* atque *ejectus e prædio*. »

VARIA CONSTRUCTIO

321. Quædam modo dativum, modo ablativum cum præpositione habent, præter accusativum, ut *furor, surripio, eripio, aufero*. Cicero, Att., l. II, ep. 1, 1: « Si ego tuum ante legissem, *furatum* me *abs te esse* diceres. » Plinius, l. XII, c. 32, 1 : « Nemo *furatur alteri*. »

Induo, dono, impertio, aspergo dativum vel ablativum sine præpositione habent. Cicero, pro Sext. Rosc., c. 8, 23 : « Non pauca suis *adjutoribus* large effuseque *donabat*. » Idem, pro Cornel., c. 22, 50 : « Pompeius.... P. Cæsium.... *civitate donavit*. »

Induo sæpissime cum dativo conjungitur. Cicero, de Fin., l. II, c. 22, 73 : « Ex ejus spoliis, *sibi* et torquem et cognomen *induit*. » Livius, l. III, c. 33 : « Novum *sibi* ingenium *induerat*. » — *Exuo* interdum eumdem casum habet. Ovidius, Metam. VII, v. 772 :

. . . . . Jamdudum vincula pugnat
Exuere ipse *sibi*.

Cicero, pro Mur., c. 4, 8 : « Ut meum laborem hominum *periculis* sublevandis non *impertiam*. » Terentius, Adelph. act. III, sc. 2, v. 321 :

Sed cesso heram hoc *malo impertiri*.

Cicero, pro Mur., c. 31, 66 : « Si illius comitatem et facilitatem tuæ *gravitati severitati*que *asperseris*. » Idem, pro Planc., c. 12, 30 : « Hunc tu vitæ splendorem *maculis aspergis* istis. » *Inspergo* etiam huc potest accedere. Plinius, l. XII, c. 39 : « Folia ejus *inspergere potionibus* Parthos tradit. » Cato, de Re rust., c. 65 : « Oleam..... *sale inspergito*. » — Item *intercludo*. Cæsar, Bello Gall., l. I, c. 48 : « Eo consilio uti *frumento commeatu*que, qui ex Sequanis et Æduis supportaretur, Cæsarem *intercluderet*. » Livius, l. XXVI, c. 39 : « *Spem* commeatus quoque hostibus (1), si navali prælio possessionem maris ademissent, *interclusuros*. »

(1) Lemaire, Drakemb. et Teubner : « *Spe* commeatus quoque hostibus. »

VERBUM PASSIVUM

322. Verbum passivum ablativum cum præpositione *a* vel *ab* postulat post se, qui ex nominativo verbi activi fit.

Cicero, de Nat. deor., l. I, c. 44, 121 : « Nihil est enim virtute amabilius, quam qui adeptus erit, ubicumque erit gentium, *a nobis diligetur*. » Idem, Fam., l. VI, ep. 5, 1 : « Liber tuus et lectus est, et *legitur a me* diligenter, et custoditur diligentissime. » Idem, Att., l. IV, ep. 5, 1 : « An me existimas *ab ullo* malle mea *legi probari*que quam *a te?* »

Verba passiva nonnunquam dandi casum, pro auferendi, more Græcorum, admittunt; idque ferme apud poetas. Ovidius, Pont., l. III, ep. IX, v. 39 :

Quum toties eadem dicam, vix *audior ulli*.

Huc etiam spectat illud Ciceronis, de Clar. Orat., c. 58, 211 : « *Auditus est nobis* Læliæ Caii filiæ sæpe sermo. »

Interdum accusativum addita præpositione *per*. Idem, Fam., l. IV, ep. 13, 2 : « Careo enim quum familiarissimis multis, quos aut mors eripuit nobis, aut distraxit fuga, tum omnibus amicis, quorum benevolentiam nobis conciliarat *per me* quondam, te socio, *defensa* Respublica. » Idem, Att., l. IX, ep. 9, 3 : « Permagni ejus interest rem ad interregnum non venire; id assequitur, si *per prætores* consules *creantur*. Nos autem in libris habemus non modo consules a prætore, sed ne prætores quidem creari jus esse. »

Cum activa passivis permutantur, accusativus in nominativum migrat, ut : *Legi librum tuum ; Liber tuus lectus est a me.* — Si verbum geminum accusativum postulet, mutabitur in nominativum, qui præstantior est, hoc est, qui personam significat, altero permanente. *Doceo Antonium literas; Antonius docetur a me literas.* Si vero uterque accusativus ad eamdem rem spectet, uterque in nominativum mutabitur, ut : *Creo Cæsarem consulem; Cæsar creatur a me consul. Nero vocat Senecam magistrum ; Seneca vocatur a Nerone magister.* Cæteri casus integri manent. Cicero, Verr. act. II, l. IV, c. 9, 19 : « *Quanti* is a civibus suis *fieret*, *quanti* auctoritas ejus *haberetur* ignorabas ? » Cicero, pro Cluent., c. 41, 116 : « *Majestatis absoluti sunt* permulti. » Idem ad Octav., l. II ad Brut., ep. 8 : « Nulla enim remedia, quæ *vulneribus adhibentur*, tam faciunt dolorem, quam quæ sunt salutaria. » Plinius, l. XXXIII, c. 12, 2 : « *Pedibus induitur* (aurum). » Cicero, pro Rab. Post., c. 9, 23 : « Demetrium..... aspide ad corpus admota, *vita esse privatum.* » Manet itaque genitivus, dativus, ablativus verbi activi, ut vides, nisi perturbetur sensus; quod fit cum verbum activum ablativum admittit personæ, ut : *Aufero a te vestem ; Accipio a te literas ; Multa a te audivi ; Peto a te veniam ;* nam si dicas : *Vestis aufertur a me a te; Literæ accipiuntur a me a te; Multa audita sunt a me a te; Venia petitur a me a te,* incertum est quid tibi velis.

VERBA PASSIVA, QUÆ TEMPORA SINE PERSONIS HABENT

HOC EST, PRÆCIPUIS PERSONIS, PRIMA ET SECUNDA.

323. Sunt verba passiva quæ tertia persona contenta sunt; hæc præcedit nominativus, si activa sequatur accusativus, ut : *Dormio totam hiemem;* Martialis, l. XIII, epigr. 59, v. 1 :

> Tota mihi *dormitur hiems.*

Nunc tertiam vivo ætatem; Ovidius, Metam. XII, v. 188 :

> . . . . . Nunc tertia *vivitur ætas.*

Quod si in activis lateat accusativus, latebit etiam in passivis nominativus. Cæsar, de Bello Gall., l. IV, c. 37 : « Nostri milites..... amplius horis quatuor fortissime *pugnaverunt.* » A nostris militibus amplius horis quatuor fortissime *pugnatum est.*

Interdum uterque casus apparet. Plautus, Pseud. act. I, sc. 5, v. 110 :

> Priusquam istam *pugnam pugnabo*, ego etiam prius
> Dabo aliam pugnam.

Cicero, pro Mur., c. 16, 34 : « Ex omnibus pugnis, quæ sunt innumerabiles, vel acerrima mihi videtur illa *quæ* cum rege commissa est, et summa contentione *pugnata.* » Sallustius in Jugurth., c. 54 : « Quæ negotia multo magis, quam *prælium* male *pugnatum* a suis, regem terrebant. »

Quæ grammatici vocant verba *impersonalia passivæ vocis,* appellat Varro, l. X, 32, *species declinationum quæ tempora habent sine personis;* cujus verba subjiciemus, quo res omnis perspicua sit. « Quæ verba, inquit, tempora habent, neque casus, sed habent personas. Eorum declinatuum species sunt sex : una, quæ dicitur temporalis, ut *legebam, gemebam; lego, gemo;* altera personarum, ut *sero, meto; seris, metis;* tertia rogandi, ut *scribone? legone? scribisne? legisne?* quarta respondendi, ut *fingo, pingo; fingis, pingis;* quinta optandi, ut *dicerem, facerem; dicam, faciam;* sexta imperandi, ut *cape, rape; capito, rapito.* » Vides quemadmodum Varro appellet verba quæ habent tempora et personas, quæ hodie appellamus *personalia?* Vides itidem quemadmodum primæ et secundæ personæ duntaxat meminerit, propterea quod proprie personæ dicantur? Audi quæ sequuntur. « Item sunt declinatuum species quatuor, quæ tempora habent sine personis : in rogando, ut *foditurne? seriturne?* et *fodieturne? sereturne?* ac respondendi specie eædem figuræ fiunt, extremis syllabis demptis; optandi species, ut *vivatur, ametur, viveretur, amaretur;* imperandi (hic postremus locus mutilus est, apparent tamen exempla), *paretur, pugnetur;* et infiniti modi, *parari, pugnari.* » Quis non videt Varronem, hominem suæ ætatis doctissimum, quæ hodie *impersonalia vocis passivæ* dicimus, appellasse *declinatuum species*, seu *verba quæ habent tempora sine personis?* Quis unquam *seror, vivor, pugnor; sereris, viveris, pugnaris* dixit? Appellantur ergo verba quæ habent tempora sine personis, sive (ut juniores loquuntur) *impersonalia,* non quod sine patientibus personis a fronte expressis fere legantur, sed quia personis privantur; cum audis personas, intellige quæ principatum tenent. Idem sensit Phocas, clarus grammaticus, p. 1717 : « Sunt, inquit, verba quæ personis deficiunt, et impersonalia dicuntur...., ut *pudet, tædet,* etc. » Neque Donatus, edit. II, p. 1756, ab hac sententia alienus fuit : « Sunt, inquit, quæ in *t* literam exeunt, et impersonalia dicuntur, ut *pudet, pœnitet, libet, oportet.* Sed hæc et similia defectiva existimanda sunt. » Merito hæc defectiva sive mutila existimanda esse censet Donatus, utpote quibus præcipuæ personæ deficiant.

324. Ex hoc Varronis loco multa efficiuntur : primo, activa illa quæ transeunt in accusativum tertiæ duntaxat personæ, ut *sero, meto, pastino, aro, rigo* et cætera ejusdem generis, cum passiva fiunt, esse hujus ordinis; nisi quis rebus mutis vocem tribuat, ut si terra de agricolis conquesta dicat : *Aror ab ingratis agricolis;* si agricola terram sic alloquatur : *Terra, parens nostrum omnium, quam sæpe a nobis araris!* Sed ad rem redeamus. Plautus, Epid. act. II, sc. 2, v. 80 :

> Mihi istic nec *seritur.*

Plinius, l. XVIII, c. 3, 1 : « Actus (vocabatur) in quo boves agerent, cum *aratur* uno impetu justo (1). » Cicero, II Phil., c. 41, 104 : « Ab hora tertia *bibebatur, ludebatur, vomebatur.* » Horum nominativus facile intelligi potest *frumentum, ager, vinum, ludus. Ludere ludum* apud Terentium legitur, Eunuch. act. III, sc. 6, v. 586.

Deinde ab *amo*, et similibus verbis quæ in omnes personas transeunt, fieri impersonalia, quod veterum auctoritate probari potest. Plautus, Pseud. act. I, sc. 3, v. 39 :

> Quid *agitur*, Callidore? — *Ps. Amatur* atque *egetur* [acriter.

Hoc est dicere : *Quid agis? amo atque egeo.* Cæterum ab his verbis tum demum fiunt impersonalia, cum voce activa absolute ponuntur, quod verbis *amo, turbo* potissimum accidit. Terentius, Adelph. act. I, sc. 1, v. 61 :

> Cur perdis adolescentem nobis? cur *amat?*

Idem, Andr. act. I, sc. 3, v. 185 :

> Meum gnatum rumor est *amare.*

(1) Lemaire et Teubner : « in quo boves *agerentur cum aratro.* » Dalecampius, idem quod Alvarus.

Idem, ibid., v. 191 :

Omnes qui *amant* graviter sibi dari uxorem ferunt.

Tacitus, Annal., l. III, c. 47 : « Si una alterave civitas *turbet.* » Idem, l. IV, c. 1 : « Cum repente *turbare* fortuna cœpit. » Hinc passivum fit; idem, l. I, c. 20 : « Postquam *turbatum* in castris accepere. » Terentius, Eunuch. act. IV, sc. 3, v. 649 :

Nescio quid profecto, absente nobis, *turbatum est* [domi.

Ne te moveat nomen *quid;* ponitur enim hic, ut apud Ciceronem, II Phil., c. 14, 36 : « Nescio *quid* conturbatus esse videris. » Verum, ad Plautum redeamus; dices : ubi est nominandi casus utriusque verbi, *amandi* et *egendi?* Verbi *amandi,* honestius tacetur quam exprimitur. *Egendi* atque cæterorum, quæ primo aspectu prorsus videntur absoluta, usitatius ornatiusque supprimitur quam explicatur, ut in illo Martialis versiculo, l. II, epigr. 32, v. 7 :

Non bene (crede mihi) *servo servitur* amico.

Servitus elegantius omittitur quam adhibetur, quamvis aliquando activo adjungatur. Plautus, Mil. act. II, sc. 1, v. 17 :

Nam ego haud diu apud hunc *servitutem servio.*

Sic a Cicerone, cum in Verr. act. II, l. V, c. 35, 92, dixit : *Curritur ad prætorium,* nominativus *cursus* neglectus est; quamvis verbo activo addiderit, pro leg. Agr., II, c. 17, 44 : « Cur non eosdem *cursus* hoc tempore, quos L. Cotta, L. Torquato consulibus, *cucurrerunt?* »

Urges : *egendi* verbum non ejusdem esse generis; nec enim dicimus : *egeo egestatem,* ut *noceo noxam, servio servitutem;* qui enim divitiarum flagrant cupidine, non egent egestate, sed pecunia. Venit in mentem illud Quintiliani, l. I, c. 8, 21, quo tibi satisfaciam : « Ex quo mihi, inquit, inter virtutes grammatici habebitur aliqua nescire. »

Multa quæ hodie sunt absoluta aut neutra, apud priscos fuere activa. Turpilius apud Nonium, c. 9, 5 : « Meos *parentes careo.* » Afranius apud eumdem, c. 9, 19 : « Male merentur de nobis heri, qui *nos* tantopere *indulgent* (2). »

Terentius, Eunuch. act. II, sc. 1, v. 222 :

Ejiciunda hercle est animi mollities; nimis *me indulgeo.*

Plautus, Mil. act. V, v. 17 :

Jura non *nociturum esse hominem* de hac re nemi- [nem (3).

Sic *evigilo, festino, propero* etiam apud posteros. Ovidius, Trist., l. I, eleg. 1, v. 107 :

Aspicies illic positos ex ordine fratres,
Quos studium cunctos *evigilavit* idem.

Idem, Metam. XI, v. 574 :

. . . . . Jam, quas induat illa
Festinat vestes.

Plautus, Pœn. act. III, sc. 1, v. 2 :

Quidquid agit, *properat omnia.*

Tacitus, Annal., l. II, c. 31 : « Nisi voluntariam *mortem properavisset.* » Unde passiva etiam fiunt. Idem, de moribus Germanorum, c. 20 : « Nec virgines *festinantur.* » Plinius, Paneg., c. 51, 3 : « Inde delubra occulta celeritate *properantur.* » Cicero, Att., l. IX, ep. 12, 1 : « At quam honesta, at quam expedita tua consilia, quam *evigilata* tuis cogitationibus! » Verisimile est (ut eo se referat oratio unde egressa est) *egeo,* ut *careo,* ut *indulgeo,* ut *noceo,* prisca illa ætate etiam accusativum admisisse : *Egetur pecunia,* vel quid simile, quod hodie neque apponitur neque opus est. Factitatum hoc fuisse priscis illis seculis, argumento est illud Marci Catonis apud Gellium, l. X, c. 14 : « *Contumelia* mihi factum *itur.* » Vides quemadmodum *contumelia* præcedat verbum *itur,* quod monstri simile est hac ætate?

Non video cur verba hæc interim non habeant, si opus erit, tertiam personam multitudinis. Cur enim non dicant glires : Totæ nobis *dormiuntur hiemes?* Nec desunt veterum testimonia quibus id confirmemus. Ovidius, Epist. XII, v. 169 :

. . . . . *Noctes vigilantur* amaræ.

Tacitus, Hist., l. I, c. 16 : « Neque enim, ut in cæteris gentibus, *quæ regnantur,* certa dominorum domus. » Idem, de German., c. 43 : « Trans

(2) Sic legit et Forcellini, non ut alii : *indigent.*

(3) Vid. supra, n. 285.

Lygios, *Gothones regnantur.* » Cicero, de Orat., l. I, c. 32, 148 : « Attamen ista, *quæ* abs te breviter de arte *decursa sunt*, audire cupimus. » Idem, pro Quint., c. 29, 88 : « Biduo *septingenta millia* passuum *esse decursa.* » Idem, de Offic., l. I, c. 10, 33 : « Quo in genere etiam in republica *multa peccantur.* »

Postremo docemur ex iisdem verbis Varronis verba impersonalia omnes modos habere, id quod nonnulli veterum, ut refert Diomedes, l. I, p. 392, negarunt; unde hæc, non verba impersonalia, sed modum impersonalem appellarunt. Hinc factum est ut ipse Diomedes non progrediatur ultra indicativum, cum impersonalia inflectit. Verum cæterorum modorum exempla etiam apud veteres inveniuntur. Ovidius, Art. III, v. 589 :

Ponite jam gladios hebetes, *pugnetur* acutis.

Cæsar, Bello Gall., l. III, c. 5 : « Cum jam amplius horis sex continenter *pugnaretur.* » Cicero, de Offic., l. III, c. 30, 109 : « Cum male *pugnatum* apud Caudium *esset.* » Idem, Att., l. XI, ep. 15, 3 : « Hic *maneri* diutius non potest. » Terentius, Hecyr. act. III, sc. 1, v. 315 :

Trepidari sentio, et *cursari* rursum prorsum.

325. Post se ablativum singularis vel pluralis numeri cum præpositione *a* vel *ab* exigunt. Cicero, Fam., l. VI, ep. 12, 2 : « Nihil est *a me inservitum* temporis causa. » Idem, Fam., l. I, ep. 2, 2 : « Ejus orationi vehementer *ab omnibus reclamatum est.* »

Hic casus sæpenumero tacetur. Plautus, Pseud. act. I, sc. 5, v. 42 :

Quid agitur? *P. Statur* hic ad hunc modum.

Idem, Pers. act. I, sc. 1, v. 17 :

Quid agitur? *vivitur.*

Hæc verba passivorum constructionem omnino sequuntur; nam modo ablativum habent : Cicero, pro Domo sua, c. 4, 10 : « *Ab* universo *senatu reclamatum est.* » Idem, Att., l. XI, ep. 16, 1 : « Non meo vitio fit, hoc quidem tempore (*a te* enim *peccatum est* [1]), ut me ista epistola nihil consoletur; » — modo dativum; Mart., l. XIII, epigr. 59, v. 1 :

Tota *mihi dormitur* hiems;

— modo accusativum cum præpositione *per* : Cicero, Verr. act. II, l. II, c. 39, 96 : « Confirmabat his curaturum se esse, ne quid ei *per filium* suum *noceretur.* » — Item servatur casus activi. Idem, de Offic., l. II, c. 2, 7 : « *Occurritur* autem *nobis*, et quidem a doctis et eruditis. » Diomedes, l. I, p. 333, ait verba hæc habere significationem agentis : « Ut puta, inquit ille, *scribitur, legitur,* hoc est, *omnes legunt, omnes scribunt.* » Quæ interpretatio in causa fuit, ut quidam crediderint ea generalitatem, ut vocant, significare, atque ablativum tantum multitudinis admittere. Idem tamen Diomedes alio in loco (p. 394), ubi accuratius agit de impersonalibus, docet impersonalia infiniti modi passionem significare, adducitque illud Ciceronis, III Cat., c. 12, 27 : « Nihil mihi *ab istis noceri* potest; » item illud Sallustii in Jugurth., c. 114 : « Cum Gallis de salute, non de gloria *certari.* » Ibidem docet hæc admittere ablativum singularem : « Tertiam, inquit, personam admittunt passivam, et declinantur passiva declinatione more impersonali, quasi : *Pugnatur a me, a te, ab illo.* » Mirum est existimasse Diomedem modum infinitum passionem significare, cætera vero actionem. Potuisset idem illo suo argumento docere verba quæ maxime passiva sunt, actionem significare : *Socrates laudatur ab omnibus; omnes laudant Socratem;* — *Legitur Cicero ab omnibus; omnes legunt Ciceronem.* Sed hæc hactenus : devoranda fuit tandem aliquando toties repetita crambe.

(1) Orellius et Teubner, post d'Olivet, Lallemand, Ernesti : « ante peccatum est. »

VERBA COMMUNIA

326. Verba communia, passiva significatione, passivorum more sextum casum interdum admittunt. Cicero ad Nepotem, apud Prisc., l. VIII, p. 792 : « Hoc restiterat etiam, ut *a te* fictis *aggrederer* donis. » Idem, de Senect., c. 17, 59 : « Mirari se non modo diligentiam, sed etiam solertiam ejus, *a quo essent* illa *dimensa* atque descripta. » Varro, apud Prisc., p. 793 : « *Ab amicis hortaretur.* » Livius, l. XXXVII, c. 4 : « Omnis ora maritima *depopulata ab Achæis erat.* » Idem, l. XLV, c. 6 : « Amicum *ab ipso* per tot casus *expertum.* » Seneca, epist. 90, 4 : « Infirmiores *a validioribus tuebantur.* » Verrius Flaccus apud Prisc., p. 791 : « Sævitiaque eorum ab omnibus *abominaretur.* » Hirtius, de Bel. Afric., c. 93 : « Caius interim Virgilius postquam terra marique clausus, se nihil proficere intellexit, regem vagum ab suisque desertum, *ab omnibus aspernari.* »

Nonnunquam dativum pro ablativo habent. Terentius, Phorm. act. II, sc. 1, v. 248 :

> *Meditata mihi sunt* omnia mea incommoda.

Admonitio. — Tirones, maxime præsenti tempore et imperfecto, a verbis communibus significatione passiva, quoad ejus fieri poterit, abstinebunt. Hæc enim testimonia non tam eorum causa, quam in veteranorum gratiam allata sunt; quibus, pro sua prudentia et eruditione, an sit utendum judicabunt.

De verbis communibus agit Gellius l. XV, c. 13. Subjiciam nonnulla; cætera, si vacabit, perleges. « *Utor,* inquit, et *vereor,* et *hortor,* et *consolor,* communia verba sunt, ac dici utroque versus possunt : *vereor te* et *vereor abs te,* id est, tu me vereris; *utor te* et *utor abs te,* id est, tu me uteris; *hortor te* et *hortor abs te,* id est, tu me hortaris; *testor* quoque et *interpretor* significatione reciproca dicuntur. Sunt autem verba hæc omnia ex altera parte inusitata; et an dicta sint in eam quoque partem quæri solet. » Citat nonnullos priscos auctores. Priscianus, l. VIII, p. 793 et 794 multa verba numerat, quæ etiam in præsenti tempore et imperfecto sunt communia, ex quibus nonnulla descripsimus. Cicero ad Nepotem : « Qui habet, ultro appetitur; qui est pauper, *aspernatur.* » Idem, in OEcon. : « Homo ex eo numero hominum, qui apud nos hoc nomine *dignantur.* » Idem : « Cupio eum tam invidiosa fortuna *complecti.* » Idem, de Invent., l. II, c. 53, 161 : « Observantia (est), per quam homines aliqua dignitate antecedentes, cultu quodam et honore *dignantur.* » Asinius Pollio : « Sed cum ob ea quæ speraveram dolebam, *consolabar* ob ea quæ timui. » Tacitus, Annal., l. XII, c. 9 : « Designatum consulem Memmium Pollionem ingentibus promissis inducunt sententiam expromere, qua *hortaretur* (1) Claudius despondere Octaviam Domitio. » Plautus, Trinum. act. II, sc. 2, v. 86 :

> Non ætate, verum ingenio *adipiscitur* sapientia.

Ovidius, Trist. IV, eleg. 8, v. 19, *palmas adeptas* dixit passive. Gellius, l. XV, c. 7 : « Observatum in multa hominum memoria, *expertum*que *est* in senioribus plerisque omnibus, etc. » Cicero, pro Rosc. Amer., c. 13, 37 : Quo uno maleficio sce-

(1) Vid. supra, n. 115.

lera omnia *complexa esse* videantur. » Scævola, Dig., l. XLV, tit. I, lege 133 : « Nam sicut et ipsius et hæredis caput; ita et ipsius vis, vel sæpius facta *complectitur* (2). »

Huc spectant *testatus*, *interpretatus*, *largitus*, *elargitus, ementitus, demetitus* a *demetior*, *blanditus, confessus, abominatus*, quorum testimonia invenies in Rudimentis de Verborum generibus. — Dicet fortasse aliquis hæc potius censenda esse verba passiva ab activis *depopulo*, *comito*, *consolo*, *complecto*, *amplecto*. Non eo inficias quam plurima apud priscos etiam fuisse activa, quæ modo fere deponentia aut communia sunt, cujusmodi sunt *amplecto, amplexo, aucupo, complecto, consolo, contemplo, crimino, digno, largio*, et alia quam plurima, quæ apud Priscianum, l. VIII, p. 797, et Non. Marcellum, c. 7, de Contrariis generibus verborum, invenies.

(2) Editio Beck : « Nam sicut et ipsius vim et heredis capit; ita et ipsius vim vel sæpius factam complectitur. »

NEUTRO-PASSIVA

327. *Vapulo*, *veneo*, *fio*, ut passionem significant, ita passivorum more construuntur.

Malo *a parentibus vapulare*, quam assentatoribus aures patefacere. Cicero, Fam., l. XVI, ep. 4, 4 : « Quantam diligentiam in valetudinem tuam contuleris, tanti me *fieri a te* judicabo. » Quintilianus, l. XII, c. 1, 43 : « Fabricius.... respondit a cive se spoliari malle, quam *ab hoste venire*. »

Quinque a grammaticis hoc loco numerantur : *vapulo*, *veneo*, *fio*, *exulo*, *liceo*; quorum duo postrema prætermisimus, quod nondum ea cum ablativo personæ agentis legerimus. Cæterorum exempla accipe. Quintilianus, l. IX, c. 2, 12 : « Tum augendi criminis gratia, ut testis in reum rogatus, an *ab reo* fustibus *vapulasset*. » Idem, l. XII, c. 1, 43, de Fabricio : « Id mirantibus quibusdam respondit a cive se spoliari malle, quam *ab hoste venire*. »

APPENDIX.

328. *Fio* eleganter cum ablativo jungitur sine præpositione, sed alia significatione. Terentius, Andr. act. V, sc. 4, v. 937 :

> . . . . . Nunc primum audio
> Quid *illo sit factum*.

Ibidem, act. IV, sc. 2, v. 710 :

> Quid *me fiet?*

Idem, Heaut, act. IV, sc. 3, v. 715 :

> Fortasse quid *me fiat* parvipendis.

Cicero, Fam., l. XIV, ep. 1, 5 : « Quid *puero* misero *fiet?* » Ibid., Fam., l. XIV, ep. 4, 3 : « Quid *Tulliola* mea *fiet?*

Participium *futurus* eodem sensu eumdem casum postulat. Terentius, Heaut. act. III, sc. 1, v. 462 :

> Quid *te futurum* censes?

Et cum dativo. Cicero, II Phil., c. 14, 34 : « Vide, quæso, Antoni, quid *tibi futurum sit.* »

Constructio hæc figurata est; deest enim præpositio *de*, quæ tamen raro adhibetur. Cicero, Att., l. VI, ep. 1, 14 : « Quid *illo fiet* quem reliquero; quid *me* autem, si non cito decedo? » Idem, Att., l. II, ep. 5 : « Quid *de P. Clodio fiat,.....* scribe. » — Jungitur etiam cum dativo : Plaut., Bacch. act. II, sc. 3, v. 126 :

> . . . . . Quid *mihi fiet* postea?

Verbum *facio* eodem modo usurpatur a doctis. Cicero, Verr. act. I, c. 16, 42 : « Quid *hoc homine faciatis?* aut ad quam spem tam perfidiosum, tam importunum animal reservetis? » Terentius, Andr. act. III, sc. 10, v. 615 :

> Nec quid *me* nunc *faciam* scio.

Cicero, Acad. Prior., l. II, c. 36, 115 : « *Diodoro* quid *faciam* Stoico? » Idem, pro Cæcin., c. 11, 30 : « Quid huic tu *homini facias?* » Idem, Acad. Prior., l. II, c. 30, 96 : « Qui enim *faceret* huic *conclusioni?* Si lucet, lucet; lucet autem; lucet igitur. »

COMMUNES OMNIUM VERBORUM

CONSTRUCTIONES

329. Hactenus de propria atque privata verborum constructione dictum sit. Deinceps de communi omnibus dicendum erit.

GENITIVUS COMMUNIS

Propria pagorum, castellorum, urbium, primæ vel secundæ declinationis, ponuntur in genitivo post quodvis verbum, si interrogatio fiat per adverbium UBI. Cicero, Att., l. IV, ep. 12 : « Egnatius *Romæ* est. » Idem, ad Quintum Fr., l. II, ep. 15, 1 : « Accepi literas tuas datas *Placentiæ* (1). » Idem, Att., l. XVI, ep. 8, 1 : « Veteranos, quiqui *Casilini* et *Calatiæ* sunt, perduxit ad suam sententiam. »

Propria sequuntur appellativa quatuor *humi*, *belli*, *militiæ*, *domi*, quorum postremo adjungi possunt adjectiva *meæ*, *tuæ*, *suæ*, *nostræ*, *vestræ*, *alienæ*. Cicero, Tuscul., l. I, c. 43, 102 : « Theodori nihil interest *hum*ine an sublime putrescat. » Idem, de Offic., l. II, c. 24, 85 : « Quibuscumque rebus vel *belli* vel *domi* poterunt, rempublicam augeant. » Sallustius, Catil., c. 9 : « *Domi militiæ*que, boni mores colebantur. » Cicero, Fam., l. IV, ep. 7, 4 : « Nonne mavis sine periculo *domi tuæ* esse, quam cum periculo *alienæ* ? »

Humi jungitur interdum cum verbis significantibus motum. Plinius, l. IX, c. 15, 2 : « Pinnis, quibus in mari utuntur, *humi* quoque vice pedum *serpunt*. » Virgilius, Æn. I, v. 192 :

> Nec prius absistit, quam septem ingentia victor
> Corpora *fundat humi*.

Plinius, l. VIII, c. 8, 3 : « Intentos ingentes arcus *defigunt humi*. » Colum., l. VIII, c. 15 : « Canaliculus *humi depressus*. » Ovidius, Metam. III, v. 105 :

> *Spargit humi*.... dentes.

Et ibidem, V, v. 197 :

> Et *prosternite humi* juvenem.

Domi etiam cum substantivis copulatur. Cicero, Att., l. I, ep. 12, 3 : « Clodium..... deprehensum *domi Cæsaris*; » et II Phil., c. 7, 18 : « Qui tibi venit in mentem, redigere in memoriam nostram, te *domi P. Lentuli* esse educatum ? » Idem, Att., l. II, ep. 7, 3, præpositionem addidit : « Cum *in domo* (2) *Cæsaris* quondam unus vir fuerit, nunc, etc. »

Quidam solent dubitare dicendumne sit : Mar-

(1) Ernesti, Lemaire, Orellius, Teubner : *Placentia*. Lallemand, d'Olivet : *Placentiæ*.

(2) Lallemand, d'Olivet, Ernesti, Lemaire, Teubner : « Quum *domi Cæsaris*. »

cellus natus est *Romæ, nobilis urbis*, an *nobili urbe;* quibus respondeat Cicero, pro Archia, c. 3, 4 : « Primum (inquit) *Antiochiæ* (nam ibi natus est, loco nobili), *celebri* quondam *urbe* et *copiosa*, atque eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis affluenti, etc. » Idem, pro Rab. Posth., c. 10, 26 : « Sed *Neapoli, in* celeberrimo *oppido*, cum mitella sæpe videmus chlamydatum illum L. Syllam imperatorem. » Idem, IV Phil., c. 2, 6 : « *Albæ* constiterunt, *in urbe* opportuna, munita, etc. » Plinius fere ablativo utitur addita præpositione, l. II, c. 75, 2 : « Constatque *in Berenice, urbe* Troglodytarum, etc. » Ibidem, c. 97 : « *In Nea, oppido* Troadis. » Ibidem, c. 98, 1 : « In Taurorum peninsula, *in civitate Parasino*, terra est qua sanantur omnia vulnera. » Ibidem, c. 100, 2 : « Eadem natura *in Hispali oppido* uni puteo, cæteris vulgaris. »

330. Si propria tamen fuerint tertiæ declinationis, vel pluralis numeri, sexto casu utendum est.

Cicero, de Divinat., l. I, c. 23, 47 : « *Babylone* paucis post diebus Alexander est mortuus. » Idem, Fam., l. XVI, ep. 1, c. 2 : « Si statim navigas, nos *Leucade* consequere. » Idem, Fam., l. XIII, ep. 21 : « Commendo tibi in majorem modum domum ejus, quæ est *Sicyone.* » Idem, Att., l. XVI, ep. 6, c. 2 : « Malo cum timore domi esse, quam sine timore *Athenis* tuis. » Ibid., l. IX, ep. 11, c. 1 : « Lentulum nostrum scis *Puteolis* esse. » Idem, pro Cornel., c. 2, 5 : « Unum objicitur, natum esse *Gadibus*, quod negat nemo. »

Septuaginta septem testimonia paraveram, quibus planum facerem nomina tertiæ declinationis ablativo efferri, cum hujus sunt loci, non dativo, ut nonnullis persuasum est; cujus sententiæ laudant auctorem Servium, qui usque eo in ea fuit, ut existimarit illud Virgilii, Æn. IV, v. 225 :

> . . . . . Tyria *Carthagine* qui nunc
> Exspectat,

metri necessitate dictum esse; Ciceronem vero antiptosin fecisse, cum dixit in II Phil., c. 30, 76 : « An tu *Narbone* mensas hospitum convomeres ? » Verum, ne tibi pariam fastidium, multis omissis, ostendam neque Virgilium necessitate coactum, ablativo fuisse usum; neque Ciceronem, ut ipse ait, antiptosin fecisse. » Cicero, Att., l. XVI, ep. 4, 2 : « Sextum nuntiavit cum una solum legione fuisse *Carthagine.* » Hunc locum videntur grammatici ad normam Servii correxisse; sed in correctis sic legitur. Livius, l. XXI, c. 21 : « Annibal, Sagunto capto, Carthaginem Novam in hiberna concesserat, ibique auditis, quæ Romæ quæque *Carthagine* acta decretaque forent, etc. » Etiam hic locus vitiose citatur. Ibid., l. XXIV, c. 6 : « Hippocrates et Epicydes, nati *Carthagine*, sed oriundi ab Syracusis. » Idem, l. XXVI, c. 51 : « Ipse paucos dies, quibus morari *Carthagine* statuerat, etc. » Ibid. : « Hunc ordinem laboris quietisque, quoad *Carthagine* morati sunt, servarunt. » Et l. XXVII, c. 5 : « Quinque millia Numidarum *Carthagine* esse. » Eodem lib., c. 17 : « Et armorum affatim erat captorum *Carthagine.* » Et ibid., c. 22 : « Ex octoginta navibus quas captas *Carthagine* habebat. » Eodem : « Fama erat magnum navalem apparatum eo anno *Carthagine* esse. » Idem, l. XXVIII, c. 17 : « L. Marcio *Tarracone*, M. Silano *Carthagine Nova*, ad præsidium Hispaniæ relictis. » Eodem, c. 26 : « Consilium de his *Carthagine* (1) erat. » Eodem, c. 44 : « *Carthagine* (2) nihil civilis roboris est. » Eodem, l. XXXIII, c. 46 : « Hæc *Carthagine* parabant. » Idem, l. XXXIII, c. 46 : « Judicum ordo *Carthagine* ea tempestate dominabatur. » Eodem, c. 48 : « *Carthagine* et multitudinis assuetæ domum Annibalis frequentare, concursus ad vestibulum ædium est factus. » Et l. XXXIV, c. 61 : « Hunc Aristonem *Carthagine* obversantem. » Idem, l. XLI, c. 22 :

(1) Lemaire, Drakemb., Teubner : *Carthagini*; sed notat Lemaire : « Omnes fere Mss. pro *Carthagine*.... »
(2) Iidem : « *Carthaginiensi* nihil..., » adnotante Lemaire : « Omnes Mss. *Carthagine*... » *Carthagini* Gronov.

« Certius aliquanto, quæ *Carthagine* acta essent, ab rege rescierant. » Plinius, l. XV, c. 20, 1 : « Atqui tertium, inquit, ante diem scitote decerptam *Carthagine ;* tam prope a muris habemus hostem. » Suetonius, Galb., c. 9 : « *Carthagine Nova* conventum agens, tumultuari Gallias comperit. »

Nulla necessitate compulsi, omnes hi quos citavimus, ablativo usi sunt. Non inficias eo aliquoties apud Plautum dativum pro ablativo reperiri : *Carthagini, Sicyoni,* pro *Carthagine, Sicyone ;* sed suspicor grammaticorum diligentia id factum esse. Jam vero illud Ciceronis quod circumfertur : « Arbitrabantur Coryntho et Carthagini non defore, qui illa restituerent, » non est hujus loci. Quod ut apertius videas, integrum locum subjiciam, II de Lege Agr., c. 33, 90 : « Arbitrabantur Corintho et Carthagini, etiamsi senatum et magistratus sustulissent, agrumque civibus ademissent, tamen non defore qui illas restituerent, atque qui ante omnia commutarent, quam nos audire possemus ; » *Corintho* et *Carthagini* non sunt casus communes, sed proprii verbi *sustulissent.*

Quod ad antiptosin attinet, si Cicero cum *Narbone* dixit, figurate locutus est, ut placet Servio; anteponenda est Tulliana antiptosis Servii præceptioni, cum non aliter Cicero loquatur : II Phil., c. 14, 34 : « Vide, quæso, Antoni, quid tibi futurum sit, quem et *Narbone* hoc consilium cum C. Trebonio cepisse notissimum est. » Idem, Att., l. VIII, ep. 12, 1 : « Partim Albæ, partim *Sulmone* collocavit. » Ibid., ep. 4 : « *Sulmone* C. Actium Pelignum aperuisse Antonio portas, etc. » Idem, de Nat. deor., l. III, c. 5, 11 : « Quos Homerus, qui recens ab illorum ætate fuit sepultos esse dicit *Lacedæmone.* » Idem, de Senect., c. 18, 63 : « Dicere aiunt solitum *Lacedæmone* (3) esse honestissimum domicilium. » Sic idem, III de Leg., de Senect., pro Dejot., c. 14, 38, *Tarracone* dixit. Sic Livius, l. XXIV, c. 2, *Crotone ;* l. XXVII, c. 37, *Frusinone ;* l. XXXIV, c. 32, *Lacedæmone ;* l. XXXV, c. 37 et 38, *Chalcide;* et l. XXX, c. 24, *Demetriade;* l. XXXVI, c. 11 et 12, *Medione.* Sic Plinius, l. VII, c. 17, 1, *Salamine;* l. II, c. 106, 12, *Colophone ;* l. III, c. 4, 6, *Tarracone ;* l. XXXI, c. 30, 3, *Babylone ;* l. XXI, c. 19, 3, *Leucade.* Sic Justinus, l. XIII, c. 1; Suetonius; Horatius, l. II, sat. 3, v. 199; idem, l. I, ep. 8, v. 12; l. II, ep. 2, v. 3; Ovidius, ep. 13, v. 3; Silius, l. VIII, v. 363.

(3) Lallemand, Orellius, Teubner *Lacedæmonem;* d'Olivet, Ernesti, Lemaire : *Lacedæmone.*

331. *Tiburi* fateor esse apud Ciceronem, Att., l. XVI, c. 3 : « Nunc demum rescribo iis literis, quas mihi misisti, convento Antonio *Tiburi.* » Item apud Suetonium, Calig., c. 8. Livius vero, l. XXX, c. 45, *Tibure* dixit : « *Tibure* haud ita multo ante mortuus, quo ab Alba transductus fuerat. » Idem, l. V, c. 8, *Anxuri* dixit : « Neglectum *Anxuri* præsidium, etc. » Forte nominum *Tibur* et *Anxur*, apud veteres, et *e* et *i* literis ablativus terminabatur; vel Servio blanditi sunt librarii, cujus præceptionem invenies in Edit. II Donati, p. 1793. Nobiscum facit Diomedes, l. I, p. 400 : « Etiam, inquit, nomina civitatum in adverbia redigi possunt, et illa quidem quæ genitivo casu vel *i* vel *æ* literis finiuntur, quum in ipsis civitatibus sumus, vel illic aliquid agimus, ipso genitivo casu uti debemus, ut : *Romæ* sum, *Romæ* studeo, *Arimini* versor, *Arimini* moror. Quando autem ad ipsas civitates pergimus, adverbium facimus ad locum casu accusativo, ut : *Romam* vado, *Ariminum* pergo. Si vero inde digredimur, septimo casu utendum est, ut : *Roma* venio, *Arimino* discedo. Ea vero nomina civitatum, quæ genitivum in *is* syllabam mittunt, in una tantum parte dissentiunt a superioribus; nam et adverbium loci in loco septimo casu servabimus, ut : *Narbone* sum, quia facit *hujus Narbonis; Babylone* commoror, quia facit *hujus Babylonis.* » Idem docet Priscianus, l. XV, pp. 1006 et 1007, multo copiosius.

APPENDIX.

Dativo *ruri* vel ablativo *rure* utimur, cum hujus est loci. Plautus, Bacch. act. II, sc. 3, v. 131 :

Si illi sunt virgæ *ruri*, at mihi tergum domi' st.

Livius, l. XXXVIII, c. 53 : « Morientem *rure* eo ipso loco sepeliri se jussisse ferunt. »

Terentius, Adelph. act. I, sc. 1, v. 45 :

Rure agere vitam.

Idem, Phorm. act. II, sc. 3, v. 363 :

Ruri fere se continebat.

Plautus, Casin. act. I, sc. 1, v. 22 :

Rure incubabo usque in præfectura mea.

Livius, l. VII, c. 5 : « Secundum in sex locis tenuit, nullis domi militiæque ad conciliandam gratiam meritis, ut qui *rure* et procul cœtu hominum juventam egisset. » Quid si *ruri* priscus est ablativus? maxime cum Justinus, l. I, c. 6, dixerit : « Igitur antelucano tempore *ruri* iter ingressus, obvium habuit servum de ergastulo, etc. »

332. Si vero per adverbium QUO fiat interrogatio, accusandi casu efferuntur, cujuscumque sint declinationis ac numeri; ut : *Quo* is? — *Romam, Brundusium, Carthaginem, Athenas, Delphos, Gades, rus, domum.*

Cicero, Att., l. XVI, ep. 11, 7 : « Epistolas *Catinam*, *Tauromenium*, *Syracusas* commodius mittere potero. » Plinius, l. VII, c. 15, 2 : « *Suessam Pometiam*, illa tempestate florentissimam, deportata est. » Terentius, Heaut. act. I, sc. 1, v. 122 :

Domum revertor mœstus.

Idem, Eunuch. act. I, sc. 2, v. 187, et act. II, sc. 1, v. 216 :

Rus ibo.

Cicero, pro Arch., c. 3, 5 : « Eum *domum* suam receperunt. »

Livius, l. XXXV, c. 31 : « *Athenas* primum, inde *Chalcidem*, inde in Thessaliam iere. » Idem, l. XXI, c. 21 : « *Gades* profectus, Herculi vota exsolvit. » Idem, l. I, c. 56 : « *Delphos* mittere statuit. » Cicero, in Pis., c. 7, 16 : « Cn. Pompeium *domum* suam compulistis. »

Verba *nuntiandi, dandi* latentem motum adsignificant interdum. Cicero, Verr. act. II, l. II, c. 20, 48 : « Res ab omni conventu cognita celeriter *domum nuntiatur.* » Idem, Fam., l. XI, ep. 12, 1 : « Ita *Romam erat nuntiatum.* » Livius, l. XXIX, c. 32 : « Missique qui *Carthaginem* gaudium ingens *nuntiarent.* » Idem, l. XXXVII, c. 18 : « Quæ postquam *Samum sunt nuntiata.* » Cicero, Verr. act. II, l. I, c. 10, 27 : « Statim *Messanam* (1) literas *dedit.* »

Propria, item *rus* et *domus*, numero multitudinis etiam adjectiva sine præpositione admittunt. Livius, l. XXIII, c. 2 : « Inde *Capuam* flectit iter *luxuriantem* longa felicitate. » Justinus, l. XXXI, c. 2, 3 : « Appropinquante vespere, equum conscendit, et *rus urbanum* contendit. » Livius, l. II, c. 7 : « Tantus terror Tarquinium atque Etruscos incessit, ut ambo exercitus, Veiens Tarquiniensisque, *suas* quisque abirent *domos.* » — *Rus* numero multitudinis nondum legi sine præpositione. Livius, l. XXXIX, c. 16 : « Jam ubi vos dilapsi domos, et *in rura* vestra eritis. » Sallustius, Jugurth., c. 76, *domum regiam* dixit : « Aurum atque argentum, et alia quæ prima ducuntur, *domum regiam* comportant. » Priscianus, l. XV, p. 1008, addit *humum*, *militiam ;* attamen nullis testimoniis docet.

---

(1) Lallemand, Orellius, Teubner : *Messana* ; d'Olivet, Ernesti, Lemaire : *Messanam.*

333. Si per UNDE vel QUA fiat interrogatio, ablativo utemur. *Unde* redis? *Roma, Carthagine, Athenis, Delphis, Gadibus, rure, domo.* — *Qua* iter fecisti? *Roma, Brundusio*, etc.

Cicero, Att., l. V, ep. 17 : « Accepi *Roma* sine tua epistola fasciculum literarum. » Idem, Att., l. XVI, ep. 6, 1 : « Hac super re scribam ad te *Rhegio.* » Terentius, Eunuch. act. V, sc. 5, v. 966 :

Video *rure* redeuntem senem.

Cicero, Att., l. V, ep. 15 : « Iter *Laodicea* faciebam, cum has literas dabam in castra.

APPENDIX.

Propria sæpe præpositionem accipiunt, maxime si quæstio fit per *unde* aut *quo.*

Cicero, Att., l. IX, ep. 3, 2 : « *A Brundusio* nulla adhuc fama venerat. » Idem ad eumdem, l. VIII, ep. 3, 6 : « Navis et *in Cajeta* est parata nobis, et Brundusii. » Idem, de Senect., c. 4, 10 : « Adolescentulus miles *ad Capuam* profectus sum. » Livius, l. XXI, c. 9 : « Interim *ab Roma* legatos venisse nuntiatum est. » Cæsar, Bello civ., l. II, c. 18 : « Complures præterea (naves longas) *in Hispali* faciendas curavit. » Plinius, l. VII, ep. 16, 3, ad Fabat. : « Proconsul provinciam Bœticam *per Ticinum* est petiturus. »

Quintilianus, l. I, c. 5, 38, ait fieri solœcismum adjectione, cum propriis additur præpositio, ut : Veni *de Susis in Alexandriam.* Cicero Attico se per literas purgat, a quo fuerat reprehensus quod *in Piræea* scripsisset; ait enim se *in* non ut oppido præposuisse, sed ut loco : existimaverat enim Piræeum locum esse, non oppidum. Rem totam subjiciemus, quo facilius intelligatur. Scripserat Cicero ad Atticum, l. VI, ep. 9, his verbis : « *In Piræea* cum exissem pridie Idus Octobris, accepi ab Acasto servo meo statim tuas literas. » Eum accusaverat Atticus in quadam epistola solœcismi, quod præpositionem addidisset. Cui Cicero ita respondit, l. VII, ep. 3, 10 : « Venio ad Piræea, in quo magis reprehendendus sum, quod homo Romanus *Piræea* scripserim, non *Piræeum* (sic enim omnes nostri locuti sunt), quam quod *in* addiderim : non enim hoc ut oppido præposui, sed ut loco. Et tamen Dionysius noster, qui nobiscum est, et Nicias Cous non rebatur oppidum esse Piræea. Sed de eo videro. Nostrum quidem si est peccatum, in eo est quod non ut de oppido locutus sum, sed ut de loco. Secutusque sum, non dico Cæcilium,

Mane ut ex portu in Piræeum

(malus enim auctor latinitatis est), sed Terentium, cujus fabellæ, propter elegantiam sermonis, putabantur a C. Lælio scribi :

Heri aliquot adolescentes coimus in Piræeum;

et idem :

Mercator hoc addebat captam e Sunio.

Quod si δήμους oppida volumus esse, tam est oppidum Sunium, quam Piræeus. Sed quoniam grammaticus es, si hoc mihi ζήτημα persolveris, magna me molestia liberaris. » Hactenus ille; apud quem nihilominus frequenter leges præpositionem propriis additam, ut ad Att., l. VIII, ep. 3 : « Ego autem, cum esset incertum iter Cæsaris, quod vel *ad Capuam*, vel *ad Luceriam* iturus putabatur, Leptam ad Pompeium misi et literas; ipse, ne quo inciderem, reverti Formias. » Verr. act. II, l. V, c. 2, 5 : « Ne ratibus conjunctis freto fugitivi *ad Messanam* transire possent. » Ibidem, c. 36, 95 : « Accedere incipiunt *ad Syracusas.* » Idem, Phil. XIII, c. 6, 13 : « Ut cum suis copiis iret *ad Mutinam.* » Idem, Phil. XII, c. 3, 8 : Profectus *ad Mutinam* est. » Idem, Offic., l. II, c. 23, 82 : « Quam cum *in Sycio-*

nem (1) attulisset. » Ibid., l. III, c. 12, 50 : « Si, exempli gratia, vir bonus *ab Alexandria* profectus. » Ibid. : « Si idem sciat complures mercatores *ab Alexandria* (2) solvisse. » Idem, Phil. XII, c. 2, 4 : « Ne si *a Mutina* quidem recesserit, audiemus Antonium ? » Ibid. : « Recedit igitur *a Mutina?* » Sed quid opus pluribus testimoniis ? Livius tertio quoque verbo præpositionem solet addere, maxime ablativo, cum motus e loco significatur. Livius, l. XXI, c. 19 : « Legati Romani *ab Carthagine* in Hispaniam trajecerunt. » Idem, l. XXXII, c. 40 : « Attalus *ab Argis* Sycionem est profectus. » Idem sæpe *ad* præpositionem etiam adhibet. L. V, c. 19 : « Inde *ad Veios* exercitus ductus. » Ibid., c. 8 : « Cum exercitibus nec opinato *ad Veios* accessere. »

Dicet hic fortasse aliquis *ad* hic propinquitatem adsignificare. Audi eumdem Livium sublata præpositione, idem prorsus significasse; ibid., c. 7 : « Voluntarius ductus exercitus *Veios.* » Ibid. : « Seu *Veios*, seu quo alio ducere velint. » Vides ut idem significetur addita vel detracta præpositione. Si *ad* propinquitatem adsignificaret, non dixisset Cicero pro Planc., c. 41, 97 : « *Brundusium* veni, vel potius ad mœnia (3). » Satis enim esset : *ad Brundusium* veni. Plinius frequentissime præpositiones addit, maxime cum motus e loco significat, interdum etiam cum quies; l. XXXI, c. 8, 1 : « Aquarum culpa, *in Trœzene* omnium pedes vitia sentiunt. » Idem, l. XXXVII, c. 31, 1 : « Inveniuntur compluribus aliis locis sicut *in Paro* et *Asso.* » Lege Cæsarem, Curtium, apud quos eamdem loquendi rationem invenies. Quid ergo, inquies, non constat sibi M. Tullius? Si paulo attentius quæ dixerit consideres, plane intelliges non esse sui dissimilem. Primum, non confessus est aperte peccatum vitiumque esse præpositionem addere : Nostrum, inquit, quidem si est peccatum; deinde ait se Terentium, elegantiæ studiosissimum optimumque latinitatis auctorem, secutum. Ad extremum, quæstionem solvendam nodumque explicandum reliquit Attico tanquam grammatico, perinde ac si diceret : Qui ad grammaticorum normam loquuntur, præpositionem declinare; qui vero orationis ornatui et elegantiæ serviunt, eam minime reformidare.

Domus nonnunquam etiam præpositiones admittit. Plinius, l. VII, ep. 16, 2, ad Fabat. : « Ego in villas ejus sæpe secessi; ille *in domo* mea sæpe convaluit. » Livius, l. XXIV, c. 8 : « *Ab domo* venerunt. » Cicero, II Phil., c. 14, 35 : « Ad quem *e domo* Cæsaris tam multa delata sunt. » Idem, Tuscul., l. V, c. 4, 10 : « Socrates autem primus philosophiam devocavit e cœlo, et in urbibus collocavit, et *in domos* etiam introduxit. » Seneca, l. II, Contr. 9 : « Ego *in domum* vestram intrabo. » Ibid. : « Dabo operam, quod *in* tua *domo* facillimum est, ut abdicer. » Ibid. : « Aliquid *in domo* locupletis non agendum agam. »

Non solum verba, sed etiam nomina interdum casus communes habent. Cæsar, Bello Gall., l. I, c. 5 : « Reliqua privata ædificia incendunt ; frumentum omne, præter quod secum portaturi erant, comburunt, ut, *domum reditionis* spe sublata, paratiores ad omnia pericula subeunda essent. » Cicero, IV Phil., c. 1, 3 : « Cum.... capitalem et pestiferum *a Brundusio* tum M. Antonii *reditum* timeremus. »

(1) Orellius et Teubner omittunt *in*.
(2) Orellius et Teubner : *Alexandria*, utroque loco.
(3) D'Olivet, Lallemand, Ernesti, Lemaire, Orelli et Teubner addunt *accessi*.

334. Nomina insularum, regionum, provinciarum, cæterorum denique locorum, præpositionem fere desiderant.

Cicero, Verr. act. II, l. II, c. 3 : « Itaque majoribus nostris *in Africam* ex hac provincia gradus imperii factus est. » Idem, Att., l. IX, ep. 7, 5 : « Promitto tibi, si valebit, tegulam illum *in Italia* nullam relicturum. » Idem ad eumdem, l. XVI, ep. 1, 1 : « Nonis Quintilis veni *in Puteolanum.* » Ibid., l. XII, ep. 48 : « Ego te *in Tusculano* exspecto. »

APPENDIX I.

Propriis majorum locorum interdum detrahitur præpositio, præcipue a poetis et historicis.

Virgilius, Æn. III, v. 254 :

Ibitis *Italiam* portusque intrare licebit.

Livius, l. XXXVII, c. 33 : « Ingressi rursus iter per Chersonesum, *Hellespontum* perveniunt. » Tacitus, Annal., l. II, c. 59 : « Germanicus *Ægyptum* proficiscitur. » Idem, c. 69 : « Germanicus *Ægypto* remeans. » Valerius Maximus, l. IV, c. 1 : « M. Bibulus duos egregiæ indolis filios suos a Gabinianis militibus *Ægypti* occisos esse cognovit. » Cæsar, Bello civ., l. III, c. 106 : « Cæsar, cum audisset Pompeium *Cypri* visum, etc. » Cicero, pro Domo sua, c. 25, 65 : « M. Cato invisus, quasi per beneficium, *Cyprum* relegatur. »

Cum his atque aliis ejusdem generis nominibus detrahitur præpositio, fit solœcismus *detractione*, ut Quintiliano, l. I, c. 5, 38, placet, ut : *Ægypto venio;* quam tamen, ut vides, non solum poetæ et historici, sed etiam oratores interdum omittunt. Cicero, pro Lege Man., c. 12, 34 : « *Siciliam* adiit, *Africam* exploravit, inde *Sardiniam* venit. » Idem, Verr. act. II, l. V, c. 72, 184 : « Teque, Juno regina, cujus duo fana duabus in insulis posita sociorum, *Melitæ* et *Sami*, sanctissima et antiquissima, simili scelere idem iste omnibus donis ornamentisque nudavit. » Nisi quis putet *Melitæ* et *Sami* urbes ipsas hic significare, non insulas; quæ appositio durior erit; neque minus dura, si insulas ipsas intelligamus.

Non pauca præterea testimonia afferuntur, quæ tamen non urgent. Cicero, Att., l. V, ep. 12, 1 : « Sexto die *Delum Athenis* venimus; » et paulo post : « Ab Ceo jucunde; inde *Gyarum* sævo vento non adverso; hinc *Scyrum*, inde *Delum*, etc. Itaque erat in animo nihil festinare, *Delo* nec movere. » Ibid., ep. 13, 1 : « Quæ mihi jam *Sami*, sed mirabilem in modum *Ephesi* præsto fuit. » Ibid., ep. 9, 1 : « Cum *Corcyræ* epulati essemus. » Hæc, inquam, et similia non urgent, cum *Delos, Samos, Corcyra* non solum insularum, sed etiam oppidorum sint nomina, ut *Rhodos, Ithaca, Tenedos, Melita*. Cicero, Verr. act. II, l. I, c. 19, 49, *Tenedum urbem* vocat; c. 20, 52, *oppidum Samum;* c. 18, 46, *oppidum Delum;* et Strabo, l. VIII, p. 347, *Samum urbem* vocat. Melitam Cicero, Verr. act. II, l. IV, c. 46, 103, etiam oppidum vocat : « Insula est Melita, judices,.... in qua est eodem nomine oppidum, etc. » Corcyram et urbem esse docet Plinius, l. IV, c. 19, 1. Credibile est et in cæteris insulis fuisse oppida iisdem nominibus; Cæsar, Bello civ., l. II, c. 20 : « Quibus rebus perterritus Varro, cum, itinere converso, sese *in Italiam* (1) venturum promisisset, » non facit ad rem, cum *Italiam* præcedat præpositio.

Neque illud Suetonii, in Aug., c. 4 : « Decedens *Macedonia;* » neque Ciceronis ad Att., l. IX, ep. 10, 4 : « Si Cn. *Italia* cedit, in Urbem redeundum puto; » utrumque enim verbum ablativum sæpe habet sine præpositione. Cicero, pro Ligar., c. 1, 2 : « Decedens Considius *provincia.* » Sic *decedere via, jure suo, instituto suo, itinere, fide*, etc. Idem ad Octav., in l. II ad Brut., ep. 8, initio : « *Cedam urbe*, quam per me conservatam, ut esset libera, in servitute videre non potero. » Ibid. : « *Cedam vita.* » Ibid. : « *Cedere foro, curia;* » et pro Mil., c. 27, 75 : « *Cedere possessione.* »

Quid si *Sardinia* et *Cyprus* aliquando etiam urbium nomina fuerunt? Terentius, cujus auctoritate se Cicero solet tueri, *Cyprum* in Adelphis bis dixit omissa præpositione; act. II, sc. 3, v. 225 :

. . . . . Te aiunt proficisci *Cyprum.*

Et item, v. 231 :

Hinc alia, quæ porto *Cyprum.*

---

(1) Lemaire : « *Italicam* venturum; » idem et Teubner.

Et Livius, l. XLV, c. 12 : « *Cyprum* navigant. » Ibid., c. 10 : « Navigare *Ægyptum* pergit. » Ibid., c. 11 : « *Cyprum* extemplo classem misit. »

Cum *petendi* verbum pro *proficisci*, *adire* adhibetur, non est locus præpositioni. Livius, l. XXI, c. 21 : « Dum ipse terrestri per Hispaniam Galliasque itinere *Italiam peteret.* » Plinius, l. VII, Fabato ep. 16, 3 : « Proconsul *provinciam* Bœticam per Ticinum est *petiturus.* »

APPENDIX II.

335. Certa appellativa ablativo sine præpositione eleganter efferuntur, quæ alioquin accusativo cum præpositione *per* efferenda essent. Cicero, Att., l. V, ep. 14, 1 : « Nunc iter conficiebamus æstuosa et pulverulenta *via.* » Idem, Verr. act. I, c. 2, 3 : « Quum multæ mihi a C. Verre insidiæ *terra mari*que factæ sint. » Item, pro Plancio, c. 40, 96 : « Iter a Vibone Brundusium *terra* petere contendi. »

Vagandi verbum hanc in primis elegantiam sibi vindicat. Cicero, XI Phil., c. 2, 6 : « Nunc tota *Asia vagatur*, volitat ut rex. » Idem, Att., l. XIV, ep. 8, 2 : « Quem quidem ego spero jam tuto vel solum tota *Urbe vagari* posse. » Idem, pro Fonteio, c. 11, 23 : « Hi contra *vagantur* læti atque erecti passim toto *foro.* »

DATIVUS COMMUNIS

336. Quodvis verbum admittit dativum ejus personæ in cujus gratiam commodum vel incommodum aliquid fit.

Plautus, Merc. act. I, sc. 1, v. 71 :

Tibi aras, *tibi* occas, *tibi* seris, *tibi eidem* metis.

Cicero, Att., l. I, ep. 11, 3 : « Libros tuos cave cuiquam tradas; *nobis* eos, quemadmodum scribis, conserva. » Livius, l. II, c. 36 : « Magno *illi* ea cunctatio stetit. »

ACCUSATIVUS COMMUNIS TEMPORIS

337. Tempus accusativo vel ablativo casu effertur, si per Quandiu fiat interrogatio; ut : *Quandiu* regnavit Romulus? Septem et triginta *annos*, vel *annis*. — Livius, l. I, c. 21 : « Romulus septem et triginta regnavit *annos.* » Suetonius, Calig., c. 59 : « Vixit *annis* undetriginta; imperavit *triennio* et decem *mensibus diebus*que octo. »

Sin vero per Quando fiat, ablativo utemur, ut : *Quando* datum est tibi hoc negotium? *Anno superiore.* — Cicero, de Arusp., c. 8, 15 : « Negotium magistratibus

est datum *anno superiore.* » Idem, Tuscul., l. V, c. 3, 7 : « Etiam *heroicis ætatibus* Ulyssem et Nestorem accepimus et fuisse et habitos esse sapientes. »

Spatium temporis vocant, cum per adverbium QUANDIU fit interrogatio, et tunc frequentius utimur accusativo quam ablativo. Livius, l. I, c. 35 : « Regnavit Ancus *annos* quatuor et viginti. » Idem, l. XXXI, c. 45 : « Ibi *paucos dies* sæviente Borea retenti. » Cicero, Tuscul., l. V, c. 20, 57 : « Duodequadraginta *annos* tyrannus Syracusanorum fuit Dionysius. » Idem, Verr. act. II, l. II, c. 20, 49 : « *Triennium* provinciam obtinuisti. » Idem, de Leg., l. II, c. 22, 57 : « Habendas *triduum* ferias. » Idem, Fam., l. XV, ep. 4, 2 : « *Biduum* Laodiceæ fui, deinde Apameæ *quatriduum*, *triduum* Synadis, totidem *dies* Philomelii. » Sic fere Cicero et Livius loquuntur. Plinius sæpe etiam ablativo utitur, maxime l. VII, c. 49, 3 : « Masinissam sexaginta *annis* regnasse indubitatum est. »

Speciem temporis quidam appellant, cum per adverbium QUANDO interrogamus. Ablativus interdum *intra* significat, ut *paucis diebus*, *biduo*, *triduo*, pro *intra paucos dies*, *intra biduum*, *intra triduum*. Cicero, ad Quintum Fr., l. III, ep. 6, 7 : « *Diebus* sexdecim absolutæ quatuor tragœdiæ. » Idem, Att., l. IX, ep. 14, 2 : « *Biduo* sciemus. » Idem, pro Mil., c. 9, 26 : « Respondit (Clodius) *triduo* illum, ad summum (1) *quatriduo* periturum. »

(1) Orellius et Teubner : « triduo illum, *aut* summum..... »

ACCUSATIVUS COMMUNIS SPATII

338. Cuivis verbo apponi potest accusativus qui distantiam loci significet.

Cicero, Fam., l. XVI, ep. 2 : « Is locus est citra Leucadem *stadia* centum et viginti. » Idem, Att., l. XIII, ep. 12, 3 : « Cum ille assiduo cursu *cubitum* nullum processerit. » Idem, pro Dejot., c. 15, 42 : « Negat se a te *pedem* discessisse. » Livius, l. XXXVII, c. 31 : « Mille et ducentos *passus* ibi latitudo patet. » Idem, l. XXXV, c. 3 : « Fere quingentos *passus* ab hoste posuit castra. » Cicero, pro Sext., c. 12, 29 : « Edixit ut ab Urbe abesset *millia* passuum *ducenta*. »

Interdum ablativo utuntur scriptores. Cæsar, Bello Gall., l. I, c. 48 : « Eodem die castra promovit, et *millibus* passuum sex a Cæsaris castris sub monte consedit. » Idem, ibid., c. 41 : « Ab exploratoribus certior factus est Ariovisti copias a nostris *millibus* passuum quatuor et viginti abesse. »

Spatium loci multo frequentius accusativo effertur, quam ablativo. Cæsar, Bello Gall., l. I, c. 38 : Cum tridui *viam* processisset, nuntiatum est ei Ariovistum cum suis omnibus copiis ad occupandum Vesuntionem contendere, triduique *viam* a suis finibus profecisse. » Cicero, Verr. act. II, l. IV, c. 15, 33 : « Neque ab argento *digitum* discedere. »

ABLATIVUS ABSOLUTUS

339. Quibuslibet verbis addi potest ablativus absolute positus.

Cicero, Att., l. V, ep. 5, 2 : « Quod, *auctore te*, velle cœpi, *adjutore* assequar. » Idem ad eumdem, l. XIV, ep. 6, 2 : « Hæc ad te scripsi, *apposita* secunda *mensa*. » Idem, de Leg., l. III, c. 14, 32 : « Nobilium *vita victu*que *mutato*, mores mutari civitatum puto. » Idem, de Clar. Orat., c. 11, 44 : « Ego cautius posthac historiam attingam, *te audiente*. »

Aliquando absolute ponitur participium præteriti temporis sine nomine. Livius, l. XXXI, c. 39 : « Inde ad Pluvinam est progressus, nondum *comperto* quam regionem hostes petissent. » Tacit., Annal., l. II, c. 7 : « *Audito* castellum Luppiæ flumini appositum obsideri, sex legiones eo duxit. »

Interdum ablativus et nominativus verbi ejusdem sunt personæ. Cicero, Fam., l. XVI, ep. 26, 1 : « Verberavi te cogitationis tacitæ duntaxat convicio, quod fasciculus alter ad me jam sine tuis literis perlatus est; non *potes* effugere hujus culpæ pœnam, *te patrono*. » Seneca, de Vita beata, c. 20 : « Populo teste, fieri credam, quicquid, *me conscio*, *faciam*. » Idem, Epist. 24 : « Acerbum est uri ; quanto acerbius, si, id *te faciente*, *patiaris?* » Horatius, l. I, Ode 2, v. 51 :

> Neu *sinas* Medos equitare inultos,
> *Te duce*, Cæsar.

Sedigitus apud Gellium, l. XV, c. 24 :

> Multos incertos certare hanc rem vidimus,
> Palmam poetæ comico cui deferant.
> Eum, *me judice* (1), errorem *dissolvam* tibi.

Sic Ovidius non raro loquitur.

(1) Sic antiquæ editiones, teste Vossio, Art. gramm., l. VII, c. 49. Recentiores : « Eum *meo judicio* errorem. »

ABLATIVUS INSTRUMENTI, CAUSÆ, MODI ACTIONIS

340. Quævis verba ablativum admittunt significantem Instrumentum. Terent., Adelph. act. III, sc. 2, v. 330 :

> Hisce *oculis* egomet vidi.

Cicero, in Vatin., c. 5, 12 : « Cum illud iter Hispaniense *pedibus* fere confici soleat. » Idem, Verr. act. II, l. V, c. 54, 142 : « Sex lictores eum circumsistunt valentissimi, cædunt acerrime *virgis*. »

Aut Causam propter quam aliquid fit. Idem ad Quint. Fr., l. II, ep. 13, 2 . « Vestra *culpa* hæc acciderunt. » Idem, in Bruto, c. 78 : « Vereor ne *amore* videar plura quam fuerint in illo dicere. » Terentius, Adelph. act IV, sc. 3, v. 604 :

> . . . . . *Dolore* ac *miseria*
> Tabescit.

Plinius, l. X, c. 94, 1 : « In Africa major pars ferarum æstate non bibunt, *inopia* imbrium. »

Aut Modum quo aliquid fit. Cicero, pro Mil., c. 28, 77 : « Quonam *modo* id ferret civitas? » Idem, de Senect., c. 23, 83 : « Sapientissimus quisque æquissimo *animo* moritur; stultissimus, iniquissimo. » Idem, pro Flac., c. 12, 29 : « Pacem maritimam summa *virtute* atque incredibili *celeritate* confecit. »

Modus actionis præpositionem *cum* interdum desiderat. Idem, de Offic., l. I, c. 38, 136 : « Ira procul absit, *cum qua* nihil recte fieri, nihil considerate potest. » Idem, de Orat., l. III, c. 2, 6 : « *Cum febri* domum rediit, dieque septimo est lateris dolore consumptus. »

Quintilianus, l. I, c. 4, 27, existimat instrumenti casum non esse ablativum, sed septimum casum. « Quærat, inquit, etiam sitne apud Græcos vis quædam sexti casus, et apud nos quoque septimi; nam, cum dico : *hasta percussi,* non utor ablativi natura; nec, si idem græce dicam, dativi. » Hæc ille. Græca et latina lingua ablativo instrumenti præpositionem non addit.

Ad causam propter quam pertinent hæc et similia : *ardere iracundia, dolore, ira, studio, desiderio, amore alicujus rei; flagrare, inflammari cupiditate, amore.* Terentius, Adelph. act. III, sc. 2, v. 311 :

Me miserum, vix sum compos animi, ita *ardeo iracundia.*

Hæc etiam fortassis *lætor, gaudeo, delector, oblector, tristor,* de quibus supra egimus.

Modum actionis cognoscemus interrogatione *quomodo : Quomodo* tulit injuriam? *æquo, iniquo animo.* Cicero, pro Flac., c. 12, 29 : « Pacem maritimam summa *virtute* atque incredibili *celeritate* confecit. » Sic *clara, suppressa, submissa voce dicere.*

Adhibetur etiam præpositio *cum,* quæ *comes* dicitur. Cicero, pro Cluent., c. 18, 51 : « Semper equidem magno *cum metu* incipio dicere. » Idem in Orat., c. 52, 174 : « Cum videret oratores *cum severitate* audiri, poetas autem *cum voluptate,* tum dicitur numeros secutus. »

ABLATIVUS EXCESSUS

341. Cuivis verbo adjungi potest ablativus rei qua excessus significatur.

Cicero, de Clar. Orat., c. 34, 128 : « P. Scipio omnes *sale facetiis*que superabat. » Idem, de Orat., l. II, c. 67, 270 : « Socratem opinor *lepore* et *humanitate* omnibus præstitisse. » Terentius, Phorm. act. II, sc. 1, v. 247 :

Incredibile est quanto herum anteeo *sapientia.*

Sallustius, Jugurth., c. 6 : « Cum omnes *gloria* anteiret, omnibus tamen carus esse. »

ABLATIVUS PRETII

342. Quælibet verba ablativum admittunt significantem pretium, ut : Senatus tritici modium *tribus denariis* æstimavit. — *Magno* has ædes ædificavi. — Donatus

docet literas *mina* in singulos menses. — Mina valet centum *drachmis* Atticis. — Secalis modius proximo anno *ternis sestertiis* fuit; summum *quaternis*.

Cicero, Verr. act. II, l. V, c. 9, 24 : « Hæc vero quæ vel vita redimi recte possunt, æstimare *pecunia* non queo. » Terentius, Andr. act. II, sc. 7, v. 452 :

Vix *drachmis* inquit est obsonatus decem.

Cicero, Verr. act. II, l. III, c. 83, 193 : « Doceas oportet, aliquo in loco Siciliæ, prætore Verre, *ternis denariis* tritici modium fuisse. » Plinius, l. VII, c. 31, 1 : « Viginti *talentis* unam orationem Isocrates vendidit. » Livius, l. XXXIII, c. 30 : « Multo *sanguine* et *vulneribus* ea Pœnis victoria stetit. » Idem, l. II, c. 36 : « *Magno* illi ea cunctatio stetit. »

Non solum verba quæ aperte emptionem venditionemque significant, ut : *emo, coemo, redimo, mercor, vendo, divendo, distraho, venundo, veneo, sto, consto, valeo, liceo, liceor, licitor, addico, loco, conduco, taxo, æstimo* pro *taxo, sum* pro *valeo*; sed etiam quævis alia huc spectant. Varro, de Re rust., l. III, c. 17 : « (Piscinæ) ædificantur *magno*. » Horatius, l. II, sat. 2, v. 1 :

Quæ virtus et quanta, boni, sit vivere *parvo*.

Plautus, Trucul. act. V, v. 53 :

Jam hercle, jam *magno* tu vapula......

Plinius, l. VII, c. 39, 1 : « Aristidis Thebani pictoris unam tabulam centum *talentis* rex Attalus licitus est. » — *Æstimo*, cujus supra meminimus, cum parvi aut magni facere significat, genitivo gaudet; cum vero æstimationem habere atque taxare, hujus est loci. Cicero, Verr. act. II, l. III, c. 92, 215: « Eodem tempore Antonius *tribus denariis æstimavit* post messem summa in vilitate. » Ibid., c. 81, 188 : « Idque frumentum senatus ita *æstimasset, quaternis sestertiis* tritici modium ; *binis*, hordei. »

Magno, permagno, parvo, paululo, minimo, plurimo, et siqua præterea sunt, sæpe sine substantivis reperiuntur. Cicero, ibid., c. 49, 117 : « Decumas agri Leontini vendidisti; si ex lege, *magno*; si, ut lex esset libido tua, *parvo*. » Ibidem, c. 39, 90 : « At *permagno* decumas ejus agri vendidi. » Terentius, Eunuch. act. I, sc. 1, v. 74 :

Quid agas? nisi ut te redimas captum quam queas
Minimo; si nequas *paululo*, at quanti queas.

Cicero, Verr. act. II, l. III, c. 17, 43 : « Excogitare non poterat quemadmodum quam *plurimo* venderet. » Interdum adjunguntur substantiva : Martialis, l. VI, epigr. 66 :

Parvo cum *pretio* diu liceret.

Vili tamen et *caro* non videntur substantiva admittere. Plautus, Epid. act. I, sc. 1, v. 49 :

. . . . . *Ep.* Quanti eam emit? — *Th. Vili.*

Quintilianus, Declam. IX, c. 9 : « Quid me admonetis supremarum amici mei precum, quibus hæc alimenta *caro* empta, inopi patris senectuti petita? » Si tamen locus mendo caret; nam Cicero *care* solet dicere, et Quintilianus, eadem Declam., c. 10 : « Tanti constat patri captivitas mea, cum tam *care* redemptus sim. » Diomedes, l. I, p. 399, de Adverbio, *caro* et *vili* vocat *æstimationis* adverbia.

Verbum *valeo* ablativum vel accusativum amat. Plinius, l. XXXIII, c. 13, 5: « Aureus nummus post annum sexagesimum secundum percussus est, quam argenteus, ita ut scrupulum *valeret sestertiis* vicenis. » Varro, de Ling. lat., l. V, 173 : « Denarii, quod *denos* æris *valebant*; quinarii, quod *quinos*. » — Huc etiam spectat *sum* pro *valeo*. Cicero, Verr. act. II, l. III, c. 84, 194 : « Verumenimvero, cum *esset* (frumentum) *sestertiis* binis aut etiam ternis, quibusvis in locis provinciæ duodenos sestertios exegisti. » Ibidem, c. 81, 189 : « Cum in Sicilia *sestertiis* binis tritici modius *esset*, (ut istius epistola ad te missa declarat), summum sestertiis ternis. » *Secale* vulgus *centenum* vocat. *Siligo* genus est tritici delicatissimi, neque centenum significat, ut quidam arbitrantur.

EXCEPTIO.

343. His tamen genitivis exceptis, *tanti*, *tantidem*, *quanti*, *quanticumque*, *pluris*, *minoris*.

Cicero, de Offic., l. III, c. 14, 59 : « Emit homo cupidus *tanti quanti* Pythius voluit. » Idem, ibidem, c. 12, 51 : « Vendo meum non *pluris* quam cæteri, fortasse etiam *minoris*. » Idem, Verr. act. II, l. III, c. 85, 196 : « *Quanti* frumentum sit considera; video esse binis sestertiis. » Seneca, Controv., l. IV, 24 : « *Tantidem* tamen redemi patrem, *quanti* a te redemptus sum. »

Plinius, l. XXXV, c. 36, 14, de Pamphilo pictore : « Docuit neminem *minoris* talento annis decem. » Seneca, ad Martiam Consol., c. 19 : « *Tanti* quodque malum est, *quanti* illud taxavimus. » Quidam addunt *tantivis, quantivis, quantilibet,* sine veterum testimoniis. Non video tamen cur non ita loquamur, si opus erit. — *Majoris* (1) nusquam arbitror esse, pro quo classici *pluris* utuntur. — *Quanticumque* et *quantiquanti* geminatum idem valent. Juvenalis, Sat. VII, v. 184 : « *Quanticumque* domus veniet. » Cicero, Att., l. XII, ep. 23, 3 : « Sed *quantiquanti,* bene emitur quod necesse est. » — *Tantidem* Cicero, Verr. act. II, l. III, c. 83, 192 : « Quo quisque vehere jussus esset, ibi *tantidem* frumentum emeret, quanti domi vendidisset. »

(1) Vid. supra, n. 303, exemplum Phædri quod Alvarus cognoscere non potuit.

APPENDIX

Genitivi *tanti*, *quanti*, *quanticumque*, *minoris* in ablativum transeunt, si addantur substantiva.

Livius, l. XXII, c. 57 : « Hic miles magis placuit, cum *pretio minore* redimendi captivos copia fieret. »

Tantidem ablativo caret. Laur. Valla, l. III, c. 1, *pluri pretio* ausus est dicere; malim dicere *majori pretio* aut *carius*. Livius, l. XXII, c. 59 : « Octo millia servorum audio armari; non minor numerus noster est, nec *majore pretio* redimi possumus, quam hi emuntur. » Cicero, pro Domo sua, c. 44, 115 : « Emit domum..... prope dimidio *carius* quam æstimabat. »

Adverbia *care*, *carius*, *carissime*, *bene*, *melius*, *optime*, *male*, *pejus*, *vilius*, *vilissime*, cum verbis emendi vendendique apud bonos auctores invenies.

CONSTRUCTIO VERBI INFINITI

344. Verba infinita eosdem post se casus postulant, quos finita. Cicero, Fam., l. XVI, ep. 5, 2 : « Malo *te* paulo post valentem, quam statim imbecillum *videre.* » Idem ad Quint. Fr., l. III, ep. 1, c. 3, 9 : « Quod scribis te *a Cæsare* quotidie plus *diligi*, immortaliter gaudeo. » Idem, Att., l. VII, ep. 1, 2 : « Vellem a principio te *audisse* amicissime *monentem.* »

Præteritum perfectum passivum et plusquam perfectum ex infinito *esse* vel *fuisse* atque participio præteriti temporis supplentur, mutatis numeris et generibus, pro re de qua agitur. Cicero, II Phil., c. 9, 21 : « P. Clodium meo consilio *interfectum esse* dixisti. » Idem, pro Cluent., c. 59, 161 : « Injuriam.... ab hujus familia *factam esse* dixistis. »

Verbum interdum omittitur. Idem, pro Mil., c. 3, 7 : « Negant intueri lucem esse fas ei, qui a se hominem *occisum* (1) fateatur. »

Verba infiniti modi appellat Quintilianus, l. IX, c. 3, 9, *verba infinita;* Gellius, l. I, c. 7, *indefinita;* grammatici *infinitiva,* quæ neque personas, neque numeros definiant. Diomedes, l. I, p. 331, variis nominibus ait appellatum esse infinitivum modum : *impersonativum*, *insignificativum*, *perpetuum.* Sed hæc et similia sine ulla jactura omitti possunt. Præsens et imperfectum tempus, tam activum quam passivum, una voce explicatur, ut *amare*, *amari;* perfectum et plusquam perfectum activum una etiam voce continetur, ut *amavisse;* passivum ex participio præteriti temporis et infinito *esse* vel *fuisse* suppletur.

(1) Orellius addit *esse*, sed admonet alios codd. omisisse.

FUTURUM INFINITUM ACTIVUM

345. *Fore* futurum infinitum tantum in usu est, jungiturque cum omnibus generibus et utroque numero. Cicero, Fam., l. I, ep. 3 : « Vehementer confidit his meis literis *se* apud te gratiosum *fore.* » Idem, Att., l. VIII, ep. 2, 2 : « *Nihil* arbitror *fore* quod reprehendas. » Idem ad eumdem, l. VII, ep. 26, 3 : « Dionysio dum existimabam vagos *nos fore*, nolui molestus esse. »

Cætera quibus prisci usi sunt jam exoleverunt, pro quibus infinito *esse* et participio in *rus* utimur. Cicero, Att., l. VI, ep. 3, 7 : « Illum eum *futurum esse* puto qui esse debet. » Idem, de Orat., l. I, c. 3, 11 : « Vere mihi hoc videor *esse dicturus.* » Idem, II Phil., c. 32, 80 : « Idque se *facturum esse* asseveravit. » Idem, Verr. act. II, l. I, c. 1, 2 : « Non moleste fero me laboris mei, vos virtutis vestræ fructum *esse laturos.* »

Infinitum *esse* frequenter desideratur. Cicero, Att., l. VII, ep. 26, 3 : « Ego bellum fœdissimum *futurum* puto. » Idem, Fam., l. XIV, ep. 23 : « Opinione celerius *venturus* (1) dicitur. » Idem, Att., l. IX, ep. 15, 3 : « Vix spero mihi hunc veniam *daturum*. » Idem, Fam., l. III, ep. 1, 3 : « Scribit meas literas maximum apud te pondus *habituras*. »

Fuit priscis temporibus futurum infiniti modi *rum* syllaba finitum, quod omnibus generibus et utrique numero, non secus ac *fore*, accommodabatur. C. Gracchus : « Credo ego *inimicos* meos hoc *dicturum*. » Valerius Antias : « Aruspices..... dixerunt *omnia* ex sententia *processurum esse*. » Laberius : « Non putavi hoc *eam facturum*. » Vides ut omnibus generibus et utrique numero verba hæc attribuantur. Sic Cicero, Verr. act. II, l. V, c. 65, 167 : « Hanc sibi *rem* præsidio sperant *futurum* ; » quem locum quidam existimantes esse corruptum, *futuram* affirmabant legendum esse ; cum *futurum*, non participium, sed verbum sit indefinitum, neque numeris neque generibus præserviens, sed liberum undique et impromiscuum, quod sine ulla vitii suspicione omnibus numeris generibusque sine discrimine attribuitur, ut Gellius, l. I, c. 7, docet ; unde hæc sumus mutuati.

Fuit et aliud futurum priscis usitatum, *ssere* syllabis terminatum. Plautus, Capt. act. I, sc. 2, v. 65 :

> Habe modo bonum animum ; nam illum confido domum
> In his diebus me *reconciliassere*.

Idem, Amphitr. act. I, sc. 1, v. 50 :

> Eos legat ; Telebois jubet sententiam ut dicant suam :
> Si sine vi et sine bello velint rapta et raptores tradere ;
> Si quæ asportassent redderent ; se exercitum extem-[plo domum
> Reducturum ; abituros agro Argivos ; pacem atque otium
> Dare illis : sin aliter sint animati, neque dent quæ [petat,
> Sese igitur summa vi virisque eorum oppidum *expugnassere*.

Idem, Milit. act. IV, sc. 3, v. 35 :

> . . . . . Credo te facile *impetrassere*.

Futurum hoc a futuro conjunctivi modi *reconciliasso*, *expugnasso*, *impetrasso* fit ; siquidem prisci Latini etiam *amasso*, *irritasso*, *judicasso*, *monstrasso*, pro *amavero*, *irritavero*, etc., dicebant. Plautus, Amph. act. I, sc. 1, v. 298 :

> . . . . . Si me *irritassis*, hodie lumbifragium hinc [auferes.

Idem, Epid. act. III, sc. 4, v. 4 :

> Adolescens si istunc hominem, quem tu quæritas,
> Tibi *commonstrasso*, ecquam abs te inibo gratiam ?

Itaque *fore* nunc tantum usitatum est, quod non raro etiam cum participiis in *rus* jungitur. Cicero, Att., l. V, ep. 21, 4 : « Deinde addis..... te ad me *fore venturum*. » Livius, l. VI, c. 42 : « Ita ab diutina ira tandem in concordiam redactis ordinibus, cum dignam eam rem Senatus censeret esse, meritoque id, si quando unquam alias, deûm immortalium causa libenter *facturos fore*, ut ludi maximi fierent, et dies unus ad triduum adjiceretur. » Porcius Latro (2), de cujus eloquentia Plinius, l. XX, c. 57, 1, et Quintilianus, l. X, c. 5, 18, meminit, sæpe sic loquitur : Declam. in Catil., c. 28 : « Lucem namque, ait, nescio quam, de domo Cornelia quondam *prodituram fore*, quæ gloria nominis sui Romanum imperium simul et complexura sit et illustratura. » Ibid., c. 36 : « Putate matronas Urbis, ac liberos nostros ob servatam pudicitiam, supplices ac congratulantes universos ad genua vestra *obversaturos fore*. » Illud Livii, l. XXVIII, c. 40 : « Et acturum se id per populum aperte ferret, si Senatus adversaretur, » quidam vitiose citat : « Et acturum se per populum aperte *fore*, etc. »

Credo *fore* etiam cum participiis præteriti et futuri temporis in *dus* posse jungi. Cicero, Fam., l. XI, ep. 8, 2 : « De reliquis rebus a te jam exspectare literas debemus, quid ipse agas, quid noster Hirtius, quid Cæsar meus ; quos spero brevi tempore societate victoriæ tecum *copulatos fore*. » Idem, Fam., l. I, ep. 5, 2 : « Nunc id speramus idque molimur, ut Rex, cum intelligat,.... nisi per te sit restitutus, *desertum* se atque *abjectum fore*, profi-

(1) Orellius, *venturus esse*.

(2) Declamatio Porcii Latronis in Catilinam reperitur in edit. Sallustii Havercampiana.

ciscatur ad te. » Porcius Latro, c. 36 : « Credite item vim universam flagitiosæ juventutis, aut hodierno Catilinæ supplicio simul *conficiendam fore*, aut, etc. » Diceret fortasse Laurentius, l. I, c. 26, hæc potius nomina esse, quam participia. Nescio cur id Laurentio tantopere displicuerit, cum futura cum futuris passim jungantur. Cicero, de Invent., l. I, c. 22, 31 : « Altera est, in qua rerum earum, de quibus *erimus dicturi*, breviter expositio ponitur distributa. » Idem pro Font., c. 12, 26 : « Si illi bellum facere conabuntur, *excitandus* nobis *erit* ab inferis C. Marius, etc. » Et præterita futuris miscentur, cum *dicturum fuisse*, *auditurum fuisse*, et alia hujus generis dicimus.

FUTURUM INFINITUM PASSIVUM

346. Futurum passivum ex infinito *iri* et voce simili supino in *um* constat, ut *amatum iri*, *doctum iri*, *violatum iri*, *occisum iri*, omnibusque generibus atque utrique numero attribuitur.

Cicero, Att., l. II, ep. 20, 2 : « Pompeius affirmat non esse periculum : adjurat; addit etiam *se* prius *occisum iri* ab eo, quam *me violatum iri*. » Idem ad eumdem, l. XV, ep. 25 : « *Brutum*, ut scribis, *visum iri* a me puto. » Idem, de Divin., l. I, c. 32, 68 : « Audivi C. Coponium.... dixisse remigem quemdam.... vaticinatum *madefactum iri* minus triginta diebus *Græciam* sanguine. » Terentius, Hecyr., Prol., v. 39 :

. . . . . Interea rumor venit
Datum iri gladiatores.

Quintilianus, l. IX, c. 2, 88 : « Reus parricidii.... *damnatum iri* videbitur. » Plautus, Rud. act. IV, sc. 7, v. 16 :

Mihi istæc videtur *præda prædatum irier*.

Etsi *datum ire*, *perditum ire*, *interfectum ire*, *servatum ire*, et alia ejusdem generis nihil aliud quam *dare*, *perdere*, *interficere*, *servare* significant, atque præsentis sunt temporis; tamen *datum iri*, *perditum iri*, *interfectum iri*, et quæ sunt generis ejusdem futurum tempus adsignificant, ut allata exempla atque alia multa docent. Cicero, Att. l. IX, ep. 9, 2 : « Quem tu locum Græciæ non *direptum iri* putas? » Ad eumdem, l. X, ep. 1, 3 : « Quod scribis..... te ipsum putare me *attractum iri*, etc. » Idem ad eumdem, l. VII, ep. 1, 1 : « Dederam equidem L. Saufeio literas..... Sed, ut philosophi ambulant, has tibi *redditum iri* putabam prius. »

Sunt qui putent hoc loquendi genere etiam tempus præsens adsignificari; fieri quidem potest, sed testimonia quibus id docent, partim depravata sunt, partim nobiscum faciunt. Videamus Plinium, l. II, ep. 5, 2 : « Quæ absolutiora mihi videbantur, non fuit alienum judicio tuo *traditum iri*. » Apud Plinium sic legitur : « Interim quæ absolutiora mihi videbantur, non fuit alienum judicio tuo *tradi* (1). » Cicero, de Invent., l. II, c. 8, 27 : « Quod si id concedatur, illud non *concessum iri* [oportet.] » *Oportet* nusquam est apud Ciceronem. Locus est non longe a principio. Lactant., l. I, c. 5, in fine : « Et Erythræam se *nominatum iri* prælocuta est, » apertissime futurum est. Sic Cicero, de Divin., l. I, c. 32, 68 : « Audivi C. Coponium..... dixisse remigem quemdam..... vaticinatum *madefactum iri* minus triginta diebus *Græciam* sanguine. » Itidem illud Plauti, Rud. act. IV, sc. 7, v. 16 :

Mihi istæc videtur præda *prædatum irier*.

Prædatum iri futurum procul dubio est : timebat

(1) Eo modo scripserunt Lemaire, Orellius et Teubner, quo affirmat Alvarus.

enim vehementer Gripus, qui hæc loquitur, ne herus, vir bonus et justus, vidulum quem cum multo auro et argento reti traxerat, restitueret lenoni qui naufragium fecerat, atque ita tanta præda spoliaretur.

Nunc ponamus aliquot exempla, quibus planum fiat *amatum ire*, *datum ire* et alia hujus generis præsens adsignificare, quæ Diomedes, l. I, p. 345, etc., Donatus cæterique veteres grammatici docent futuri infiniti esse circuitiones. Plautus, Pœn. act. III, sc. 1, v. 9:

> Siccine oportet *ire* amicos homini amanti operam *da-*
> *[tum?*

Idem, Cistel. act. I, sc. 1, v. 4:

> Qui magis potueris mihi honorem *ire habitum*
> Nescio.

Idem, Bacch. act. V, sc. 2, v. 52:

> Ut istuc delictum desistas tantopere *ire oppugnatum*.

Livius, l. XXXIX, c. 10: « Vitricus ergo, inquit, tuus pudicitiam, famam, spem, vitamque tuam *perditum ire* hoc facto properat. » Gellius, l. XIV, c. 6: « Homo nobis familiaris, *adjutum*, inquit, *ornatum*que volo *ire* noctes tuas. » Quid, quæso, aliud *ire datum operam*, *ire habitum honorem*, *ire oppugnatum*, *perditum ire*, *ornatum ire*, quam *operam dare*, *habere honorem*, *oppugnare*, *perdere*, *ornare* significat? Illud Plauti, Mil. act. IV, sc. 3, v. 35:

> Credo te facile *impetratum ire*;

quo quidam conantur docere hæc futurum tempus adsignificare, longe aliter legitur, ut paulo ante diximus:

> Credo te facile *impetrassere*;

quod futurum infinitum est priscum, pro *impetraturum esse*.

Infinita passiva *visum iri*, *occisum iri*, et alia id genus a verbis activis, accusativum habent ante se more aliorum verborum infiniti modi: neque enim a supino in *um* regitur, ut quidam volunt; post se vero ablativum habent etiam singularis numeri, ut allata exempla docent. Si fiant a verbis neutris, etiam post se ablativum exigent, ut: Credo *a militibus* Cæsaris fortissime *pugnatum iri*. Arbitror *a nemine* tibi nocitum *iri*. Cæsar, Bello Gall., l. V, c. 36, *nocitum iri* dixit: « Ille appellatus respondit, si velit secum colloqui, licere; sperare a multitudine impetrari posse, quod ad militum salutem pertineat, ipsi vero nihil *nocitum iri*. »

Si quis roget an hæc etiam ante se accusandi casum habeant, ex iis, quæ supra de Verbis impersonalibus diximus, facile intelliget. Cur enim non subaudiatur *pugnam* et *noxam*, ut dicimus *pugnare pugnam*, *nocere noxam*? Vox quæ supino in *um* similis est, tam verba activæ quam passivæ declinationis comitatur. Livius, l. XXXII, c. 22: « Neu pertinacia sua gentem universam *perditum* iret. » Terentius, Andr. act. I, sc. 1, v. 134:

> . . . . . Cur te is *perditum?*

Idem, Heaut. act. II, sc. 2, v. 315:

> . . . In mea vita tu tibi laudem is *quæsitum*, scelus!

M. Cato apud Gellium, l. X, c. 14: « Atque evenit ita, Quirites, uti in hac contumelia, quæ mihi.... *factum* itur, rei quoque publicæ medius fidius miserear. » Vides ut Cato dixerit *contumelia factum itur?* quem locum sic idem Gellius explicat: « *Contumeliam factum iri* significat iri ad contumeliam faciendam, id est, operam dari quo fiat. » Hæc ille. Hoc tamen genus loquendi jam exolevit, quod ad finita verba attinet; quod modus infinitus suo jure retinuit.

Illud pene mihi exciderat, *ire* locum habere etiam cum verba sunt deponentia. Curtius, l. X, c. 8, 5: « Postremo die indigna res Macedonibus videbatur, Perdicam ad mortis periculum adductum, et Meleagri temeritatem armis *ultum ire* decreverant. »

347. Circuitionem illam quæ ex participio in *dus* et infinito *esse* constat, prætermisimus, propterea quod parum sit usitata veteribus; non quod negem esse participium in *dus* futuri temporis, cum id Quintilianus omnesque veteres grammatici doceant; sed quia hæc loquendi ratio officium necessitatemque potius quam futurum tempus adsignificare videatur. Virgilius, Æn. III, v. 234:

> . . . . . Sociis tunc arma capessant
> Edico, et dira bellum cum gente *gerendum*.

Significat Æneas necessario gerendum esse bellum cum Harpyiis. Quintilianus, l. IX, c. 3, 64, in hunc

locum sic inquit : « Illud plane figura est, qua diversa sermonis forma conjungitur; quamvis enim pars *bello* posterior participio insistat, utrique convenit illud *edico.* » Cicero, Fam., l. XV, ep. 4, 11 : « *Admonendum* potius te a me, quam *rogandum* puto. » Dic *Admonitum iri* potius te a me, quam *rogatum iri* puto; num idem hæc valent? non puto : illud enim officium debitumque adsignificat, hoc potius futurum tempus. Illud sic exponi potest : *Admoneri* puto potius te a me, quam *rogari oportere.* Sic idem, Fam., l. I, ep. 5, 1 : « Quæ autem posita sunt in conjectura, quæque mihi videntur fore, ea puto tibi a me *scribi oportere;* » fac sic : Ea puto tibi a me *scribenda esse,* idem prorsus dixeris. Quid ergo? deceptus est Fabius? erravit tantus vir? minime vero. Ut enim plurima verba futuri temporis debitum, officium necessitatemque adsignificant, ita participia fere in *dus,* quæ nihilominus participia sunt, ut illa verba futura. Quid? cum Venus Æneam alloquitur, Æn. II, v. 596 :

> Non prius *aspicies* ubi fessum ætate parentem
> Liqueris Anchisen? superet conjuxne Creusa,
> Ascaniusque puer?

Num *aspicies* futurum tempus adsignificat? nonne potius officium atque adeo pietatem? At cum M. Tullius, II Phil., c. 46, 118, dixit : « Defendi rempublicam adolescens, non *deseram* senex, » an *deseram* tempus adsignificat? Ibid., 119 : « Etenim si abhinc annos prope viginti hoc ipso in templo negavi posse mortem immaturam esse consulari; quanto verius nunc *negabo* seni? » Sed hæc hactenus; nam in Rudimentis, cum de participiis egimus, multa de eadem re dicta sunt.

RATIO SUPPLENDI FUTURUM INFINITUM

MAXIME CUM VERBA SUPINIS CARENT.

348. *Fore ut, futurum ut,* verbis *spero, puto, affirmo, suspicor,* et his similibus juncta, eleganter futurum infinitum tam agendi quam patiendi modi supplent.

Cicero, Tuscul., l. I, c. 34, 82 : « *Spero fore ut* contingat id nobis. » Idem, Att., l. XVI, ep. 16, 10 : « Nunquam *putavi fore ut* supplex ad te venirem. » Idem, Fam., l. I, ep. 6, 1 : « Valde *suspicor fore ut* infringatur hominum improbitas. » Seneca, l. II Controv., in proœmio : « *Scio futurum ut,* auditis ejus sententiis, cupiatis multas audire. » Idem, ibid., 9 : « Nunquam *putavi futurum ut* pater meus liberos odisset. »

Hac circuitione subvenitur verbis quæ supinis carent, ut : Puto *fore ut* brevi his incommodis *medeare.* — Affirmo *fore ut* paucis diebus orationem pro Marcello *ediscas.* — Suspicor *fore ut* juri civili potius quam philosophiæ *studeas.* — Polliceor *fore ut* non multo post intimis sensibus *angaris,* quando saluberrima parentis consilia negligis.

349. Circuitio ex præterito et futuro mixta. — Circuitio illa ex præterito et futuro mixta non minimum orationi affert ornamentum.

Cicero, Fam., l. IV, ep. 9, 2 : « Eum magis communem censemus in victoria *futurum fuisse,* quam incertis in rebus fuisset. » Idem, de Divin., l. II, c. 68, 141 : « An tu censes ullam anum tam deliram *futuram fuisse,* ut somniis crederet, nisi

ista casu nonnunquam..... concurrerent? » Idem, VIII Phil., c. 1, 2 : « Dixit aliam sententiam se *dicturum fuisse*, eamque se ac republica dignam, nisi propinquitate impediretur? »

Quid si verba supinis destituantur? Licebitne ita loqui : Puto *futurum fuisse ut disceres*, nisi cessator ac negligens fuisses? Nondum quod meminerim apud veteres hoc loquendi genus inveni. *Puto fore ut* usitatissimum est, ut paulo ante ostendimus. *Puto futurum fuisse ut disceres, refelleres, reposceres, scriberes, legeres*, et alia id genus, pro *scripturum fuisse, lecturum fuisse*, tum dicam, cum apud bonos auctores legero. Itaque doctiorum esto judicium.

Illa præterea circuitio ex præterito et participio in *dus* an huc spectet, iidem judicabunt: *Credo rempublicam a Catilina funditus evertendam fuisse, nisi M. Tullius ejus nefarios conatus compressisset.* Qui voces in syllabas *dus* et *dum* exeuntes necessitatem officiumque potius quam futurum tempus adsignificare docent, non facile id concedent; quorum sententiæ libenter accedimus interim dum veterum exempla non succurrunt. Quare dicam potius: *Credo Catilinam rempublicam funditus fuisse eversurum, nisi M. Tullius*, etc.

INFINITA CUM QUIBUS VERBIS COPULENTUR

350. Verbis *cœpi, soleo, debeo, cupio* adduntur infinita, multisque aliis, maxime iis quibus voluntas explicari solet.

Cicero, pro Rosc. Com., c. 16, 46 : « Qui *mentiri solet*, pejerare consuevit. » Idem, Fam., l. XVI, ep. 3, 2 : « Omnes *cupimus*, ego in primis, quam primum te *videre*. »

Multa sunt verba quibus infinita adduntur : *cesso, desino, pergo, incipio, gaudeo, lætor, suadeo, aggredior, opto, desidero, volo, malo, paro, cogo, affirmo, nego, instituo, censeo, statuo, decerno, ostendo, judico, audeo, timeo, jubeo* (1), *disco*, cum synonymis, ut *amat* pro *solet*. Item *possum, videor*, quæque sunt de eodem genere; præterea, quæ proæretica vocant, id est, quæ ad voluntatem explicandam pertinent, de quibus jam egimus. Ab his præcipue tradunt grammatici verba infinita definiri ac determinari; nam cum infinitum verbum (ut vox ipsa declarat) incerti sit numeri et personæ, beneficio verborum quibus adjungitur, numerum personamque certam habet. Exempli gratia : *videre* verbum est infinitum; neque enim scire potes sitne singularis ac pluralis numeri; primæ, secundæ an tertiæ personæ; adde ei verbum *cupio*, sic : Cupio *videre* te beatum, subito ex infinito et incerto factum est finitum certumque, munere atque beneficio verbi *cupiendi* : est enim primæ personæ singularis numeri, quemadmodum *cupio* cui adhæret.

Solet, incipit, debet, cœpit, desinit, potest, cum infinitis verborum impersonalium adjunguntur, nominativum celant. Cicero, de Fin., l. I, c. 13, 43 : « Qua præceptrice in tranquillitate *vivi potest*, omnium cupiditatum ardore restincto. » Idem, Att., l. XI, ep. 15, 3 : « Hic *maneri* diutius non *potest*. »

Futurum infiniti maxime his verbis gaudet: *auguror, confido, credo, existimo, puto, audeo, video, ominor, suspicor, opinor, affirmo, polliceor, promitto*, itemque cæteris ejusdem generis. Cicero, Att., l. VII, ep. 26, 2 : « Sin erit bellum, ut *video fore*, partes meæ non desiderabuntur. » Idem, pro Mil., c. 28, 78 : « In iis singulis ita semper existimabitis, vivo P. Clodio, nihil eorum vos *visuros fuisse*. » Quidam legunt *visuros fore*.

Infinita nonnunquam cum verbis motus nomini-

(1) Vid. n. 310.

busque substantivis, more Græcorum, conjunguntur. Virgilius, Æn. I, v. 527 :

> Non nos aut ferro Libycos *populare* penates
> *Venimus*, aut raptas ad littora *vertere* prædas.

Terentius, Phorm. act. I, sc. 2, v. 102 :

> Voltisne *eamus visere?*

Idem, Hecyr. act. I, sc. 2, v. 189 :

> . . . . . Nostra illico
> *It visere*......

Cicero, Top., c. 1, 5 : « Sed jam *tempus est* ad id quod instituimus *accedere.* » Cæsar, Bello Gall., l. VII, 71 : *Consilium capit* omnem a se equitatum noctu *dimittere.* »

Adduntur et nominibus adjectivis maxime apud poetas, unde sunt illa : *paratus respondere, cantare, certare. Certus ire, succurrere, mori. Doctus cantare, vincere. Peritus certare, audax perpeti, timidus mori,* et cætera id genus. *Paratus, dignus* etiam ab oratoribus cum infinito copulantur. Cicero, pro Quint., c. 2, 8 : « Et si qua in re, id quod *parati* sunt *facere,* falsum crimen, quasi venenatum aliquod telum jecerint, medicinæ faciendæ locus non erit. » Idem, Fam., l. XV, ep. 4, 12 : « Mitto quod invidiam, quod pericula,.... si per me licuisset, *subire paratissimus* fueris. » Idem in Sallust., c. 3, 9 : « (Res familiaris), quæ mihi multo minor est, quam *habere dignus* sum. »

Adjectivis neutris eleganter adhærent infinita, ut *Æquum, laudabile, pium*que est miseris opem *ferre.* Cicero, Att., l. VIII, ep. 2, 2 : « (Patria) pro qua et in qua *mori præclarum* est. »

APPENDIX.

351. Amphibolia, accusativi geminatione facta, solvitur ablativo, ut : *Milonem* audivi occidisse *Clodium ;* ambigua est oratio : dubium enim est uter ab altero fuerit occisus. Muta alterum accusativum in ablativum, sic : *A Milone* audivi occisum esse *Clodium;* sublata est omnis dubitatio.

Quintilianus, l. V, c. 9, 10 : « Accusativi geminatione facta amphibolia solvitur ablativo, ut illud : *Lachetem* audivi percussisse *Demeam;* fiat : *A Lachete* percussum *Demeam.* »

GERUNDIA

352. Gerundia quæ passionem non significant, casus suorum verborum admittunt, ut : *Tempus obliviscendi injuriam, ignoscendi inimicis, coercendi cupiditates, abstinendi maledictis.*

Quidam veterum grammaticorum, ut refert Diomedes, l. I, p. 328, sextum modum addiderunt, quem *participialem* appellarunt ; is complectebatur quæ modo gerundia et supina diximus. Eos Diomedes, quod attinet ad rationem inflectendi verba secutus est; inquit enim, l. I, p. 347 : «Modo participiali : *Amandi, amando, amandum, amatum, amatu.* » Deinde subjicit : « Sed apud quosdam hæc verba gerundia sunt, quæ Probus supina appellat. » Paulo post, p. 350: « Gerundia, inquit, vel participialia : *Legendi, legendo, legendum, lectum, lectu.* » Eodem etiam libro, p. 354 : « Supina : *Tollendi, tollendo, tollendum, sublatum, sublatu.* » Itaque non separat gerundia a supinis, ut hodie fit, sed gerundia simul et supina nunc modum participialem, nunc participialia, nunc gerundia, nunc supina appellat.

Servius, in illud Virgilii, Æn. XII, v. 46 :

> Exuperat magis, ægrescitque *medendo,*

medendo vocat modum gerundii. Idem in illud Æn. X, v. 628 :

> Et Juno *illacrymans :* Quid si quod voce gravaris
> Mente dares?

Modum *gerundii* gemino *i* appellat, non unico,

ut quidam solent scribere : est enim genitivus a nomine *gerundium,* non participiale a verbo *gerundi.* Nam idem Servius, in Art. II Donati, p. 1787, modum *gerundivum* appellat, ubi veteres sequitur; atque hæc participialia *modum verbi casualem* vocat Priscianus, l. XI, p. 911, quamvis eadem modo *participialia,* modo *gerundia,* l, XI, p. 911, *supina,* l. VIII, p. 822, appellet; negat tamen, l. VIII, p. 822, esse modum verborum, propterea quod personas minime discernant, et temporibus careant, sine quibus verbum esse non possit, et casus assumant, et præpositionibus separatis adjungantur. Unde l. VI Exercitationum (sup. 12 vers. Æn.), p. 1249, *nomina participialia* appellat. Phocas, p. 1718, participialia vocat et *gerundiva,* ubi suspicor legendum esse *gerundia* (1). Donatus (si tamen exempla conjugationum quæ circumferuntur ejus sunt) *gerundia seu participialia* vocat, quæ hodie gerundia vocamus; cætera *supina,* more recepto. Hæc veteres Grammatici de gerundiis et supinis.

Ego, dicam enim quod sentio, suspicor gerundia et supina verba esse infiniti modi : nihil enim aliud, verbi causa, *Dicendi, dicendo, dicendum, dictum, dictu,* quam *dicere* vel *dici* significant. Varius tamen harum vocum est usus, quæ varietas et ubertas solis Romanis contigit : nam Hebræi, Arabes, Græci cæteræque nationes solo nudoque infinito fuerunt contentæ; quod siquando illam Romanorum copiam imitari gestiunt, ad articulos præpositionesque confugiunt, quarum beneficio suæ inopiæ medentur, præfigentes nimirum, vel articulos, vel præpositiones, vel utraque simul ipsis infinitis. Romani, ut hanc jejunitatem fugerent (neque enim ferre poterant tam crebrum infiniti usum vel potius fastidium), exempli causa : Tempus est causam *dicere;* Philosophia necessaria est ad bene *dicere;* Consumpsisti tres horas in *dicere* causam; Hæc causa difficilis est *dici;* ut hanc, inquam, jejunitatem fugerent, participialia excogitaverunt, quibus infiniti loco uterentur, sic : Tempus est causam *dicendi;* Philosophia necessaria est ad bene *dicendum;* Consumpsisti tres horas in *dicendo;* Hæc causa difficilis est ad *dicendum,* difficilis est *cognitu.* Nonnunquam etiam more exterarum gentium infinito utuntur. Livius, l. XXX, c. 4 : « Tempus esse aut pacem *componi,* aut bellum naviter *geri.* » Statius, Sylv., l. IV, carm. 4, v. 61 :

Forsitan Ausonias ibis *frænare* cohortes.

Excogitaverunt itaque Romani participialia verba ad leniendam molliendamque orationem. Quæ nomina non ideo censenda sunt, quod aliquando præpositiones admittant, quemadmodum neque Hebræorum Græcorumque infinita verba. Certe Quintilianus, l. I, c. 4, 29, de verbis agens, ea inter verba numerat : « Quædam, inquit, simile quiddam patiuntur vocabulis in adverbium transeuntibus : nam ut *noctu* et *diu,* ita *dictu* et *factu :* sunt enim hæc quoque verba participialia quidem, non tamen qualia dicto factoque. » Hæc ille. Quod si Quintilianus supina in *u* quæ adverbii speciem præ se ferunt, neque casus verborum postulant, ut gerundia, verba appellat; existimabimus eum gerundia fuisse nominibus annumeraturum, cum casus suorum verborum postulent, nec more participiorum declinentur? Nam *Amandi, amando, amandum, amatum, amatu,* exitus verborum sunt, non casus. Unde ultima more verborum anceps est, quo argumento veteres, in quibus Servius est, docent verba esse, non nomina. Et si quis rem diligentius expendat, intelliget hæc, ut ipsum verbum infinitum, numeros et personas latentes habere, quæ aliunde definiuntur, ut : Sum *peritus navigandi,* singularis est numeri et primæ personæ. Sumus *periti navigandi,* pluralis est numeri, primæque personæ. Unde sunt illæ locutiones : Veni causa *adhortandi vestri;* Venerunt causa *purgandi sui,* ubi hæc pluralis numeri sunt, de quibus suo loco. Sum defessus *docendo te, docendo vos :* sunt hæc verba infinita, quorum numerus et persona definitur a verbis vel nominibus præcedentibus. Varro gerundia verba solet appellare, de Ling. lat., l. VIII, 57 : « Quæ vocabula, inquit, dicuntur, a verbis (fiunt), ut a *scribendo scriptor,* a *legendo lector,* ..... ab *amando amator;* et a *salutando salutator,* a *cantando cantator;* et cum dicatur : Lassus sum *metendo, ferendo,* ex his vocabula non reddunt proportionem, quo non fit, ut *messor, fertor.* » Paulo post, 58, docet a verbis fieri vocabula dissimilia superiorum, quæ participia dicuntur, quod simul habeant casus et tempora, ubi de gerundiis nullam fecit mentio-

(1) Certe bis habet Phocas *gerundiis* apud Putsch, p. 1718, quibus locis Lindemann, t. I, pp. 349 et 350, *gerundivis* posuit.

nem, facturus procul dubio, si ea existimasset esse vocabula et non verba.

Quod ad etymon attinet, *participialia* dicuntur, *modus*que *participialis*, quod participiis vocis passivæ, præteriti futurique temporis, similia sint, cum in casus inclinantur, *Amandi, amando, amandum, amatum* (vide Diomedem, l. I, pp. 396 et 333); *supina* vero, quod (ut Prisciano, l. VIII, p. 811, placet) nascuntur a participiis passivis, quæ *supina* appellata sunt; qui vero participia passiva, supina appellarunt, videntur situs rationem habuisse; nam ea infimo loco sita, totum conjugationis ordinem molemque sibi incumbentem veluti suspiciunt. Mallem dixisset Priscianus ita fuisse appellata, quod participiis similia essent, quæ *supina* fuissent a quibusdam dicta; non enim omnia participialia a participiis passivis nasci possunt, cum sint quam plurima quæ a verbis neutris fiunt, ut : *Currendi, currendo, currendum, cursum.* Quanquam ipse Priscianus, de 12 versu Æn. II, p. 1230, hunc nodum solvit : « In neutris, inquit, verbis, quamvis non sint participia præteriti, ad similitudinem habentium hoc proferimus. » Probus ait supina propterea dicta, quod nec certum habeant numerum, nec personam, nec significationem : nam et ad quamvis personam referuntur, et utriusque numeri sunt, et tam agentis quam patientis significationem habent. Itaque quemadmodum *supinos* homines vocamus negligentes ac dissolutos, nihil pensi, nihil certi habentes; ita hæc participialia supina dicta sunt, quod omnia permixta confusaque habeant. *Gerundia* cur sint dicta, nondum apud veteres, quod meminerim, legi.

GERUNDIA IN *DI*

353. Gerundiis in *di* adduntur substantiva *tempus, causa, studium, finis*, et cætera ejusdem generis. Cicero, de Senect., c. 23, 83 : « Equidem efferor *studio* patres vestros, quos colui et dilexi, *videndi.* » Idem, Att., l. X, ep. 4, 1 : « Ac *deplorandi* quidem..... sit jam nobis aut *finis* omnino, si potest, aut *moderatio* quædam. »

Item nonnulla adjectiva, ut *peritus, imperitus, cupidus, insuetus navigandi, ignarus dicendi.* Cicero, de Orat., l. II, c. 4, 16 : « Sum *cupidus* te..... *audiendi.* »

Participialia verba nullum ante se casum postulant, sed certis nominibus substantivis adjunguntur, cujusmodi sunt *ratio, facultas, ars, disciplina, doctrina, copia, ubertas, usus, finis, occasio, gratia.* Cicero, de Orat., l. III, c. 15, 56 : « *Vim dicendi* veteres Græci sapientiam nominabant. »

Adjectiva pauciora sunt. Cicero, de Orat., l. I, c. 59, 251 : « Nemo suaserit *studiosis dicendi* adolescentibus, in gestu discendo histrionum more elaborare. » Idem, ibid., l. III, c. 44, 175 : « Neque est ex multis res una, quæ magis oratorem ab *imperito dicendi*, ab ignaroque distinguat. » Idem, Off., l. III, c. 14, 60 : « Hoc quidem sane luculenter, ut ab homine *perito definiendi.* » Idem, de Opt. Gen., c. 4, 11 : « *Inscii faciendi.* » Cæsar, Bello Gall., l. V, c. 6 : « Partim quod *insuetus navigandi* mare timeret. » Cicero, de Orat., l. I, c. 49, 214 : « Vir *regendæ reipublicæ scientissimus.* »

Fieri potest ut priscis temporibus gerundia casum aliquem ante se habuerint; multa enim usurparunt prisci Latini, quæ posteris inaudita fuerunt. Locus tamen Livii, l. XXIX, c. 2, qui a quodam affertur, depravatus est : « Tum plures cæsi, quia *equos conscendendi* ab equitibus spatium non fuerat; » quo testimonio probat gerundium *conscendendi* ante accusandi casum habere. Germana ac vera lectio sic habet : « Tum plures cæsi, quia equos conscendendi equitibus spatium non fuerat. » Si quando hic auctor aliquid novi attulerit, evolvendi sunt diligentissime libri, ne forte decipiaris.

In illo Virgilii, *Æn*. II, v. 81 :

> *Fando aliquod*, si forte tuas pervenit ad aures
> Belidæ nomen Palamedis,

aliquod, non nominandi, sed accusandi est casus, ut in illo ejusdem, eodem libro :

> . . . . . Quis *talia fando*
> Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Ulyssei
> Temperet a lacrymis?

Illud Livii, l. VIII, c. 11 : « Ibi in consiliis Numisius imperator eorum, affirmando communem vere Martem belli utramque aciem pari cæde prostravisse, victoriæque nomen tantum penes Romanos esse, etc.... (longa enim est periodus). Itaque, si videatur eis se ex Latinis et ex Volscis populis juventute prope excita, rediturum infesto exercitu Capuam esse : Romanosque nihil tum minus quam prælium exspectantes, nec opinato adventu perculsurum. » *Numisius imperator*, pendet ex verbo subaudito *dixit, pollicitus est*, vel simili. Nonne latine dicemus : Cæsar imperator, affirmando Pompeium maximam cladem accepisse, tres legiones amisisse, a veteranis desertum esse, hortatus suos milites est, ne tantæ victoriæ oblatam occasionem amitterent?

APPENDIX.

354. Gerundia in *di* interdum genitivum multitudinis pro accusativo admittunt. Cicero, de Divin., l. II, c. 17, 39 : « Doleo tantam Stoicos nostros Epicureis *irridendi sui* facultatem dedisse. » Plautus, Capt. act. IV, sc. 2, v. 72 :

> *Nominandi istorum* tibi erit magis, quam edundi copia.

Cæsar crebro hoc genere loquendi utitur, cum pronomen *sui* pluralis numeri adhibetur : Bello Gall., l. IV, c. 13 : « Frequentes, omnibus principibus majoribusque natu adhibitis, ad eum in castra venerunt, simul ut dicebatur, *sui purgandi* causa, quod contra atque esset dictum et ipsi petissent, prælium pridie commisissent. » Livius, l. XXI, c. 41 : « Non vereor ne quis me hoc *vestri adhortandi* causa magnifice loqui existimet, ipsum aliter animo affectum esse. » Suetonius, Aug., c. 98 : « Iisdem etiam epulum in conspectu suo præbuit, permissa, imo exacta jocandi licentia, *diripiendi*que *pomorum*. » Terentius, in prologo Heaut. v. 28 :

> Facite æqui sitis; date crescendi copiam,
> *Novarum* qui *spectandi* faciunt copiam,
> Sine vitiis;

hoc est : *date copiam crescendi*, id est, *majorem famam gloriamque comparandi, iis qui faciunt copiam videndi novarum*, pro *novas comœdias*. *Novarum* non jungitur cum participiali verbo *crescendi*, cum sit absolutum, sed cum *spectandi*. Accipitur enim hic *crescere*, ut apud Ciceronem, pro S. Roscio, c. 30, 83 : « Nam si liberet accusare..., possem *crescere ;* » hoc est, *possem illustrior fieri majoremque gloriam comparare*. In his et similibus locutionibus gerundium est pluralis numeri passivæque significationis : neque enim variatur, quod proprium est verbi infiniti, generaque omnia recipit ut infinitum *fore ut, amatum iri*, denique ut illa prisca in *rum*, de quibus supra egimus. Recipit masculinum, *vestri adhortandi ;* neutrum, *diripiendi pomorum ;* femininum, *spectandi novarum*. Quod vero dixi, genitivum pro accusativo poni, more cæterorum locutus sum.

GERUNDIA IN *DUM*

355. Gerundiis in *dum* præponuntur præpositiones *ad*, *ob*, *inter*.

Cicero, Tuscul., l. III, c. 7, 15 : « Conturbatus animus non est aptus *ad exsequendum* munus suum. » Idem, Verr. act. II, l. II, c. 32, 78 : « Quanto illud flagitiosius, improbius, indignius, eum a quo pecuniam *ob absolvendum* acceperis, condemnare? » Livius, l. II, c. 20 : « Ipse *inter spoliandum* corpus hostis, veruto percussus...., inter primam curationem exspiraverit. »

Præponitur et *ante*, sed rarius. Virgilius, Georg. III, v. 206 :

. . . . . Namque *ante domandum*
Ingentes tollent animos.

Præpositio *ad*, cum gerundio in *dum*, frequenter sequitur verba *motus*. Livius, l. II, c. 47 : « *Mittunt ad* castra *oppugnanda*. » Cicero, de Orat., l. III, c. 33, 136 : « Nunc contra plerique *ad* honores *adipiscendos* et *ad* rempublicam *gerendam* nudi *veniunt* atque inermes. » — Item adjectiva *facilis, difficilis, paratus, promptus, expeditus, idoneus, aptus, segnis, vehemens*, et similia. Idem, de Fin., l. I, c. 10, 34 : « Nec (me) *segniorem ad respondendum* reddidisti. » Idem, pro lege Manil., c. 1, 1 : « Hic locus *ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus* est visus. »

Gerundia in *do* et *dum*, quibus præpositio adjuncta est, quamvis raro sequatur casus, nonnulla tamen subjiciemus exempla. Cicero, Fam., l. V, ep. 17, 5 : « Ego et memoria nostræ veteris amicitiæ, et virtute atque observantia filii tui monitus, nullo loco deero, neque *ad consolandum*, neque *ad levandum fortunam* tuam (1). » Livius, l. III, c. 53 : « Legati, ad ea quæ consilii fuerunt, adeo æqua postulastis, ut ultro vobis deferenda fuerint; libertati enim ea præsidia petitis, non licentiæ *ad impugnandos alios*. » Varro, de Re rust., l. III, c. 9 : « *In supponendo ova*, observant ut numero sint imparia. » Plinius, l. VII, c. 41, 2 : « Vana mortalitas, et *ad circumscribendum se ipsam* ingeniosa. » Cicero, Tuscul., l. III, c. 9, 20 : « Ab invidendo autem invidentia recte dici potest, ut effugiamus ambiguum nomen invidiæ; quod verbum ductum est *a* nimis *intuendo fortunam* alterius. » Gellius, l. XVIII, c. 15 : « Varro in libris disciplinarum scripsit observasse se in versu hexametro, quod omni modo quintus semipes verbum finiret, et quod priores quinque semipedes æque magnam vim haberent *in efficiendo versum* (2), atque alii posteriores septem. » Sunt et alia loca quæ ex libris correctis intellexi depravata esse. Livius, l. XXX, c. 13 : « Eadem hæc et Syphaci animum dederunt *in alloquendo victorem*. » *Victore* legitur in correctis. Cicero, Att., l. VI, ep. 6, 3 : « Nos provinciæ præfecimus Cælium; puerum, inquies, et fortasse fatuum..... Nam quas multo ante tuas acceperam literas, in quibus ἐπέχειν te scripseras, quid esset mihi faciendum de relinquendo, eæ me pungebant. » Quidam depravate legunt : in quibus interscripseras *de relinquendo ea* quæ me impugnabant. Leges et apud Senecam, de Benef., l. II, c. 18, 7 : « Nemo *in id accipiendo* obligatur, quod illi repudiare non licuit. » In castigatis : « Nemo enim id accipiendo obligatur, etc. » Idem, Excerpta controv., l. II, 2 : « Ex quo apparet summi ingenii viro non judicium defuisse *ad compescendum scientiam* carminum suorum, sed animum. » In correctis legitur : *ad compescendam scientiam*. Sed quid attinet depravatis testimoniis chartas infarcire? Qui eleganter volet loqui, Ciceronem imitabitur, qui hoc loquendi genere fere abstinet.

(1) Ita d'Olivet, Lallemand, Ernesti, Lemaire; sed Orellius et Teubner : « neque *ad consolandam* neque *ad levandam*. »

(2) Monet Ruddim., Synt., l. 1, c. 2, n. 59, not. 69, emendatiores codices habere *efficiendo versu*. Ita certe edit. Gronoviana.

GERUNDIA IN *DO*

356. Gerundia in *do* modo sine præpositione in oratione adhibentur. Cicero, Att., l. XV, ep. 9, 1 : « *Plorando* fessus sum; »

Modo præpositiones, maxime *a, ab, de, in,* assumunt. Idem, Tuscul., l. III, c. 9, 20 : « *Ab invidendo* autem invidentia recte dici potest. » Idem, Fam., l. II, ep. 1 : « Etenim quis est tam *in scribendo* impiger (1) quam ego? » Idem, Att., l. IX, ep. 1, 4 : « Tu quid cogites *de transeundo* in Epirum, scire sane velim. »

Nonnunquam *e* vel *ex, cum, pro*. Plautus, Aulul. act III, sc. 3, v. 8 :

> Heus! senex, *pro vapulando,* hercle, ego abs te mercedem petam.

Quintilianus, l. I, c. 4, 3 : « Scribendi ratio conjuncta *cum loquendo* est. »

Laurentius, l. I, c. 27, in fine, negat hoc gerundium cum verbis motus posse conjungi, ut : *Revertor ab arando, redeo a spectando,* sed *ab aratione, a spectaculis.* Cicero tamen, in lib. de Clar. Orat., c. 31, 118, non videtur tantopere id reformidasse : « Tum Brutus, Quam hoc idem in nostris contingere intelligo, quod in Græcis! ut omnes fere stoici prudentissimi in disserendo sint, et id faciant, sintque architecti pene verborum; iidem *traducti a disputando* ad dicendum, inopes reperiantur. » Exemplum ubi *ex* præcedit est apud Terentium, Adelph. act. V, sc. 9, v. 991 :

> Ut id ostenderem, quod te isti facilem et festivum [putant,
> Id non fieri ex vera vita, neque adeo ex æquo et bono,
> Sed *ex assentando* atque *indulgendo*, et *largiendo.*

Gerundia in *do* dandi casus activæ significationis raro reperiuntur. Plautus, Epid. act. IV, sc. 2, v. 35 :

> Ego relictis rebus Epidicum *operam quærendo* dabo;
> Si invenio, exitiabilem ego illi faciam hunc ut fiat diem.

Idem, Pænul. act. I, sc. 2, v. 13 :

> Ex (ancillæ) *nos lavando, eluendo,* operam dederunt.

Ille locus Valer. Max., l. III, c. 6, 1 : « P. Scipio cum in Sicilia *augendo exercitum,* trajiciendoque in Africam opportunum quæreret gradum, etc., » non facit ad rem, est enim mutilatus et depravatus. Sic enim habet : « P. Scipio quum in Sicilia augendo trajiciendoque in Africam exercitu opportunum quærendo gradum, Carthaginis ruinam animo volveret, etc. »

(1) Particulam *in* non habent d'Olivet, Lallemand, etc. Servavit Manutius, quia in vetere suo libro reperit duobusque aliis. Item Lemaire, auctoritate Manutii et Ernesti. Sic autem Ernesti : « Restitui *in* deletum a Victorio, Gebhardo, etc. Abest sane quibusdam codd., sed absorpta est ab ultima litera in *tam,* ut alibi, præsertim compendio scripta, ut in Ms. nostro. Utinam exempla attulissent viri docti hujus formæ, *impigrum scribendo esse.* » Orellius habet *in* italice scriptum, annotatque « e vetere suppl. » Demum Teubner : « tam [in] scribendo impiger. »

GERUNDIA PASSIVA

357. Gerundia quæ passionem significant, nullum post se casum admittunt.

Quintilianus, l. XI, c. 2, 1 : « Ipsa (memoria) *excolendo,* sicut alia omnia, augetur. » Plinius, l. XXXIV, c. 43, 1 : « Rubens (ferrum) non est habile *tundendo.* »

Idem, l. XXXI, c. 32, 1 : « Est autem utilis.... bituminata aut nitrosa (aqua).... *bibendo* atque purgationibus. » Sallustius, Jug., c. 5 : « Pauca supra repetam, quo *ad cognoscendum* omnia illustria magis magisque in aperto sint. »

Gerundia quidam suspicantur dicta, quod geminam significationem, activam nimirum et passivam, gerant; post se casum non admittunt; neque illud Gellii, l. I, c. 12 : « Amata *inter capiendum* a Pontifice maximo appellatur, quoniam quæ prima capta est, hoc fuisse nomine traditum, » ad rem videtur facere. Hic enim est sensus : Vestalis appellatur a Pontifice maximo Amata, *inter capiendum*.

In *di* rarius passionem significant. Justinus, l. XVII, c. 3, 11 : « Athenas quoque *erudiendi* gratia missus, quanto doctior majoribus suis, tanto et gratior populo fuit. »

Do, dum finita, frequentius. Cicero, de Nat., c. 64, 160 : « Qua pecude, quod erat *ad vescendum* hominibus apta, nihil genuit natura fœcundius. » *Do* finitum tum dativi, tum ablativi naturam imitatur : dativi, Plinius, l. XIII, c. 23, 2, ubi de chartarum generibus agit : « Emporetica inutilis *scribendo*, etc. » Idem, l. XXI, c. 56, 21 : « Scolymus carduorum generis ab iis distat, quod radix ejus *vescendo* est decocta; » et l. XXV, c. 18, de variis ficorum generibus loquens : « Nam Alexandrinæ vix sunt *vescendo;* » ubi subaudiendum est *utiles, aptæ,* vel quid simile.

Ablativus aliquando præpositionem habet. Varro, de Re rust., l. II, c. 9 : « Quam paucissimos reliqueris, tam optimi *in alendo* fiunt, propter copiam lactis. » Plautus, Aulul. act. III, sc. 3, v. 8 :

> Heus! senex, *pro vapulando*, hercle, ego abs te mercedem petam;

quod paulo ante adduximus, ut ostenderemus *do* finitum præpositionem *pro* etiam admittere.

RATIO VARIANDI GERUNDIA

358. Gerundia quæ accusativo casu gaudent, fere elegantius more adjectivorum ad hunc modum efferuntur. Pompeius studiosus fuit *Rempublicam defendendi, cives*que *servandi.* — Pompeius studiosus fuit *Reipublicæ defendendæ, civium*que *servandorum;* ita ut gerundii casus maneat, servato tamen genere ac numero accusativi.

Cicero, IV Phil., c. 1, 1 : « Princeps vestræ *libertatis defendendæ* fui. » Idem, Fam., l. II, c. 4, 2 : « Hoc, quicquid attigi, non feci *inflammandi tui* causa, sed *testificandi amoris* mei. » Livius, l. II, c. 17 : « Interjecto deinde haud magno spatio, quod *vulneribus curandis, supplendo*que *exercitui* satis esset. » Cicero, Fam., l. III, ep. 11, 4 : « Tuumque simul promptum animum et alacrem perspexi *ad defendendam Rempublicam.* » Idem, Fam., l. XV, ep. 21, 6 : « Omne desiderium *literis mittendis accipiendis*que leniam. » Livius, l. VII, c. 9 : « Prælia *de occupando ponte* crebra erant. »

Quidam ex junioribus hæc *gerundia nomina* vocant; alii, *gerundia adjectiva;* alii, *participialia adjectiva;* Laurentius, l. I, c. 27 initio, *gerundia quibus rei administratio significatur;* ita tamen ut suspicetur esse *participia passiva præsentis temporis,* quod Linacer post affirmavit. Priscianus, l. VIII, p. 809, *nomina verbalia* appellavit. Mihi (ut dicam quod sentio) videntur *gerundia passiva in* DUS, quæ ita nomino, ut distinguantur ab aliis passivis quæ in *di, do, dum* exeunt. Itaque ab activis formantur duo genera : altera quæ exitu atque terminatione ab activis non separantur; altera vero quæ, *dus, da, dum* finita, more nominum flectuntur; quo pacto etiam *Amatus, amata, amatum sum,*

fui, ero, et cætera id genus verba declinantur. Dicet aliquis : Si sunt verba passiva, cur ablativum post se cum præpositione more passivorum respuunt? Quia, quemadmodum activa ante se nominativum habere non possunt, ita fieri non potest ut post se passiva ablativum habeant, qui ex nominativo activi nascitur. Unde perspicuum est hæc participia non esse; nam participia passiva ablativum more suorum verborum admittunt, quod his participialibus verbis nunquam usu venit. Neque ex interpretatione confirmare possumus hæc participia esse præsentis temporis. Cicero, de Offic., l. I, c. 1, 2 : « Orationem autem latinam efficies profecto *legendis* nostris pleniorem. » *Legendis nostris,* id est, *dum leguntur,* non satis firmum videtur hoc argumentum; eodem enim, qui volet docebit gerundia passiva in *do* esse participia præsentis temporis : Virgilius, Georg., l. III, v. 454 :

. . . . . Alitur vitium, vivitque *tegendo,*

id est, *dum tegitur.* Quintilianus, l. XI, c. 2, 1 : « Ipsa (memoria) *excolendo* augetur; » id est, *dum excolitur.* Neque in his et similibus quæ adducam, ablativus est consequentiæ, sive absolutus, unde maxime nituntur probare quidam hæc participia esse. Cicero, Fam., l. XV, ep. 21, 6 : « Omne desiderium literis *mittendis accipiendis*que leniam. » Idem, de Offic., l. I, c. 1, 2 : « Orationem autem latinam efficies profecto *legendis* nostris pleniorem. » Idem, ibid., c. 2, 5 : « Quis est enim qui, nullis officii præceptis *tradendis*, philosophum se audeat dicere? » Non est, inquam, ablativus absolutus in passivis, quemadmodum neque in activis : nam ut activa modo præpositionem respuunt, modo admittunt, ita et passiva. Age faciamus periculum, permutemus passiva activis, sic : Omne desiderium, literas *mittendo accipiendo*que, leniam; quis dixerit *mittendo accipiendo*que ablativos esse absolutos? Nonne sic loquuntur etiam idonei auctores? Livius, l. II, c. 52 : « Non tribunos modo, sed plebem feroci oratione *refutando exprobrando*que Titi Memenii damnationem mortemque.... periculum audacia discussit; » converte in passivum, *refutandis tribunis*, *exprobrandaque morte.* Dices *refutandis tribunis*, *exprobrandaque morte* esse ablativos absolutos? non puto.

359. Nunc ponamus exempla in quibus adhibetur præpositio. Cicero, pro Font., c. 1, 1 : « Plus ego in hac causa laboris et operæ consumo *in poscendis testibus,* quam cæteri defensores *in refutandis.* » Idem, Verr. act. II, l. III, c. 98, 227 : « Si ubertas *in percipiendis fructibus* fuit, consequitur utilitas *in vendendis.* » Vides quemadmodum in his testimoniis elucet veritas? Vides ablativum non suis viribus, sed præpositione nitentem? Nobis, si Græcorum more liceret loqui, infinitis passivis utendum esset. Arist., Eth., l. IX, c. 3, περὶ τοῦ διαλύεσθαι τὰς φιλίας, ad verbum vertendum esset : *De dissolvi amicitias,* quod Latini hoc participiali verbo permutant : *De dissolvendis amicitiis.* Sic Cicero, de Offic., l. I, c. 13, 39 : « Regulus,..... quum *captivis de commutandis* Romam missus esset. » Priscianus, l. VIII, p. 809, docet Romanos his participialibus uti pro infinitis Græcorum, ut : *Legendi Virgilii* causa vigilo : Τοῦ ἀναγινώσκεσθαι Οὐιργίλιον χάριν ἀγρυπνῶ; quod fortassis non minimo argumento est hæc gerundia esse passiva, cum et passiva quæ *di, do, dum* finiuntur, eisdem infinitis explicentur, quemadmodum activa, activis Græcorum. Qua de re multa Priscianus in eodem libro, pp. 808 et seqq., cui hac in re habenda est fides, cum natione Græcus fuerit, neque mediocriter exercitatus in lingua latina. Ad extremum omnes veteres grammatici negant esse participium passivum præsentis temporis, neque ab eis dissensit Varro.

Jam vero, quod ad modum rationemque significandi attinet, activa gerundia ea a quibus fiunt sequuntur : nam si activa officium reique administrationem, vel quidvis aliud significant, idem prorsus passiva significant, verbi causa : Torquet me cura *administrandi rempublicam;* Torquet me cura *administrandæ reipublicæ :* Tenet me cura *numerandi dotem;* Tenet me cura *numerandæ dotis.*

Si vero roges quo pacto hæc participialia a participiis in *dus* separanda sint, sic existimo. Si in activa *di, do, dum* solventur, gerundia passiva censenda sunt, ut : Animum tuum promptum alacremque perspexi *ad defendendam rempublicam;* recte solvitur, *ad defendendum rempublicam.* Catilina cupidus est *evertendæ reipublicæ;* Catilina cupidus est *evertendi rempublicam.* Cum consulatum inieris, torquebit te cura *gubernandæ reipublicæ;* Cum consulatum inieris, torquebit te cura *gubernandi rempublicam.* Quod si nullo modo in activa solvi possint, judicabis esse participia et nomina in *dus.* Cicero, pro Sext. Rosc., c. 27, 74 : « Quomodo occidit? ipse percussit, an aliis *occidendum* dedit? »

Prorsus *occidendum* participium est, nisi quis dicat subaudiri præpositionem *ad*. Delectaris tam *execranda* crudelitate. Non commotus es tam *mirando* facto. Hæc, ut perspicuum est, in activa gerundia non solvuntur. Illa vero : *Petenda est pax*, *Timendæ sunt pœnæ*, quoniam solvi possunt : *Petendum est pacem*, *Timendum est pœnas æternas*, crediderim potius esse gerundia passiva in *dus* nominandi casus. Illud Virgilii, Æn. IX, v. 7 :

. . . . . *Volvenda* dies en attulit ultro,

et similia figurata esse suspicor; ponuntur enim participia pro adjectivis, *volvendus* pro *volubilis*. Hæc hactenus quod ad nomen rationemque significandi attinet.

360. Nunc a quibus hæc fiant verbis, paucis dicendum est. Si passionem significant, ut re vera significant, necesse est ut a verbis activis fiant; quare eleganter quidem dices : Non defuit mihi voluntas *inserviendi* tuis commodis, *favendi* liberis tuis; at *inserviendis tuis commodis*, *favendis tuis liberis*, inauditum est, cum sit utrumque neutrum verbum. Hæc etiam a verbis deponentibus non raro nascuntur. Cicero, de Fin., l. I, c. 10, 36 : « Ut aut voluptates omittantur majorum *voluptatum adipiscendarum* causa. » Idem, de Leg., l. I, c. 22, 59 : « Intelliget quemadmodum a natura subornatus in vitam venerit, quantaque instrumenta habeat ad obtinendam *adipiscendam*que *sapientiam*. » Idem, de Orat., l. II, c. 23, 94 : « Tamen sunt omnes in eodem *veritatis imitandæ* genere versati. » Idem, de Offic., c. 2, 10 : « Oris enim pulchritudo reliqui *corporis imitandi* spem auferebat. » Idem, Phil. VII, c. 8, 23 : Quorum tanta studia cognoscuntur in decretis faciendis, militibus dandis, *pecuniis pollicendis*, etc.; » paulo post : « Qui principes *pecuniæ pollicendæ* fuerunt. » Idem in Rull. II, de lege Agrar., c. 13, 33 : « Primum permittitur infinita potestas innumerabilis pecuniæ conficiendæ de vestris *vectigalibus* non *fruendis*, sed alienandis. » Idem, in Somn. Scip., c. 3, 13 : « Quo sis alacrior ad *tutandam rempublicam* sic habeto. » Idem de Senect., c. 17, 59 : « In eo libro Xenophontis qui est de *tuenda re* familiari. » Idem, de Offic., l. I, c. 8, 25 : « Ad *perfruendas voluptates*, etc. » Multo plura apud eumdem Ciceronem aliosque scriptores invenies, quos non vereberis imitari. Illud simul in memoriam revocabis quamplurima deponentia fuisse olim activa, et nonnulla quæ sunt modo neutra, priscis illis seculis fuisse activa; unde sunt illa Ciceronis loca superius posita.

Dixi *fere elegantius*, quia « quoties, inquit Laurentius, l. I, c. 27 a medio, oportet loqui per relativum, necesse est loqui per gerundium in *di* : Cicero : Equidem studio patres vestros, quos colui et dilexi, *videndi;* » nam « durum fuerat, ut idem ait, studio *videndorum patrum* vestrorum. » Sunt præterea nonnulla quæ commodius activis gerundiis quam passivis efferuntur, quale est illud Livii, l. II, c. 47 : « Idem in utroque laudator, cum *concedendo* illis suas laudes, ipse maximam partem earum ferret : » intolerabile enim esset dicere : *concedendis illis laudibus suis*. Exemplum Livii supra positum : « Interjecto deinde haud magno spatio, quod *vulneribus curandis supplendo*que *exercitui* satis esset; » et l. XXX, c. 6 : « Ea modo quæ *restinguendo igni* forent, portantes; » et l. IV, c. 35 : « *Experiendam rem* denique in uno aut altero esse, sitne aliquis plebeius ferendo magno honori; » et alia id genus, apertissime docent passiva gerundia dandi casu in usu fuisse.

Deest aliquando substantivum. Quintilianus, pro Gladiat., Declam. IX, c. 9 : « *Pauperi solvendo* non sumus; » ubi *debito* vel aliquid simile subauditur, quod Livius, l. XXXI, c. 13, addidit : « Cum et privati equum postularent, nec tamen *solvendo ære alieno* respublica esset : » ubi Budæus in Pandect. existimat *æri alieno* legendum esse; in quibus exemplis deest nomen, *aptus, idoneus, par*, vel aliquid simile, quod ab auctoribus aliquando exprimitur. Columella, l. I, c. 9 circa initium : « Dummodo *perpetiendo labori* sit *idoneus*. » Celsus, l. V, c. 28, 8 : « Si cætera desunt, imponi debet primum non pingue emplastrum, ut id reprimat; deinde, si non repressit, quodlibet *puri movendo accommodatum*. » Plinius, l. XIII, c. 24, 1, verbum *sufficiebat* adjecit : « Nimia quippe Augustæ tenuitas *tolerandis* non *sufficiebat calamis*. »

PARTICIPIALE VERBUM IN *DUM*

361. Verbum participiale in *dum*, accedente verbo substantivo, dativum postulat omnibus verbis communem. Livius, l. XXI, c. 43 : « Hic *vobis* (1) *vincendum* aut *moriendum*, milites, est. »

Præter dativum communem, etiam casum sui verbi admittit. Cicero, Tuscul., l. II, c. 26, 63 : « Tuo tibi *judicio* est utendum. » *Tibi* casus est communis; *tuo judicio* proprius est verbi.

Varie a grammaticis appellatur hoc participiale. Priscianus, l. VIII, p. 809, putat esse gerundium in *dum* sine præpositione. Idem ait, l. XVIII, p. 1188, respondere adverbio attico quod θετικὸν vocant, quod omnibus numeris et personis adjungitur. Aristoteles, Eth., l. IX, c. 2 : « Οὐ ταυτὰ πᾶσιν αποδοτέον. » Non eadem omnibus *tribuendum*. Idem, l. IX : « Εὐθὺς διαλυτέον τὰς φιλίας (2). » Statim *dissolvendum* amicitias. Servius, in illud Virgilii, Æn. X, v. 628 :

> Cui Juno *illacrymans*, quid, si quod voce gravaris
> Mente dares?

modum gerundii vocat. Valla, l. I, c. 27, existimat esse participium aut nomen. Participia certe non videntur esse, cum hæc fiant a verbis omnibus, maxime absolutis, ut : *Assurgendum* est majoribus natu ; *Sudandum* est tibi, si, etc. ; *Standum* est tibi promissis; quis hæc dicat esse participia? nisi vero *assurgendus, sudandus, standus,* aliquando in usu fuerint. Multo minus videntur nomina, cum præter dativum omnium verborum communem, genitivum, dativum, accusativum, ablativum, ut casus proprios admittant : *Obliviscendum* est *tibi injuriæ* acceptæ ; *Serviendum* est *nobis Deo; Petendum* est *tibi pacem; Utendum* est *nobis ratione;* quare aut hæc gerundia sunt, aut ea summa necessitudine atque propinqua cognatione attingunt : nam casum ante se nullum postulant, post se suorum verborum. Hoc tamen ab illis differunt, quod dativum communem omni verborum generi habent, et substantivo verbo nituntur aperte vel occulte, præpositionesque omnino respuunt, et, cum accusativum petunt, passivo potius efferuntur quam activo ut mox dicemus.

Quod vero ad significationem attinet, necessitatem, partes, officiumque significant, quod ex multis locis, tum præcipue ex illo Livii, l. VIII, c. 7, perspicuum est : « Meque, inquit, in eam necessitatem adduxisti, ut aut reipublicæ mihi, aut mei meorumque *obliviscendum* sit. » Idem docet Diomedes, l. I, p. 390 : « *Legendum* tibi est ; necesse est ut legas. » Jungitur et cum verbis præsentis, præteriti et futuri temporis. Cicero, Tuscul., l. IV, c. 15, 34 : « Quando et aliis locis de virtute diximus, et sæpe *dicendum erit.* »

Jungitur et cum infinito *fore*, quod non minimum argumentum videbitur nonnullis quo doceant non esse participium futuri temporis. Livius, l. XXXI, c. 11 : « Si quid ad eas (leges) addi, demi mutarive vellet, rursus ab senatu ei *postulandum fore.* » Et illud Ciceronis ad Appium, Fam., l. III, ep. 13, 1 : « Quasi divinarem tali in officio *fore* mihi aliquando *expetendum* studium tuum. »

(1) Lemaire, Drakenborch, Teubner, non habent *vobis*.

(2) Lego l. IX, c. 3 : « Ἆρ' οὖν εὐθὺς διαλυτέον ; » ubi casus qui regatur non exprimitur.

APPENDIX.

362. Si tamen casus verbi fuerit accusativus, mutabitur participiale activum in passivum, hoc modo : *Petendum* est tibi *pacem ; Petenda* est tibi *pax.* — *Timendum* est nobis, tibi, *pœnas* æternas : *Timendæ* sunt nobis, tibi, *pœnæ* æternæ.

Prisci etiam activo usi sunt cum accusativo. Lucretius, de Rer. nat., I, v. 112 :

> Æternas quoniam *pœnas* in morte *timendum*.

Veteres imitatus est Virgilius, Æn. XI, v. 229 :

> . . . . . Alia arma Latinis
> Quærenda, aut *pacem* Trojano ab rege *petendum* (1).

Varro, in libro de Re rust., crebro utitur hoc participiali; l. III, c. 10 : « Singulis, ubi pariant, *faciendum haras* quadratas. » Idem, l. II, c. 9, a medio : « In fœtura *dandum* potius hordeaceos quam triticeos *panes*. » Adducitur et illud Livii : « Itaque bellum haud dubiis hostibus gerendum, *domandum*que feroces *animos* esse. » Citatur et Macrobii l. III Saturn., c. 6 : « *Mirandum* (2) est hujus poetæ, et circa externa sacra *doctrinam;* » in correctis legitur : *Miranda* est..... *doctrina.* Livii locus est l. XXXVII, c. 49, legiturque sic in correctis : « Itaque bellum cum haud dubiis hostibus gerendum, *perdomandos*que feroces *animos* esse. » Citatur et a multis etiam eruditis viris illud Ciceronis ad Att., l. XIV, ep. 14, 1 : « *Iterandum* eadem *ista* mihi; » et Tuscul., l. II, c. 19, 44 : « *Iterandum* (3) eadem *ista* mihi ; » sed utrobique corrupte citatur Cicero ; nam in castigatis sic legitur : *Iteranda* eadem *ista* mihi, quod Cicero ab Ennio vel Accio mutuatus est, quod idem, Acad. Prior., l. II, c. 27, 88, adduxit :

> Age, adsta, mane, audi, *iterandum* eadem et *ista* mihi.

(1) Editio Veneta, 1552, ex Mss. Petri Bembi, etc., habet *petendum;* Lemaire, *petendam.* Servius, *petendum* legens : « Sicut etiam, inquit, supra diximus, cum per gerundii modum aliquid dicimus, per accusativum elocutionem formemus necesse est. » Ibidem Ascensius putat ob similitudinem melius esse *petendam*, ut *quærenda.* Atque Pierius : « Librarii porro omnes chalcographi, Servii grammatici auctoritatem secuti, *petendum*, figura gerundii, scribendum curavere, ut : *Pœnas* in morte *timendum*, apud Lucretium ; et : *Castra introitum*, apud Sallustium. Cæterum codex Romanus antiquus et alter pervetus in Vaticana bibliotheca repositus, et plerique alii minime contemnendi, legunt : *Pacem* Trojano ab rege *petendam*, figura participii. Sed utrum ex his magis placeat non laboro. » Forbiger et Teubner : *petendum.*

(2) *Mirandum* habet edit. Bipontina, quam secutus est D. Nisard.

(3) Orellius utrobique, *iteradum*, notatque alios legere *iterandum.* In Tusculanis scriptum video quasi duobus vocabulis : *itera dum.* — Teubner, in tribus locis, *iteradum.*

Budæus in prior. Annot. in Pandect. hanc constructionem *græcam* appellat, qua Græci ornate et eleganter utuntur, omittentes sæpe verbum substantivum, quos nostri imitati sunt, ut docent exempla quæ modo attulimus. Priscianus, l. XVIII, p. 1188 (ut paulo ante diximus), ait respondere adverbio attico : « Illi, inquit, λεκτέον εστι, pro *oportet dicere;* .....hinc Romani gerundia vel supina invenerunt. » Græci tamen adverbio suo accusativum eleganter tribuunt, quod eruditius seculum Romanorum suo participiali denegavit, maluitque passivo uti quam activo. Livius, l. XXXI, c. 11 : « Responsum legatis est..... *pacem* illi prius *petendam* a populo Romano esse, quam ut Rex sociusque et amicus appelletur. » Si active, more Lucretii et Varronis, atque etiam Virgilii locutus esset, dixisset : *Pacem* illi prius *petendum* a populo Romano esse, quam, etc. Ablativus *a populo Romano* casus est verbi activi, Postulo *a te* pacem.

363. Neque hoc genus loquendi futurum potius tempus, quam præsens aut præteritum adsignificat : liberum namque est a certo tempore, numero, genere et persona, cum possit sine discrimine cum omnibus conjungi : *Moriendum est mihi, tibi, illi, nobis, vobis, illis*, et *moriendum fuit ;* et : Quasi divinarem *tibi moriendum fore;* sic et cætera, quod idem, l. XVIII, p. 1188, docet Priscianus. Frequentissimus est usus hujus participialis. Terentius, Eunuch. act. II, sc. 1, v. 222 :

> *Ejiciunda* hercle est *mollities* animi.

Cicero, Offic., l. II, c. 15, 55 : « Quamobrem nec ita *claudenda res* est familiaris, ut eam benignitas aperire non possit ; nec ita *reseranda*, ut pateat omnibus. » Quanto elegantius suaviusque hæc dicuntur, quam si dictum esset : *Ejiciundum* est hercle hanc animi *mollitiem;* Quamobrem nec ita *claudendum* est *rem* familiarem, etc. Quis te ferat, si dicas : *Colendum* est *præceptores ; Evolvendum* est

diligenter *scripta* Ciceronis; *Fugiendum* est improborum *consuetudinem?* Fac ut participialia activa genere, numero, casu consentiant cum substantivis, sic : *Colendi* sunt *præceptores; Evolvenda* sunt diligenter *scripta* Ciceronis; *Fugienda* est improborum *consuetudo;* quanto hæc elegantius!

Sed quo nomine hæc, inquies, appellabimus? Si Servio, in Donati edit. II, pp. 1794, 1795, auscultare velis, *participia*. Mihi (dicam enim quod sentio, nec enim ea res est propter quam deserendum sit vadimonium) ut activa non videntur participia, ita nec passiva; repete memoria, si non est molestum, quæ modo allata sunt exempla; tuum esto judicium; considera etiam atque etiam; intelliges procul dubio nullum futurum tempus adsignificare; quid ergo causæ est cur ea *participia* appellemus? Nisi quis dicat, id quod alibi diximus, nimirum participia in *dus*, etiamsi officium necessitatemque adsignificent, non ideo participii nomen amittere; quemadmodum et verba ipsa, quæ futuri cum sint temporis sine ulla dubitatione, sæpe officium tamen necessitatemque adsignificant, ut si pater filium sic alloquatur : Non *ejicies* istam animi mollitiem quæ te perdit? Itane rem familiarem *claudes*, ut eam benignitas aperire non possit? Non *coles* præceptores tuos, qui secundum parentes tibi diligendi sunt? Hæ voces futuri sunt temporis; nihil minus tamen quam futurum adsignificant. Huc spectant illa et similia : Putavi ad te primo quoque tempore *mittendos* esse *milites*. Censeo non *redimendos captivos* tanto pretio. Livius, l. XXXI, c. 11 : « *Legatos* item *mittendos* in Africam censuerunt.....; *eum*, si pax placeret, *revocandum* illis, et *dedendum* populo Romano esse. » Quod si quis hæc *nomina verbalia* existimet esse, non multum ei adversabor : nam, ut Attici a suo adverbio τέον, nomina in τέος, τέα, τέον formant, ut a φιλητέον, *amandum*, φιλητέος, *amandus*, φιλητέα, *amanda*, φιλητέον, *amandum;* sic nostri a participiali in *dum* nomina in *dus, da, dum* formant. Qua de re vide Priscianum, l. VIII, pp. 808 et seqq., et XI, p. 911.

SUPINA IN *UM*

364. Supina in *um* amant verba quæ motum adsignificant. Terentius, Phorm. act. II, sc. 4, v. 462 :

Percontatum ibo.

Idem, Heaut. act. III, sc. 3, v. 587 :

Abi deambulatum.

Livius, l. II, c. 35 : « (Coriolanus) damnatus absens in Volscos *exsulatum abiit.* »

Ante se, nullum; post se, suorum verborum casus habent. Cæsar, Bello Gall., l. I, c. 2 : « Legatos ad Cæsarem mittunt *rogatum auxilium.* » Terentius, Phorm. act. II, sc. 3, v. 360 :

Me ultro *accusatum* advenit.

Idem, Eunuch. act. V, sc. 2, v. 891 :

Nutricem accersitum iit.

Aliquando occulte additur verbum motus. Plautus, Aulul. act. III, sc. 3, v. 9 :

Coctum ego, non *vapulatum*, dudum conductus sum.

Horatius, in Arte poet., v. 5 :

Spectatum admissi, risum teneatis, amici.

Item illa : Do *venum* servos, Do *nuptum* filiam, itemque cætera in quibus inest latens motus. Qui enim admittitur spectatum, conducitur coctum, movetur; atque in cæteris eodem modo.

Supina, cum passionem significant, nullum post se casum desiderant, ut *vapulatum, venum, exsulatum.* Excipiunt quidam ea quæ cum infinito *iri* junguntur. Cicero, Att., l, XV, ep. 25 : « Brutum, ut scribis, *visum iri a me* puto; » existimant enim ablativum *a me* a supino *visum* regi. Ego vero arbitror regi simul a verbo *iri* et voce *visum;* ut enim hic : Liber tuus *lectus est a me*, ablativus non regitur a voce *lectus* nec a verbo *est,* sed ab utroque simul in unum verbum coalescente; sic *visum iri, occisum iri,* in unum verbum passivum coalescunt. Etenim prisci, ut supra diximus, cum de futuro passivo infiniti modi egimus, verbum *eo* etiam passive declinabant; unde Cato, apud Gellium, l. X, c. 14 : « Contumelia mihi *factum itur,* » dixit. Itaque *passivitas,* ut cum Probo loquar (1), præcipue ex verbo *iri* oritur. Quare crediderim potius ab infinito *iri* potissimum ablativum regi.

(1) In Catholicis verborum (alias, l. II, segm. 3) : « Imperativus modus *passivitatis.* »

SUPINA IN *U*

365. Supina in *u* fere passivæ significationis sunt sine casu, adhærentque nominibus adjectivis.

Cicero, Att., l. VII, ep. 22, 2 : « Quod *optimum factu* videbitur, facies. » Idem in Ant., Phil. II, c. 25, 63 : « O rem non modo *visu fœdam*, sed etiam *auditu.* »

Veteres grammatici, præcipue Diomedes, l. I, p. 333, et Priscianus, l. VIII, p. 811, docent supina in *u* etiam significare actionem : cum quibus faciunt nonnulli juniorum, adducentes illud Plauti, Menæch. act. II, sc. 2, v. 14 :

> Nunc *opsonatu* redeo;

item Catonis de Re rust., c. 5 in medio : « Primus *cubitu* surgat, postremus cubitum eat; » et Statii, Achill. I, v. 119 :

> At tunc *venatu* rediturum in limine primo
> Opperiens.

Mihi veterum sententia non displicet, maxime cum ea ætate quam plurimi exstiterint scriptores, in quibus fortasse multa testimonia erant, quorum scriptorum nostra memoria ne nomina quidem exstant.

PARTICIPIA

366. Participia eosdem casus habent, quos verba a quibus proficiscuntur. Pueri *victoriam reportaturi* non delectantur duodecim scruporum ludo.

Livius, l. I, c. 33 : « Ancus ingenti *præda potitus* Romam redit. » Cicero, in Pis., c. 41, 99 : « *Abjectum, contemptum, despectum a cæteris, a te* ipso *desperatum* et *relictum,.... adulantem omnes* videre te volui; vidi. » Cicero Lentulo, Fam., l. I, ep. 9, 17 : « Totus est nunc *ab iis* a quibus tuendus fuerat *derelictus.* »

Participia, quod ad significationem attinet, sua verba imitantur. Quæ ab activis et neutris nascuntur, actionem significant (*actionis* vocabulum nunc paulo fusius accipio), ut *docens, docturus, serviens, serviturus, dormiens, dormiturus.* A passivis passionem, ut *doctus, docendus, vapulans, vapulaturus.*

A communibus præsentis et futuri in *rus* actionem, ut *complectens, complexurus;* in *dus* passionem, ut *complectendus.* Præteriti utrumque, ut *complexus.* Et a deponentibus futuri in *dus,* passionem, ut *sequendus;* cætera actionem, ut *sequens, secuturus, secutus.*

Cœnatus, pransus, ausus, gavisus, fisus, solitus, argutus, cautus, circumspectus, consideratus, contentus, disertus, falsus, fluxus, profluxus, scitus, tacitus, tutus, voce quidem passiva imitantur, significatione vero activa.

APPENDIX I.

367. Participia passiva præteriti et futuri temporis, maxime cum fiunt nomina, etiam dativo gaudent.

Cicero, de Amicit., c. 4, 15 : « Sperare videor Scipionis et Lælii amicitiam *notam posteritati* fore. » Terentius, Andr. act. I, sc. 1, v. 166 :

. . . . . Restat Chremes,
Qui *mi exorandus* est.

Hujus generis sunt *cognitus, perspectus, exploratus, compertus, dilectus, probatus, acceptus, spectatus, despectus, contemptus, neglectus,* et composita, ut *incognitus, inauditus, invisus,* etc. Oratores tamen, quantum memini observasse, frequentius tribuunt participiis præteriti temporis ablativum, quam dativum, nisi transeunt in nomina. Cicero, pro Milone, c. 2, 4 : « Diu *vexati a perditissimis civibus,* aliquando per vos ac per vestram fidem, virtutem, sapientiamque recreemur. » Quintilianus, l. X, c. 3, 12 : « Qua de re memini narrasse mihi Julium Secundum illum æqualem meum, atque *a me,* ut notum est, familiariter *amatum.* » Cum Quintilianus, vir summa eruditione, l. IX, c. 3, 9, nos doceat esse participia in *dus,* non video cur Saturnio potius quam illi habenda sit fides. Audi Fabium : « Utimur et verbo pro participio, ut :

. . . . . Magnum dat *ferre* talentum;

tanquam *ferendum.* » Ibidem, 64 : « Illud plane figura est, qua diversa sermonis forma conjungitur :

. . . . . Sociis tunc arma capessant
Edico, et dira bellum cum gente *gerendum.*

Quamvis enim pars *bello* posterior participio insistat, utrique convenit illud *edico.* » Hæc ille.

Nunc exempla ponamus, quibus planum fiat participia in *dus* ablativum post se, more passivorum verborum, habere; sunt enim qui iis potius dativum tribuendum esse censeant. Cicero ad Marcel., Fam., l. XV, ep. 9, 3 : « Quæ mihi de Parthis nuntiata sunt, quia non putabam *a me* etiam nunc *scribenda* esse publice, etc. » Ibidem, ad eumdem, ep. 7 : « Cum præsertim matris tuæ, gravissimæ atque optimæ feminæ, majora erga salutem dignitatemque meam studia, quam erant *a muliere postulanda,* perspexerim. » In eodem, ad Catonem, ep. 4, 11 : « *Admonendum* potius te *a me,* quam rogandum puto. » Idem, contra Rullum, pro lege Agr., II, c. 35, 95 : « Hæc qui prospexerint, majores nostros dico, Quirites, non eos in Deorum immortalium numero *venerandos a nobis* et *colendos* putatis ? » Idem, de Arusp., c. 8, 16 : « Nego ullo de opere publico, de monumento, de templo, tot senatus exstare consulta, quot de mea domo; quam senatus unam post hanc urbem constitutam, ex ærario ædificandam, *a pontificibus liberandam, a magistratibus defendendam, a judicibus puniendam* putaret. » Idem Cornificio, Fam., l. XII, ep. 23, 1 : « Neque enim, quæ tu propter magnitudinem et animi et ingenii moderate fers, *a te* (1) non *ulciscenda* sunt, etiamsi non sunt *dolenda.* »

At dicet aliquis hæc necessitatem officiumque potius quam futurum tempus adsignificare. Cui ego non modo non adversor, sed etiam libentissimo animo assentior; ita tamen ut participii nomen non amittant; quemadmodum neque verba futura cum necessitatem officiumque adsignificant, aut verba, aut futuri temporis verba vocari desinunt,

(1) Orellius et Teubner, pro *a te,* habent *ea.* — Olivet, Lallemand, Ernesti, Lemaire, *a te.*

sicut supra diximus, cum de futuro infinito egimus. Participia itidem in *rus*, etiamsi necessitatem ac officium adsignificent, sicuti frequenter adsignificant, non ideo tamen participii nomen amittunt; id quod etiam planum exemplis fecimus in Rudimentis, sive libello de octo partibus orationis, cum de participiis egimus; ad utrumque igitur locum te rejicimus, ne eadem ter scribamus.

APPENDIX II.

368. *Exosus*, *perosus*, *pertæsus* accusativum petunt.

Curtius, l. VIII, c. 7, 12 : « Persarum te vestis et disciplina delectat, patrios *mores exosus* es. » Livius, l. III, c. 34 : « Plebs.... consulum *nomen* haud secus quam regum *perosa* erat. » Suetonius, in Cæs., c. 7 : « Quasi *pertæsus ignaviam* suam, quod nihildum a se memorabile actum esset. »

Odi olim videtur habuisse etiam *osus sum*, ut *prandi* et *pransus sum*; unde Plautus in Amphitr. act. III, sc. 2, v. 19 :

Inimicos semper *osa sum* obtuerier.

Gellius, l. IV, c. 8 : « Hunc Fabricius non probabat, neque amico utebatur; *osus*que *eum* morum causa fuit. » Item composita *perosus*, *exosus*. Suetonius in Tiber., c. 21, in ep. Aug. ad Tiberium : « Deos obsecro ut te nobis conservent, et valere nunc et semper patiantur, si non *populum* Romanum *perosi* sunt. » Gellius tamen, l. II, c. 18, *exosus* junxit cum dativo pro *invisus* : « Ejus Epicteti etiam de se scripti duo versus feruntur, ex quibus latenter intelligas non omnes omnimodis diis *exosos* esse. » *Pertæsus* eumdem casum habet. Suetonius, in Tiber., c. 67 (1); Tacitus, Annal., l. XV, c. 51, cum patrio casu junxit, de Epicari femina : « Ac postremo *lenitudinis* eorum *pertæsa*, et in Campania agens, etc. »

Admittunt participia præteriti temporis accusativum more Græcorum, ut : *Redimitus tempora* lauro. Suetonius, Aug., c. 20 : « Dextrum *genu* lapide *ictus*. » Livius, l. XXI, c. 7 : « *Femur* tragula graviter *ictus*. » Sed de his in figurata constructione.

(1) Hæc Suetonius : « Postremo semetipse *pertæsus*, tali epistolæ principio tantum non summam malorum suorum professus est. » Ubi Lemaire et Teubner comma ponunt post *pertæsus*.

PARTICIPIA FACTA NOMINA

369. Participia in *ans*, *ens* interrogandi casu gaudent, cum fiunt nomina. Terentius, Phorm. act. IV, sc. 3, v. 622 :

Herus liberalis est et *fugitans litium*.

Cicero, Att., l. IX, ep. 19, 3 : « Boni cives *amantes patriæ*. » Sallustius, Catil., c. 5 : « Corpus *patiens inediæ*, *vigiliæ*, *algoris*, supra quam cuiquam credibile est. » Cicero, ad Quint. Fr., l. I, ep. 2, c. 3, 11 : « Fert enim graviter homo et *mei observantissimus*, et sui *juris dignitatis*que *retinens*, se apud te neque amicitia neque jure valuisse. »

Nonnulla etiam præteriti temporis, ut *consultus* et *doctus*. Cicero in Ant.,

Phil. IX, c. 5, 10 : « Neque enim ille magis *juris consultus*, quam *justitiæ* fuit. » Horatius, III, od. 8, v. 5 :

Docte sermonis (1) utriusque linguæ.

Sallustius, Catil., c. 5 : « *Alieni appetens*, profusus sui. » Livius, l. XXIV, c. 22 : « *Indignitatis*que homines *expertos* adversus notum malum irritatos esse. »

Participia in *ans*, *ens*, cum vim suam retinent, casus verborum unde fiunt, postulant. Cicero, ad Att., l. VI, ep. 1, 10: Homo semper *amans te* (2). Idem, ad eumdem, l. XVI, ep. 16, 3 : « Ut me hercle *paucos* æque *observantes* atque *amantes me* habere existimem. » Cum vero in naturam nominum transeunt, patrium casum exigunt. Cicero, pro Rab. Posth., c. 16, 43 : « *Studiosum, amantem, observantem sui.* » Hujus classis sunt : *negligens amicorum*, *efficiens utilitatis*, *fugiens laboris*, *sitiens virtutis*, *pecuniæ*, *ferens laboris*, *sciens regionum*, *latinæ linguæ*, *potens sui*, itemque cætera ejusdem generis. Cicero, pro Quint., c. 19, 62 : « Eques Romanus locuples sui *negotii* bene *gerens*. » Idem, pro Planc., c. 5, 13 : « Deinde *sitientem* me *virtutis* tuæ deseruisti ac dereliquisti. » Cæsar, Bello civ., l. I. c. 69 : « Nemo erat adeo tardus, aut *fugiens laboris*, quin, etc. » Tacitus, Histor. l. V, c. 6 : « Corpora hominum salubria, et *ferentia laborum.* » Seneca, de Vita beata, c. 8, 4 : « Et *illorum* et *sui potens* sit. » Valerius Max., l. V, c. 3, 3 : « *Potentes consilii.* »

Huc accedunt quæ participii speciem præ se ferunt : *insolens*, *impotens*, *intolerans*, *impatiens*. Cicero, Att., l. II, ep. 21, 3 : « Itaque ille amicus noster *insolens infamiæ*. » Livius, l. XXIX, c. 9 : Pleminius *impotens iræ*. » Curtius, l. VIII, c. 1, 49: « *Impotens animi*. » Livius, l. X, c. 28 : « Corpora *intolerantissima laboris*. » Plinius, l. X, c. 82, 2 : « (Vipera) singulos diebus singulis parit viginti fere numero; itaque cæteræ *tarditatis impatientes* perrumpunt latera occisa parente. »

Pauciora sunt præteriti temporis hujus ordinis, quæ oratoribus sint usitata, de quibus fere egimus, cum de nominibus scientiæ, inscientiæ, copiæ et inopiæ diximus. Nam illa : *scitus vadorum*, *victus*, *erectus*, *falsus animi* poetica sunt; *eruditus* cum genitivo nondum legi apud idoneos, sed cum ablativo, quem casum a suo verbo accepit. Cicero, de Divin., l. II, c. 47, 98 : « L. quidem Tarutius Firmanus, familiaris noster, in primis chaldaicis *rationibus eruditus*. » Idem, in Brut., c. 28, 107 : « D. Brutus.... erat cum *literis* latinis, tum etiam græcis, ut temporibus illis *eruditus*. » *Doctus literis latinis*, *græcis*, eleganter dicitur. Idem, in eodem, c. 46, 169 : « Non tam in dicendo admirabiles, quam *docti* et græcis *literis* et latinis. » — *Peritus*, quod quidem a *perio* prisco verbo deducunt, frequentissime cum genitivo jungitur. Idem, in eodem, c. 26, 102 : « L. Cælius.... *juris* valde *peritus*. » Idem tamen pro Cluentio ablativo usus est, c. 38, 107 : « Quis P. Octavio Balbo ingenio prudentior, *jure peritior?* » Apud eumdem et Cæsarem, *usus peritus* (3).

Hæc tria interim præpositionem *ad* cum accusativo admittunt. Cicero ad Quint. Fr., l. I, ep. 1, c. 5, 16 : « Sic vero fallaces sunt permulti, et leves, et diuturna servitute *ad* nimiam *assentationem eruditi.* » Terentius, Hecyr. act. II, sc. 1, v. 203 :

In eodemque omnes mihi videntur ludo *doctæ ad ma-*
[*litiam.*

Cicero, de Orat., l. I, c. 48, 212 : « Jurisconsultus..... qui legum et consuetudinis.... et *ad respondendum*, et *ad agendum*, et *ad cavendum peritus* esset. » — Genitivum itidem petunt *indoctus*, *imperitus*, *insuetus*, quæ ex participiis sunt composita. Cicero, Att., l. II, ep. 21, 4 : « Tam *insuetus contumeliæ*. » Cæsar, Bello Gall., l. VII, c. 30 : « *Insueti laboris*. »

(1) Lemaire, Orellius, Teubner : *docte sermones*. Dubiam lectionem *sermonis* monebat Forcellini in *doctus*.

(2) *Hominem amantem me* habent Olivet, Lallemand; Ernesti, Lemaire, Orellius et Teubner, *mei*, quod aiunt correctum a Malaspina ex perpetua Ciceronis consuetudine. Iterum in eâdem epist., n. 12, habet « *tuî meîque amantior.* »

(3) Cicero, de Offic., l. I, c. 41, 147 : et Cæsar, Bello civ., l. III, c. 93, habent apud recentiores, non *usus*, sed *usu peritos*.

APPENDIX I.

370. Participia præsentis præteritique temporis, cum nominum naturam induunt, more eorum comparantur.

Cicero Lentulo, Fam., l. I, ep. 5, 4 : « A me nullum tempus prætermittitur de tuis rebus et agendi et cogitandi; utor ad omnia Quinto Selicio, neque enim prudentiorem quemquam ex tuis, neque fide majore esse judico, neque *amantiorem tui.* » Idem Tironi, Fam., l. XVI, ep. 7 : « Cum commode, et per valetudinem, et per anni tempus navigare poteris, ad nos *amantissimos tui* veni. » Idem, Att., l. VI, ep. 1, 4 : « Nihil illo *regno spoliatius*, nihil *rege egentius.* » Idem, in Verr. act. II, l. III, c. 26, 65 : « Hæc tu omnium *mortalium profligatissime* ac *perditissime*, cum scires.... cum tanto periculo tuo fieri paterere atque concederes? »

Non omnia participia, maxime præteriti temporis, comparantur; nam *amatior, amatissimus, auditior, auditissimus,* et multa alia inaudita sunt. Quibus igitur utendum sit, assidua ac diligens veterum lectio te docebit. Cicero, pro Dejot., c. 6, 16 : « Quis *consideratior* illo? quis *tectior?* quis prudentior? » Idem, in Pis., c. 40, 97 : « Quis te miserior? quis te *damnatior?* » Sic apud eumdem *commendatior,* pro Cornel. Balbo, c. 18, 43; *commendatissimus, iratior,* pro Marcel., c. 5, 15; *iratissimus,* VIII Phil., c. 6, 19. Participia raro suum casum retinent, quando comparantur. Cicero ad Cornificium, Fam., l. XII, ep. 26, 2 : « Cæterisque omnibus rebus habeas eos *a me commendatissimos.* »

APPENDIX II.

371. Participiis futuri temporis, addito verbo substantivo, eleganter utimur pro *debere* vel *oportere. Sum exspectaturus* fratrem. Terentius, Phorm. act. II, sc. 4, v. 460 :

Frater *est exspectandus* mihi.

Eram habiturus heri orationem. — *Habenda* mihi *erat* heri oratio. — Cicero, pro Fonteio, c. 12, 26 : « *Orandus erit* nobis amicus meus Pletorius, ut suos novos clientes a bello faciendo deterreat. »

Utrumque participium, non solum præsens et præteritum, sed etiam futurum verbum admittit. Auctor ad Herennium, l. III, c. 4, 8 : « Si utrumque poterimus ostendere, utrumque pollicebimur nos in dicendo demonstraturos esse; sin alterum *demonstraturi erimus*, simpliciter quod dicturi sumus ostendemus. » Cicero, pro Font., c. 12, 26 : « Ita vero, si illi bellum facere conabuntur, *excitandus* nobis *erit* ab inferis. C. Marius, qui Induciomaro isti minaci atque arroganti par in bellігerando esse possit. »

Interdum utuntur auctores *debendi* verbo. Auctor ad Herennium, l. IV, c. 7, 10 : « Primum dicemus. quibus in generibus semper omnis oratoria elocutio *debeat esse;* deinde ostendemus quas res semper *habere debeat.* » Idem, ibid., l. III, multis locis

docet participiale in *dus* infinito passivo et verbo *oportere* posse explicari. « Justitiæ partibus, inquit c. 3, 4, utemur.... si ostendemus bene merentibus gratiam *referri convenire;* si demonstrabimus ulcisci male meritos oportere; si fidem magnopere censebimus conservandam; si leges et mores civitatis egregie dicemus *servari oportere;* si societates atque amicitias studiose dicemus *coli convenire;*.... si hospitia, clientelas, cognationes, affinitates caste colendas esse dicemus. » Vides, id quod supra diximus, hæc participialia debitum, officium, necessitatem, denique *convenire, oportere* potius adsignificare, quam futurum tempus?

CONSTRUCTIO TRANSITIVA PRONOMINIS

GENITIVUS POST DEMONSTRATIVA PRONOMINA

372. Pronomina demonstrativa, cum substantive ponuntur, patrium casum admittunt.

Cicero ad Cælium, Fam., l. II, ep. 8, 3 : « *Hoc* ad te *literarum* dedi. » Idem, de Orat., l. II, c. 90, 367 : « Quoniam *id temporis* est, surgendum censeo. » Idem Attico, l. I, ep. 13, 5 : « Res *eodem* est *loci* quo reliquisti. »

Distulimus pronominum syntaxim in hunc locum, tum quia sine aliorum partium cognitione non facile percipitur; tum præcipue propter reciproci obscuritatem.

Huc spectant : *hoc commodi, novi, noctis, temporis, libertatis*. Cicero, Att., l. XI, ep. 7, 6 : « Tantum vide ne *hoc temporis* tibi obesse aliquid possit. » Item *id ætatis, solitudinis, virium*. Idem Thoriano, Fam., l. VI, ep. 20, 3 : « Ita viximus, et *id ætatis* jam sumus. » Tacitus, Annal., l. XI, c. 32 : « *Id* repente *solitudinis* erat. » Idem, l. XIII, c. 41 : « Nec *id* nobis *virium* erat. » Idem, l. XIV, c. 52 : « Nec bonis artibus *idem virium* erat. » — *Eodem loci* res est : hic *eodem* non est adverbium, cum jungatur cum verbo quietis, *est*. Si dicas : *Eodem loci* profectus est, adverbium erit. Terentius, Heaut. act. 1, sc. 1, v. 110 :

Ego *isthuc ætatis* non amori operam dabam.

APPENDIX.

373. Pronomen *Idem* cum dativo apud poetas reperitur. Horatius in Arte poetica, v. 467 :

Invitum qui servat, *idem* facit *occidenti*.

Oratores vero sic loquuntur : Cicero, de Offic., l. III, c. 4, 20 : « Peripatetici quondam *iidem* erant, *qui* Academici (1). » Ex eodem, in Oratore, c. 56, 190 : « Sit igitur hoc cognitum.... numeros *eosdem* esse oratorios, *qui* sint poetici. » Idem, de Nat. deor., l. II, c. 27, 68 : « Dianam autem et Lunam *eamdem* esse putant. »

Lucretius, l. III, v. 1050 :

. . . . . Quorum unus Homerus
Sceptra potitus *eadem aliis* sopitu' quiete est.

Video multos ita loqui : Peripatetici quondam *iidem* fuerunt *cum Academicis*; Numeri oratorii *iidem*

(1) Orellius et Teubner : « Veteribus Academicis et a Peripateticis vestris, qui quondam iidem erant. » Notat vero Orellius alios legisse : « *Iidem* erant *qui* Academici. »

sunt *cum poeticis*. Velim potius, dum veterum exempla desidero, cum Cicerone loqui, quemadmodum jam diximus. Ponam integrum exemplum in Oratore : « Sit igitur hoc cognitum, in solutis etiam verbis inesse numeros, *eosdem*que esse oratorios *qui* sunt poetici. » Idem, de Fin., l. II, c. 4, 11 : « Num propterea *idem* voluptas est, *quod*, ut ita dicam, indolentia? »

GENITIVUS POST POSSESSIVA

374. Possessiva *meus*, *tuus*, *suus*, *noster*, *vester*, loco genitivorum *mis*, *tis*, *sis*, *nostrum*, *vestrum* posita, genitivum postulant.

Cicero ad Paullum, Fam., l. XV, ep. 13, 1 : «Moleste fero me consulem, *tuum* studium *adolescentis* perspexisse, te meum, cum id ætatis sim, perspicere non posse. » Idem in M. Anton., Phil. II, c. 43, 111 : « *Tuum hominis* simplicis pectus vidimus. » Idem, Att., l. XI, ep. 15, 2 : « Quominus debes mirari non posse me tanto dolori resistere; *solius* enim *meum* peccatum corrigi non potest. » Horatius, l. I, sat. 4, v. 22 :

. . . . . Cum *mea* nemo
Scripta legat vulgo recitare *timentis*.

Ex allatis exemplis intelligimus possessiva genitivum admittere nominis tum substantivi, tum adjectivi, tum etiam participii; verum, quo res apertior fiat, addam plura. Cicero, Verr. act. II, l. III, c. 17, 43 : « Quæro, si ipse excogitare non poterat, quemadmodum quam plurimo venderet; ne *tua* quidem recentia, proximi *prætoris*, vestigia persequi poterat, ut tuis præclaris abs te principe inventis, et excogitatis edictis atque institutis uteretur? » Cato Ciceroni, Fam., l. XV, ep. 5, 1 : « Quod et respublica me, et nostra amicitia hortatur, libenter facio, ut *tuam* virtutem, innocentiam, diligentiam cognitam in maximis rebus domi, *togati*, *armati* foris, pari industria administrari gaudeam. » Plinius ad Mamilianum, l. IX, ep. 25 : « Quereris de turba castrensium negotiorum, et tanquam summo otio perfruare, lusus et ineptias nostras legis, amas, flagitas, meque ad similia condenda non mediocriter incitas. Incipio enim ex hoc genere studiorum non solum oblectationem, verum etiam gloriam petere post judicium *tuum*, *viri* gravissimi, eruditissimi, ac, super ista, verissimi. » Non dixit Plinius : *post judicium tuum, qui es vir eruditissimus;* neque Cato : *virtutem tuam, cum esses domi togatus :* nam *togatus* nomen est, ut *palliatus ;* neque Cicero : *tua vestigia, qui proximus prætor fuisti;* neque : *pectus tuum, qui es homo simplex ;* neque : *studium tuum, qui es adolescens,* ut Laurentius docet. Quod si Laurentius Valla (l. III, c. 93), uni Plinio tantum tribuit, ut credat latine dici : « memoriter tenere, » si recte scriptum est apud eumdem Plinium, l. VI, ep. 33, 11, nos verebimur hoc modo loqui cum Plinio, Catone et Cicerone?

Quorsum hæc? ut intelligamus possessiva non solum jungi cum genitivis *unius, solius, ipsius, duorum, trium, paucorum, cujusque,* sed etiam cum aliis. Horum exempla accipe. Cicero in Pis., c. 3, 6 : « Sine ulla dubitatione juravi rempublicam atque hanc Urbem *mea unius* opera esse salvam. » Idem, pro Mur., c. 4, 9: « Atque hujusce rei conjecturam de *tuo ipsius* studio.... ceperis. » Bithynicus Ciceroni, Fam., l. VI, ep. 16 : « Itaque contentus ero *nostra ipsorum* amicitia. » Livius, l. VIII, c. 7 : « Visne igitur, dum dies ista venit, qua magno conatu exercitus moveatis, interea tu ipse congredi mecum, ut *nostro duorum* jam hinc eventu cernatur quantum eques Latinus Romano præstet? » Idem, l. VII, c. 9 : « Tum eximia corporis magnitudine in vacuum pontem Gallus processit, et quanta maxima voce potuit : Quem nunc, inquit, Roma virum fortissimum habet, procedat agedum ad pugnam, ut *noster duorum* eventus

ostendat, utra gens bello sit melior. » Brutus Ciceroni in l. I, ep. 7 ad Brutum : « Bibulum noli dimittere ex sinu tuo, tantum jam virum, ex quanto, crede mihi, potest evadere, qui *vestris paucorum* respondeat laudibus. »

Suus etiam genitivum *cujusque* admittit. Cicero, de Offic., l. I, c. 31, 113 : « Id enim maxime quemque decet, quod est *cujusque* maxime *suum*. » Idem, de Finib., l. V, c. 9, 25 : « Quoniam autem *sua cujusque* animantis natura est, necesse est quoque finem omnium hunc esse, ut natura expleatur. »

Laurentius, l. II, c. 1, etiam genitivum *omnium* addit, quem nondum cum possessivis legi, sed cum primitivis; nam illud Ciceronis, de Orat., l. III, c. 55, 208 : « Voluntati *vestræ omnium* parui, » in omnibus libris legitur : « Voluntati *vestrum omnium* parui (1). » Sic Cicero, Catil. I, c. 6, 14 : « Ad *omnium nostrum* vitam salutemque pertinent, » non dixit *nostram*. Idem, de Prov. Cons., c. 17, 40 : « Ac primum illud tempus familiaritatis ac consuetudinis, quæ mihi cum illo, quæ fratri meo, quæ C. Varroni consobrino nostro ab *omnium nostrum* adolescentia fuit, prætermitto. »

Quod ad genitivum participiorum attinet, eum oratores fere in verbum cum relativo *qui, quæ, quod* mutant. Cicero Terentiæ, Fam., l. XIV, ep. 1, 1 : « Sed omnia sunt *mea* culpa commissa, *qui* ab iis me amari *putabam* qui invidebant. » Nam mea *culpa putantis* durius erat. Quod idem sæpe faciunt poetæ. Ovidius, Pont. III, ep. 4, 91 :

> Nec *mea* verba legis, *qui sum* submotus ad Istrum.

Terentius, Andr. act. I, sc. 1, v. 96 :

> Cum id mihi placebat, tum uno ore omnes omnia
> Bona dicere, et laudare fortunas *meas*,
> *Qui* gnatum *haberem* tali ingenio præditum.

375. Diximus *meus, tuus, suus*, cum huc spectant, poni pro genitivis *mis, tis, sis*, ut *studium tuum adolescentis*, pro *tis adolescentis; meum solius peccatum*, pro *mis*. Nam pronomina *ego, tu, sui*, ut nonnullis grammaticis placet, priscis illis seculis, geminos genitivos habuerunt : *mis, tis, sis*, qui actionem sive possessionem significabant, in quorum locum successerunt possessiva *meus, tuus, suus; mei* vero, *tui, sui*, passionem. Item numero multitudinis *nostrum, vestrum*, qui actionem seu possessionem significabant, pro quibus multis locis utimur derivatis *noster, vester; nostri* vero et *vestri*, passionem. Genitivus *sui* pluralis numeri una tantum terminatione fuit contentus, qui passionem significat, cujus loco utimur derivativo *suus*, cum actio seu possessio significatur, ut : Viri sapientes non fidunt *suæ* ipsorum prudentiæ. Gigantes *suis* ipsorum viribus freti immania facinora commiserunt. Non *sui ipsorum prudentiæ, viribus*. Hæc illi.

Dicam etiam ego, si tibi molestum non est, quod sentio. *Mis, tis, sis*, dandi casum vel ablativum suspicor fuisse apud priscos, pro *meis, tuis, suis*, duabus vocalibus in unam coeuntibus, quemadmodum *sas* pro *suas*. Ennius apud Festum, l. XVII :

> Virgines nam sibi quisque domi Romanus habet *sas*.

Ibidem :

> Postquam lumina *sis* oculis.....

Sas, inquit Festus, pro *suas*, et *sis* pro *suis*. Si Donatus, Servius, Priscianus, qui nobis genitivos *mis, tis* reliquerunt, legissent hunc locum Ennii, dixissent procul dubio etiam genitivum *sis* fuisse apud veteres, quod Priscianus negat, l. XIII, p. 955, his verbis : « *Sui*, quod debuit secundum analogiam esse *sui* vel *sis*, dubitationis causa, ne verbum esse putetur, recusaverunt proferre. » Donatus, Sergius, p. 1847, cum declinant pronomina, *mei* vel *mis, tui* vel *tis* solent dicere, nullam de *sis* facientes mentionem. Diomedes, grammaticorum, ut creditur, coryphæus, *mis, tis, sis* prorsus omisit; neque apud Varronem, Gellium, aut alium ex veteribus, quod meminerim, de his genitivis ulla fit mentio. Illud Plauti, Pœn. act. V, sc. 4, v. 15 :

> . . . . . Da diem hunc sospitem, quæso,
> Rebus *mis* agundis;

in libris correctissimis *meis* legitur. Illud Ennii, quod affert Priscianus : « Ingens cura *mis* cum concordibus æquiparare; » Laurentius, l. II, c. 1 ante med. : « Ingens cura *mis* est concordibus æquiparare; » credo legendum esse : « Ingens cura *meis* est concordibus æquiparare; » sic enim constat versus, extrita litera *s*, deinde vocali

---

(1) Orellius et Teubner *vestrum* habent, notatque Orellius hoc habuisse omnes ante Gruterum.

præcedenti elisa more prisco, sic : Ingens cura *me est* concordibus æquiparare.

Ne longior sim, genitivi *mei, tui, sui* apud vetustissimos tum passionem, tum actionem significabant : loquebantur enim more Græcorum : *Pater mei, tui, sui,* pro *meus, tuus, suus,* quæ nondum inventa erant; quibus inventis, exolevit illa prisca locutio *pater mei,* in cujus locum successit hæc : *pater meus, labor meus;* sed de hac re paulo post accuratius.

Quod ad genitivos multitudinis attinet, suspicor priscos illos Romanos primo *nostrorum, vestrorum* dixisse; nam hic exitus est omnium secundæ inflexionis. Plautus, Mostel. act. I, sc. 3, v. 123 :

> Verum illud est, maximaque adeo *pars vestrorum* intelligit,
> Quibus anus domi sunt uxores, quæ vos dote meruerunt.

Vestrorum pro *vestrum* positum est, ut Apollinaris docet, apud Gellium, l. XX, c. 6. Deinde concisa dictione arbitror fecisse *nostrum, vestrum;* unde quidam nota circumflexi toni ultimas insigniunt; quibus veteres passive, active et possessive usi sunt; unde Gracchus *misereri vestrum* dixit. Et Quadrigarius : « Cai Mari, ecquando te *nostrum* et reipublicæ miserebitur? » Quæ ibidem apud Gellium invenies. Postremo ab illis facti sunt genitivi *nostri, vestri;* sed, inventis derivativis *noster, vester,* credo placuisse eruditiori seculo ut *nostri* et *vestri* in frequenti usu, *nostrum* et *vestrum* cum certis tantum dictionibus jungerentur, de quibus mox dicemus. Diomedes, l. I, pp. 318, 319, antiquitatis scriptorumque veterum bene peritus, in flectendis pronominibus, genitivos *nostrum, vestrum* posuit, non *nostri, vestri,* fortasse ut doceret hunc proprium esse genitivum ; id quod Apollinaris etiam credidit, adeo ut affirmarit dicendum esse *miserere nostrum,* non *nostri;* qua tamen in re ei seculum eruditius refragatur. Caper, in libello de Orthographia, p. 2240 : « *Nostri,* inquit, *nostrorum, nostrum* venit a *nos,* sicut *vestri, vestrorum* venit a *vos* (1). »

(1) Hunc locum putat ibid. Voss. « hoc pacto corrigendum : Sic *nostri, nostrorum, nostrum* venit a *nos,* sicut *vestri, vestrorum, vestrum* venit a *vos.* »

GENITIVI *MEI, TUI, SUI, NOSTRI, VESTRI*

376. Verba, participia et nomina adjectiva, quæ patrium casum postulant, genitivis *mei, tui, sui, nostri, vestri* gaudent.

Cicero, Att., l. III, ep. 27 : « Te oro ut quibus in rebus mei *tui indigebunt,* nostris miseriis ne desis. » Idem, pro Rab. Posth., c. 16, 43 : « Equitem Romanum veterem amicum suum studiosum, amantem, *observantem sui*..... labentem excepit. » Idem in Catil. IV, c. 9, 19 : « Habetis ducem *memorem vestri, oblitum sui.* » Cæsar ad Ciceronem, Att., l. IX, ep. 16, 2 : « Nihil enim malo quam et me *mei* (1) *similem* esse, et illos *sui.* »

Nomine verborum intelliguntur etiam gerundia et supina, si quando eorum usus inciderit, ut : Non est tempus *obliviscendi vestri, nostri;* non *vestrum, nostrum.* — Cum genitivis *mei, tui, sui, nostri, vestri* copulari possunt participia, ut : Non sum oblitus *tui absentis.* Planc. ad Cicer., Fam., l. X, ep. 4, 3 : « Neque, si facultas optabilis mihi quidem *tui præsentis* esset, unquam a tuis consiliis discreparem. » Cicero Lentulo, Fam., l. I, ep. 1, 4 : « Amorem *tui absentis* præsentes tui cognoscent. » — Item cum gerundiis, ut vocant, adjectivis, ut : *Ignosce, avia : non fuit mihi copia videndæ tui.* Cicero Curioni, Fam., l. II, ep. 4, 2 : « Hoc quidquid attigi, non feci *inflammandi tui* causa, sed testificandi amoris mei. »

Cum nominibus tam substantivis quam adjectivis negat Laurentius, l. II, c. 1 a medio, posse hos

(1) Olivet, Lallemand, Ernesti, Lemaire et Teubner, *mei;* Orellius, *meis.*

genitivos jungi, exceptis his, *unius*, *solius*, *ipsius*, ut : *Tui unius* non misereris? Unusquisque *sui ipsius* curam gerit. Affert idem locum Terentii, Heaut. act. I, sc. 1, v. 128 :

. . . . . Hem tot *mei* (2)
Solius solliciti sunt causa?

Ubi in omnibus libris quos quidem viderim, « *mea solius* » legitur. Certe non video cur non dicatur bene latine : Pudet me *tui hominis* vanissimi. Non te miseret *mei miseri* et *infelicis?* Sic Terentius, Heaut. act. V, sc. 5, v. 1028 :

. . . . . Atque *inopis* nunc te miserescat *mei*.

Quod si pronomen ambiguam orationem efficiat, mutetur loquendi ratio, qualis esset : Miserere *mei famuli* inopis. Peto a te ut *mihi* miserrimo *famulo* subvenias. Sed in hoc loquendi genere fere omittuntur hæc pronomina, sic : Here, miserere *famuli;* Pater, memineris *filii;* Non miseret hujus calamitosi *exulis?*

(2) Lemaire et Teubner habent *mea*.

EXCEPTIO I.

377. *Interest* tamen et *refert* ablativos *mea*, *tua*, *sua*, *nostra*, *vestra* sibi vindicarunt, quibus ablativis addi possunt genitivi *unius*, *solius*, *ipsius*, cæterique qui possessivis adduntur, ut : *Mea unius* interest; *Tua solius* refert; *Nostra ipsorum* interest vitia exstirpare. *Tua* rempublicam *administrantis* interest semper vigilare.

Hic nulla veterum occurrunt testimonia : dicemus etiam : *Vestra paucorum* interest cives conservare, quia *vestris paucorum laudibus* legimus apud Brutum, l. I, ep. 7. At *Vestra* seu *nostra omnium* interest bene vivere, tum dicam, cum apud idoneos auctores legero genitivum *omnium* possessivis junctum; interim dicam : Interest *omnium nostrum* recte vivere. Refert *omnium vestrum* ante actæ vitæ rationem reddere. In qua locutione genitivus *omnium* a verbis *refert*, *interest* regitur; at genitivi *nostrum*, *vestrum* a nomine *omnis*, quod partitivum est. Livius, l. XXXI, c. 45 : « *Macedonum* fere *omnibus* ut manerent persuasit. » Plinius, l. XI, c. 61, 2 : « *Piscium omnibus* serrati (dentes). » Qui vero *Interest nostra omnium* dixerunt, secuti sunt Laurentium, l. II, c. 1, qui apud Ciceronem, de Orat., l. III, c. 55, 208, ut supra diximus, legit : « Voluntati *vestræ omnium* parui; » cum in omnibus libris scriptum sit : « Voluntati *vestrum omnium* parui. » Quo pacto frequentissime loquitur Cicero, ut mox dicemus.

Quoniam paulo ante planum factum est pronomina possessiva tum substantivi, tum adjectivi nominis genitivos admittere : studium *tuum adolescentis*, pectus *tuum hominis* simplicis, quid igitur causæ est cur timeamus dicere : Interest *tua prætoris* provinciam a piratis defendere; Refert *mea Consulis* rempublicam salvam et incolumem servare? Si tamen oratio durior videretur, qualis maxime est cum propria adduntur, ut : Interest *mea Antonii* discipulos in officio continere; vel omittantur propria, ut fecit Valerius Maximus, l. VI, c. 2 in fine, de Theodoro philosopho loquens : « *Mea* quidem nihil interest humine an sublime putrescam; » aut omittatur pronomen ipsum, quod fecit Cicero, Tuscul. l. I, c, 43, 102 : « *Theodori* quidem nihil interest humine an sublime putrescat; » ubi de se loquitur ipse Theodorus. Denique si dicas : « Interest *tua Cæsaris* victis ignoscere, » grammatice quidem et more Græcorum loqueris; unde est illud D. Pauli, ad Thessalonicenses, II, III, 17 : « Ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου : » Salutatio *mea manu Pauli*. Neque hoc solum e græco sumptum est, ut Laurentius, l. II, c. 1 a medio, significat, sed ea quæ supra, ex Cicerone, Catone, Plinio et cæteris attulimus. Lege Budæi Comment. linguæ græcæ : invenies, p. 32, nostros ab eis fuisse mutuatos hoc genus loquendi. Sed ut ad rem redeam, elegantius dices : *Tua, o Cæsar*, interest victis ignoscere.

Si ad grammaticorum normam nobis loquendum est, non ponuntur ablativi *mea, tua, sua, nostra, vestra,* pro genitivis *mei, tui, sui, nostri, vestri,* ut qui passionem significent, sed pro *mis, tis, sis, nostrum, vestrum.* Nam cum dico : Interest *mea* rempublicam gubernare, *mea* actionem significat. Sed de his fortasse plus nimio.

EXCEPTIO II.

378. Nomina numeralia, partitiva, comparativa et superlativa genitivos *nostrum*, *vestrum* exigunt.

Livius, l. I, c. 56 : « Imperium summum Romæ habebit, qui *vestrum primus*, o juvenes, osculum matri tulerit. » Curtius, l. VIII, c. 8, 9 : « Nolo *singulos vestrum* excitare. » Cicero ad Quint. Fr., l. II, ep. 4, 2 : « Domus *utriusque nostrum* ædificatur strenue. » Idem, contra Rul., pro lege Agr., II, c. 28, 77 : « Omnibus vobis, aut majori *vestrum parti*. » *Maximus* natu *vestrum* .

Si nominibus, verbis ac participiis quæ genitivos *nostri* et *vestri* ante admittebant, addantur numeralia, partitiva, comparativa ac superlativa, *nostri, vestri* in *nostrum, vestrum* migrabunt. Recte dicitur : *Sum memor vestri ;* adde *singulorum, utriusque, omnium, paucorum, multorum*, necessario dices : *Sum memor vestrum singulorum, utriusque, omnium, paucorum, multorum,* quia hæc, cum sint numeralia aut partitiva, genitivos *nostrum, vestrum,* non *nostri, vestri*, postulant. Nam cum dicimus : Sum memor *vestrum utriusque,* genitivus *utriusque* a nomine *memor* regitur; at genitivus pronominis *vestrum* a partitivo *uterque.* Ut enim dicimus : *Uterque vestrum* est doctus; Sum præceptor *utriusque vestrum ; Utrique vestrum* sum gratus; *Utrumque vestrum* doceo; in quibus *vestrum* semper regitur a partitivo; sic etiam dicimus : Sum memor *vestrum utriusque;* Sic misereor *vestrum trium ;* Egeo *vestrum singulorum;* Oblitus est *nostrum paucorum ;* Indigeo *vestrum omnium;* Interest *nostrum omnium* te bene valere. Sic solet Cicero genitivo *omnium* adjungere *nostrum, vestrum.* Contra Rullum, pro lege Agr., II, c. 32, 86 : « Tunc contra hanc Romam communem patriam *omnium nostrum,* illa altera Roma quæretur. » Idem in Catil., IV, c. 1, 1 : « Video, Patres conscripti, in me *omnium vestrum* ora atque oculos esse conversos. » Idem, Att., l. XI, ep. 6, 2 : « Ut jam omnium judicio constitutum esset *omnium vestrum* bona prædam esse illius victoriæ. » Idem ad Cassium, Fam., l. XV, ep. 19, 2 : « Quum ipsius causa gaudeo, tum me hercule etiam *omnium nostrum.* » Idem, de Orat., l. I, c. 44, 196 : « Vel quia est patria parens *omnium nostrum.* »

PRONOMINA POST SUBSTANTIVA

379. Possessiva *meus*, *tuus*, *suus*, *noster*, *vester* cohærent cum substantivis genere, numero, casu, cum possessio vel actio significatur, ut : *liber meus, ager tuus, studium nostrum, labor vester* .

Græci, cum possessio vel actio significatur, ferme utuntur genitivis primitivorum, πατὴρ μου, *pater mei,* pro πατὴρ ἐμός, *pater meus ;* πάτερ ἡμῶν, *pater nostrum* vel *nostri,* pro πάτερ ἡμέτερε, *pater noster ;* Latini contra possessivis utuntur, cum actio vel possessio significatur, *pater meus,* non *mei ; pater noster,* non *nostrum* aut *nostri.* Prisci tamen Romani, antequam inventa essent derivativa, videntur fuisse usi genitivis primitivorum, Græcorum more, cujus rei exstant non obscura vestigia. Plautus, Pseud. act. I, sc. 1, v. 1 :

Si ex te tacente fieri possem certior,
Here, quæ miseriæ te tam misere macerant,
Duorum labori ego hominum parsissem lubens,
Mei, te rogandi; et tui, respondendi mihi.

« *Mei*, inquit Apollinaris apud Gellium, l. XX, c. 6, non dixit Plautus ab eo quod *meus*, sed ab eo quod est *ego*. Itaque, inquit idem, si dicere velis *patrem mei*, pro *patrem meum*, quo Græci modo τὸν πατέρα μου dicunt, inusitate quidem, sed recte profecto, eaque ratione dices qua Plautus dixit *labori mei* pro *labori meo*. » Hæc ille. Cicero, Att., l. XI, ep. 8, 2 : « Quintus misit filium non solum *sui* deprecatorem, sed etiam accusatorem *mei*. » Idem Lentulo : « Is, hac regia causa excepta, cæteris in rebus se acerrimum *tui* defensorem fore ostendit. » Idem Turioni, Fam., l. II, ep. 6, 5 : « Eam rem unius *tui* studio me assequi posse confido. » Budæus, p. 32, illud Ciceronis in Vat., c. 3, 8 : « Civitatis salutem cum *unius mea* salute esse conjunctam, » sic legit : « Civitatis salutem cum *unius mei* salute (1) conjunctam ; » ubi inquit : « Si enim *mea* scripsisset, legeretur *mea unius*, non *unius mea ;* » quo loco significat Budæus utendum nobis esse genitivis *mei, tui, sui*, cum præcedunt nomina *unius, solius*, ut : *Unius mei* opera servata est respublica; *Solius tui* studio maximos honores adeptus sum; *Unius sui* opera juravit Cicero rempublicam esse salvam. Contra, si nomina sequantur, possessivis utendum esse, ut : *Mea unius* opera servata est respublica; *Tuo solius* studio maximos honores adeptus sum; *Sua unius* opera juravit Cicero rempublicam esse liberatam. Livius, l. II, c. 8 : « Gratæ in vulgus leges fuere, quas cum solus pertulisset, ut *sua unius* in his gratia esset, tum deinde comitia collegæ subrogando habuit. » Idem, l. XXXVI, c. 36 : « Censuerunt ergo, quos ludos inconsulto senatu ex *sua unius* sententia vovisset, eos uti de manubiis, si quam pecuniam ad id reservasset, vel sua ipse impensa faceret. » Idem, l. XLIV, c. 22 : « Eum qui de *sua unius* sententia omnia gerat, superbum judico magis quam sapientem. » Hæc Livii loca idcirco attuli, quod quidam vir alioqui doctus existimaverit semper *sui* utendum esse præcedente vel sequente nomine.

Neque id quod modo ex Budæo diximus semper est verum; nam Cicero ad Att., l. XI, ep. 15, 2, cum nomen præposuisset pronomini, nihilominus usus est possessivo : « *Solius* enim *meum* peccatum corrigi non potest. » Alia præterea, ut ad rem redeamus, sunt testimonia, ubi primitiva pro derivativis ponuntur. Idem, Phil. IV, c. 1, 1 : « Frequentia *vestrum* incredibilis, Quirites, concioque tanta quantam meminisse non videor, et alacritatem mihi summam reipublicæ affert defendendæ et spem recuperandæ. » Idem, pro Planc., c. 6, 16 : « Quare noli me ad contentionem *vestrum* vocare, Laterensis. » Ibid., c. 7, 17 : « Possumne eripere orationi tuæ contentionem *vestrum?* »

(1) *Meâ unius* habent Olivet, Lallemand, Ernesti, Lemaire, Orellius et Teubner.

EXCEPTIO.

380. At si substantiva significent partem aliquam generalem corporis sive animi, cujusmodi sunt *pars, dimidium, aliquid*, genitivis primitivorum utemur, ut : Nullam *partem mei* amisi; hoc est, non amisi manum, pedem, memoriam. Amisistine *quidquam tui?*

Cicero, de Fin., l. V, c. 13, 37 : « Cui proposita sit conservatio sui, necesse est huic *partes* quoque *sui* caras esse, carioresque quo perfectiores sint. » Terentius, Adelph. act. II, sc. 1, v. 179 :

Tetigine *tui quicquam?*

Quintilianus, l. VII, c. 2, 24 : « Minimam *partem mei* habent. »

APPENDIX.

381. Substantiva, quibus ambigua est significatio, ut *caritas, amor, memoria, desiderium, cura,* itemque cætera, si possessionem actionemve significent, possessivis adhærescunt, ut *amor meus, desiderium meum,* quo amo desideroque.

Sin passionem significent, genitivos *mei, tui, sui, nostri, vestri* flagitant, ut *amor mei, desiderium mei,* quo amor desiderorque. Cicero, Att., l. VII, ep. 4, 1 : « Dionysium flagrantem *desiderio tui* misi ad te. » Idem ad eumdem, l. I, ep. 3, 1 : « Aviam tuam scito *desiderio tui* mortuam esse. » Idem ad Planc., Fam., l. X, ep. 6, 2 : « Me impulit *tui caritas.* » Idem ad Quint. Fr., l. I, ep. 2, c. 3, 8 : « Nunc tamen decedens relinque, quæso, quam jucundissimam *memoriam tui.* » Quintilianus, Declam. VI, c. 6 : « Postquam *mei cura* discesserat : Matrem, inquit, tibi per hæc merita commendo. »

Aliquando utrumque conjungitur. Idem, Att., l. XIII, ep. 1, 3 : « Nicias te, ut debet, amat, vehementerque *tua sui memoria* delectatur. » Idem Cornificio, Fam., l. XII, ep. 17, 1 : « Grata mihi vehementer est *memoria nostri tua.* »

Alia hujus generis leges maxime apud Senecam, de Vita beata, c. 9, 3 : « Ipsa (virtus) *pretium sui.* » Ibid., c. 5, 3 : « *Ignoratio sui,* » et c. 10, 2 : « Insolentiam et nimiam *æstimationem sui.* » De benef., l. II, c. 19, 2 : « Ante des oportet mihi *arbitrium mei,* deinde beneficium. »

Non in omnibus tamen, quibus anceps est significatio, hoc observatur; nam *crimen meum, vulnus meum, injuria mea* dicitur etiam mihi allata. Item *imago mea, tua, sua, nostra, vestra,* non solum quæ possidetur, sed etiam quæ refert et repræsentat. Plautus, Menæch. act. V, sc. 9, v. 4 :

> *Tua* est *imago*, tam consimilis tibi quam potest.

Cicero, pro Sext. Rosc., c. 16, 47 : « Ut effictos mores nostros in alienis personis, expressamque *imaginem nostram* vitæ quotidianæ videremus (1). » Idem ad Lucceium, Fam., l. V, ep. 12, 7 : « Nec minus est Spartiates Agesilaus ille perhibendus, qui neque pictam neque fictam *imaginem suam* passus est esse. » Martialis, l. II, epigr. 66, v. 8 :

> Et digna speculo fiat *imago tua* (2).

Præterea *causa mea, tua, sua, nostra.* Cicero ad Cassium, Fam., l. XV, ep. 18 : « Te abesse *mea causa* moleste fero, *tua* gaudeo. » Idem Tironi, Fam., l. XVI, ep. 11, 1 : « Non tam *mea* quam *tua causa* doleo te non valere. » Idem, Att., l. VIII, ep. 1, 2 : « Si me vellet *sua* aut reipublicæ *causa* Luceriam venire. » Sic apud Ciceronem frequenter. Papinianus, *causa mei;* Ulpianus, *sui* dixit. Malim cum Cicerone loqui. Terentius, Phorm. act. V, sc. 9, v. 1015 :

> Nam neque *negligentia tua*, neque *odio* id fecit *tuo;*

pro *tui.* Idem, Heaut. act. II, sc. 2, v. 307 :

> Facile scires *desiderio* id fieri *tuo;*

pro *tui.* — Apud Budæum, Comment. linguæ græcæ, p. 31, plura invenies hujus generis.

---

(1) Olivet, Lallemand, Ernesti, Lemaire, Orellius, *nostræ;* Teubner : « *imaginem* [nostram] vitæ. »

(2) Lemaire et Teubner :

> Ut digna speculo fiat imago *tuo.*

RECIPROCA *SUI*, *SIBI*, *SE*

382. Reciproco *sui*, *sibi*, *se* utimur, cum tertia persona transit in seipsam, ut : *Cæsar* recordatur *sui*; indulget *sibi*; amat *se*; loquitur *se*cum.

Cicero, de Finib., l. V, c. 10, 29 : « Eorum est hæc querela, *qui sibi* cari sunt *sese*que diligunt. » Idem, de Nat. deor., l. I, c. 30, 84 : « *Ipsum sibi* displicere. »

Reciprocare, ut inquit Varro, de Ling. lat., l. VII, 80, ab *recipere* fictum est, sive a *procare*, quod poscere quondam significabat; unde grammatici reciproca pronomina appellarunt, quod ad eamdem personam sese recipiant, unde profecta sunt, eamdemque reposcant.

Utimur et *sui, sibi, se,* cum intercedit obliquus tertiæ personæ, ad quem refertur reciprocum. Video *hominem* cædentem se flagris; Audio *avum* tuum non esse compotem *sui*; Suspicor *Ciceronem* iniquo animo tulisse contemptum *sui*. Cicero in Catil., IV, c. 9, 19 : « Habetis *ducem* memorem vestri, oblitum *sui*. » Cæsar ad Cic., Att., l. IX, ep. 16, 2 : « Nihil enim malo quam et me mei similem esse, et *illos sui*. » Quintilianus, Declam. VI, c. 19 : « Tu *filium* prima docuisti *sibi* non parcere. »

Reperitur interdum reciprocum pronomen positum pro demonstrativo *is, ipse*. Lucanus, Phars. V, v. 805 :

. . . . . Quæ nox *sibi* proxima venit
Insomnis (1);

sibi pro *ei*. Cicero, Phil. II, c. 37, 96 : « Non enim a te emit, sed priusquam tu suum *sibi* venderes, ipse possedit. » Seneca ad Helviam, de Consolatione, c. 16 in fine : « Ad tuum fingatur arbitrium, multum *sibi* dabis (2), etiamsi nihil dederis præter exemplum. » Quod Budæus, in Comment. linguæ græcæ, pp. 28, 29, docet fieri more Græcorum.

(1) Lemaire : « quæ nox *tibi* venit insomnis. »
(2) Lemaire : « multum *illi* dabis. »

Et accedente altero verbo, ut : Marcellus te, Cæsar, precatur, ut *miserearis sui*, *ignoscas sibi*, *se* in fidem tuam *suscipias*, ne *se* hostem *existimes*.

Cicero, in Orat., c. 28, 100 : « Ne ipse quidem, sua tanta eloquentia, mihi persuasisset, ut *se dimitterem*. » Idem, pro Sext. Rosc., c. 2, 6 : « Hunc *sibi* ex animo scrupulum, qui *se* dies noctesque stimulat ac pungit, ut *evellatis* postulat. » Idem, Att., l. V, ep. 6 : « Qui etiam a me petierit, ut *se*cum et apud *se essem* quotidie. »

Utuntur aliquando scriptores, accedente altero verbo, demonstrativis pro reciprocis. Quintilianus, Declam. III, c. 2 : « Neque ignoravit, quæ manerent *eum* pericula; » *eum* pro *se*. Idem, Declam. I, c. 1 : « Quare non petit ut *illum* miserum putetis, nisi et innocens fuerit (3); » *illum* pro *se*.

(3) Burmann et Lemaire omiserunt *illum*.

RECIPROCUM *SUUS*

383. Reciproco *suus* utimur, cum tertia persona transit in rem a se possessam, ut : *Cicero* recordatur Tironis liberti *sui*; indulget liberis *suis*; defendit *suos* clientes; scripsit hanc epistolam manu *sua*.

Cicero in Verr., act. II, l. I, c. 48, 126 : « Aiebat..... multa sibi opus esse, multa canibus *suis*. » Idem, de Orat., l. II, c. 40, 168 : « Si *feræ* partus *suos* diligunt, qua nos in liberos nostros indulgentia esse debemus? »

Utimur etiam *suus*, cum additur alter obliquus tertiæ personæ, ad quem refertur possessio, ut : Percussisti *illum* gladio *suo;* Relinquam *legentibus* judicium *suum;* Vidi *Pompeium* spoliatum ornamentis *suis;* Percontatus sum *illum* de regno *suo;* Allocutus sum *Cæsarem* ante domum *suam*. Cepi *columbam* cum pullis *suis*, in nido *suo*, extra, prope nidum *suum*. Cepi lupam et catulos *ejus* : non *suos*, quia intercedit conjunctio. Cicero, in Somn. Scip., c. 1, 1 : « Ego *illum* de *suo* regno, ille me de nostra republica percontatus est. » Terentius, Adelph. act. V, sc. 8, v. 962 :

Suo sibi *hunc* gladio jugulo.

Cicero, Att., l. VI, ep. 2, 7 : « Sed et tum præsens, et postea creberrimis literis non destiti rogare, et petere mea causa, suadere et hortari *sua;* » ubi *illum* vel *eum* subauditur, ad quod refertur possessio. Laurentius (De recipr. *Sui* et *Suus*, c. 4 et seqq.) his locis potius *ejus, illius, ipsius* dixisset, maxime ubi intercedunt præpositiones, nisi addatur nomen adjectivum, participium aut verbum, ad quæ referatur possessio, ut : Inveni *leonem* iratum ob amissam prædam *suam;* Video *columbam* tristem in periculo *suorum* pullorum; Sentio *hominem* ambulantem per domum *suam;* Scio *illum* dolere fortunam *suam*.

Si tamen oratio fuerit ambigua, quod fit cum tres sunt personæ, et possessio ad secundo loco positam refertur, tunc utemur genitivis *ejus, illius, ipsius*, ut : Vulpes cepit *gallinam* cum pullis *ejus*. Si vere possessio referatur ad primo loco positam, *suus* utendum erit, ut : *Deus* tuetur hominem propter clementiam *suam*.

Invenitur interdum *suus* pro *ejus, ipsius, illius*. Cicero, Phil. IV, c. 2, 4 : « Quod autem erat præsidium salutis libertatisque vestræ, si C. Cæsaris, fortissimorum *sui* patris militum exercitus non fuisset? » Idem, Att., l. IV, ep. 18, 2 : « Memmius candidatus pactionem in senatu recitavit, quam ipse et *suus* competitor Domitius cum consulibus fecisset. »

Et accedente altero verbo, ut : Timet Pompeius ne a *suis* veteranis *deseratur*. Rogat te Cæsar ut *suas* partes *sequaris*.

APPENDIX.

Utimur præterea reciproco *Suus* cum res possessa in possessorem transit.

Cicero, Att., l. IX, ep. 12, 2 : « *Illum* ulciscentur mores *sui*. » Idem, de Arusp., c. 5, 8 : « *Sua* concio risit *hominem*. » Idem, pro Sest., c. 68, 142 : « *Hunc sui* cives e civitate ejecerunt. » Idem, Att., l. X, ep. 11, 3 : « Indulsit *illi* quidem *suus* pater semper. »

Cum *suus* est substantivum, nemo fere loco ejus utitur genitivis *illius, ipsius, ejus*, ut : Reperi eum cum *suis*, sive inter *suos*. Cicero, de Finib., l. II, c. 30, 97 : « Quæsivit salvusne esset clypeus; cum salvum esse flentes *sui* respondissent, rogavit, etc. » Item cum ponitur pro *proprius*, ut : De hac re dixi *suo* loco; Referam hæc omnia *suis* locis.

PRÆPOSITIONUM CONSTRUCTIO

384. Verba absoluta et intransitiva præpositionum beneficio in casus transeunt. Cicero, de Orat., l. II, c. 3, 12 : « Cum etiam tum *in lecto* Crassus *esset*, et *apud eum* Sulpitius *sederet*, Antonius autem *inambularet* cum Cotta *in porticu*, repente eo Quintus Catullus senex *cum Caio Julio* fratre *venit*. »

Transitiva præter proprium casum etiam præpositiones cum suis casibus admittunt. Cicero, de Amic., c. 8, 28 : « Nihil amabilius virtute, nihil quod magis *alliciat ad diligendum;* quippe cum, *propter virtutem* et *probitatem*, eos etiam quos nunquam vidimus, quodam modo *diligamus*. »

Verba composita sæpe casum præpositionis habent. Cicero, de Finib., l. V, c. 29, 87 : « Cur ipse Pythagoras et Ægyptum lustravit, et Persarum *magos adiit?* » Idem, ad Quint. Fr., l. III, ep. 2, 2 : « Cum subito bonus imperator noctu *urbem* (1) hostium *invasisset*, in senatum se non committebat. »

Et repetita præpositione. Idem, Verr. act. II, l. I, c. 47, 123 : « Cæteri hæredes *adeunt ad Verrem*. » Idem in Anton., Phil. XI, c. 2, 4 : « *In Galliam invasit* Antonius, *in Asiam* Dolabella, *in* alienam uterque *provinciam*. »

Hanc repetitionem amant multa verba composita ex præpositionibus *a*, *ab*, *ad*, *con*, *de*, *e*, *ex*, *in*. Idem, de Amic., l. III, c. 1, 5 : « Tu velim *a me* animum parumper *avertas*, Lælium loqui ipsum putes. » Idem, ad Quint. Fr., l. III, ep. 5, 4 : « *Abduco* me equidem *ab* omni reipublicæ *cura*. »

Cicero fere *invadendi* verbo utitur, repetita præpositione. — *Aspirandi* verbi elegans est usus, cum conatum quemdam contentionemque aliquo perveniendi, atque alicujus rei adipiscendæ adsignificat, efferturque negatione aut interrogatione. Cicero, in Brut., c. 21, 84 : « Ex bellica laude *aspirare ad Africanum nemo* potest. » Idem, Tusc., l. V, c. 9, 27 : « Omnes aditus tuos interclusi, ut *ad me aspirare non* posses. » Idem, Verr. act. II, l. I, c. 54, 142 : « *Quid* enim quisquam *ad* meam *pecuniam*, me invito, *aspirat?* » Idem, ibid., l. II, c. 31, 76 : « *Quando* autem homo tanta luxuria atque desidia, nisi Februario mense, *aspirabit in Curiam?* »

Cæterorum exempla crebro apud idoneos auctores reperiuntur. Cicero, Offic., l. II, c. 32, 115 : « Itaque se alii *ad philosophiam*, alii *ad jus* civile, alii *ad eloquentiam applicant*. » Idem, pro Sulla, c. 26, 72 : « Agedum, *conferte* nunc *cum illis* vitam P. Sullæ. » Sic *consentio, comparo, congruo, colludo, convivo*. Idem in Pis. : « Sua quemque fraus,..... suum scelus..... *de sanitate* mente *deturbat*. » Sic *detraho, detrudo, dejicio, depello*. Idem, de Invent., l. II, c. 4, 14 : « Alterius eorum, qui sine nummis erat, gladium propter appositum *e vagina eduxit*. » Ejusdem generis sunt *egredior, ejicio, emergo, emigro, emineo, emitto, evoco, evolo*. Idem, pro Mil., c. 37, 101 : « Hæc tanta virtus *ex* hac *urbe expelletur? exterminabitur?* projicietur? » Sic *exeo, excedo, exturbo*. Idem, Phil. IV, c. 5, 12 : « Bellua, quæ quoniam *in foveam incidit*,

(1) Orellius et Teubner : « *in urbem*. »

obruatur. » Sic *incurro, injicio, ingredrior, intueor, intro,* etc. quæ motum adsignificant. Repetitur etiam *in,* cum quies significatur. Idem, de Amic., c. 21, 79 : « Digni autem sunt amicitia, *quibus in* ipsis *inest* causa cur diligantur. » Idem, pro Dejot., c. 3, 8 : « *In* exulcerato *animo* facile fictum crimen *insideret.* »

Nonnulla ex his etiam dativum postulant, quemadmodum suo loco dictum est (n. 283, 311).

CASUS PRÆPOSITIONUM

385. Accusativo serviunt *ad, apud, ante, adversus,* vel *adversum, cis, citra, circiter, circa, circum, contra, erga, extra, intra, inter, infra, juxta, ob, penes, per, pone, post, prope, propter, præter, secundum, supra, secus, trans, ultra, versus, usque.*

Cicero, in Brut., c. 6, 24 : « In pratulo *propter* Platonis *statuam* consedimus. » Idem, Att., l. XII, ep. 15 : « *Secundum te,* nihil est mihi amicius solitudine. » Idem, Verr. act. II, l. II, c. 76, 187 : « Erant acceptæ pecuniæ a Caio Verrutio, sic tamen ut *usque alterum r* (1) literæ constarent integræ, reliquæ omnes essent in litura. »

Varium usum significationemque præpositiodinum, audiendis legendisque veterum scriptis discent paulatim adolescentes, quæ, si in locum unum congerantur, molestiam tædiumque afferunt. *Exadversus* reperitur apud Ciceronem, de Divin., l. I, c. 45, 101 : « Ara enim, inquit, aio loquenti, quam sæptam videmus *exadversus* eum *locum,* consecrata est. »

(1) Orellius et Teubner : « usque *ad* alterum *r.* »

VERSUS

Versus suo casui postponitur.

Cicero, Att., l. XVI, ep. 10, 1 : « Verti igitur me a Minturnis *Arpinum versus.* » Sulpitius Ciceroni, Fam., l. IV, ep. 5, 4 : « Ex Asia rediens, cum ab Ægina *Megaram versus* navigarem, cœpi regiones circumcirca prospicere. »

Versus a cæterarum præpositionum natura dissidet : sunt enim dictæ præpositiones quod cæteris partibus præponantur. Præponitur huic præpositioni interdum *ad.* Livius, l. I, c. 18 : « In lapide *ad meridiem versus* consedit. »

386. Ablativo gaudent *a, abs, absque, cum, coram, clam, de, e, ex, pro, præ, procul, palam, sine.*

Cicero in Pis., c. 6, 12 : « Mihi vero ipsi *coram genero* meo, propinquo tuo, quæ

dicere ausus es? » Idem, Att., l. XV, ep. 1, 2 : « Paulo *clam iis* eam vidi (1). » Terentius, Heaut. act. V, sc. 1, v. 921 :

. . . . . *Præ iracundia*,
Menedeme, non sum apud me. . . . .

Livius, l. VI, c. 14 : « Rem creditori *palam populo* solvit. » Idem, l. XXXVII, c. 21 : « Haud *procul occasu* solis redeundi in castra tempus erat. »

Palam sæpe in oratione Ciceronis in Sallustium (2), c. 3, 7, reperitur. « An turpius est, Patres conscripti, scribentem mentiri, quam illum *palam* hoc *ordine* dicentem ? » et c. 6, 16 : « *Palam universis* recitare. » Et postposita, c. 7, 19 : « Quod si quidpiam eorum falsum est, *his palam* refelle. »

Procul frequentissime ablativum habet. Livius, l. XXXVII, c. 18 : « Haud *procul* Seleuci *castris* ad caput Cayci amnis stativa habuit. » Ibid., c. 20 : « Porta egressus haud *procul statione* hostium occasionem opperiens consedit. » Et postposita apud Ciceronem, Fam., l. VII, ep. 6, 1 : « Nam multi suam rem bene gessere, et publicam *patria procul.* » Hanc præpositionem nondum cum accusativo legi; nam illud Livii, l. XXI, c. 7 : « Sed ut locus *procul muros* satis æquus agendis vineis fuit, ita, etc., » corrupte legitur *muros* pro *muro*. Item apud Plinium, l. IX, c. 78, 1 : « Pausilypum villa est Campaniæ haud *procul* Neapoli, » ablativus est. Citatur et Curtius, sed incerto libro : suspicor locum mendosum esse.

Clam et cum accusandi casu jungitur. Cicero in Sall., c. 5, 15 : « Timens ne facinora sua *clam vos* essent. » Apud veteres frequentius. Plautus, Casin. act. II, sc. 8, v. 32 :

Bona multa faciam *clam* meam *uxorem*.

(1) Orellius et Teubner : « Paullo Cumis eam vidi. » Hic multas esse varietates annotat; Ernesti vero, plures edd. habere quod habet Alvarus.

(2) Hanc orationem, Ciceroni falso tributam, habet Orellius in fine I vol.; Lemaire et Teubner, post fragmenta.

TENUS

387. *Tenus*, quemadmodum *versus*, postponitur, atque fere patrium casum desiderat, si nomen sit multitudinis. Cicero, in Arato, v. 323 :

. . . . . Cepheus conditur ante
Lumborum tenus.

Idem, Fam., l. VIII, ep. 1, 2 : « Illi rumores de comitiis Transpadanorum *Cumarum tenus* caluerunt. »

Sin singulare sit nomen, ablativo gaudet. Livius, l. XXVI, c. 45 : « Adeo nudaverat vada, ut alibi *umbilico tenus* aqua esset, alibi genua vix superaret. »

Tenus nonnunquam cum ablativo copulatur, etiam cum nomen plurale est. Cels., l. I, c. 3 : « Huic abunde est, loco tepido demittere se *inguinibus tenus* in aquam calidam. »

A, AB, ABS

388. *A* consonantibus præponitur. Cicero, III Phil., c. 13, 32 : « (Antonius) *a fronte, a tergo, a lateribus* tenebitur. »

Ab, vocalibus. Idem, Att., l. I, ep. 15, 1 : « Curaque et effice ut *ab omnibus* et laudemur et amemur. » Et nonnullis consonantibus. Idem, pro Cluent., c. 59, 161 : « *Ab nullo* ille liberalius, quam a Cluentio tractatus est. » Idem, Att., l. V, ep. 17, 3 : « Rex *ab Senatu* appellatus est. » Præcipue *l*, *r* et *j*, ut *ab legatis, ab Romanis, ab Jove*.

Abs, *t* et interdum *q*. Terentius, Andr. act. III, sc. 4, v. 493 :

O Dave, itan' contemnor *abs te?*

Idem, Adelph. act. II, sc. 4, v. 255 :

Abs quivis homine..... beneficium accipere gaudea s.

Historici, præcipue Livius, liberius utuntur præpositione *ab* : *ab classe, ab Carthagine, ab Delio, ab dictatore, ab Numa, ab Gallis, ab Servio, ab Samnitibus, ab Tarquiniis, ab tergo.*

IN, SUB, SUPER

389. *In, sub, super* modo accusativum, modo ablativum, pro varia significatione, postulant.

In cum verbis motus accusativum amat. Cicero, I Cat., c. 8, 20 : « Egredere ex Urbe, Catilina,.... *in exilium* proficiscere. »

Item pro *erga, contra, ad, pro, per*, ut : Brutus fuit pius *in patriam*, crudelis *in liberos*. Olera et pisciculos minutos fero obolo *in cœnam*. Commodavi tibi librum *in horam, diem, mensem, annum*. Cicero, I Catil., c. 2, 5 : « Crescit *in dies* singulos hostium numerus. »

Cum vero quies aut aliquid fieri in loco significatur, ablativo gaudet, ut : Sum *in templo*. Deambulo *in foro*. Idem ad Att., l. XII, ep. 15, 1 : « *In* hac *solitudine* careo omnium colloquio. »

Et cum ponitur pro *inter*. Cicero, de Senect., c. 5, 18 : « Hoc primum sentio, nisi *in bonis* amicitiam esse non posse. »

Sub fere accusandi casum postulat pro *circiter, per, paulo, ante*, denique cum tempus adsignificat, ut : *sub vesperum, sub noctem, sub* lucis *ortum, sub* idem

tempus hæc gesta sunt. Cæsar, Bello civ., l. I, c. 28 : « Pompeius *sub noctem* naves solvit. » Livius, l. XXII, c. 47 : « *Sub* equestris *finem* certaminis, coorta est peditum pugna. »

Item pro *post :* Cicero, Fam., l. X, ep. 16, 1 : « *Sub eas* (literas) statim recitatæ sunt tuæ. »

Et cum verbis motus. Cicero, II Phil., c. 9, 21 : « Ille (Clodius) se *sub scalas* (1) tabernæ librariæ conjecisset. » Nix *sub aspectum* et *tactum* cadit.

Cum verbis quietis ablativum petit, ut : Consedimus *sub umbra* platani. *Sub nomine* pacis bellum latet.

Super accusativo servit, cum præpositioni *subter* contraria est, maxime cum motus significatur, ut : Sedeo *super saxum*. Tegula cecidit *super caput*.

Item cum significat *inter*, ut : *Super cœnam* occisus est; — *præter : Super* cætera *scelera*, hoc etiam facinus commisisti; — *ultra :* Erant *super* mille *imperatores*, imperante Augusto.

Ablativo adjungitur, cum pro *de* ponitur. Cicero, Att., l. XVI, ep. 6, 1 : « Hac *super re* scribam ad te Rhegio. » Et interdum cum verbo quietis, maxime apud poetas. Virgilius, Eclog. I, v. 80 :

> Hic tamen hanc mecum poteris requiescere noctem
> *Fronde super* viridi.

Multo latius patet harum trium præpositionum usus ; nam dicimus *vivere in diem*, id est, præsentis diei tantum rationem habere ; *scribere epigramma in aliquem*, quod modo laudem, modo vituperationem adsignificat ; *hæc in rem tuam sunt*, hoc est, utilia ; *sub specie pacis*, *sub umbra fœderis*, id est, prætextu pacis; *sub pœna mortis*, *sub hasta*, *sub corona venire*. Suetonius in Claud., c. 43 ; et in Nerone, c. 54 : « *sub exitu* vitæ » dixit, pro *sub exitum*.

Super frequentissime cum verbis quietis accusativo servit. Cicero, de Leg., l. II, c. 26, 66 : « (Demetrius) *super* terræ *tumulum* noluit quid statui, nisi columellam. » Idem, de Fin., l. II, c. 18, 59 : « Et velle aliquem imprudentem *super eam* assidere. » — *Super* pro *ultra* præcipue reperitur apud Suetonium, in Aug., c. 35 : « Senatorum affluentem numerum deformi et incondita turba (erant enim *super mille*, etc.) ad modum pristinum et splendorem redegit. » Et in Jul. Cæs., c. 38 : « Veteranis legionibus prædæ nomine in pedites singulos *super* bina *sestertia*..... dedit. » — Et pro *præter*. Idem in Claud., c. 26 : « Quam cum comperisset, *super* cætera *flagitia* atque *dedecora*, Caio Silio etiam nupsisse..... supplicio affecit. » Ponitur et pro *inter*. Plinius ad Sempronium Rufum, l. IV, ep. 22 : « De ejus nequitia sanguinariisque sententiis, in commune omnes *super cœnam* loquebantur. » Neque *peracta cœna* significat, ut vulgo loquimur, sed *inter cœnam*, ut solet Cicero loqui; ad Quintum Fr., l. III, ep. 1, c. 6, 19 : « Hæc *inter cœnam* Tironi dictavi, ne mirere alia manu esse ; » et *inter scyphos :* Cicero, Fam., l. VII, ep. 22 : « Illuseras heri *inter scyphos*, quod dixeram. » Et Curtius, l. VII, c. 4, 7 : « *Super mensam ;* » et l. VIII, c. 4, 30 : « *Super vinum* et *epulas* » dixit. Suetonius, in Tiber., c. 53 : « *Inter cœnam.* »

(1) Orellius : *in scalas.*

SUBTER

Subter ferme accusandi casum poscit, sive quietis, seu motus verbis adjungatur. Cicero, Tuscul., l. I, c. 10, 20 : « Plato iram in pectore, cupiditatem *subter præcordia* locavit. »

Interdum, apud poetas potissimum, ablativum habet. Virgilius, Æn. IX, v. 514 :

..... Cum tamen omnes
Ferre juvat *subter* densa *testudine* casus.

PRÆPOSITIO VERSA IN ADVERBIUM

390. Præpositio cum casu privatur, in adverbium migrat.

Cicero, Att., l. IV, ep. 17, 3 : « Tu..... adventare, et *prope* adesse jam debes. » Idem, pro Flac., c. 23, 56 : « Pecunia..... recuperata est multis *post* annis. » Idem, de Nat. deor., l. II, c. 59, 147 : « Sensibus et animo ea quæ *extra* sunt, percipimus. »

Hujus generis sunt *ante, contra, citra, circum, circiter, extra, intra, post, prope, pone, ultra, usque*, et nonnullæ aliæ. Cicero, Att., l. XIV, ep. 19, 1 : « Idipsum quod me mones, quatriduo *ante* ad eum scripseram. » Exempla passim sese ipsa intrudunt.

PRÆPOSITIONES ALIIS PRÆPOSITIONIBUS PRÆPOSITÆ

391. Præpositiones nonnunquam aliis præpositionibus præponuntur. Cicero, ad Att., l. II, ep. 9, 4 : « Ibi esse *usque ad* pridie Kalendas Maias volo. » Idem, ad eumdem, l. III, ep. 17, 1 : « De Quinto fratre nuntii tristes nobis, nec varii venerant, *ex ante* diem Nonas Junias *usque ad* pridie Kalendas Septembris. »

Usque tamen fere alteram præpositionem desiderat. Idem, Verr. act. II, l. V, c. 70, 180 : « Maximis in laboribus *usque ad* summam senectutem summa cum gloria vixit. » Idem, de Nat. deor., l. I, c. 33, 91 : « *Usque a* Thale Milesio enumerasti philosophorum sententias. » Terentius, Eunuch. act. III, sc. 2, v. 471 :

Ex Æthiopia est *usque* hæc.

Nisi præponatur nominibus oppidorum. Cicero, Verr. act. II, l. IV, c. 49, 108 :

« Sacerdotes *usque* Ennam profecti sunt. » Terentius, Adelph. act. IV, sc. 5, v. 659 :

. . . . . Miletum *usque?* obsecro.

Usque aliquando, etiam cum propriis oppidorum præponitur, alteram præpositionem admittit. Cicero, pro Dejot., c. 7, 19 : « Cui magnificentissima dona *usque ad Numantiam* misit. » Alia his similia exempla invenies. Cicero, Att., l. II, ep. 20, 6 : « Comitia Bibulus cum Archilochio edicto *in ante* diem decimum quintum Kalend. Novembres distulit. » Terentius, Adelph. act. IV, sc. 2, v. 586 :

. . . . . *Ex adversum* fabrica.

Plinius, l. XI, c. 15, 3 : « Gignitur id maxime Arcturi exortu *a pridie* Idus Septembris (1). » Livius, l. I, c. 18 : « In lapide *ad* meridiem *versus* consedit. » Cicero, Verr. act. II, l. V, c. 2, 6 : « At cum esset in Italia bellum tam *prope a* Sicilia, tamen in Sicilia non fuit. »

Laurentius ait præpositiones adverbia fieri, cum aliis præpositionibus adduntur. Donatus, Edit. II, p. 1761 : « Præpositio, inquit, separatim adverbiis non applicabitur, quamvis legerimus *desursum*, *desubito*, *derepente*, et *exinde*, et *abusque*, et *dehinc;* sed hæc tanquam unam partem orationis sub uno accentu pronuntiabimus. » Nonius tamen Marcellus, c. 12 de Doctorum indagine, § 1, ita inquit : « Omnes artem secuti negant adverbiis præpositionem addi oportere, sed auctoritas veterum præponi jubet. » Cicero, de Rep., l. VI, c. 2, 9 : « In his, ut meministis, concursu levissimæ multitudinis, et ære congesto, funus *desubito* esset ornatum. »

(1) Lemaire : « *ex ante pridie*, etc.; » Teubner : « *ex* a. d. *pridie* Idus..... »

CONSTRUCTIO ADVERBII

NOMINATIVUS POST ADVERBIUM

392. *En*, *ecce* nominandi seu accusandi casum admittunt.

Cicero, pro Dejot., c. 6, 17 : « *En crimen*, *en causa.* » Plautus, Amph. act. IV, sc. 3, v. 54 :

En tectum! en tegulas! en obductas *fores!*

Cicero, Verr. act. II, l. IV, c. 66, 148 : « *Ecce* nova *turba* atque *rixa.* » Idem, de Finib., l. II, c. 30, 96 : « *Ecce* miserum *hominem*, si dolor summum malum est. »

En, tum exprobrando, tum indicando, utrumque casum admittit : indicando ; Virgilius, Æn. I, v. 461 :

En Priamus.

Idem, Eclog. V, v. 65 :

. . . . . *En* quatuor *aras*.

Plautus, Amph. act. IV, sc. 3, v. 54 :

En tegulas!

— exprobrando ; Cicero, pro Dejot., c. 6, 17 : « *En crimen, en causa*, cur regem fugitivus, dominum servus accuset. » Seneca, in Agamemn. act. II, v. 188 :

En Paridis *hostem!*

Apud oratores tamen nondum legi, quod meminerim, *en* cum accusativo indicando seu exprobrando.

Ecce cum accusativo sæpe reperi. Terentius, Adelph. act. V, sc. 9, v. 1000 :

Ecce me, qui id faciam vobis.

Plautus, Pers. act. IV, sc. 7, v. 16 :

Ecce me; numquid moror ?

Idem, Menæch. act. II, sc. 3, v. 50 :

Prandi in navi; inde huc egressus sum; te conveni; *ecce rem* (1).

Apponitur et dativus *tibi* non sine lepore. Cicero, Att., l. II, ep. 15, 3 : « Cum hæc maxime scriberem, *ecce tibi Sebosus.* » Idem, Offic., l. III, c. 21, 83 : « *Ecce tibi qui* rex populi Romani, dominusque omnium gentium esse concupiverit. »

(1) Lemaire : « *eccere.* » Lambinus : « *Æcere*, i. e., per ædem Cereris. Æcere jusjurandum est, inquit Festus. Alii *eccere* volunt significare *ecce*, seu potius *ecce rem.* » Hæc Lambin.

GENITIVUS POST ADVERBIUM

393. *Satis*, *abunde*, *affatim*, *parum*, *instar*, *partim*, *ergo* pro *causa*, genitivum casum postulant.

Terentius, Phorm. act. II, sc. 3, v. 436 :

Satis jam *verborum* est.

Cicero, de Clar. Orat., c. 51, 191 : « Plato mihi unus *instar* est *omnium*. » Livius, l. XXXVII, c. 47 : « *Victoriæ* navalis *ergo*, in unum diem supplicatio decreta est. »

Quintilianus, Declam. IX, c. 12 : « *Satis abundeque pœnarum* est. » Plautus, Mil. act. IV, sc. 1, v. 33 :

. . . . . Tibi *divitiarum affatim* est.

Sallustius, in Catil., c. 5 : « *Satis loquentiæ, sapientiæ parum.* » — *Instar* æquiparationem mensuramque significat. Cicero, Att., l. X, ep. 4, 1 : « Ea vero (epistola), quæ *voluminis instar* erat, sæpe legenda, sicuti facio. » Item similitudinem effigiemque. Plinius, l. XI, c. 10, 3 : « Ruentes ceras fulciunt *pilarum instar* (1). » — Gellius, l. X, c. 13 : « *Partim hominum* venerunt plerumque dicitur, quod significat, *pars hominum* venit, id est, *quidam homines;* nam *partim* hoc in loco adverbium est, neque in casus inclinatur. » Hæc ille, et alia eodem capite.

Hæc adverbia fere omnia partes nominativi agunt. Cicero, de Orat., l. II, c. 22, 94 : « Sed *eorum partim* in pompa, *partim* in acie illustres esse voluerunt. » — Ponuntur et accusativi loco. Idem, in Pison., c. 21, 48 : « Cum *partim* ejus *prædæ* profundæ libidines devorassent. » Idem, Verr. act. II, l. II, c. 1, 2 : « Ut ad dicendum *temporis satis* habere possim. » Suetonius, in Cæs., c. 86 : « Se jampridem *potentiæ gloriæ*que *abunde* adeptum. » *Multum*, *paulum*, *tantum*, *quantum*, etc., hujus generis inter nomina substantiva relata sunt.

(1) Sic antiquæ editiones. — Dalecamp et Lemaire : « Pilarum integerinis..... » Teubner : « pilarum intergerivis. »

ADVERBIA SUPERLATIVA

Item, adverbia superlativa a nominibus orta.

Cicero, de Clar. Orat., c. 20, 78 : « *Maxime* omnium *nobilium* græcis literis studuit. » Idem, ibid., c. 72, 252 : « Sæpissime audio illum omnium fere *oratorum* latine loqui *elegantissime*. »

ADVERBIA LOCI

394. *Ubi, ubinam, ubicumque, ubivis, quovis, quoquo, nusquam,* genitivos *terrarum*, *gentium* eleganter admittunt. Cicero, Att., l. V, ep. 10, 4 : « Quid ageres, *ubi terrarum* esses, ne suspicabar quidem. » Terentius, Adelph. act. IV, sc. 2, v. 542 :

Fratrem *nusquam* invenio *gentium*.

Dicitur et *longe gentium*. Cicero, Att., l. VI, ep. 3, 1 : « Tu abes *longe gentium*. »

Huc spectant adverbia *eo, huc*. Livius, l. XXV, c. 8 : « *Eo consuetudinis* adducta res est, ut quocumque noctis tempore, sibilo dedisset signum, porta aperiretur. »

Seneca, l. IV, Controv. 27 : « *Eo scelerum* perventum est, ut parricidæ pater adsit. » Curtius, l. VII, c. 1, 35 : « *Huc* enim *malorum* ventum est, ut verba mea eodem tempore et Alexandro excusem, et Antiphani. »

Plautus, Asin. act. II, sc. 2, v. 21 :

> Perii ego oppido, nisi Libanum invenio, jam *ubi ubi* [est *gentium*.

Cicero, I Catil., c. 4, 9 : « O Dii immortales, *ubinam gentium* sumus? » Idem, II Phil., c. 44, 113 : « Qui *ubicum*que *terrarum* sunt, ibi est omne Reipublicæ præsidium. » Terentius, Hecyr. act. III, sc. 1, v. 284 :

> Cui quanto fuerat præstabilius *ubivis gentium* agere [ætatem.

Idem, Heaut. act. V, sc. 1, v. 929 :

> Abeat multo malo *quovis gentium*.

Plautus, Mercat. act. V, sc. 2, v. 16 :

> Me usque quærere illam, *quoquo* hinc abducta est [*gentium*.

Curtius, l. V, c. 12, 3 : « Sed *eo rerum* ventum erat, ut tam periculosum esset non credere suis, quam decipi. »

PRIDIE *et* POSTRIDIE

395. *Pridie* et *postridie* et genitivum et accusativum casum petunt.

Cicero, Att., l. XI, ep. 23, 2 : « *Pridie* ejus *diei* venit (1). » Idem, Fam., l. III, ep. 4, 1 : « *Pridie nonas* Junii, cum essem Brundusii, etc. » Cæsar, Bello Gall., l. I, c. 51 : « *Postridie* ejus *diei*, Cæsar præsidio utrisque castris, quod satis esse visum est reliquit. » Cicero, Att., l. XVI, ep. 4, 1 : « *Postridie ludos* Apollinares. »

Adverbium *tunc* genitivum *temporis* admittit, qui tamen raro apud idoneos reperitur. Justinus, l. I, c. 4 : « Sed ex gente obscura *tunc temporis* Persarum Cambysi, mediocri viro, etc. »

(1) Orellius et Teubner : « *Pridie* eum *diem*. » Annotat Orellius alios habere genitivum. Sed reperitur Fam., l. I, 4 : « Sententiam Bibuli..... *pridie* ejus *diei* fregeramus. »

DATIVUS POST ADVERBIUM

396. Quædam dandi casum petunt more eorum unde deducuntur, ut : *Congruenter convenienter*que *naturæ* vivere; Dicere *convenienter rationi; Obviam alicui* ire, procedere, prodire. Nam *congruens, conveniens, obvius* dativo gaudent.

Cicero, de Finib., l. II, c. 26, 84 : « Non quæro quid dicat, sed quid *convenienter* possit *rationi* et *sententiæ* suæ dicere. » Idem, II Phil., c. 32, 78 : « *Cæsari* ex Hispania redeunti *obviam* longissime processisti. » Plinius, l. VII, c. 31, 1 : « *Platoni* sapientiæ antistiti Dionysius vittatam navem misit *obviam*. »

ACCUSATIVUS POST ADVERBIUM

397. *Propius, proxime,* accusandi casum exigunt.

Cicero, ad Octav., in lib. II ad Brut., ep. 8 : « Cur castra longius adversariorum castris, et *propius urbem* moventur? » Idem, X Phil., c. 11, 26 : « (Brutus) operam det ut cum suis copiis quam *proxime Italiam* sit. »

Hæc duo casum præpositionis habent, unde profecta sunt. Livius, l. II, c. 41 : « Invenio apud quosdam, idque *propius fidem* est, etc. » Illud vero ejusdem, l. IV, c. 37 : « Capuamque ab duce eorum Capye, vel, quod *propius vero* est, a campestri agro appellatam; » nomen est; nam *propior* et *propius* dativum habent. Idem, l. XXIII, c. 12 : « Fama tenuit, quæ *propior vero* est, haud plus fuisse modio. »

Jungitur *propius* aliquando cum præpositione *a*. Cicero, de Nat. deor., l. I, c. 31, 87 : « Stellæ..... aliæ *propius a terris,* aliæ remotius..... eadem spatia conficiunt. » Seneca, ep. 120, 17 : « Quotidie propius *ab ultimo* stamus. » In illo Virgilii, Georg. I, v. 355 :

..... *Propius stabulis* armenta tenerent;

videtur desiderari præpositio *a*. Diomedes, l. I, p. 405, existimat esse dandi casum; et fortasse recte : nam, si *propior,* et *propius,* et *proximus* dativum petunt, nemini mirum videri debet, si inde facta adverbia *propius* et *proxime* eumdem casum sibi vindicent. Cum tamen hæc duo cum verbo accedendi junguntur, cujusmodi sunt illa Ciceronis loca, de Nat. deor., l. I, c. 34, 96 : « Ad similitudinem enim *Deo propius* accedebat humana virtus, quam figura; » et Fam., l. XI, ep. 21, 4 : « Me huic tuæ *virtuti proxime* accedere; » casus potius a verbo quam ab adverbiis pendet; nam sine ipsis eosdem habet. Idem, Verr. act. II, l. III, c. 58, 133 : « Si quis *tibi* ad aurem *accessisset,* et dixisset Apronium dictitare te sibi esse socium. » Livius, l. XXIV, c. 20 : « *Accedere muris.* » Cicero in Pis., c. 27, 65 : « Non audebit *accedere ad ludos.* »

ABHINC

Abhinc verbis præteriti temporis junctum, accusativum seu ablativum postulat.

Cicero, Verr. act. II, l. II, c. 9, 25 : « Horum pater *abhinc* duo et viginti *annos* est mortuus. » Idem, pro Q. Rosc. Com., c. 13, 37 : « Quo tempore? *Abhinc annis* quatuor. »

Nondum hoc adverbium cum verbis futuri temporis copulatum reperi apud idoneos auctores.

ABLATIVUS POST ADVERBIUM

398. Comparativa ablativo gaudent.

Cicero, de Invent., l. II, c. 56, 109 : « *Lacryma* nihil *citius* arescit. » Idem,

Fam., l. II, ep. 7, 1 : « Nemo est qui tibi *sapientius* suadere possit *te ipso.* » Terentius, Hecyr. act. III, sc. 4, v. 421 :

Dies triginta, aut *plus eo,* in navi fui.

Idem, Heaut. act. I, sc. 1, v. 62 :

. . . . . Annos sexaginta natus es
Aut *plus eo* (1), ut conjicio.

Plinius, l. XV, c. 30, 2 : « *Minus quinquennio* est, quod prodiere, quæ vocant laurea non ingratæ amaritudinis (2). »

Plus, amplius, minus, modo ablativum habent, ut docent allata exempla; modo sine casu ponuntur, sed subauditur conjunctio *quam.* Terentius, Adelph. act. II, sc. 2, v. 200 :

Homini misero *plus* quingentos *colaphos* infregit.

Cæsar, Bello Gall., l. IV, c. 12 : « Cum ipsi non *amplius* octingentos *equites* haberent. » Idem, Bello civ., l. III, c. 99 : « In eo prælio non *amplius* ducentos *milites* desideravit. » Nec enim accusandi casus ab adverbiis reguntur, sed a verbis *infregit, haberent, desideravit.* Videntur et nominandi casus cum his adverbiis jungi, cum a verbis pendeant. Cæsar, Bello Gall., l. VII, c. 51 : « Eo die *milites* sunt paulo *minus septingenti* desiderati. » Idem, ibid., l. V, c. 8 : « Naves *amplius octingentæ* uno erant visæ tempore. » Illud Livii, l. X, c. 38 : « Paulo *plus viginti* millium alius exercitus fuit, » ea forma loquendi videtur dictum esse, qua illud ejusdem, l. XXXVII, c. 23 : « Regia classis septem et triginta majoris formæ navium erat. » Ibid., c. 30 : « Hostium classis undenonaginta navium fuit. » Quare non video cur ablativus numero subaudiendus sit.

Cum ejusdem adverbiis junguntur accusativus ac ablativus casus, mensuram significantes, neque ab ipsis reguntur, sed casus sunt communes. Vitruvius, l. VII, c. 4 : « Ita a pariete hæ distent, ut ne *plus* pateant *palmum.* » Idem, l. VII, c. 3 : « Ne *plus* binos *pedes* distent. » Livius, l. XXXI, c. 35 : « Aberat acies eorum paulo *plus* quingentos *passus.* » Idem, l. XXI, c. 61 : « Raro unquam nix *minus* quatuor *pedes* alta jacuit. » Cæsar, Bello Gall., l. VI, c. 29 : « *Millibus amplius* quingentis in longitudinem patet. »

(1) Bentley, Lemaire non habent *eo*; habent Robert. Stephan., Camus in usum Delph., Teubner.
(2) Dalecamp, Lemaire et Teubner : *minus quinquennium.*

ADVERBIA LOCI

399. Adverbia quibus interrogamus sunt hæc : *ubi, unde, quo, quorsum.*

HIC, ISTIC, ILLIC, *etc.*

Ad interrogationem Ubi, redduntur hæc : *hic, istic, illic, ibi, inibi, ibidem, alibi, alicubi, ubique, utrobique, ubilibet, ubivis, ubicumque, passim, vulgo, intus, foris, nusquam, longe, peregre.* — Item *supra, subter, infra, ante, post, extra,* cum fiunt adverbia.

Cicero, Fam., l. VI, ep. 1, 1 : « Nemo est, quin *ubivis,* quam *ibi* ubi est, esse malit. »

Hæc dicuntur adverbia *in loco*, seu quæ referuntur ad quietem, quibus *nuncubi*, *necubi*, *sicubi*, *ubiubi*, *uspiam*, *usquam* addi possunt, quæ, quamvis ad quietem referantur, tamen ad *ubi* non redduntur. Cicero, de Leg., l. I, c. 15, 42 : « Sive est illa (lex) scripta *uspiam*, sive *nusquam*. » Idem, Off., l. II, c. 1, 2 : « Nec esset *usquam* consilio aut auctoritati locus. »

HINC, ISTINC, *etc.*

Ad Unde redduntur hæc : *hinc*, *istinc*, *illinc*, *inde*, *indidem*, *aliunde*, *undelibet*, *undevis*, *undique*, *undecumque*, *undequaque*, *alicunde*, *utrinque*, *eminus*, *cominus*, *superne*, *inferne*, *peregre*, *intus*, *foris*.

Terentius, Heaut. act. I, sc. 2, v. 212 :

Vide sis nequo *hinc* abeas longius.

Hæc appellantur adverbia *de loco*, seu quæ referuntur ad motum e loco, quibus accedunt : *sicunde*, *necunde*, *undeunde*, *intrinsecus*, *forinsecus*, *extrinsecus*, *funditus*, *radicitus*, *stirpitus*.

HUC, ISTUC, *etc.*

Ad Quo redduntur hæc : *huc*, *istuc*, *illuc*, *eo*, *eodem*, *illo*, *aliquo*, *alio*, *neutro*, *utroque*, *quoquo*, *quocumque*, *quovis*, *quolibet*, *intro*, *foras*, *peregre*, *longe*. *nusquam*.

Terentius, Hecyr. act. III, sc. 1, v. 314 :

Abi, Parmeno, *intro*, ac me venisse nuntia.

Hæc appellantur adverbia *ad locum*, sive quæ ad motum ad locum referuntur; quibus adjungi possunt : *siquo*, *nequo*, *quopiam*, *usquam*. Cicero, I Phil., c. 1, 1 : « Nec vero *usquam* discedebam. »

HAC, ISTAC, *etc.*

Ad Qua redduntur hæc : *hac*, *istac*, *illac*, *aliqua*, *qualibet*, *quacumque*.

Terentius, Eunuch. act. I, sc. 2, v. 105 :

Plenus rimarum sum : *hac* atque *illac* perfluo.

Hæc vocantur adverbia *per locum*, sive quæ referuntur ad motum per locum ; quibus *siqua*, *nequa*, addi possunt.

HORSUM, ISTORSUM, *etc.*

Ad Quorsum, id est, quem locum versus, redduntur hæc : *horsum*, *istorsum*, *illorsum*, *aliorsum*, *deorsum*, *sursum*, *dextrorsum*, *sinistrorsum*, *lævorsum*, *pror-*

sum, rursum, introrsum vel *introrsus, retrorsum* vel *retrorsus, quoquoversum* vel *quoquoversus*.

Terentius, Hecyr. act. III, sc. 4, v. 450 :

> *Horsum* pergunt.

Idem, Eunuch. act. II, sc. III, v. 277 :

> Sex ego te totos, Parmeno, hos menses quietum reddam :
> Ne *sursum, deorsum* cursites.

UT *pro* POSTQUAM, QUOMODO

400. *Ut* pro *postquam* indicativum petit. Cicero, Att., l. VII, ep. 15, 1 : « *Ut* ab Urbe *discessi*, nullum adhuc intermisi diem, quin aliquid ad te literarum darem. »

Idem pro *quomodo* cum quadam admiratione : Idem ad eumdem, l. VII, ep. 21, 1 : « Cnæus noster, o rem miseram et incredibilem, *ut* totus *jacet!* » Terentius, Eunuch. act. II, sc. 3, v. 274 :

> *Ut* falsus animi *est!*

UT

Post has voces, *adeo, ita, sic, tam, talis, tantus, tot*, fere nunquam ponitur *quod*, sed *ut* cum subjunctivo.

Cicero, pro C. Rabir., c. 10, 28 : « *Adeo*ne hospes hujusce urbis, *adeo*ne ignarus es disciplinæ consuetudinisque nostræ, *ut* hæc *nescias?* » Idem, Tuscul., l. I, c. 6, 12 : « Non sum *ita* hebes, *ut* istud *dicam.* »

ANTEQUAM

401. *Antequam*, tum indicativis, tum conjunctivis jungitur.

Terentius, Andr. act. II, sc. 2, v. 312 :

> Omnia experiri certum est, *antequam* (1) *pereo.*

Cicero, pro Murena, c. 1, 2 : « *Antequam* pro Murena dicere *instituo*, pro me ipso pauca dicam. » Idem, I Phil., c. 1, 1 : « *Antequam* de republica, Patres conscripti,

---

(1) In omnibus libris video *priusquam.*

dicam ea quæ dicenda hoc tempore arbitror, exponam vobis breviter consilium et profectionis et reversionis meæ. »

PRIUSQUAM

Priusquam iisdem modis gaudet.

Cicero, I Phil., c. 4, 11 : « *Priusquam* de republica dicere *incipio*, pauca querar de hesterna M. Antonii injuriâ. » Idem, pro Mil., c. 36, 99 : « Præclare vixero, siquid mihi acciderit, *priusquam* hoc tantum mali *videro*. » Sallustius, Catil., c. 1 : « *Priusquam incipias*, consulto; et ubi consulueris, mature facto opus est. »

NE VETANDI

402. *Ne* subjunctivum petit, cum aliquid prohibemus. Terentius, Eunuch. act. II, sc. 4, v. 388 :

> . . . . . *Ne* post *conferas*
> Culpam in me. . . . .

Livius, l. XXX, c. 30 : « *Ne* tot annorum felicitatem in unius horæ *dederis* discrimen. »

Petit et imperativum maxime apud poetas. Plautus, Pers. act. IV, sc. 3, v. 20 :

> Abi, *ne jura*, satis credo.

Virgilius, Æn. VII, v. 202 :

> *Ne fugite* hospitium, *neve ignorate* Latinos.

Quintilianus, l. I, c. 5, 50, ubi de solœcismo agit : « Et *ne*, inquit, ac *non* adverbia; qui tamen dicat pro illo : *Ne feceris, Non feceris*, in idem incidat vitium; quia alterum negandi est, alterum vetandi. » Hæc ille. — Utuntur interdum et oratores imperativo. Idem, Declam. VI, c. 6 : « Matrem, inquit, tibi per hæc merita commendo, tu illam tuere, defende, ama, *ne relinque*. » Et legislatores. Cicero, de Leg., l. II, c. 9, 22 : « Præter Ideæ matris famulos, eosque justis diebus, *ne* quis stipem *cogito*. »

NÆ

403. *Næ*, hoc est, *profecto*, pronominibus præpositum, indicativum vel conjunctivum petit.

Terentius, Adelph. act. IV, sc. 2, v. 542 :

Næ ego homo *sum* infelix !

Cicero, II Phil., c. 2, 3 : « *Næ* tu, si id fecisses, melius famæ, melius pudicitiæ tuæ *consuluisses.* » Idem, Tuscul., l. I, c. 30, 74 : « *Næ* ille vir sapiens lætus ex his tenebris in lucem illam *excesserit.* »

PER, PERQUAM, *etc.*

404. *Per, perquam, sane, valde, oppido, in primis, cum primis, apprime, admodum, vehementer,* et alia id genus, fere positivis gaudent.

Cicero, de Finib., l. III, c. 11, 36 : « Hæc quidem est *perfacilis*, et *perexpedita* defensio. » Idem, de Orat., l. II, c. 25, 108 : « Quod mihi quidem *perquam puerile* videri solet. » Idem, Fam., l. XIV, ep. 4, 4 : « Sin ad nos pertinerent, servirent, præter quam *oppido pauci.* » Idem, Verr. act. II, l. I, c. 26, 65 : « (Philodamus) erat *in primis* inter suos *copiosus.* » Idem, ibid., c. 52, 137 : « C. Mustius homo *cum primis honestus.* »

QUAM AFFECTIBUS SERVIENS

405. *Quam* cum admirationi, commiserationi atque interrogationi cum admiratione permixtæ servit, positivis jungitur, ut : *Quam multi* avaritiæ student ! Heu ! *quam fallaces* sunt hominum spes, *quam inanes* cogitationes !

Cicero, de Amicit., c. 16, 57 : « *Quam multa*, quæ nostra causa nunquam faceremus, facimus causa amicorum ! » Quintilianus, l. XII, c. 11, 24 : « *Quam multa*, imo pene omnia tradidit Varro. »

QUAM *pro* QUANTUM

Quam pro *quantum* positivis præponitur.

Cicero, Fam., l. VII, ep. 15, 1 : « *Quam* sint *morosi* qui amant, vel ex hoc intelligi potest. » *Quam gratum* hoc munus fore patri tuo arbitraris? Nescis *quam* sint *stulti*, qui suis cupiditatibus serviunt?

EXCEPTIO.

Quam pro *quantum* cum verbo *possum* junctum superlativis adjungitur.

Cicero, Fam., l. XV, ep. 4, 7 : « *Quam potui maximis* itineribus ad Amanum exercitum duxi. » Idem, de Nat. deor., l. II, c. 52, 129 : « (Aves) nidos construunt, eosque *quam possunt mollissime* substernunt. »

QUAM UT

Quam ut eleganter comparativa sequitur.

Cicero, de Orat., l. III, c. 6, 22 : « Hoc quoque videtur esse *altius, quam ut* id nos humi strati suspicere possimus. »

QUAM *pro* VALDE

Quam, pro *valde,* superlativis elegantissime adjungitur.

Cicero, Fam., l. XIII, ep. 6, 5 : « Vehementer te rogo ut cures, ut ex hac commendatione mihi Cuspius *quam maximas,* quam primum, *quam sæpissime* gratias agat. »

TAM QUAM

406. *Tam* et *quam* positiva frequentissime, superlativa rarius, comparativa rarissime copulant. Cicero, in Orat., c. 30, 108 : « Nemo orator *tam multa,* ne in græco quidem otio scripsit, *quam multa* sunt nostra. » Sallustius, in Jug., c. 31 : « *Quam* quisque *pessume* fecit, *tam maxime* tutus est. » Terentius, Heaut. act. V, sc. 3, v. 1000 :

> . . . . . Namque adolescens *quam* in *minima* spe situs erit,
> *Tam facillime* patris pacem in leges conficiet suas.

Cicero, pro Dejot., c. 3, 8 : « Per dexteram te istam oro, quam regi Dejotaro hospes hospiti porrexisti; istam, inquam, dexteram non *tam* in bellis neque in præliis, *quam* in promissis et fide *firmiorem.* »

Ponitur interdum *tam* separatim cum superlativo. Cicero, XII Phil., c. 5, 11 : « Nondum erat vestris *tam gravissimis,* tamque multis judiciis, ignominiisque concisus. »

Consulto, quæ rara sunt, prætermittimus. Livius, l. XL, c. 21 : « *perdifficillimum* aditum » dixit. Plinius, l. II, c. 55, 3 : « *Perplurimum* (1) refert. » Columel., l. III, c. 20 : « *Perpaucissimis* agricolis. » Curtius, l. IV, c. 6, 2 : « *Perquam* (2) *maximo* posset exercitu coacto. »

Quam, cum affectibus servit, potius *valde* quam *quantum* videtur significare; unde quidam hujus

(1) Ita Dalecampius; Lemaire et Teubner : *plurimum.*

(2) Ita edit. Varior.; Lemaire, Teubner : *quam maximo.*

generis exemplis contra Laurentium docent *quam* pro *valde* etiam positivis jungi. Utcumque tamen se res habeat, cum affectibus, ut diximus, inservit, positivis adhæret.

Posuimus tantum verbum *possum*, quod *valeo*, *queo*, in hoc genere loquendi non videantur perinde usitata; locus ille Ciceronis, II Phil., c. 19, 47 : « Sed reliquum vitæ cursum, *quam* quidem *possum celeriter* perstringam, » longe aliter legitur : « Sed reliquum vitæ cursum videte ; quem quidem celeriter perstringam. » Itaque ex hoc loco probari non potest *quam* cum verbo *possum* etiam positivis adjungi. Plinius, l. XVIII, c. 68, 10, cum positivis junxit : « Tanta literarum occasio est : quas equidem miscebo agrestibus negotiis, *quam potero dilucide* atque *perspicue*. »

Superlativum casum fere non habet, cum ei *quam* adjungitur, ut : Cicero fuit *quam eloquentissimus* Romanorum, vel inter Romanos, vel ex Romanis.

Quam pro *valde* interdum positivum videtur admittere. Idem, de Orat., l. I, c. 28, 129 : « Tum Crassus : Atqui vide, inquit, in artificio *perquam tenui* et *levi*, quanto plus adhibeatur diligentiæ quam in hac re, quam constat esse maximam. » Idem, in Bruto, c. 90, 312 : « Itaque prima causa publica pro Sex. Roscio dicta, tantum commendationis habuit, ut non ulla esset, quæ non digna nostro patrocinio videretur ; deinceps inde multæ, quas non minus diligenter elaboratas, etiam *quam* (3) *elucubratas* afferebamus. » Idem, Verr. act. II, l. III, c. 88, 206 : « Fecerunt alii alia *quam multa;* cur in hoc uno crimine isto genere defensionis uteris? » Nisi in his etiam locis aliquis affectus latet.

Tam, quam pro *tanto, quanto,* raro reperiuntur comparativo juncta. Virgilius, Æn. VII, v. 787 :

> *Tam magis* illa fremens, et tristibus effera flammis,
> *Quam magis* effuso crudescunt sanguine pugnæ.

Tam, *quam* cum superlativo præcedente pro adverbiis *ut, ita* ponuntur; sic enim Sallustii locus exponi potest : « Ut quisque pessime fecit, ita maxime tutus est. »

---

(3) Orellius et Teubner, post recentiores : « *tanquam* elucubratas. »

ADVERBIA IN *UM*

407. Adverbia in *um* positivis gaudent, ut *parum*, *multum*, *nimium*, *tantum*, *quantum*, *aliquantum*.

Cicero, Att., l. X, ep. 11, 1 : « Quæ de fratre meo scribis, sunt ea quidem *parum firma*. » Idem, de Lege agr., l. III, c. 3, 13 : « Socer hujus vir *multum bonus* est. » Idem, de Finib., l. II, c. 27, 85 : « In rebus apertissimis *nimium longi* sumus. »

Idem Cicero, Fam., l. V, ep. 13, 2 : « *Aliquantum labefactata* atque *convulsa*. » Plautus, Bacch. act. I, sc. 1, v. 72 :

> Credo, *timida* est. — *Aliquantum*, soror.

Terentius, Eunuch. act. I, sc. 2, v. 131, junxit cum comparativo :

> . . . . . Ejus frater *aliquantum* ad rem est *avidior*.

ADVERBIA *O* FINITA

408. *Paulo, nimio, aliquanto, tanto, eo, quo, multo, hoc* pro *tanto,* comparativo adhærent.

Cicero, de Offic., l. I, c. 26, 90 : « *Quanto superiores* sumus, *tanto* nos geramus *submissius.* » Cicero, de Senect., c. 11, 36 : « Nec vero corpori soli subveniendum est, sed etiam menti atque animo *multo magis.* » Idem, Fam., l. X, ep. 9, 1 : « Certe *hoc majus* habes testimonium amoris mei, *quo maturius* tibi, quam cæteris consilia mea volui esse nota. » Idem, ibid., l. V, ep. 14, 1 : « Valeo, sicut soleo, *paululo* tamen etiam *deterius* quam soleo. »

APPENDIX.

Multo etiam superlativis additur. Cicero, Divin. in Cæcil., c. 11, 36 : « Cum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenii atque eloquentiæ *multo molestissima.* »

Item *longe* pro *valde.* Cicero, in Bruto, c. 62, 224 : « *Longe* post natos homines *improbissimus* C. Servilius, sed peracutus, etc. »

Facile, cum *sine dubio*, *sine controversia* significat, superlativis gaudet, aut iis quæ eorum vim habent. Idem, pro Rabir. Post., c. 9, 23 : « Virum unum totius Græciæ *facile doctissimum*, Platonem, in maximis periculis insidiisque esse versatum accepimus. » Idem, pro Sex. Rosc., c. 6, 15 : « Non modo sui municipii, verum etiam ejus vicinitatis *facile primus.* » Idem, pro Cluentio, c. 5, 11 : « Regionis illius et vicinitatis virtute, existimatione, nobilitate *facile princeps.* » Quintilianus, l. X, c. 1, 68 : « In affectibus vero cum omnibus mirus, tum in iis qui miseratione constant *facile præcipuus.* »

Longe pro *multo* etiam jungitur comparativo. Virgilius, Æn. IX, v. 556 :

At pedibus *longe melior* Lycus.

Pro *valde* jungitur et iis nominibus quæ vim superlativi habent. Cicero, Fam., l. XIII, ep. 13 : « L. Castronius Pætus *longe princeps* municipii Lucensis. » Idem, Verr. act. II, l. II, c. 22, 53 : « *Longe primus* civitatis est Epicrates. » — Præterea nominibus quæ diversitatem dissimilitudinemque significant, ut *longe alius, dispar, dissimilis.* Idem, pro Font., c. 17, 39 : « O fortunam *longe disparem*, M. Fontei ! » — Iterum adverbiis *aliter, secus, ante, post*, et verbis *antecello, præsto, antepono*, quæ adverbium *multo* etiam admittunt. Sed hæc hactenus, ne præstantissimo magistro, usui, injuriam faciamus.

Quoniam quæ adverbia quibus gradibus jungantur diximus, illud minime prætermittendum est, *omnis* etiam cum superlativis frequenter jungi. Cicero, Fam., l. V, ep. 8, 5 : « Quamobrem velim ita et ipse ad me scribas de *omnibus minimis, maximis*, mediocribus rebus, ut ad hominem amicissimum. » Idem, ad Quint. Fr., l. III, ep. 1, c. 3, 10 : « *Omnia minima, maxima* ad Cæsarem mitti sciebam. » Idem, Verr. act. II, l. V, c. 69, 177 : « Ego mei jam rationem officii confido esse *omnibus iniquissimis* meis persolutam. »

Quis, cum partitive accipitur, superlativum amat. Quintilianus, l. VII, c. 4, 21 : « De præmiis autem quæruntur duo : an ullo sit dignus qui petit? an tanto? ex duobus, uter dignior? ex pluribus, *quis dignissimus?* » Cicero, Att., l. VII, ep. 22, 2 : « Egeo consilii; *quod optimum* factu videbitur, facies. » Cum vero comparative ponitur, comparativo gaudet. Idem, de Amic., c. 12, 42 : « *Quis clarior* in Græcia Themistocle? *quis potentior?* »

Quisque superlativis præponitur. Cicero, de Fin., l. II, c. 25, 81 : « *Optimum quidque* rarissimum. » Idem, de Orat., l. I, c. 26, 120 : « Ut enim *quisque optime* dicit, ita maxime dicendi difficultatem variosque eventus orationis, hominumque exspecta-

tionem pertimescit. » — Jungitur etiam eleganter cum nomine *quotus*. Idem, Tuscul., l. II, c. 4, 11 : « *Quotus* enim *quisque* philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio postulat? » — Item cum nominibus quæ vocant *ordinalia*, ut : *Tertio quoque* verbo solœcismum facit. Cicero, Verr. act. II, l. II, c. 56, 139 : « *Quinto quoque* anno Sicilia tota censetur. » — Raro cum nominibus absolutis, ex quibus superlativa formari possunt, junctum reperitur. *Invalidus* tamen *quisque* aliquoties invenitur apud Tacitum, Annal. l. XII, c. 43, et apud Suetonium in Othone, c. 2 : « Ferebatur et vagari noctibus solitus, atque *invalidum quemque* obviorum vel potulentum corripere, ac distento sago impositum in sublime jactare. » — Legitur et cum comparativis maxime accedentibus adverbiis *quo* et *eo*. Cicero, pro Ros. Com., c. 11, 31 : « *Quo quisque* est *solertior* et *ingeniosior*, hoc docet iracundius et laboriosius. » Quintilianus, l. II, c. 3, 10 : « Erit etiam eo obscurior, *quo quisque deterior* (1). »

(1) Alii : « Erit ergo obscurior etiam, quo, etc. »

INTERJECTIONIS CONSTRUCTIO

O

409. *O* tribus casibus adjungitur :
Nominandi; Terentius, Phorm. act. II, sc. 2, v. 324 :

O vir fortis atque amicus!

Accusandi; Cicero, Fam., l. XIV, ep. 4, 3 : « *O me* perditum! o afflictum! »
Vocandi; Terentius, Andr. act. III, sc. 4, v. 493 :

O Dave, itan' contemnor abs te?

Interdum *o* omittitur, cum nimirum levior est affectus. Cicero, in Pis., c. 1, 3 : « Miserum *me!* cum hac me nunc peste atque labe confero. » Idem, Att., l. X, ep. 10, 1 : « *Me* cæcum, qui hæc ante non viderim! » — *O* non solum cum adverbium est vocandi, vocativo adhæret, verum etiam cum est interjectio. Cicero, in Pis., c. 26, 62 : « *O* paterni generis *oblite,* materni vix *memor!* »

HEU, PROH

Heu et *proh* modo nominandi vel potius vocandi casum postulant. Virgilius, Æn. VI, v. 879 :

Heu pietas! heu prisca *fides!*

Livius, l. XXII, c. 14 : « Tantum *proh dolor!* degeneravimus a parentibus nostris (1). »

Modo accusandi. Cicero, VII Phil., c. 4, 14 : « *Heu me* miserum! cur senatum cogor, quem laudavi semper, reprehendere? » Idem, Divinat. in Cæcil., c. 3, 7 : « *Proh* Deum hominumque *fidem!* »

Proh apud Ciceronem, II Phil., c. 13, 32, apertissime vocativum habet : « Quæ enim res unquam, *proh sancte Jupiter!* non modo in hac urbe, sed in omnibus terris est gesta major? » — *Heu* etiam dativo gaudet. Plautus, Milit. act. IV, sc. 8, v. 32 :

. . . . . *Eheu mihi!* nequeo quin fleam (2).

Idem, Mercat. act. IV, sc. 3, v. 2 :

Heu miseræ *mihi!*

(1) Ita Gruterus quoque; Lemaire, Drakenborch et Teubner omiserunt *dolor*.

(2) Gruterus, Lemaire : « Eheu, nequeo..... » Teubner : « Heu [heu], nequeo..... »

HEI, VÆ

Hei, *væ*, dativo gaudent. Terentius, Heaut. act. II, sc. 1, v. 234 :

Hei misero *mihi!*

Idem, Hecyr. act. IV, sc. 2, v. 605 :

Væ misero *mihi!*

Hei interdum vocativo additur. Plautus, Aulul. act. II, sc. 2, v. 43 :

Hei (3) *Megadore*, haud decorum facinus tuis factis [facis.

Terentius, Eunuch. act. I, sc. 2, v. 154 :

Hei mihi! laudo; tandem perdoluit; vir es.

Cedo, cum verbum sit imperativi modi, non est cur interjectionibus adnumeretur; postulat accusativum. Cicero, Verr. act. II, l. IV, c. 20, 43 : « *Cedo tabulas;* » vel dativum cum accusativo. Idem, Verr. act. II, l. I, c. 42, 109 : « *Cedo mihi leges* Atinias. »

(3) Ita Lambinus; Gruterus, Lemaire : *Heia!*

CONJUNCTIONIS CONSTRUCTIO

410. Conjunctiones copulativæ et disjunctivæ, cum ad idem verbum referuntur, similes casus connectunt.

Cicero, XII Phil., c. 10, 25 : « Quis non dolet interitum talis *et civis et viri?* » Sallustius, Catil., c. 1 : « *Divitiarum et formæ* gloria *fluxa atque fragilis* est. » Cicero, de Senect., c. 16, 57 : « Quid de pratorum *viriditate, aut* arborum *ordinibus, aut vinearum olivetorumve specie* dicam? »

QUAM, NISI, AN, PRÆTERQUAM

Quam, nisi, an, præterquam eosdem itidem casus copulant.

Cicero, Att., l. IV, ep. 5, 1 : « An me existimas *ab ullo* malle mea legi probarique, *quam a te?* » Idem, pro Sext., c. 60, 128 : « Quem enim unquam senatus *civem, nisi me*, nationibus exteris commendavit? » Idem, de Orat., l. III, c. 55, 211 : « Refert etiam qui audiant, *senatus, an populus, an judices.* » Idem, III Catil., c. 11, 26 : « Pro tantis rebus nullum ego a vobis *præmium*..... postulo, *præterquam* hujus diei *memoriam* sempiternam. »

EXCEPTIO.

Aliquando huic constructioni certa dictionum proprietas obstat, ut : Fui *Romæ et Athenis. Aut Brundusi aut Sulmone* mortuus est. Emistine librum *centusse an minoris?* Malim *Panormi quam Syracusis* esse.

ETSI, TAMETSI, QUANQUAM

411. *Etsi, tametsi, quanquam* in principio statim sententiæ indicativum postulant. Cicero, pro Milone, c. 1, 1 : « *Etsi vereor*, judices, etc. » Idem, Fam., l. I, ep. 5, 1 : « *Tametsi* mihi nihil *fuit* optatius. » Idem, Fam., l. X, ep. 19, 1 : « *Quanquam* gratiarum actionem a te non *desiderabam.* »

Alibi etiam subjunctivum admittunt. Quintilianus, l. I, c. 4, 14 : « Cædi vero discentes, *quanquam* et *receptum sit,* et Chrysippus non *improbet*, minime velim. »

Etsi, quanquam, principiis librorum, orationum ac epistolarum accommodatissima sunt, subsequente particula *tamen.* Cicero, Fam., l. V, ep. 1, 19 : « *Etsi* mihi nunquam dubium fuit quin tibi essem carissimus, *tamen* quotidie magis id perspicio. » Idem, Fam., l. V, ep. 13, 1 : « *Quanquam* ipsa consolatio literarum tuarum mihi gratissima est,.... *tamen* illum fructum ex iis literis vel maximum cepi. »

Tametsi, vix initio librorum aut orationum invenias; apud Ciceronem, ut modo diximus, epistolam ad Lentulum inchoat : « *Tametsi* mihi nihil fuit optatius, etc. » Illud Cæsaris ad Ciceronem, Att., l. X, ep. 8, 1 : « *Etsi* te nihil temere, nihil imprudenter facturum *judicaram,* etc., » in correctis libris legitur *judicarem* (1).

Etsi, tametsi, quanquam, cum primum locum sententiæ ac periodi occupant, indicativum poscunt; cæteris locis non respuunt conjunctivum. Cicero, de Amicit., c. 27, 104 : «Sed nec illa extincta sunt, aluntur potius et augentur cogitatione et memoria; *etsi* illis plane (2) *orbatus essem,* magnum tamen afferret mihi ætas ipsa solatium. » Idem, Verr. act. II, l. III, c. 25, 62 : « Non mehercule hæc quæ loquor crederem, judices, *tametsi* vulgo *audirem* (3). » Idem, de Orat., l. II, c. 1, 1 : « Erantque multi qui, *quanquam* non ita sese rem habere *arbitrarentur,* tamen quo facilius, etc. » Frequentius tamen hæc in medio et fine periodi cum indicativo junguntur. Idem, Fam., l. XV, ep. 17, 1 : « Præposteros habes tabellarios; *etsi* me quidem non *offendunt,* sed tamen.... cum a me discedunt, flagitant literas. » Idem, Att., l. VIII, ep. 12, 3 : « Nec vero hæc extrema quisquam potest jure reprehendere, quod mare non transierim; id enim, *etsi erat* deliberationis, tamen obire non potui. » Idem, pro Sex. Rosc., c. 17, 49 : « Quod *tametsi* miserum et indignum *est,* feret tamen æquo animo. » Terentius, Andr. act. II, sc. 3, v. 349 :

Obtundis, *tametsi intelligo.*

Cicero, pro Sex. Rosc., c. 20, 55 : « Innocens est quispiam, verum tamen *quanquam abest* a culpa, suspicione tamen non caret. » Idem, Fam., l. XV, ep. 16, 3 : « In integro res nobis erit; *quanquam* quicum *loquor?* »

(1) Orellius et Teubner : *judicaram.*
(2) Orellius et Teubner : « Et, si illis plane, etc.. »
(3) Orellius et Teubner : *audieram.*

ETIAMSI, QUAMVIS, LICET, UT *pro* QUAMVIS

412. *Etiamsi, quamvis, licet, ut* pro *quamvis,* subjunctivo gaudent.

Cicero, de Amicit., c. 27, 104 : « Omnia autem brevia tolerabilia esse debent, *etiamsi* magna *sint* (1). » Idem, II Phil., c. 16, 39 : « Homines *quamvis* in turbidis rebus *sint,* tamen, si modo homines sunt, interdum animis relaxantur. » Idem, post Redit. in Senat., c. 3, 5 : « Tantus vester consensus de salute mea fuit, ut, *licet* corpus *abesset* meum, dignitas jam in patriam revertisset (2). » Idem, pro Quint., c. 1, 3 : « *Ut* summa *haberem* cætera, temporis quidem certe vix satis habui. »

Ex his quatuor, *quamvis* aliquando initium orationum epistolarumque occupat; sic Quintilianus quintam, octavam, decimam et duodecimam declamationem exorsus est. Quintam : « *Quamvis,* judices, in tanta malorum continuatione jam *potue-*

(1) Orellius et Teubner: « *Etiam si* magna *sunt;* » notant alios habere *sint.*
(2) Orellius et Teubner : « *Ut* corpus abesset meum, dignitas, etc..... » Sic, ait Orellius, Cdd. plerique. Quosdam indicat qui ut Alvarus.

rim (3) nihil ex accidentium meorum novitate mirari; » ubi *potuerim* in omnibus libris quos quidem viderim, legitur, non *poteram*, ut Laurentius, l. II, c. 21, legit; aliis etiam locis cum conjunctivo apud eumdem Quintilianum jungitur. Cicero, Att., l. XIV, ep. 13, 2: « *Quamvis* enim tu magna, et mihi jucunda *scripseris*,.... tamen si est bellum civile futurum, etc., » initium est epistolæ. — Apud Ciceronem frequentissime cum subjunctivo copulatur. Apud Horatium tamen epistola 17, l. I, sic incipit :

> *Quamvis*, Scæva, satis per te tibi *consulis*, et scis.

Colum., l. II, c. 9, etiam indicativo usus est : « *Quamvis* de mensura minus auctoribus *convenit*, hanc tamen videri commodissimam docuit noster usus. »

(3) Burmann et Lemaire : *poteram*.

Etiamsi, licet, ut pro *quamvis* nondum cum indicativo, quod meminerim, legi; apud Ciceronem cum subjunctivo leguntur frequentissime. Fam., l. XI, ep. 21, 4 : « Tuis enim opibus et consulatu tuo, *etiamsi* timidi *essemus*, tamen omnem timorem abjiceremus. » Terentius, Heaut. act. IV, sc. 1, v. 632 :

> Id quidem ego *etiamsi neges* (4), certo scio.

Illud Ciceronis, quod quidam afferunt : Quam tibi, *etiamsi* non *deseras*, mittam; nondum reperi. In illo ejusdem ad Att., l. VII, ep. 7, 7 : « Ego bonos viros... sequar, *etiamsi ruent*, » pro *ruerint* ponitur. Tutius itaque utemur subjunctivo.

Si pro *quamvis* conjunctivo jungitur. Terentius, Eunuch. act. I, sc. 1, v. 49 :

> Redeam ? non, *si* me *obsecret*.

(4) Ita Rob. Stephanus; Lemaire et Teubner : *si tu neges*.

NE CAUSALIS

413. *Ne* causalis conjunctivum amat. Terentius, Andr. act. I, sc. 1, v. 73 :

> Hei ! vereor *ne* quid Andria *apportet* mali.

Idem, Eunuch. act. III, sc. 4, v. 610 :

> . . . . . Metuo fratrem,
> *Ne* intus *sit*.

Idem, Andr. act. I, sc. 6, v. 269 :

> . . . . . Tum autem hoc timet,
> *Ne deseras* se.

UT *pro* NE

Ut post verba *vereor, timeo, metuo,* eleganter ponitur pro *ne*. Terentius, Phorm. act. V, sc. 8, v. 964 :

> At *vereor ut* placari possit.

Cicero, de Orat., l. I, c. 9, 35 : « Sed illa duo, Crasse, *vereor ut* tibi possim concedere. » Idem, Fam., l. XIV, ep. 2, 3 : « Omnes labores te excipere video; *timeo ut* sustineas. » Terentius, Andr. act. V, sc. 4, v. 915 :

Perii, *metuo ut* substet hospes.

NE NON *pro* NE

Post eadem verba, *ne non* etiam pro *ne* ponitur.

Cicero, Att., l. VII, ep. 12, 2 : « Si manet, *vereor ne* exercitum firmum habere *non* possit. » Idem ad eumdem, l. IX, ep. 6, 6 : « *Timeo ne non* impetrem. » Idem, pro Milone, c. 21, 57 : « Cur igitur eos manumisit? *metuebat* scilicet ne indicarent, *ne* dolorem perferre *non* possent. »

Locum Ciceronis integrum apponam, ne quis te pungat scrupulus : « Equidem illud molior, quod tu mones, sperasque fieri posse, ut mihi Cæsar concedat ut absim, cum aliquid in senatu contra Cneum agatur; sed *timeo ne non* impetrem. » Quintilianus, l. VIII, c. 3, 25, *ut non* posuit pro *ne non* : « *Oppido,* inquit, quo sunt usi paululum tempore nostro superiores, *vereor ut* jam *non* (1) ferat quisquam. »

(1) Ita Burmann, Capperonnier; Lemaire et Teubner, *nos.*

APPENDIX.

Si tertiam addideris negationem, te omni metu liberum significabis.

Cicero, Verr. act. II, l. IV, c. 38, 82 : « *Non* vereor *ne* hoc officium meum P. Servilio judici *non* probem; » hoc est : Non dubito quin hoc officium meum P. Servilio sim probaturus.

UT NE *pro* NE

Ut ne pervenuste ponitur pro *ne*.

Cicero, Verr. act. II, l. I, c. 47, 123 : « Impetrant *ut ne* jurent. » Idem, ad Quint. Fr., l. III, ep. 2, 3 : « Opera datur *ut* judicia *ne* fiant. » Idem, Fam., l. XIII, ep. 11, 1 : « Animadverti studiose te operam dare, *ut ne* quid meorum tibi esset ignotum. »

NI, NISI, SI

414. *Ni, nisi, si* tum indicativum, tum conjunctivum amant.

Ni. — Terentius, Andr. act. III, sc. 8, v. 599 :

Mirum *ni* domi *est*.

Idem, Phorm. act. II, sc. 1, v. 278 :

Ni nossem causam, crederem vera hunc loqui.

Cicero, Verr. act. II, l. II, c. 67, 162 : « *Ni* (1) *restituissent* statuas, vehementer iis minatur. »

Nisi. — Idem, de Amic., c. 9, 32 : « Ortum quidem amicitiæ videtis, *nisi* quid adhuc forte *vultis*. » Idem, ibid., c. 3, 11 : « *Nisi*..... immortalitatem optare *vellet*, quid non est adeptus quod homini fas esset optare? »

Si. — Terentius, Andr. act. 1, sc. 4, v. 210 .

Si illum *relinquo*, ejus vitæ timeo; *sin opitulor*, hujus minas.

Idem, ibid., act. II, sc. 2, v. 323 :

Si id *facis*, hodie postremum me vides.

Cicero, Att., l. XIII, ep. 1, 3 : *Si* hortos *inspexeris*,..... dederis mihi quod ad te scribam; sin minus, scribam tamen aliquid. » Idem ad eumdem, l. II, ep. 20, 5 : « Expeditus facito ut sis; *si inclamaro*, ut accurras. »

QUOD CAUSALIS

415. *Quod*, cum causam ac rationem reddit, tam indicativo quam conjunctivo gaudet.

Cicero, Att., l. II, ep. 4, 1 : « Fecisti mihi pergratum, *quod* Serapionis librum ad me *misisti*. » Idem, ad eumdem, l. III, ep. 3 : « Utinam illum diem videam, cum tibi agam gratias *quod* me vivere *coegisti*. » Idem, ibid., l. VI, ep. 9, 1 : « Admiratusque sum *quod* nihilominus ad me tua manu *scripsisses*. » Idem, de Divin., l. II, c. 24, 51 : « Vetus autem illud Catonis admodum scitum est, qui mirari se aiebat *quod* non *rideret* aruspex, aruspicem cum vidisset. »

APPENDIX.

Verbum *videor* conjunctionem *quod* refugit.

Ne ergo dixeris : *Videtur* mihi *quod sum* doctus, *quod es* doctus, *quod* ille *est* vir

(1) Orellius et Teubner, *nisi*.

doctus; sed : *Videor* mihi *esse* doctus; *videris* mihi *esse* doctus; ille sibi *videtur esse* vir doctus. Et numero multitudinis eodem modo : *Videmur* nobis *esse* docti; *videmini* vobis *esse* docti; illi *videntur* sibi *esse* viri docti.

Cicero, Att., l. IX, ep. 10, 2 : « Amens mihi *fuisse videor.* » Idem ad eumdem, l. II, ep. 11, 1 : « *Relegatus mihi videor*, postea quam in Formiano sum. » Idem, II Phil., c. 14, 36 : « Nescio quid *conturbatus esse videris*. » Terentius, Andr. act. II, sc. 7, v. 448 :

Subtristis *visus est esse* aliquantulum mihi.

Cicero, Att., l. IX, ep. 10, 3 : « Sol..... *excidisse* mihi e mundo *videtur.* » Livius, l. XXVIII, c. 42 : « Næ tibi, P. Corneli, cum ex alto Africam conspexeris, ludus et jocus *fuisse* Hispaniæ tuæ *videbuntur.* »

QUIA

Quia pro *quod* utrumque modum admittit.

Cicero, de Amicit., c. 4, 15 : « Recordatione nostræ amicitiæ sic fruor, ut beate vixisse videar, *quia* cum Scipione *vixerim.* » Idem, de Finib., l. I, c. 10, 32 : « Neque porro quisquam est qui dolorem ipsum, *quia* dolor *sit*, amet. » Idem, Verr. act. II, l. IV, c. 53, 119 : « Quarta autem est urbs; quæ, *quia* postrema *ædificata est*, Neapolis nominatur. »

Aliæ præterea sunt particulæ, quarum usum usus ipse, optimus magister, te sine tædio, progrediente tempore, docebit.

DE FIGURATA CONSTRUCTIONE

416. Oratio tres virtutes habere debet, ut *emendata*, ut *dilucida*, ut *ornata* sit; quibus virtutibus totidem vitia contraria sunt. Nam emendatæ *barbara*, dilucidæ *obscura*, ornatæ *inornata* adversatur.

BARBARÆ ORATIONIS VITIA

Duo sunt vitia quibus oratio barbara atque rustica efficitur : *solœcismus* et *barbarismus;* quæ, qui pure ac emendate loqui volet, omni contentione velis, ut ita dicam, remisque fugiet.

SOLŒCISMUS QUANTUM EMENDATÆ ORATIONI ADVERSETUR, ET UNDE NOMEN ASSUMPSERIT.

417. Quo figuratæ constructionis natura commodius intelligatur, simul de orationis vitiis nobis agendum est; fieri enim potest ut quis facile decipiatur, cum figurata ipsa constructio vitii speciem præ se ferat, tametsi ab eo longe absit. Solœcismus usque eo latinitati (sic enim auctor ad Herennium emendatam orationem, l. IV, c. 12, 17, appellat) infestus est, ut eam funditus evertat : neque enim dictionem unam invadit, sed integram compositionem fœdat, ipsiusque orationis contextum dissipat; unde Eustathius in Iliad., l. I, v. 117, ubi de nomine σόος, hoc est, *sanus, integer,* loquitur, ab iis, inquit, qui de ratione vocabulorum agunt, σολοικισμός, hoc est *solœcismus,* merito dicitur, quasi σόου λόγου αἰκισμός, hoc est, *sani et integri sermonis injuria, fœditas ac corruptio.* Idem tamen in Iliad., l. XXIII, v. 826, docet solœcismum compositionem fuisse propriam Solorum, urbis Cypri. Diogenes vero Laertius in Solone, initio, scriptum reliquit a *Solis,* Ciliciæ urbe, nomen traxisse : nam cum eodem ducta esset Atheniensium colonia, progrediente tempore corruptam fuisse Atticam linguam, inde illos non ἀττικίζειν, sed σολοικίζειν dictos esse.

De *barbarismo,* hoc est, dictione peregrina, aut latina quidem, sed vitiose scripta aut pronuntiata, post dicemus, ne turbetur ordo.

QUID SIT SOLŒCISMUS, ET QUOT MODIS FIAT

Solœcismus, constructionis atque emendatæ orationis, de qua hactenus egimus, hostis infestissimus, est vitiosa partium orationis compositio.

Is fit quatuor modis : *adjectione,* cum aliquid orationi contra præcepta grammaticæ adjicitur, ut : Scribo *cum* calamo; Ludo *cum* pila.

Detractione, cum aliquid eodem modo detrahitur, ut : *Eo forum; Redeo agro; Ne hoc fecit,* pro *Ne hoc* QUIDEM *fecit.*

Transmutatione, cum partium orationis ordo turbatur, ut : *quoque ego; enim hoc* voluit; *autem non* habuit.

Immutatione, cum pars una orationis pro alia ponitur, ut : Stulti *grave* ferunt res adversas. *Grave* pro *graviter*, nomen pro adverbio.

Fiunt solœcismi etiam per cæteras orationis partes. Item per ea quæ cognata sunt, id est, ejusdem generis ac partis, ut : *Eo intus; sum intro.* Quid *huc agis?* Quando *hic venisti?* Scripsitne Cicero hanc orationem, *aut* Hortensius? *Aut* pro *an*. *Non* feceris cuiquam injuriam; pro *ne*. Eo *apud* forum.

Denique fiunt et per ea quæ partibus orationis accidunt : per *genera*, ut : Sapientes *læto fronte* res adversas ferunt; — per *casus*, ut : Quo is? *Romæ*. Venio *Brundusii*; — per *numeros :* si unum ad te vocans, dicas : *Venite;* — per *personas*, si quempiam honoris causa ita alloquaris : *Sedeat*, *accedat;* pro *sede*, *accede ;* — per *modos*, ut : Peto a te ut mihi opem *fers;* — per *genera verborum*, ut : Mox *reddam* , pro *redibo;* ponitur enim activum pro neutro.

De solœcismo agit Quintilianus copiose libro I, cap. 5, ubi inter multa alia docet *Non feceris*, pro *Ne feceris*, solœcismum esse, cum alterum negandi sit adverbium, alterum vetandi. Item : Veni *de* Susis *in* Alexandriam, solœcismum esse per adjectionem; qua de re satis diximus suo loco.

Gellius, l. V, c. 20, ait solœcismum a vetustioribus Latinis *imparilitatem* et *strobiliginem* fuisse appellatum. Sed cum solœcismi vocabulo auctor ad Herennium, l. IV, c. 12, 17, Quintilianus, Martialis, l. V, epigr. 38, v. 8, atque alii utantur, non est cur vocem ipsam reformidemus. Qui hoc vitio laborat, σολοικιστής (1), *solœcistes* sive *solœcista*, a Luciano dicitur.

(1) Hic est certe titulus unius e Luciani opusculis : Ψευδοσοφιστὴς ἢ Σολοικιστής.

APPENDIX.

Fuerunt, ut ait Quintilianus, l. I, c. 5, 40, qui adjectionis vitium *pleonasmon;* detractionis, *eclipsin;* transmutationis, *anastrophen* appellarint, negantes hæc vitia species esse solœcismi.

QUID SIT FIGURATA CONSTRUCTIO

418. Cum apud viros doctos et qui pure loquendi laude floruerunt, aliquid legerimus quod grammaticorum legibus repugnare videatur, non continuo existimabimus eos solœcismum fecisse, cum ipsorum auctoritate testimoniisque soleant grammatici ipsi sua præcepta confirmare. Nam sunt quædam quæ faciem quidem solœcismi habent, vitiosa tamen non sunt. Hoc novum loquendi genus *figura verborum*, aut *sermonis*, aut *orationis*, sive, ut Græci loquuntur, σχῆμα λέξεως, *schema lexeos*, appel-

latur. Est enim *figura* nova loquendi ratio a trito et vulgari sermone remota, quæ fere ratione aliqua nititur.

Si magni auctores, cum partes orationis aut earum attributa permutant, in solœcismum incidunt, Cicero, Terentius, Cæsar, cæterique antiqui non raro hoc vitio laborarunt. Non est igitur solœcismus, sed schema. Quamvis « hoc quod *schema* vocatur, inquit Quintilianus, l. I, c. 5, 53, si ab aliquo per imprudentiam factum erit, *solœcismi* vitio non carebit. » Eustathius, in Odyss. λ, docet quæ nove figurateque ab Homero aliisque viris doctis dicuntur, non solœcismum, sed σολοικοφανῆ σχήματα, hoc est, *schemata quæ faciem habent solœcismi*, aut simpliciter *schemata* tantum appellari, peccatumque esse voluntarium, non ab inscitia profectum. Solœcismum vero esse peccatum non voluntate, sed ignorantia commissum. « Schema, ut idem Quintilianus ait, fere habet aliquam rationem; » verum ne nimium sis sollicitus de rationibus investigandis : interdum enim pro ratione est voluntas atque usus doctissimorum, quæ pluris sunt facienda quam grammaticorum omnium leges. Verbi causa, inquit Cicero, Verr. act. II, l. II, c. 14, 37 : « Hominemque *id ætatis*, minime litigiosum, quam tumultuosissime adoriantur. » Idem, Fam., l. VI, ep. 20, 3 : « Ita viximus et *id ætatis* jam sumus, ut omnia quæ non nostra culpa nobis accidant, fortiter ferre debeamus. » Elegantiam hujus locutionis omnes admirantur, rationem fortasse nemo facile invenerit. Neque enim videtur hellenismus, cum affirmet Budæus in Commentariis linguæ græcæ, p. 1049, non esse apud Græcos similes locutiones. Itaque cum viri docti in grammaticorum leges minime jurarint, observabimus atque colligemus diligenter quæ sua sponte eleganter dixerunt, ut ea nobis ad imitandum proponamus, non ut ad grammaticæ normam et angustiis ea dirigamus. Et, ut quod sentio breviter dicam, si tum ligata, tum soluta oratione emendate aut scribere aut loqui studes, tibi eos qui utraque facultate præ cæteris floruerunt, imitandos propone.

ENALLAGE

419. *Enallage* figura est cum pars una orationis pro alia ponitur.

Cicero, Att., l. XIII, ep. 28, 2 : « Quam enim turpis est assentatio, cum *vivere ipsum* turpe sit nobis. » Idem ad eumdem, l. XI, ep. 24, 4 : « Philotimus non modo *nullus* venit, sed ne per literas quidem, aut per nuntium certiorem facit me. » Terentius, Andr. act. IV, sc. 3, v. 716 :

. . . . . Ita *facto* est opus.

Hic vides partes orationis inter se commutatas : *vivere ipsum* pro *vita ipsa*, verbum pro nomine; *nullus* pro *non*, nomen pro adverbio; *facto* pro *fieri*, participium pro verbo. Neque quisquam tam demens erit, ut credat Terentium aut Ciceronem solœcismum fecisse. Est ergo schema, sive figura, quæ *enallage* dicitur. Sunt et alia nomina quæ pro adverbiis ponuntur, ut *recens*, *sublime*, *frequens*. Suetonius in Tiber., c. 1 : « Inde Romam *recens* conditam cum magna clientum manu commigravit. » Cicero, de Divin., l. II, c. 31, 67 : « Eaque scuta, quæ fuerant *sublime* fixa, sunt humi inventa. » Idem, de Senect., c. 11, 38 : « Venio in senatum *frequens*. » — Sic *torvum*, *horrendum*, et alia id genus apud poetas.

Nomen interim loco interjectionis indignantis ponitur. Cicero, Verr. act. II, l. II, c. 17, 43 : « Quæ *malum!* ista fuit amentia? » Contra adverbium aliquando partes nominis agit. Plautus, Mercat. act. II, sc. 2, v. 55 : « *Bene* sit tibi. » Plinius, l. V

ad Macrum, ep. 18 : « *Bene* est mihi, quia tibi *bene* est. » Cicero, Att., l. XV, ep. 15, 1 : « Antonio *male* sit, si quidem Buthrotiis molestus est. » Sic *sat, satis, abunde, partim*, de quibus in Constructione adverbii dictum est. Verbum loco interjectionis blandientis. Idem ad eumdem, l. V, ep. 17, 4 : « *Amabo te*, incumbe in eam rem, et ad me scribe. »

420. Fit etiam enallage per attributa partium orationis.

Per casus : Cicero, pro Sext. Rosc., c. 6, 17 : « Duo isti sunt, Titi Roscii, quorum alteri *Capitoni* cognomen est. »

Per numeros : Plinius, l. X, c. 94, 1 : « In Africa major *pars* ferarum æstate non *bibunt* inopia imbrium. »

Per modos : Terentius, Andr. act. II, sc. 4, v. 398 :

> Sed si te æquo animo ferre *accipiet*, negligentem *feceris*.

Cicero, Att., l. II, ep. 24, 5 : « *Respiraro*, si te *videro*. »

Per tempora : idem, Verr. act. II, l. I, c. 23, 61 : « Unum ostende in tabulis aut tuis aut patris tui emptum esse; *vicisti*. »

Partium attributa appellantur accidentia, casus, numerus, genus, persona, et cætera. Hujus figuræ beneficio solvent pueri varios nodos quibus interdum constricti tenentur, maxime cum in poetas inciderint. Virgilius, Æn. VI, v. 836 :

> Projice tela manu, *sanguis* meus.

Idem, Æn. VIII, v. 77 :

> Corniger Hesperidum *fluvius* regnator aquarum,
> Adsis o tantum.

Utrobique nominandi pro vocandi casus positus est. Idem, Æn. III, v. 293 :

> . . . . . Celsam *Buthroti* accedimus *urbem*.

Genitivus pro accusativo, *Buthrotum urbem*. Idem, Æn. V, v. 344 :

> Gratior et pulchro veniens in *corpore* virtus,

ablativo usus est pro accusativo, ut docet Non. Marcel., c. 9, 17.

Est mihi cognomen Capitoni, Africano, frequentius et elegantius dicitur quam *Capito, Africanus*. Cicero, Verr. act. II, l. V, c. 7, 16 : « Quid? De Apollonio, Diocli filio, Panormitano, cui *Gemino* cognomen est, præteriri potest? » Livius, l. IV, c. 13 : « Collega additur ei Agrippa Menenius, cui *Lanato* erat cognomen. » Idem, l. II, c. 33 : « Erat tum in castris inter primores juvenum C. Martius adolescens, et consilio, et manu promptus, cui cognomen postea *Coriolano* fuit. » Dicitur etiam : *Est mihi Faustulo nomen*. Idem, l. I, c. 4 : « *Faustulo* fuisse nomen ferunt. » Plautus, Cistel. act. I, sc. 3, v. 6 :

> Nam mî est *Auxilio* nomen.

Malim tamen hic nominativo uti : Est mihi nomen *Faustulus, Auxilium*; quo modo frequentissime loquitur Cicero; pro Cæcin., c. 10, 27 : « Argentarius Sex. Clodius, cui nomen est *Phormio*. » Idem, Verr. act. II, l. IV, c. 53, 118 : « Est fons aquæ dulcis, cui nomen *Arethusa* est. » Terentius, in prologo Hecyr., v. 1 :

> *Hecyra* est huic nomen fabulæ.

Plautus, Menæch. act. V, sc. 9, v. 9 :

> Est mihi *Menæchmus* nomen.

Idem tamen in Amph. prologo, v. 19, interrogandi casu usus est :

> . . . . . Nomen *Mercurii* est mihi.

Grammatici *antiptosin* proprie appellant, cum casus pro casu ponitur, genus genere permutatur. Plinius, l. XVIII, c. 82 : « Nube gravida candicante, *quod* vocant tempestatem albam, grando

imminebit; » pro *quam*. Illud Terentii, Phorm. act. V, sc. 9, v. 1011 :

Hæcine erant itiones crebræ?

Item Plauti, Pœnul. act. V, sc. 3, v. 47 :

. . . . . Hæcine sunt meæ filiæ?

non huc spectant; simplici enim *e* scribitur *hæcine*, et *cine* syllabica est adjectio, ut *hiscine* in dativo plurali; itaque non ponitur genus neutrum pro feminino, ut quidam putat.

Numerus pro numero. Virgilius, Æn. I, v. 212 :

Pars in frusta *secant.*

Ovidius, Fast. II, v. 507 :

Thura *ferant, placent*que novum pia *turba* Quirinum.

Cicero, pro Mil., c. 4, 9 : « Si *tempus* est ullum jure hominis necandi, *quæ multa sunt*, certe illud est non modo justum, verum etiam necessarium, cum vi vis illata defenditur. » Reperitur et in personis hæc permutatio, sed rarius. Terentius, Phorm. act. I, sc. 2, v. 51 :

Cet. Si quis me quæret rufus..... *Da.* Præsto *est*;
[desine ;

pro præsto *sum*.

Modus pro modo, ut illud Terentii : « *Feceris,* » pro *facies*, conjunctivus pro indicativo.

Tempus pro tempore. Cicero, Att., l. XIV, ep. 20, 3 : « Utinam liceat isti concionari ! Cui si esse in Urbe tuto licebit, *vicimus ;* » pro *vincemus*, præteritum pro futuro. Livius, l. XXI, c. 44 : « Si hoc bene fixum omnibus destinatumque in animo est, iterum dicam *Vicistis;* » pro *vincetis.* — Permutantur denique verborum genera. Virgilius, Æn. XI, v. 660 :

. . . . . Pictis *bellantur* Amazones armis.

Bellantur pro *bellant.*

De modorum temporumque permutatione fusius dictum est in verborum declinatione.

ECLIPSIS

421. *Eclipsis* figura est cum id quod in oratione deest, foris omnino petendum est.

Cicero, Att., l. XV, ep. 17, 2 : « Ego si Tiro ad me, cogito in Tusculanum. » Idem, Verr. act. II, l. III, c. 25, 62 : « Ridere convivæ; cachinnari ipse Apronius. » Idem., Att., l. XIII, ep. 40, 2 : « Quid mî auctor es? Advolone, an maneo? » Idem, pro Plancio, c. 42, 102 : « Pro uno filio duo patres deprecamur. »

Hanc figuram appellat Quintilianus, l. IX, c. 3, 58, *synecdochem,* « cum, ut ipse ait, subtractum verbum aliquod satis ex cæteris intelligitur; ut Cælius in Antonium : *Stupere gaudio Græcus;* simul enim auditur *cœpit.* » Eclipsin vero idem, l. I, c. 5, 38, et l. VIII, c. 2, 19, inter vitia numerat, cum scilicet aliquid necessarium orationi detrahitur, ut : *Venio Ægypto.* Quare diligenter animadvertendum est ne quid contra doctorum hominum consuetudinem admittamus : non enim schema erit, sed solœcismus qui detractione fit. Nos more grammaticorum *eclipsin* appellavimus. Terentius, Andr. act. V, sc. 2, v. 870 :

. . . . . O Chreme!
Pietatem gnati!

ubi Donatus : « Ἔκλειψις, inquit; deest enim *vides,* aut quid tale. » Hæc figura latissime patet, ac fere per omnes partes orationis manat. Nam desideratur interdum nomen. Cicero, Att., l. VI, ep. 1, 17 : « Statua quæ ad Opis per te posita in excelso est; » ubi accusativus *ædem* vel *templum* deest; quem II Phil., c. 14, 35, idem expressit : « Qui maximo te ære alieno ad *ædem* Opis liberasti. » — Item *viam* aut *iter;* idem ad Att., l. V, ep. 16, 4 : « Nos in castra properabamus, quæ aberant bidui; » qui aliquando etiam apponitur. Idem, pro Planc., c. 40, 98 : « Cum tamen abessent aliquot dierum *viam.* » Cicero, Fam., l. XII, ep. 15, 7 : « Cassium autem cum suis omnibus copiis nuntiatum esse quatridui *iter* ab Laodicea

abfuisse. » — *Navem*. Cicero, Fam., l. XVI, ep. 9, 2 : « Nos eo die cœnati solvimus. » Hic etiam interdum adhibetur. Cæsar, Bello civ., l. I, c. 28 : « Pompeius sub noctem *naves* solvit. » — *Cœlum*. Livius, l. XXXVII, c. 3 : « Nursiæ sereno satis constabat nimbum ortum ; » quod paulo inferius expressit, c. 4 : « *Cœlo* sereno interdiu obscurata lux est. »

In illis : *decies sestertium*, *vicies sestertium*, *centies sestertium*, et id genus cæteris, ad implendam orationem desideratur *centena millia ;* nam antiqui, ut docet Budæus, de Asse, l. I, p. 37, *decies centena millia sestertium, centies centena millia sestertium* dicebant ; postea usus obtinuit, ut compendiose *decies sestertium, centies sestertium* dicerent. Nonnulli scriptores, maxime poetæ, compendiosius loquentes, *decies, vicies, centies* tantum dicunt. Martialis, l. V, epigr. 37, v. 24 :

> *Ducenties* accepit, et tamen vivit.

Cicero, pro Sex. Rosc. Amer., II, 6 : « Bona patris hujusce Sexti Roscii, quæ sunt *sexagies*, quæ de viro fortissimo et clarissimo, L. Sylla, quem honoris causa nomino, duobus millibus nummum sese dicit emisse adolescens vel potentissimus hoc tempore nostræ civitatis, L. Cornelius Chrysogonus. »

Verba quæ *exceptæ actionis* vocantur, ut *grandinat*, *pluit*, occulte antecedit vel res verbi, ut *grando, pluvia*, vel *Deus*, vel *natura*, ut grammaticis placet. Nonnunquam alii etiam nominandi casus præcedunt. Virgilius, Georg. IV, v. 81 :

> Nec de concussa tantum *pluit* ilice *glandis*.

Tibullus, l. II, eleg. 5, v. 71 :

> Hæ fore dixerunt belli mala signa, cometen,
> Multus ut in terras *depluere*tque *lapis*.

Plinius, l. II, c. 57, 2 : « Effigies *quæ pluit* spongiarum fere similis fuit. »

Desiderantur etiam pronomina ante verba primæ et secundæ personæ, quæ fere non explicantur, nisi certis de causis ; qua de re initio hujus libri dictum est. Eadem pronomina sæpe desiderantur, cum ad se personam tertiam evocant, ut : Pro uno filio duo patres deprecamur ; ubi *nos* desideratur. Terentius, Andr. act. II, sc. 1, v. 310 :

> Facile omnes cum valemus, recta consilia ægrotis [damus.

Hanc recentiores *evocationem* appellant. — Desideratur non raro relativum *qui, quæ, quod*. Virgilius, Æn. I, v. 12 :

> Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni.

Deest accusativus *quam*. — Verba frequenter absunt. « Si Tiro ad me ; » auditur *venerit*. « Cogito in Tusculanum ; » deest *proficisci*. « Ridere convivæ ; » simul auditur verbum *cœperunt*. « Cœpit calumniari ipse Apronius. » Sunt qui existiment esse enallagen modorum : *ridere*, pro *ridebant ;* sed Quintilianus, ut paulo ante dixi, putat esse synecdochen. « *Stupere gaudio Græcus :* simul enim, inquit, l. IX, c. 3, 58, auditur *cœpit*. » *Quid mihi auctor es?* deest *ut faciam*. Sic Terentius, Adelph. act. V, sc. 8, v. 943 :

> . . . . . Idne estis auctores mihi ?

Plautus, Pseud. act. IV, sc. 7, v. 70 :

> . . . . . Quid nunc mihi es auctor, Simo ?

Vide Budæum in Commentar. linguæ græcæ, p. 1002. Plinius Caninio, l. II, ep. 8 : « Studes ? an piscaris ? an venaris ? an simul omnia ? » omisit verbum *facis*. Cicero, Att., XV, ep. 9, 2 : « Sed plura, cum ista cognoro ; » *scribam* extrinsecus assumendum est.

Desideratur et infinitum *esse*. Terentius, Andr. act. I, sc. 6, v. 239 :

> . . . . . Nonne prius communicatum oportuit ?

Idem, Heaut. act. IV, sc. 1, v. 635 :

> . . . . . Interemptam oportuit.

Interdum explicatur. Cicero, pro Cluent., c. 33, 90 : « Hac lege accusatum *esse* oportuit. » Idem, I Cat., c. 2, 5 : « Hoc quod jampridem factum *esse* oportuit, certa de causa nondum adducor ut faciam. » In his : *factum volo, mallem datum, egone te visum* aut *auditum velim*, et cæteris ejusdem generis, quæ crebro apud Terentium aliosque auctores reperiuntur, videtur idem infinitum desiderari ; in quibus Quintilianus, l. IX, c. 3, 9, ait participium pro verbo poni : « Utimur, inquit, participio pro verbo, ut *Volo datum*. » Intelligamus obiter diremptam grammaticorum controversiam : sunt enim qui participia hæc esse dicant, alii

supina. Nonnunquam tamen videtur supinum, ut in illo Terentii Adelph. act. V, sc. 1 v. 779 :

. . . . . Sane nollem huc *exitum*.

Nisi quis dicat esse participia, quæ jam exoleverint, ut *obitus*, unde *obita* mors. Ejusdem generis videtur illud ejusdem Heaut. act. I, sc. 2, v. 200 :

Ut erat, *mansum* tamen oportuit;

et Plauti Pers. act. III, sc. 3, v. 43 :

Dum stas, *reditum* oportuit;

pro *mansisse*, *redisse* : nam *mansum esse*, *reditum esse* intolerabilia sunt.

Participium *scriptus* eleganter tacetur. Cicero ad Quint. Fr., l. III, ep. 1, c. 6, 19 : « Hæc inter cœnam Tironi dictavi; ne mirere alia manu esse. » Idem Att., l. IV, ep. 16, 1 : « Occupationum mearum vel hoc signum erit, quod epistola librarii manu est. » Ad eumdem, l. VII, ep. 2, 3 : « Quæ quidem (epistolæ) erant tua manu. »

De præpositio aliquando abest. Terentius, Andr. act. IV, sc. 2, v. 710 :

. . . . . Quid me fiet ?

Ibidem, act. V, sc. 4, v. 938 :

. . . . . Nunc primum audio
Quid illo sit factum.

Desideratur conjunctio *etiam* non raro. Cicero, Verr. act. II, l. I, c. 46, 118 : « Video non modo cæteros, sed te ipsum totidem verbis edixisse. » Idem, Verr. act. II, l. II, c. 20, 49 : « Quid est quamobrem putes te tuam culpam non modo derivare in aliquem, sed communicare cum altero posse ? » Idem, pro Planc., c. 5, 12 : « Mallium non solum ignobilem, verum sine virtute, sine ingenio. »

ZEUGMA

422. *Zeugma* figura est cum id quod in oratione desideratur e proximo assumitur, manente eodem genere, numero, casu cæterisque attributis.

Cicero, Parad. VI, c. 2, 48 : « Nulla *possessio*, nulla *vis* auri et argenti pluris quam *virtus* æstimanda *est*. » Idem, pro C. Rabir., c. 8, 24 : « *Virtus*, et *honestas*, et *pudor* cum consulibus esse *cogebat*. »

Si id quod desideratur in oratione extrinsecus assumitur, *eclipsis* est, ut ante diximus; sin vero e proximis atque vicinis verbis assumatur, neque ulla fit mutatio, *zeugma* est. Nam si velis posita exempla omnibus numeris explere, dices : Nulla possessio *pluris quam virtus æstimanda est;* nulla vis auri et argenti *pluris quam virtus æstimanda est;* ubi nec genus, nec numerus, nec casus mutatur. Virtus *cum consulibus esse cogebat;* honestas *cum consulibus esse cogebat*. Verbum *cogebat* singulis substantivis redditur, servato eodem numero, persona, modo, tempore.

Exempla ubique sese offerunt. Cæsar, Bello Gall., l. I, c. 1 : « Gallos ab Aquitanis *Garumna* flumen, a Belgis *Matrona* et *Sequana dividit*. » Varro, de Ling. lat., l. VIII, 10 : « *Consul fuit Tullius* et *Antonius*. » Sallustius, Catil., c. 52 : « *Libertas* et *anima* nostra in dubio *est*. » Plinius, l. IX, c. 74, 7 : « Piscium, *lupus* et *trichias* bis anno *parit*. » Si id quod assumitur ad orationem implendam primum est, *protozeugma* dicitur. Cicero, Att., l. XVI, ep. 1, 6 : « *Egit* autem et pater, et filius, ut tibi sponderem. » Si medium, *mesozeugma*. Auctor ad Herennium, l. IV, c. 27, 38 : « Formæ dignitas aut morbo *deflorescit*, aut vetustate. » Si postremum, hypozeugma. Cicero, Att., l. XII, ep. 25, 1 : « Mihi et res, et conditio *placet*. »

Juniores grammatici existimant zeugma esse, cum verbum aut adjectivum nomen multis adjectivis additum cum viciniore convenit, ut Virgilius, Æn. I, v. 16 :

. . . . . Hic illius *arma*,
Hic *currus fuit*.

Terentius, Andr. act. III, sc. 1, v. 464 :

Ultimam aut *hic* surdus, aut *hæc* muta *facta sit.*

Utrumque tamen exemplum veteres, ut mox planum faciemus, syllepsi subjiciunt.

SYLLEPSIS

423. *Syllepsis* est, cum id quod in oratione deest e proximo assumitur, mutato tamen genere, aut numero, aut casu, aut aliquo e cæteris accidentibus.

Cicero, Verr. act. II, l. IV, c. 12, 27 : « *Risus* populi atque *admiratio* omnium *facta est.* » Livius, l. XXXVII, c. 53 : « Nulla *expeditio*, nullum equestre *prœlium* sine me *factum est.* » Cicero ad Quint. Fr., l. II, ep. 10, 2 : « Pene *ille* timore, *ego* risu *corrui.* » Livius, l. XXXVII, c. 53 : « Nemo *miles* Romanus magis assiduus in castris vestris *fuit*, quam *ego fratres*que mei. » Idem, ibid.: « *Pater*, *ego*, *fratres*que mei non in Asia tantum, sed etiam procul ab domo,..... Ætolico bello, terra marique pro vobis arma *tulimus.* »

Zeugma in similibus clausulis locum habet, hoc est, in quibus attributa sicut accidentia partium orationis integra manent; *syllepsis* vero in dissimilibus, hoc est, ubi dissimilitudo mutatioque attributorum seu accidentium necessario fit, ut oratio suis numeris plena sit : si enim ita impleas : *Risus populi facta est; Nulla expeditio factum est; Quam ego fuit, fratresque mei fuit,* immanes erunt solœcismi; mutanda ergo necessario sunt accidentia partium : *Risus factus est; Expeditio facta est; Quam ego fui fratresque mei fuerunt.* Donatus, p. 1773, et Diomedes, l. II, p. 440, illud Virgilii Æn. I, v. 16 :

. . . . . Hic illius *arma*,
Hic currus *fuit*;

illud item Eclog. I, v. 81 :

. . . . . *Sunt* nobis mitia poma,
Castaneæ molles, et pressi *copia* lactis;

syllepsi subjiciunt, non zeugmati, ut recentiores volunt.

Cum genus mutatur, syllepsis dicitur *per genera.* Cicero, Verr. act. II, l. V, c. 58, 152 : « *Plenum forum* et *basilicas* istorum hominum videmus. » Terentius, Andr. act. III, sc. 1, v. 464 :

Utinam aut hic surdus, aut hæc muta *facta sit.*

Ubi Donatus : « Σύλληψις, inquit, per genera. »

Per casus, cum variatur casus. Terent., Adelph. act. I, sc. 3, v. 146 :

. . . . . Verum si *augeam*,
Aut etiam *adjutor* sim ejus *iracundiæ;*

a genitivo *iracundiæ* sumitur accusativus *iracundiam*, ut sit plena oratio : Verum si *augeam iracundiam*, etc. « Σύλληψις, inquit Donatus; nam a genitivo casu accusativus assumptus est. » Idem, prolog. Andr., v. 1 :

Poeta cum primum animum ad scribendum appulit,
Id sibi negotii credidit solum dari,
Populo ut *placerent*, quas fecisset *fabulas.*

Plena oratio : *Populo ut placerent fabulæ, quas fabulas fecisset;* quo modo non raro loquuntur auctores, antecedens nomen repetentes. Cæsar, Bello Gall., l. I, c. 6 : « Erant omnino itinera duo, quibus *itineribus* domo exire possent. » Idem, ibid. : « Omnibus rebus ad profectionem comparatis, diem dicunt, qua *die* ad ripam Rhodani omnes conveniant; is dies erat a. d. v Kal. Aprilis. » Auctor ad Herennium, l. I, c. 22 : « Oratoris officium est de iis rebus posse dicere, quæ *res*, etc. » Donatus, in Terent. Andr. prolog., v. 1 : « Ad *fecisset*, inquit, retulit *fabulas*, non ad *placerent;* et est figura syllepsis. »

Cum relativum antecedens eodem genere, nu-

mero et casu præcedit, figurata est oratio. Livius, l. XXIX, c. 31 : « *Quem* ceperant exules *montem*, herbidus aquosusque est. » Recta oratio est : *Mons, quem montem ceperant exules*, etc. Ab accusativo *montem* assumptus est nominativus *mons*.

Aliquando antecedens præcedit relativum, sed tunc durior redditur oratio. Terentius, Eunuch. act. IV, sc. 3, v. 653 :

> . . . . . *Eunuchum, quem* dedisti nobis, quas turbas [dedit !

Virgilius, Æn. I, v. 573 :

> *Urbem quam* statuo, vestra est.

Si dixissent : *Quem dedisti nobis eunuchum, quas turbas dedit ; Quam statuo urbem vestra est*, syllepsis tantum esset per casus. Sed de hac re supra diximus, cum de relativi et antecedentis consensu egimus; et paulo post dicemus, cum de præpostero verborum ordine agemus.

Per numeros. Cicero, ad Quint. Fr., l. I, ep. 1, c. 5, 15 : « Frons, oculi, vultus persæpe *mentiuntur; oratio* vero sæpissime; » necessario mutandus est numerus, si velis locutionem explere : *Frons mentitur, oratio mentitur.*

Per personas. Cicero ad Cæsarem, Fam., l. VII, ep. 5, 2 : « *Sustulimus* manus et *ego* et *Balbus*. » Interdum tertia persona primæ præponitur modestiæ causa. Livius, l. XXXVII, c. 53 : « *Pater, ego*, fratresque mei non in Asia tantum, sed etiam procul ab domo,.... Ætolico bello terra marique pro vobis arma *tulimus* (1). »

Secunda primæ. Plautus, Rud. act. II, sc. 7, v. 6 :

> Quot *sunt? S.* Totidem quot *tu* et *ego* (2).

Per modos. Lucceius ad Ciceronem, Fam., l. V, ep. 14, 1 : « Valeo sicut soleo, paululo tamen etiam deterius quam soleo, » simul auditur *valere.*

Per tempora, ut si dicas : Elegantius nunc loqueris quam superioribus annis; assumendum *loquebaris* ad implendam orationem.

Non solum fit syllepsis per ea quæ partibus orationis accidunt, sed etiam per ipsas orationis partes, obscurius tamen; cum eadem pars orationis, ut integra sit oratio, interim repetitur eadem quidem voce, sed diversa significatione. Justinus, l. XI, c. 9, 14 : « Provolutæ deinde genibus Alexandri non mortem, sed, dum Darii corpus sepeliant, dilationem mortis *deprecantur*. » Verbum *deprecantur* priore membro significat *recusare : Non mortem deprecantur*, hoc est, *non recusant;* posteriore vero *obsecrare*. Idem, l. III, c. 1, 9 : « Atque ita egregius adolescens et cædem patris, et se ab insidiis Artabani *vindicavit*. » *Vindicavit cædem patris*, hoc est, *ultus est ; se vindicavit*, id est, *liberavit.*

424. Varia syllepseos significatio. — Cum scriptores constructione potius intellectus et sensus rationem habent quam verborum, putant juniores esse *synthesin*, figuram veteribus incognitam; Donatus *syllepsin* appellat : nam verbum συλλαμβάνομαι, unde *syllepsis* fit, *concipere* et *intelligere* significat; et quia auctores ad intellectum, non ad verba respiciunt, merito syllepsis dicitur. Terent., Andr. act. III, sc. 10, v. 608 :

> Ubi illic est *scelus, qui* me perdidit ?

Donatus : « Ad intellectum, non ad verba redegit, et est figura syllepsis per genera. Virgilius :

> *Pars* in frusta *secant ;*

sed hic figura est per numeros; nam quia *scelus, scelestus* intelligitur, modo *qui* subjunxit, non *quod.* » Hæc ille. Ubi, ut vides, *Pars in frusta secant, syllepsis per numeros* ab eodem Donato dicitur, quia *pars* vim habet pluralem. Alii *enallagen generis, numeri*, appellant. Idem Donatus *syllepseos* nomine interdum pro *eclipsi* utitur, et *primam syllepsin* nonnunquam appellat. Terentius, Andr. act. V, sc. 2, v. 871 :

> Tantum laborem capere ob talem filium ?

« Syllepsis, inquit, est : assumendum enim extrinsecus *me*. Idem, Phorm. act. II, sc. 3, v. 356 :

> Nec Stilphonem ipsum scire qui fuerit? Negat.

Donatus : « Σύλληψις *prima ;* nam extrinsecus audiendum est *pater*. »

Postremo syllepsis pro tropo *synecdoche* accipitur nonnunquam, præcipue apud Græcos, ut Eustathius multis locis docet, maxime in Iliad. I,

(1) Lambinus, Lemaire et Drakenborch, sicut Alvarus; Teubner : « Pater, ego, fratres mei.... »

(2) Lemaire et Teubner : « Quot ego et tu sumus. »

v. 529; XI, v. 245; XIII, v. 781. Nam verba græca, unde utrumque verbum derivatur, idem significant, συνεκδέχομαι et συλλαμβάνομαι. Unde Divus Hieronymus in illud D. Matthæi, xxvi, 8 : « Videntes autem discipuli indignati sunt; » ita inquit : « Scio quosdam hunc locum calumniari, quare alius Evangelista Judam solum dixerit contristatum, eo quod loculos tenuerit, et fur ab initio fuerit; et Matthæus scribat omnes Apostolos indignatos, nescientes tropum qui vocatur σύλληψις (hoc est, *syllepsis*), quo et pro uno omnes, et pro multis unus appellari soleat. » Idem, in illud D. Marci, xiv, 4 : « Erant autem quidam indigne ferentes; » appellavit *synecdochen* his verbis : « Per synecdochen dicitur unus pro multis, et multi pro uno. »

PROLEPSIS

425. *Prolepsis* est cum dictio aliqua totum significans præcessit, quæ rursus in partibus intelligitur neque explicatur; ut : Duo *reges* Romam auxerunt, *Romulus* bello, *Numa* pace.

Livius, l. I, c. 21 : « Ita duo deinceps *reges*, alius alia via, *ille* bello, *hic* pace civitatem auxerunt. » Sallustius, Catil., c. 58 : « *Exercitus* hostium duo, *unus* ab Urbe, *alter* a Gallia obstant. »

Dictio totum significans est *reges;* partes, *Romulus, Roma;* ubi rursus *Romulus rex, Numa rex* dicendum erit, si orationem velis integram facere.

Dictio quæ præcedit fere aut est pluralis numeri, aut pluralem vim habet. Cæsar, Bello Gall., l. III, c. 30 : « Eademque die *uterque* eorum ex castris stativis a flumine Apso exercitum *educunt : Pompeius*, clam et noctu; *Cæsar*, palam atque interdiu. »

Verbum fere convenit cum dictione præcedente, ut proposita exempla docent; Livius tamen aliter locutus est; l. XLI, c. 18 : « Periti religionum jurisque publici, quando duo ordinarii consules ejus anni alter morbo, *alter* ferro *periisset*, suffectum consulem negabant recte comitia habere posse. » Ac Sallustius, Catil., c. 7 : « Ea tempestate *cæpere* se *quisque* extollere; » magisque Plautus, Stich. act. II, sc. 2, v. 46 :

Alius alium *percontamur.*

Gellius, l. XI, c. 7 : « *Aspexerunt omnes* qui aderant, alius alium. » Seneca, ep. 7, 9 : « Hæc, inquit, ego non multis, sed tibi, satis enim magnum *alter* alteri theatrum *sumus.* » Plinius, l. XI, c. 36, 2 : « Ex diverso *convehunt altera* alterius ignara. » Hæc, inquam, et alia id genus *implicitam prolepsin* quidam vocant, in qua scilicet aliquid deest, totum nimirum aut partes. Donatus ait esse priscam orationem.

Terentius, Adelph. act. IV, sc. 4, v. 637 :

. . . . . *Aperite aliquis* actutum ostium.

« Vim pluralem, idem inquit, habet *aliquis*, quamvis singulariter dicatur : non est enim aliquis nisi de multis; recte ergo *Aperite aliquis*, et nove : nam non placet illud ubi duæ distinctiones sunt, unde *aperite* est una; altera, *aliquis actutum ostium;* ut assumatur rursus *aperiat*. Proprie enim veteres et *quis*, et *aliquis*, et *quisquam* non observabant quo genere aut numero declinarent; est ergo figura ἀρχαϊσμός. » Hæc ille. Quod si id verum est, idem de nominibus *alter, alius, uter, neuter,* quæ cum verbis pluralis numeri junguntur, ut initio hujus libri diximus, sentiendum est.

ARCHAISMOS

426. *Archaismos* constructio est qua prisca vetustas potissimum usa fuit. Terentius, Eunuch. act IV, sc. 3, v. 649 :

Nescio quid profecto, *absente nobis*, turbatum est domi.

Idem, ibidem, act. II, sc. 1, v. 222 :

Ejiciunda hercle est mollities animi; nimis *me indulgeo*.

Plautus, Mil. act. V, v. 18 :

Jura te non *nociturum* esse *hominem* de hac re neminem (1).

Cicero, Verr. act. II, l. V, c. 65, 167 : « Hanc sibi *rem* præsidio sperant *futurum*. »

Multa hujus generis inveniuntur apud Plautum. Aulul. act. II, sc. 2, v. 67 :

. . . . . Fastidit *mei*.

Idem, Pers. act. IV, sc. 6, v. 7 :

Lucro faciundo ego *auspicavi*.

Menæchm. act. IV, sc. 1, v. 12 :

. . . . . Ex insidiis *aucupa*.

Trinum. act. IV, sc. 1, v. 20 :

Quibus ærummis *deluctavi*.

Asin. act. III, sc. 1, v. 35 :

Meum caput *contemples*.

Trucul. act. I, sc. 2, v. 36 :

. . . . . Ego *expedibo*.

(1) Vid. supra, n. 285.

Amphitr. act. I, sc. 1, v. 83 :

Sed fugam in se tamen nemo *convertitur*.

Bacch. act. IV, sc. 4, v. 28 :

Occidi ! animus jam istoc dicto plus *præsagitur* mali.

Ibid.; apud Non. Marc., c. 7, 59 :

Prænestinum *opino* esse.

Sic *certatur*, *adjutatur*, pro *certat*, *adjutat* apud Pacuvium, ibid., 43 et 83. Turpilius, ibid., c. 9, 14 : « At scies ea *quæ* fuisti *inscius*. » Idem, ibid., 5 : « Meos *parentes careo*. » Pomponius, ibid., 11 : « Quod *lætitias* insperatas modo mihi irrepsere in sinum; » accusativus pro nominativo. Num illud Ciceronis, Verr. act. II, l. IV, c. 5, 9, huc spectat : « Sanxerunt ne quis emeret *mancipium*, nisi in demortui locum. Si *qui* Romæ esset *demortuus?* Immo si quis ibidem. » Qui plura volet, legat Non. Marcellum, Festum, et reliquos priscæ vetustatis indagatores.

HELLENISMUS

427. *Hellenismus* est constructio quæ græci sermonis leges, non latini, observat. Lucceius ad Ciceronem, Fam., l. V, ep. 14, 1 : « Si solitudine delectare, cum

scribas et aliquid agas eorum *quorum consuevisti*, gaudeo. » Virgilius, Eclog. V, v. 8 :

Montibus in nostris solus *tibi certet* Amyntas.

Idem, Eclog. III, v. 80 :

Triste lupus stabulis; maturis frugibus *imbres*.

Ibidem, v. 82 :

Dulce satis *humor;* depulsis *arbutus* hædis.

Idem, Æn. I, v. 589 :

*Os humeros*que Deo *similis*.

Idem, Æn. II, v. 721 :

Hæc fatus, latos *humeros* subjectaque *colla*
Veste super fulvique *insternor* pelle leonis.

De hellenismis agit Priscianus libro XVII copiose. Et Budæus in Comment. linguæ græcæ, pp. 1000, 1055. Thomas Linacer, in libro VI, p. 389, de Emend. construct. — Quod vero ad proposita exempla attinet, relativum apud Græcos etiam in casu cum antecedente consentit; ob quam causam Lucceius *quorum* pro *quæ* dixit. Certandi verba apud eosdem dandi casu gaudent; unde *bello, contendo, pugno, certo* apud poetas cum dativo leguntur. — Iidem neutrum nomen singularis numeri cum masculinis et femininis utriusque numeri jungunt, quos Virgilius imitatus, dixit *triste lupus, triste imbres, dulce humor, dulce arbutus*. Vide Budæum in Comment. linguæ græcæ, p. 1055. Virgilius, Æn. III, v. 594 :

. . . . . *Cætera Graius;*

et Georg. III, v. 84 :

. . . . . Et *tremit artus*.

Horatius, II, sat. 7, v. 58 :

. . . . . *Tremis ossa* pavore.

Ibidem, v. 38 :

. . . . . *Nasum* nidore *supinor*.

Virgilius, Æn. XII, v. 120 :

. . . . . Verbena *tempora vincti*.

Hoc hellenismo utuntur poetæ, et interim historici, ut supra diximus, cum de ablativo partis egimus, ubi exempla invenies. Diomedes, l. II, p. 435, *nuda genu* hellenismum vocat.

Quidam hanc figuram *synecdochen*, hoc est *eclipsin*, appellant; nam synecdoche, ut paulo ante diximus, tum tropum, tum eclipsin significat; deest autem in his locutionibus præpositio græca κατά, id est, *secundum*.

Ad hellenismum etiam hæc spectant. Terentius, Eunuch. act. III, sc. 5, v. 545 :

. . . . . Visam *si* domi *est;*

pro *an sit*. Horatius, III, ode 27, v. 70 :

Abstineto *irarum;*

pro *ab iris*. Illud etiam in Verr., in Q. Cæcil. Divin., c. 13, 41 : « Cum *illius temporis* mihi venit in mentem, » credit Priscianus, l. XVII, p. 1101, esse hellenismum, pro *illud tempus*. — Illud Terentii, Andr. act. III, sc. 10, v. 1 :

Ubi illic est *scelus qui* me perdidit?

et ibidem, act. V, sc. 2, v. 845 :

. . . . . *Scelus*
Quemnam hic laudat?

ait Budæus, p. 1048, a Græcis esse sumptum. —

Huc etiam spectant illa Terentii, Eunuch. act. IV, sc. 3, v. 657 :

. . . . . Ego *illum* nescio
Qui fuerit.

Ibidem, act. V, sc. 9, v. 1034 :

. . . . . Scin' *me* in quibus sim gaudiis?

Ibidem, act. III, sc. 6, v. 610 :

. . . . . Metuo *fratrem*,
Ne intus sit, et metuo *patrem* (1), ne rure redierit.

In his enim et similibus latini sermonis ratio potius nominandi quam accusandi casum amat : Metuo ne *frater* sit intus; ne *pater* rure redierit, etc. Sed hæc hactenus; cætera ab iis quos paulo ante dixi, sunt petenda.

(1) Rob. Steph., edit. Delph., etc. Lemaire et Teubner :

. . . . . Metuo *fratrem*
Ne intus sit; porro autem *pater* ne rure redierit jam.

DE BARBARISMO

428. *Barbarismus* est dictio aut omnino barbara; aut latina quidem, sed vitiosa scripto vel pronuntiatione.

Barbara omnino et peregrina, ut *perla* pro *unione*, *aviso* pro *admoneo*, et alia generis ejusdem.

Latina dictio vitiosa fit pluribus modis :

Per genera, ut *gladia* pro *gladii*;

Per numeros, ut *scopa* pro *scopæ*; *tritica* pro *triticum*;

Per declinationem, ut *fames*, *famei* pro *famis*; *vasibus* pro *vasis*.

Per conjugationem, ut *stavi* pro *steti*, *legebo* pro *legam*, *veneravi* pro *veneratus sum*.

Divisione, cum dividimus conjuncta, ut *siluæ*, *dissoluo* quatuor syllabarum, pro *silvæ*, *dissolvo* trium.

Complexione, cum divisa conjungimus, ut *Phæton* pro *Phaeton*.

Adjectione literæ, ut *relliquiæ* gemino *l* pro simplici, *alituum* pro *alitum*; — syllabæ, ut *dicier* pro *dici*, *Mavors* pro *Mars*; — aspirationis, ut *hinsidiæ*, cum scribendum sit sine aspiratione; — temporis, cum syllabæ brevi quæ unum habet tempus, additur alterum ut fiat longa, ut *Ītalia*, prima longa pro brevi.

Detractione literæ, ut *peculi* pro *peculii*; — syllabæ, ut *temnere* pro *contemnere*; — aspirationis, ut *odie* pro *hodie*; — temporis, cum syllabæ longæ quæ duo habet tempora, unum detrahitur ut fiat brevis, ut *unĭus*, *afflĭgit*, media brevi pro longa.

Immutatione, cum litera una aut syllaba pro alia ponitur, ut *olli* pro *illi*.

Transmutatione, cum litera aut syllaba e suo loco in alienum transfertur, ut *interpetror* pro *interpretor*.

Fiunt denique barbarismi tenore, cum accentu alio pro alio utimur, ut si præpositiones a suis casibus separemus, easque tenore acuto vel inflexo pronuntiemus, ut *ád éum*, *áb íllo*, *á qúibus*, *círcum líttora*; cum gravi accentu, dissimulata distinctione, simul cum suis casibus pronuntiandæ sint, tanquam si una esset vox.

Peregrini in Græciam profecti, cum græce loqui conarentur, atque in voces absonas, ut aiunt βαρ, βαρ, *bar*, *bar* sæpius prorumperent, *barbari* dicti sunt, unde vitium posteri *barbarismum* dixerunt. De etymo hujus nominis multa Strabo, l. XIV, p. 661. Gellius, l. XIII, c. 6 : « Quod nunc autem barbare quem loqui dicimus, id vitium sermonis, non barbarum esse, sed rusticum ; et cum eo vitio loquentes rustice loqui veteres dictitabant. P. Nigidius in Commentariis grammaticis : Rusticus fit sermo, inquit, si aspires perperam. Itaque id vocabulum, quod dicitur vulgo *barbarismus*, qui ante Divi Augusti ætatem pure atque integre locuti sunt, an dixerint, nondum equidem inveni. » Hæc Gellius.

Barbarismus, ut Quintilianus, l. I, c. 5, 6, docet, pluribus modis accipitur : *gente, animi natura, adjectione, detractione, immutatione, transmutatione, per genera, per numeros, divisione, complexione, spatio, aspiratione, tenore. Gente,* ut si quis Afrum vel Hispanum latinæ orationi nomen inserat. A Diomede, l. II, p. 446, et Donato, de Barbar., p. 1767, vox barbara et peregrina βάρβαρα λέξις, hoc est, *barbara dictio,* appellatur, non *barbarismus.* — *Animi natura,* ut is a quo insolenter quid, aut minaciter, aut crudeliter dictum sit, barbare locutus existimetur. Idem Quintilianus, l. I, c. 5, 16, affirmat barbarismum fieri *per genera et numeros :* « Absurdum, inquit, forsan videatur dicere barbarismum, quod est unius verbi vitium, fieri per numeros aut genera, sicut solœcismum ; *scala* tamen et *scopa,* contraque *hordea* et *mulsa,* licet literarum mutationem, detractionem, adjectionem non habeant, non alio vitiosa sunt, quam quod pluralia singulariter, et singularia pluraliter, efferuntur. Et *gladia* qui dixerunt, genere exciderunt. » Hæc ille. Itaque fit solœcismus *per numeros,* cum partes orationis non consentiunt numero ; *per genera,* quando adjectivum et substantivum genere discrepant. Barbarismus per eadem fit, sed aliter ; cum nimirum inusitatum aut genus aut numerum nominibus tribuimus. — Fit etiam *per declinationem,* si Αἴας, Αἴου, hoc est, *Ajax, Ajaci* declines ; vide Magnum Etymol. — Barbarismum *adjectione* vel *detractione temporis* appellat Quintilianus, ibid., 18, *barbarismum spatio.* Tempus enim spatium est quo syllaba pronuntiatur. — Idem separatim egit, 19, de barbarismo *aspirationis,* quia sunt qui putent sono tantum et pronuntiatione hunc barbarismum fieri, cum, ut iisdem placet, *h* nota sit aspirationis, non litera. Idem, eodem loco, 27, docet præpositiones simul cum suis casibus, perinde ac si una tantum esset vox, pronuntiandas esse. « Cum dico, inquit, *circum littora,* tanquam unum enuntio, dissimulata distinctione ; itaque tanquam in una voce una est acuta. Quod idem accidit in illo :

. . . . . Trojæ qui primus ab oris. »

Hæc ille.

Accidunt et vitia *per sonos,* ut idem inquit, 32, quæ demonstrari scripto non possunt, ut ἰωτακισμὸς, λαμβδακισμός, vitia oris et linguæ : *iotacismus* est cum *i* litera supra justum decorem in dictionibus extenditur ; *lambdacismus,* cum *l* plenius æquo pronuntiatur. Vide Diomedem, l. II, p. 448, qui et *metacismum* addidit ; is fit, ut idem docet, cum *m* litera in fine dictionis pronuntiatur sequente vocali, ut *Quousque tandem abutere ;* fit enim barbarismus si tum pronuntiatur *m.* Quidam putant fieri iotacismum si plures dictiones ab *i* litera incipiant ; verum cum id vitium scripto demonstrari possit, non huc spectat, si Quintiliano credimus.

ADMONITIO

429. Puer cum leget apud Virgilium, Eclog. I, v. 33 :

Nec spes libertatis erat, nec cura *peculi*,

aut, Æn. II, v. 34 :

Troas, *relliquias* Danaum atque immitis Achillei ;

aut, ibidem, VIII, v. 27 :

Alituum pecudumque genus sopor altus habebat;

aut, ibidem, I, v. 2 :

Italiam fato profugus Lavinaque venit
Littora;

aut, ibidem, v. 41 :

Unius ob noxam et furias Ajacis *Oïlei*;

cum hæc, inquam, et similia leget, ne putet principem poetarum barbarismum fecisse. Multa enim poetis permittuntur quæ cæteris scriptoribus denegantur; neque miretur si apud M. Tullium, oratorum principem, *liberum*, *sestertium*, *cognoram*, *norunt* aliasque id genus verborum imminutiones offenderit; neque enim barbarismi sunt detractione, si quidem a consuetudine, certissima loquendi regula, impetratum est ut etiam oratoribus sic loqui liceret.

Queritur, l. I, c. 5, 11, Quintilianus de grammaticis, qui in jactationem eruditionis exempla barbarismi sumunt ex poetis, eosque auctores quos prælegunt criminantur. Deinde subjicit : « Scire autem debet puer hæc apud scriptores carminum aut venia digna, aut etiam laudi duci. »

QUID INTER BARBARISMUM ET SOLŒCISMUM INTERSIT.

430. Barbarismus fit in singulis verbis, solœcismus in contextu vel complexu orationis. Barbarismus dictionem unam fœdat; solœcismus compositionem corrumpit. Barbarismus est dictio una aut peregrina aut latina quidem, sed corrupta; solœcismus est vitiosa compositio. Itaque in solœcismo singulæ voces sunt latinæ, sed inter se discrepantes et contra grammaticæ præcepta compositæ. Dicet fortasse aliquis : Non *egeo* tuam *admonitionem ;* Pervolutavi omnia *scripta Ciceroni,* barbarismos esse, non solœcismos. Illic enim tantum adjicitur *m* litera; hic vero, *s* detrahitur. Verum, si utriusque vitii definitionem diligenter inspicias, facile intelliges solœcismos esse. Nam cum verba *admonitionem, Ciceroni,* latina sint, atque adeo bene latina, nullus relinquitur locus barbarismo, qui, ut diximus, aut est dictio barbara, aut latina quidem, sed vitiosa scripto aut pronuntiatione. Superest igitur videndum num orationis partes inter se consentiant, quemadmodum recta ratio grammaticæ postulat. Hoc *gladium* est *meum; Cœlus* est *serenus,* barbarismi tantum sunt per genera, ut ante dictum est. *Irasco* tibi, *persequo* te, barbarismus itidem est detractione literæ. *Doceo a te,* solœcismus. — At barbarismus, inquies, est detractione *r* literæ, ut *irasco tibi, persequo te.* Non recte putas : hic enim solœcismus est per genera, si quidem ponitur activum verbum pro passivo; illic non permutantur genera verborum, sed corrumpitur tantum vox latina detractione unius literæ. Quid? Misisti ad me magnum *libellum;* Tuum *peculiolum* est magnum; estne barbarismus an solœcismus? Videtur solœcismus, cum permutentur quæ sunt ejusdem partis; ponitur enim nomen diminutum pro integro. Respondet Quintilianus eodem capite, 46, his verbis : « Erunt qui solœcismum putent, quia pro nomine integro positum sit diminutum. Ego dubito an id *improprium* potius appellem, significatione enim deerrat. Solœcismi porro vitium non est in sensu, sed in complexu. » Hæc ille.

QUID INTER METAPLASMUM ET SOLŒCOPHANES INTERSIT.

431. Poetis, quia plerumque metro servire coguntur, adeo ignoscitur, ut vitia ipsa aliis in carmine appellationibus nominentur : *metaplasmus* enim appellatur in carmine, qui in prosa oratione *barbarismus* dicitur. Itaque laudem virtutis necessitati damus. Metaplasmi species quatuordecim aut quindecim plus minus sunt, de quibus cum de carminum dimensione egerimus. Solœcismus semper vitium est, tum in ligata, tum in soluta oratione, si ab aliquo per imprudentiam fiat : est enim vitium ab ignoratione et inscitia profectum. Si vero in carmine aut soluta oratione legatur aliquid quod solœcismi faciem habere videatur, non solœcismus, sed *solœcophanes* vocabitur. *Solœcophanes*, ut vox ipsa declarat, speciem quidem solœcismi præ se fert, solœcismus tamen non est. Terentius, Andr. act. III, sc. 10, v. 1 :

> Ubi illic est *scelus qui* me perdidit?

Idem, Eunuch. act. II, sc. 4, v. 302 :

> Ut illum dî deæque omnes *senium* perdant, *qui* hodie [me remoratus sit.

Antecedens utrobique, ut vides, neutrum est; relativum, masculinum. Si relativi et antecedentis leges audiendæ sunt, solœcismus videtur; est tamen schema, sive figura, quæ syllepsis dicitur, ut placet Donato, in Ter. : « Respexit enim poeta ad intellectum, non ad verba; siquidem intelligitur *scelestus* et *senex*, cum quibus relativum *qui* consentit. » Alii *enallagen*, alii vero *hellenismum* hoc solœcophanes vocant. Excogitata itaque sunt nomina vitiis proxima, quibus mollirentur peccata quæ poetæ aut oratores scientes, prudentes, contra grammaticorum leges commisissent. Eustathius, ut supra diximus, figuras hujus generis σολοικοφανῆ σχήματα appellat, hoc est, schemata sive figuras quæ faciem solœcismi habent.

ADMONITIO

432. Caveant adolescentes ne viros doctos barbarismi aut solœcismi accusent, neve latinæ linguæ amplissimos fines Nizolii observationibus metiantur : facile namque decipientur; existimabunt enim *adjutorium* aliaque id genus non pauca, quæ apud Ciceronem nusquam sunt, barbarismos esse : videntur enim hæc prima specie barbara, cum eis tamen Quintilianus atque alii viri docti utantur; cum item multa verba varie ab eruditis hominibus scribantur, cujusmodi sunt *letum, lethum; lacrimo, lachrymo; autor, auctor, author; Vergilius, Virgilius; littus, litus; litera, littera; imo, immo;* ne putent errore esse factum, si quando hæc et similia aliter scripta offenderint quam ipsi didicerunt. Jam vero solœcismi notam iisdem inurere tanto magis verebuntur, quanto fœdius est vitium. *Punitus es inimicos tuos. Videtur Aristotelem multa obscure tradidisse. Gravissime me nocuisti;* non male latine dicuntur. At quis, obsecro, hæc ferret, nisi Oratio pro Milone, c. 13, 33, exstaret, in qua est : « *Inimicissimum.... punitus es* (1)? » Quis non affirmaret solœcismum esse : *Videtur Aristotelem multa obscure tradidisse,* nisi idem Cicero, Tuscul., l. V, c. 5, 12, dixisset : « Non mihi *videtur* ad beate vivendum *satis posse virtutem;* » et Gellius, l. XIX, c. 8 : « *Videtur*ne tibi, inquit, *C. Cæsarem* (2) de statu verbi contra te satis aperte satisque constanter *pronuntiasse?* » Idem, l. I, c. 6 : « *Videbatur* quibusdam *Metellum Censorem,* cui consilium esset, ad uxores ducendas populum hortari, *non oportuisse* neque de molestia incommodisque perpetuis rei uxoriæ confiteri; neque adhortari magis esse quam dissuadere. » *Nocere* non solum accusativo junxit Plautus, sed etiam Seneca, l. IV Controv., ultima controversia : « Dum filium vindico, ubi *me* gravissime *nocere* possit, ostendit. »

(1) Ita Orellius, multas varietates annotans; Teubner : *pœnitus es.*

(2) Stephan., Gronov. et Teubner habent *Cæsar.*

Quam multa olim bene latine dicta sunt, quæ hodie barbare atque rustice dici putantur, cum reperta lectaque fuerint apud eos qui Constantini Cæsaris ætate vel proximo seculo scripserunt, quod apud Ciceronem, Cæsarem, Quintilianum aliosque qui modo exstant, non legantur. Quasi vero non fuerint eodem tempore refertæ bibliothecæ optimis scriptoribus, quorum vix nomina modo supersunt. Sed hæc hactenus.

OBSCURÆ ORATIONIS VITIA

433. Verba inusitata et a consuetudine quotidiani sermonis remota obscuritatem et tenebras orationi afferunt; ut si quis *oppido* pro *valde* dicat, *averruncare* pro *avertere*.

Eamdem obscurat vitium quod a Græcis *acyron*, a Latinis *improprium* dicitur, ut *sperare* pro *timere*. Virgilius, Æn. IV, v. 419 :

Hunc ergo si potui tantum *sperare* dolorem.

Item *ambiguitas*, quæ *amphibolia* græce appellatur, idque vel in uno verbo, ut : *Taurus* animal sit, an mons, an signum in cœlo, an nomen hominis, an radix arboris, nisi distinctum non intelligetur; — vel in sermone, ut : *Audivi Chremetem percussisse Demeam.*

Obscuratur præterea oratio, cum sermoni deest aliquid, quominus plenus sit : μείωσις, *meosis*, hoc est, *diminutio;* vel contra, cum inani verborum turba atque copiosa loquacitate obruitur oratio, *perissologiam* vocant.

Impeditur denique sermo quominus dilucidus sit, si longa parenthesis interjiciatur; aut si verba confusa permixtaque longius trajiciantur. Horatius, l. 1, sat. 5, v. 49 :

Namque pila lippis inimicum et ludere crudis.

Rectus enim ordo est : *Namque pila ludere inimicum est lippis et crudis;* quod vitium *synchysis* vel *hyperbaton* obscurum, hoc est, confusa ac perturbata verborum transgressio vocatur. Si hæc vitia vitabimus, dilucida erit oratio.

APPENDIX.

434. Cum orationis structura decoris gratia variatur, neglecto simplici sermonis ordine, non vitium est, sed virtus, quæ *hyperbaton* appellatur, id est, *transgressio verborum.*

Cicero, pro Cluent., c. 1, 1 : « Animadverti, judices, omnem accusatoris ora-

tionem *in duas divisam esse partes.* » *In duas partes divisam esse* simplex erat ordo, sed durus et incomptus.

HYPERBATI ALIQUOT SPECIES.

Hyperbati sive transgressionis aliquot sunt species. *Anastrophe* est duorum verborum ordo præposterus, ut *mecum, secum, tecum, nobiscum, quibus de rebus.* Anastrophe illa : *Urbem quam statuo vestra est; Eunuchum quem dedisti nobis; Quas turbas dedit,* pro : *Quam urbem statuo; Quem eunuchum dedisti nobis,* admodum dura est.

Tmesis est cum verbum compositum dividitur, aliqua dictione interposita. Cicero, Att., l. V, ep. 10, 4 : « *Per* mihi *gratum* erit, si id curaris ad me perferendum. » Idem, de Senect., c. 4, 12 : « Omnia memoria tenebat, *non* domestica *solum,* sed etiam externa bella. » Ejusdem generis sunt illa : *Rem* vero *publicam* penitus amisimus. Præclarum est pro patria *Re*que *publica* mortem oppetere.

Parenthesis est brevis sensus sermoni, antequam absolvatur, interjectus. Cicero, in M. Anton., Phil. III, c. 11, 27 : « O præclarum custodem ovium (*ut aiunt*) lupum. » Livius, l. XXII, c. 14 : « Tantum (*proh dolor!*) degeneramus a parentibus nostris (1). »

De vitiis obscuræ orationis agit Quintilianus l. VIII, c. 2; Diomedes, l. II, p. 444, in quibus enumerat *tautologiam, macrologiam, pleonasmon,* quæ inornatæ orationis sunt vitia, ut Quintilianus eodem libro, c. 3, 50, 53, docet. Eclipsin numerat idem Diomedes inter eadem vitia, cum ait esse defectum necessariæ dictionis, ut :

> *Italiam* fato profugus, Lavinaque venit
> *Littora.*

Deest enim præpositio *ad* vel *in.* Quintilianus, l. VIII, c. 3, 50, ubi de vitiis inornatæ orationis agit, μείωσιν, *meosin*, appellat. « Vitanda, inquit, et μείωσις cum sermoni deest aliquid quominus plenus sit; quanquam obscuræ potius quam inornatæ orationis vitium est. Sed hoc quoque cum a prudentibus fit, schema dici solet. » Hæc ille.

Cum prudentes ac eruditi scriptores subtrahunt verbum aliquod orationi, quod satis ex cæteris intelligitur, schema est, sive figura per detractionem, quæ *synecdoche* vocatur, ut idem Quintilianus ait l. IX, c. 3, 58, ut : « *Stupere gaudio Græcus.* Simul enim auditur verbum *cœpit.* » Ibid., 60, quid inter synecdochen et aposiopesim intersit apertissime docet. Μείωσιν, meosin, videtur appellasse Quintilianus, l. VIII, c. 6, 21, *eclipsin :* « Quidam, inquit, συνεκδοχὴν vocant, cum et in contextu sermonis quod tacetur, accipimus. Verbum enim ex verbo intelligitur, quod inter vitia *eclipsis* vocatur. » Idem, l. I, c. 5, ubi de tribus formis solœcismi egit, *adjectione, detractione, transmutatione*, subjecit, 40 : « Hæc tria genera quidam diducunt a solœcismo, et adjectionis vitium, πλεονασμὸν; detractionis, ἔλλειψιν; inversionis, ἀναστροφὴν vocant; quæ si in speciem solœcismi cadant, ὑπέρβατον quoque appellari eodem modo posse. » Hæc ille. Itaque fuerunt qui crederent quatuor esse solœcismi species, alii vero solœcismum qui adjectione fieret, *pleonasmon* appellarunt, quod vitium est inornatæ orationis, ut mox dicemus; qui detractione, *eclipsin,* quod obscuræ orationis vitium est; qui denique transmutatione, *anastrophen,* id est, inversionem : qui in hac sententia fuerunt aiebant hyperbaton eodem modo appellandum esse solœcismum, si concederemus vitia quæ adjectione, detractione, transmutatione fierent, species esse solœcismi.

(1) Recentiores omittunt *dolor*; vide n. 409.

Diomedes, l. II, p. 447, non numerat inter species solœcismi vitia orationis quæ adjectione et detractione fiunt. Idem Diomedes, *Urbem quam statuo vestra est*, ait esse solœcismum, cum positus sit accusandi casus pro nominandi. Nobis videtur anastrophe, tametsi durior. Duas præterea species hyperbato subjiciunt grammatici : *synchysin*, quam inter vitia numeravimus, et *hysterologiam* sive ὕςερον πρότερον, cum, ut inquit Diomedes, sensus ordo præposterus redditur. Virgilius, Æn. II, v. 353 :

. . . . . Moriamur, et in media arma ruamus;

pro : In media arma ruamus, et moriamur.

INORNATÆ ORATIONIS VITIA

435. *Cacophaton* est obscœnum dictum, sive id uno verbo, sive pluribus, sive deformi literarum concursu fiat.

Tapinosis est, qua rei magnitudo vel dignitas minuitur; ut siquis parricidam *hominem nequam* vocet.

Tautologia est ejusdem verbi aut sermonis iteratio; verbi, ut : Nam *cujus rationis ratio* non exstat, *ei rationi ratio* non est fidem habere. Sermonis, ut : *Ibant qua poterant; quo non poterant, non ibant.*

Vitanda est et nimia ejusdem literæ assiduitas, ut : *Quidquam quisquam cuiquam quid* convenit neget?

Macrologia est longior quam oporteat sermo. Livius, apud Quintilianum, l. VIII, c. 3, 53 : « Legati, non impetrata pace, *retro domum unde venerant abierunt.* »

Pleonasmos est vitium cum supervacuis verbis oneratur oratio, ut : *Ego meis oculis vidi;* satis est enim *vidi.* — Cavendum etiam diligenter est ne consonantes aspere concurrant, ut *s* ultima cum *x* proxima, ut : *Exercitus Xerxis.* Durior etiam fit concursus, si utraque se ipsam sequatur, ut : *Ars studiorum; rex Xerxes.*

Vitandi et crebri vocalium concursus, quæ vastam et hiantem orationem reddunt, ut : *Baccæ æneæ amœnissimæ impendebant; Viro optimo obtemperasti olim.*

Illud quoque vitium est, si multæ voces ejusdem exitus in unum locum congerantur, ut : *Flentes, plorantes, lacrymantes, obtestantes.* Et si verbi prioris ultimæ syllabæ sint primæ sequentes, ut : O fortu*natam natam* me consule Romam!

APPENDIX.

436. Si quando puer apud graves oratores aliquid offenderit, quod supervacaneum atque otiosum esse videatur, ne id sine causa factum esse putet. Adduntur enim interdum quædam affirmationis gratia. Terentius, Adelph. act. III, sc. 2, v. 330 :

. . . . . *Hisce oculis* egomet vidi.

Virgilius, Æn. IV, v. 359 :

. . . . . Vocemque *his auribus* hausi.

Adduntur et alia quæ aut consuetudine, aut auctoritate, aut vetustate, aut necessitate denique excusantur. Cicero ad Att., l. V, ep. 10, 4 : « Ubi *terrarum* esses ne suspicabar quidem. » Idem ad eumdem, l. VI, ep. 3, 1 : « Abes longe *gentium.* » Idem ad eumdem, l. IX, ep. 3, 2 : « *A* Brundusio nulla adhuc fama venerat. » Idem, de Senect., c. 4, 10 : « Adolescentulus miles *ad* Capuam profectus sum. » Idem, Verr. act. II, l. I, c. 47, 123 : « Cæteri hæredes adeunt *ad* Verrem. » Idem, ad Quint. Fr., l. III, ep. 3, 1 : « Diem scito esse nullum, quo *die* non dicam pro reo. » Idem, Verr. act. II, l. I, c. 47, 123 : « Impetrant *ut* ne jurent. » Idem Marcello, Fam., l. XV, ep. 10, 2 : « Frater tuus quanti me faciat semperque fecerit, esse *hominem* qui ignoret arbitror neminem. »

Ut proprium oratorum est ornate apteque dicere, ita eorum est de *inornatæ* orationis vitiis agere. Verum quoniam grammatici etiam hanc partem attigerunt, non putavimus omnino prætermittendam esse intactam; quanquam ipsi eam non *inornatam,* sed *inordinatam* appellant. Diomedem, l. II, p. 443, certe arbitror *inornatum* scriptum reliquisse, quomodo Quintilianus solet vocare, l. VIII, c. 3, 50, ubi de ejus vitiis agit. « Vitanda, inquit, et μείωσις, cum sermoni deest aliquid quominus plenus sit; quanquam id obscuræ potius quam *inornatæ* orationis vitium est. » Primi vitii exemplum consulto prætermisimus; quod nec Cicero, nec Quintilianus, pudore impediti, sine circuitione ausi sunt apponere. Multo plura vitia detegit idem Quintilianus, quæ adolescentes cum ad artem bene dicendi gradum fecerint, cognoscent. Qui enim fieri potest ut modo intelligat quid sit ἀνοικονόμητον, ἀσχήματον, κακοσύνθετον, hoc est, quod male dispositum, figuratum collocatumque est, cum quid *disponere,* quid *figurare,* quid *collocare* sit, prorsus ignorent? Tropi etiam atque schemata, seu figuræ tum verborum, tum sententiarum, quibus oratio ipsa in primis ornatur, ab eadem arte sunt petendæ. Satius enim multo est hæc non attingere, quam de iis jejune agere.

Relinquant itaque grammatici hanc partem rhetoribus, atque illud potius observent, interrogandi casus *terrarum, gentium,* præpositionesque propriis locorum nominibus etiam a Cicerone interdum addi; eumdem verborum præpositiones nonnunquam rursus casibus apponere, nomenque antecedens non solum relativo præponere, sed etiam subjungere; *ut ne* apud eumdem frequentissime reperiri; *nemo homo* aliquando, cum *ut* et *homo* supervacanea esse videantur. Multa præterea ejusdem generis apud eumdem aliosque viros doctos reperient, si eos diligenter evolverint.

Poetis dabunt veniam, si quando aliquid addiderint, quod plane otiosum videbitur, cujusmodi est illud Virgilii, Æn. V, v. 467 :

. . . . . Dixit*que* et prælia voce diremit.

Idem, Æn. I, v. 61 :

. . . . . Molem*que* et montes insuper altos
Imposuit.

Utrobique enim conjunctionem *que* metri necessitate constrictus, addidit.

DE INSTITUTIONE GRAMMATICA

LIBER TERTIUS

DE SYLLABARUM DIMENSIONE

437. Syllabæ fiunt vel ex una vel pluribus literis, ut *i-e-runt*.

Literæ partim sunt vocales, partim consonantes.

Vocales sunt sex : *a*, *e*, *i*, *o*, *u*, *y*.

Ex vocalibus fiunt sex diphthongi : *æ*, *au*, *ei*, *eu*, *œ*, *yi*, ut : *præmium*, AU*rum*, *h*EI, EU*ropa*, *pœna*, *Harp*YIA.

In diphthongis *a*, *o*, *y* semper sunt principes; *i* et *u* semper subditæ; *e* et præit et subit.

Consonantes in *mutas* et *semivocales* dividuntur.

Mutæ sunt octo : *b*, *c*, *d*, *g*, *k*, *p*, *q*, *t*.

Semivocales itidem octo : *f*, *l*, *m*, *n*, *r*, *s*, *x*, *z*.

Ex quibus quatuor sunt liquidæ : *l*, *m*, *n*, *r*.

M tamen et *n* raro liquescunt, idque in græcis tantum dictionibus, ut *Tec*MESSA, *Cyg*NUS.

Duo *x* et *z* sunt duplices, hoc est, valent duas consonantes : *x*, *cs* vel *gs*, ut *du*x, *re*x. Veteres *z* per duplex *ss* reddebant, ut *massa*, *patri*sso, *piti*sso.

F, præposita liquidis *l* et *r*, vim habet mutæ.

S, quamvis immunis ac sui juris sit (neque enim inter liquidas aut duplices numeratur), interdum tamen liquescit, ut suo loco dicemus.

H sitne litera an aspirationis nota, dubium controversumque est.

I inter duas vocales posita consonans est, atque duplex *i* valet, ut *maior*, *peior*; veteres *i* geminabant : *maïjor*, *aijo*, *Maija*.

I et *u*, cum vocalibus præponuntur easque comprimunt, fiunt consonantes, ut : I*anua*, I*ecur*, *conijcio*, I*ocus*, I*udex*; U*ates*, U*elox*, U*ita*, U*ox*, U*ultus*.

Iota Græcorum nunquam est consonans; quare in I*ason*, I*ambus*, I*aspis* et cæteris quæ plane sunt græca, prima vocalis est.

Iod apud Hebræos semper consonans est, cum vocalibus præponitur, ut : I*esus*, I*oannes*, I*acobus;* itaque qui hæc atque alia ejusdem generis nomina per *I* consonantem efferunt, optime quidem pronuntiant; qui vero per vocalem, Græcos imitantur.

U post *q* literam semper liquescit, ut *quare*, *quæro*, *quia*, etc. At post *g* et *s* modo liquescit, ut *lingua*, *langueo*, *anguis*, *extinguo*, *suadeo*, *suavis;* modo integra est suamque vim retinet, ut *exiguus*, *suus*.

Literæ liquescunt cum vim roburque vocalis aut consonantis amittunt.

Syllabarum omnium brevitas et longitudo etiam imperitæ multitudini olim nota fuit. Erat enim certus sonus, quo vocales longas a brevibus nullo negotio separabat. Id quod Cicero in Oratore, c. 51, 173, apertissime docet : « In versu quidem, inquit, theatra exclamant, si fuit una syllaba aut brevior, aut longior. Nec vero multitudo pedes novit, nec ullos numeros tenet; nec illud quod offendit, aut cur, aut in quo offendat, intelligit; et tamen omnium longitudinum et brevitatum in sonis, sicut acutarum graviumque vocum judicium, ipsa natura in auribus nostris collocavit. » Hæc ille. Hodie ne docti quidem et qui omnem ætatem in literis consumpserunt, *a* longum a brevi sono possunt distinguere; eodem enim modo *malum*, et *arborem* et *hominem* sonant. Quis vel peritissimus *vĕnit*, *lĕgit* præsens a præterito *vēnit*, *lēgit; fĭdi*, *mŏri*, *dŭci* verba a nominibus *fīdi*, *mōri*, *dūci* hodie pronuntiatione separat? Cum igitur veram illam germanamque pronuntiandi rationem funditus amiserimus, a poetis syllabarum peritia nobis necessario petenda est. Verum, quoniam fieri non potest ut omnes memoria teneamus, traduntur a grammaticis præcepta, quibus si frequens optimorum poetarum lectio, assidua exercitatio ac diligens imitatio accedat, brevi non solum syllabarum dimensionem assequemur, sed etiam carmina componemus. Quæ præcepta more veterum non ligata, sed soluta oratione scripsimus, quod plerique omnes etiam hac tempestate faciunt, idque summo jure. Quid enim attinet præcepta carminibus involuta pueris ediscenda proponere? Nonne multo facilius percipient, si, verbi causa, dicas : Vocalis ante vocalem brevis est, ut *mĕus*, *tŭus;* diphthongus longa est, *prœmium;* quam si uno aut altero versu hæc eadem involvas et obscures, quos necesse sit totidem aut etiam pluribus verbis explicare? Et (quod deterius est) cum multum diuque sudaveris, vix, ut sæpe fit, intelligunt quid dixeris. Sed hæc hactenus.

Verrius Flaccus, ut Velleius Longus, p. 2215, docet, existimavit eamdem esse apud nos *U* literam quæ apud Græcos Υ; nam illi κύμινον, nos *cuminum;* illi κυπάρισσον, nos *cupressum;* illi κυβερνήτην, nos *gubernatorem* dicimus. Idem probat ex græcis nominibus quæ in ευς exeunt, *Theseus*, *Peleus* et similibus. Alia multa sunt quibus etiam apertius Verrii sententia confirmatur, ut μῦς, *mus*, σύς, *sus*.

Veteres ita diphthongos pronuntiabant, ut utraque vocalis perciperetur, quod hodie in duabus *au* et *eu* tantum experimur : nam in cæteris fere una tantum auditur. Diphthongum *æ* varie scribebant antiqui, ut Quintilianus ait, l. I, c. 7, 18 : quidam more Græcorum per *a* et *i* semper scribebant; quidam singulariter tantum, cum in genitivum vel dativum incidissent; unde *pictai vestis*, et *aquai*, et *aulai* Virgilius, amantissimus vetustatis, versibus inseruit. Plurali numero *a* et *e* utebantur, ut *hi Syllæ*, *hi Galbæ*. Diphthongo *ei* diu usi sunt Romani; quibus locis ea usi fuerint, docet P. Nigidius apud Gellium, l. XIII, c. 25 : « Si *hujus*, inquit, *amici* vel *hujus magni* scribas, unum *i* facito extremum; sin vero *hi magnei*, *hi amicei* casu multitudinis recto, tum ante *i* scribendum erit *e*, atque idipsum facies in similibus. » Lege Quintilianum de eadem re, l. I, c. 7, 15 et seqq., Diomedes, l. II, p. 422, ubi diphthongos enumeravit : « Ex his, inquit, *ei*, cum apud veteres frequentaretur, usu posteritatis explosa est. » Sunt qui accusativos tertiæ declinationis in *is* exeuntes per hanc diphthongum scribant, ut *omneis*, *treis*, *urbeis*, qua de re nulla, quod sciam, fit mentio apud veteres. Certe Diomedes per *i* docet scribendas esse l. I, p. 282 : « Nomina, inquit, quæ ablativo casu, numero singulari, *i* litera finiuntur, genere masculino et feminino, sublata *i* ultima, et posita *es* syllaba producta, faciunt nominativum et vocativum plurales, ut *ab hoc* et *ab hac*

agili, hi et *hæ agiles*, et *o agiles*. Nam accusativus, juxta regulam, manente *i* litera, debet pronuntiari, ut *hos* et *has agilis*, ut est, *omnis homines.* » Idem sentit Donatus in libello de Octo partibus II Edit., p. 1750. Idem Priscianus, l. VII, p. 775, citatque eumdem Sallustium : « *Omnis* homines, qui sese student, etc. » Quod etiam Pr. Valerius apud Gellium, l. XIII, c. 20, his verbis significat : « In primo Georgicōn, quem ego librum manu ipsius correctum legi, *urbis* per *i* literam scripsit. » Sic Cornelius Fronto in Different., p. 2201 : « *Tris* et *tres* : *tris* in accusativo casu, *tres* in nominativo et vocativo. » Varro, de Ling. lat., l. VIII, 66 : « In accusandi (casu) *hos montes, fontes;* et *hos montis, fontis.* » Itaque hujus diphthongi usus pertenuis est apud Latinos.

Yi raro reperitur, idque in græcis vocabulis.

Nigidius, apud Gellium, l. XIX, c. 14, *principes* vocales nominat, quas grammatici *præpositivas* dicunt; *subditas*, quas iidem *subjunctivas;* quæ præeunt et subeunt, quas *præpositivas simul et subjunctivas* vocant. In Rudimentis ostendimus octo tantum esse mutas; solus enim Priscianus, ut ibidem diximus, contra veterum omnium sententiam, *f* inter mutas numeravit, quæ quamvis semivocalis sit, tamen cum ei liquidæ *l* et *r* subjiciuntur, præcedentem vocalem communem faciunt in carmine, quemadmodum cum mutas ipsas sequuntur. Semivocalibus adjunximus *Z*, Græcos secuti, et Diomedem, l. II, p. 417 : « Semivocales, inquit, sunt septem;.... sed, adjecta *z*, octo fiunt. » *X* et *z* literæ sunt compositæ, unde duplices dicuntur; illa ex *c* vel *g* et *s* constat, ut, *dux* ex *c* et *s* constat, quod ex genitivo *ducis*, qui per *c* scribitur, intelligitur; *rex g* et *s* valet, nam *regis* per *g* scribitur. — *Z*, ut græci grammatici docent, ex *s* et *d* constat. Diomedes, ibid., ait veteres duabus *ss* pro hac usos fuisse, ut *Messentius, pitisso.* Priscianus, l. I, p. 552, ait *massa, patrisso, pitisso* dicta esse pro μάζα, πατρίζω, πιτίζω, *mazu, patrizo, pitizo.* Græci *s* literam ἄσημον vocant, hoc est, sive signo sive nota immunem. De eadem sic scribit Diomedes eodem loco : « Et *s* litera, inquit, suæ cujusdam potestatis est; ideo apud Græcos μοναδικὸν appellatur, quæ in metro plerumque vim consonantis amittit. »

Veteres *i* literam inter duas vocales positam geminabant; scribebant enim *Maijus, peijus, eijus, Pompeijus* et genitivum *Pompeiij*, ubi triplex *i* cernitur; quam scribendi rationem probasse Cæsarem docet Victor apud Priscianum, l. I, p. 545. Cicero *aijo, Maijam* solebat scribere : vide Quintilianum, l. I, c. 4, 11.— *I* et *V* vocalibus præpositæ consonantes fiunt; quod Nigidius apud Gellium, l. XIX, c. 14, docet. « *A* et *o*, inquit, semper principes sunt; *i* et *u* semper subditæ; *e* et subit et præit : in *Euripo* præit; subit in *Æmilio*. Si quis putat præire *U* in his verbis : *Ualerius, Uennonius, Uolusius;* aut *I* in his : *Iampridem, Iecur, Iocum, Iucundum*, errabit; quod hæ literæ cum præeunt, ne vocales quidem sunt. » Hæc ille. Latini carent nominibus quibus *i* et *u* appellent, cum fiunt consonantes; veteres cum *i* et *u* simpliciter nominabant, vocales intelligebant; ideo Nigidius ait *u* et *i* non præire in verbis *Ualerius, iampridem*, etc. Hebræi *I* consonantem *iod* vocant; *V* vero, *vau*.

Æoles literam habent quæ sono omnino congruit cum *V* consonante, figura vero cum *F* litera majuscula, quæ a forma appellata est *digamma* : constat enim gemino gamma; a sono vero, teste Varrone et Didymo apud Priscianum, l. I, p. 545, *vau* dicta est. Nec mirum, cum nomina græcarum literarum ab Hebræis sint profecta : hi enim *aleph*, illi *alpha;* hi *beth*, illi *beta;* hi *iod*, illi *iota;* utrique *tau;* hi *vau*, Æoles etiam *vau*. Claudius Cæsar digamma æolico pro *u* consonante usus est, quod, eo imperante, etiam a Romanis receptum fuit, ut illi morem gererent. Itaque *Daϝus, cerϝus, serϝus* pro *Davus, cervus, servus* in ejus gratiam scribebant; cujus meminit Quintilianus, l. I, c. 7, 26 : « Nostri, inquit, præceptores *ceruom seruom*que *u* et *o* literis scripserunt.... Nec inutiliter Claudius Æolicam illam ad hos usus *F* literam adjecerat. » Et l. XII, c. 10, 29 : « Æolicæ quoque literæ qua *servum cervum*que dicimus, etiam si forma a nobis repudiata est, vis tamen nos ipsa persequitur. » Suetonius in Claudio, c. 41; Tacitus, Annal., l. XI, c. 13, docent Claudium Cæsarem tres literas veterum numero addidisse, easque in usu fuisse quandiu imperavit; neuter tamen quæ, aut qua forma fuerit, scriptum reliquit. Suspicor alteram ex his quas ignoramus *I* consonanti respondisse. Diomedes, l. II, p. 416, etiam digamma æolici meminit, ubi de *V* consonante loquitur. « Huic item, inquit, digamma adscribi solet, ut quum sibi ipsi præponitur, ut *serϝus, ϝulgus*. Nam *u* literam geminari in una syllaba posse plurimi negant. » Idem tradit Donatus, Edit. I, p. 1736.

Iod quum vocalibus apud Hebræos præponitur,

easque ferit, consonans est, ut apud Latinos. Apud Hebræos, inquam, quia quæ ad Græcos transierunt, atque literis græcis scribuntur, vocalem habent, ut in *Elias, Jeremias, Zacharias* videre licet; neque enim hæ positiones hebrææ sunt; neque *I* apud ipsos vocalis est, sed consonans. Olim, antequam inventa essent puncta (sic enim Hebræi decem vocales, quinque longas, totidem breves, appellant), etiam vocalis officio fungebantur, ut in *Michael, Michol,* aliisque plurimis nominibus. Hodie ab Hebræis, cum vocalem non excitat eamque ferit, *quiescens* seu otiosa dicitur. Itaque consonans simpliciter vocatur, ut cæteræ omnes quæ alphabeto continentur. Sed hæc missa faciamus, ac potius ad nostros veniamus. *Iudæa, Iudæus, Iudaicus,* apud Latinos semper primam habent consonantem, quæ litera eadem prorsus est in *Iesus, Iacobus, Ioannes, Ioseph, Iudas,* aliisque id genus. Lucanus, l. II, v. 592 :

. . . . . Et dedita sacris
Incerti *Iudæa* Dei mollisque Sophene.

Horatius, l. I, sat. 5, v. 100 :

. . . . . Credat *Iudæus* Apella.

Juvenalis, sat. VI, v. 547 :

Qualiacumque voles *Iudæi* somnia vendunt.

Idem, sat. XIV, v. 101 :

Iudaicum ediscunt, et servant, ac metuunt jus.

Claudianus Græcorum more dixit, epigr. 77, v. 2 :

Ne laceres versus, dux *Iacobe*, meos.

Antiquis tamen poetis major habenda est fides.

SYLLABÆ PARTIM BREVES, PARTIM LONGÆ, PARTIM COMMUNES.

438. Syllabæ, quas temporibus metimur, aut sunt *breves*, aut *longæ,* aut *communes.*

Tempus est spatium intervallumque quo syllaba pronuntiatur.

Syllaba *brevis* ex uno tempore atque spatio constat, ut *ăt, sĕd.*

Longa est duobus, ut *āh, ēn.*

Communis est, quæ in versu tum brevis, tum longa esse potest; quales sunt priores in *Atlas, Cyclops;* mediæ in *tenebræ, latebræ, pharetra.*

Nulla vocalis apud Latinos perpetuo brevis aut longa est. Apud Græcos *epsilon* et *omicron,* quæ *e* et *o* breve valent, perpetuo sunt breves, ut *Origenes, Timŏtheus, Herodŏtus, Macedŏnes.*

Η*ta* et Ω*mega*, quæ *e* et *o* longum valent, semper sunt longæ, ut *erēmus, idōlum.*

Veteres, ut Quintilianus docet, l. I, c. 7, 14, usque ad Accium et ultra, porrectas syllabas geminis vocalibus scripserunt. Itaque *malus* homo simplici *a; malus* arbor gemino olim scribebatur; *venit* præsens uno *e; venit* præteritum duobus, atque cætera eodem modo. Vocales apud Latinos omnes sunt ancipites, nulla enim est quæ in diversis dictionibus non sit aut brevis aut longa. *E* et *o* etiam apud veteres Græcos fuerunt ancipites, ut apud nos *e* et *o*. Verum posteaquam vocales η et ω inventæ sunt, deinceps breves tantum fuerunt. Vide Priscianum, l. I, p. 541. *Eta* appellavimus ipsam vocalem longam more veterum, quæ *Ita* nunc dicitur; quæ si ita appellanda est, nullum erit *e* longum apud Græcos, sed breve tantum, quod fieri non potest; aut certe anceps erit, quemadmodum fuit antequam η inventum esset. Præter multa alia argumenta, quibus viri docti planum faciunt *Eta*, non *Ita* vocandam esse hanc vocalem, illud etiam maximo indicio est, quod hebrææ voces, quæ per

e longum apud ipsos Hebræos scribuntur, salvæ et integræ græcis literis conservatæ sunt; cujusmodi sunt ἀμην, Εμμανουήλ, Ἰωσήφ, Ἰσραήλ, Γαβριήλ. Quod si quis *amin*, *Emmanuil*, *Josiph*, *Israil*, *Gabriil* pronuntiet, nihil minus quam hebraice loquetur. Et *Beth*, secundum elementum Hebræorum, sæpe in Threnis Jeremiæ βήθ græce scribitur; quod si *bith* te audierit Hebræus pronuntiantem, risu corruet. *Beth* itaque sonandum est, unde ipsi Græci suum habent *beta;* quo nomine a Martiale, l. V, epigr. 26, dicitur :

Dicas licebit *beta* me togatorum.

Η et ω non semper manent longæ cum ad nos transeunt, nam πατήρ, μητήρ, Ἕκτωρ, Νέςωρ, *pater*, *mater*, *Hector* et *Nestor*, *e* et *o* literas habent breves. Virgilius, Æn. I, v. 60 :

Sed *patĕr* omnipotens speluncis abdidit atris.

Ovidius, Metam, XII, v. 3 :

Inferias dederat cum fratribus *Hectŏr* inanes.

PRÆCEPTA UNIVERSA

DE SYLLABARUM BREVITATE AC LONGITUDINE

PRÆCEPTUM I.

DE VOCALI ANTE VOCALEM

439. Vocalis ante vocalem in latinis dictionibus brevis est, ut *pŭer*, *fŭit*, *rŭit*. Virgilius, Æn. XII, v. 435 :

Disce, *pŭer*, virtutem ex me verumque laborem.

Idem, Æn. I, v. 441 :

Lucus in urbe *fŭit medĭa* lætissimus umbra.

Idem, Æn. II, v. 363 :

Urbs antiqua *rŭit* multos dominata per annos.

Selegimus ex Virgilio potissimum carmina quibus nuda ac frigida præcepta vestiremus, simul et eorum aures qui ad poeticam aspirarent, elegantioribus numeris imbuerentur; non ut in singulis explicandis immorarentur præceptores : satis enim est si auditores intelligant id quod ad rem facit, hoc est, quæ syllaba brevis, quæve longa sit in carmine, cujus de causa citatur poeta. Quod si quis adeo aversus est a Musis, ut hæc ipsi vel supervacanea vel longiora esse videantur, præceptorum jejunitate ac fame sit contentus.

EXCEPTIO I.

Fio *i* habet longum, nisi sequatur *r*, ut *fīebam*, *fīam*. Juvenalis, Sat. II, v. 136:

> *Fīent* ista palam, cupient et in acta referri.

Sin *r* sequatur, breve est, ut *fĭerem*, *fĭeri*, *confĭeri*. Virgilius, Æn. IV, v. 115:

> . . . . . Nunc qua ratione quod instat
> *Confĭeri* possit, paucis, adverte, docebo.

EXCEPTIO II.

Interrogandi ac dandi casus quintæ declinationis *e* ante *i* producunt, ut *diēi*, *speciēi*. Præter *rĕi*, *spĕi*, *fidĕi*.

EXCEPTIO III.

Genitivus in *ius* habet *i* longum in soluta oratione; in carmine, tum breve, tum longum, ut *unius*, *illius*; præter *alterĭus*, quod ubique *i* habet breve; *alīus* vero, longum. Virgilius, Æn. I, v. 41:

> *Unĭus* ob noxam et furias Ajacis Oilei.

Horatius, l. I, ep. 1, v. 14:

> *Nullĭus* addictus jurare in verba magistri.

EXCEPTIO IV.

Ohe priorem habet communem. Martialis, l. IV, epigr. 91, v. 1:

> *Ohe!* jam satis est, *ŏhe!* libelle.

Cai, *Pompei*, *Vultei*, et siqui similes vocandi casus, penultimam habent longam. Martialis, l. II, epigr. 30, v. 6:

> Quod peto da, *Cāi*, non peto consilium.

Ovidius, Pont., l. IV, ep. 1, v. 1:

> Accipe, *Pompēi*, deductum carmen ab illo
> Debitor est vitæ qui tibi, Sexte, suæ.

Præceptum hoc de vocalibus quæ sunt in eadem dictione accipiendum est; nam de iis quæ in diversis sunt, postea agendum est. *Caius*, *Pompeius*, *Vulteius* in recto per *i* consonantem scribuntur; quæ interdum a poetis in vocalem mutatur. Martialis, l. V, Epigr. 14, v. 5:

> Post *Caium*que Luciumque consedit;

scazon est. Idem, l. IX, epigr. 93, v. 4 :

Pervigil in pluma *Caius* ecce jacet.

Utrobique *a* longum est, quod obiter notabis. Eadem licentia utuntur iidem poetæ, cum in vocandi casu *i* consonantem in vocalem vertunt. Si quidem nomina *ius* syllaba finita, in vocativo *us* abjiciunt, *Antonius, o Antoni;* sic *Caius, Pompeius, o Cai, Pompei.* Hoc idem Priscianus, l. VII, p. 741, docet, atque *i* consonantem esse Horatii testimonio, l. I, ep. 7, v. 91, probat :

Durus, ait, *Vultei,* nimis attentusque videris.

Apud priscos *u* ante *i*, a verbis in *uo*, in præteritis producebatur. Ennius in II :

Annūit sese mecum decernere ferro.

Vide Priscianum, l. X, p. 882. Hinc facile intelligitur quod Varro, de Ling. lat., l. IX, 104, ait « Quidam, inquit, reprehendunt quod *pluit* et *luit* dicamus in præterito et præsenti tempore, cum analogiæ sui cujusque temporis verba debeant discriminare. Falluntur : nam est ac putant aliter, quod in præteritis *u* dicimus longum, *lūit, plūit;* in præsenti, breve, *plŭit, lŭit.* »

APPENDIX I.

440. *Aer*, *chorēa*, *Cytherēa*, *elegīa*, *Darīus*, et alia hujus generis, quæ vocalem ante vocalem longam habent, græca sunt. Ovidius, Metam. I, v. 75 :

Terra feras cepit, volucres agitabilis *āer*.

Idem, Metam. VIII, v. 746 :

Sæpe sub hac Dryades festas duxere *chorēas*.

Virgilius, Æn. I, v. 257 :

Parce metu, *Cytherēa*, manent immota tuorum
Fata tibi.

Chorea, *platea*, interdum a poetis corripiuntur. Virgilius, Æn. VI, v. 644 :

Pars pedibus plaudunt *chorĕas* et carmina dicunt.

Horatius, l. II, ep. 2, v. 71 :

Puræ sunt *platĕæ*, nihil ut meditantibus obstet.

Nonnunquam, soluta diphthongo, ει in *e* longum mutatur, ut *Cytherεια*, *Cytherēïa*, *elegεια*, *elegēia*. Ovidius, Metam. IV, v. 190 :

Exigit indicii memorem *Cytherēïa* pœnam.

Idem, Am. III, 9, 3 :

Flebilis indignos, *Elegēïa*, solve capillos.

APPENDIX II.

Idea, *Andreas*, *sophia*, *philosophia*, *symphonia*, *etymologia*, *orthographia*, et

alia quam plurima vocalem ante vocalem corripiunt, licet eadem nomina acuta penultima multi viri docti more Græcorum pronuntient. Horatius, Arte poet., v. 374 :

Ut gratas inter mensas *symphonĭa* discors.

Qui serio vult græcarum dictionum syllabas cognoscere, græcas literas discat. Videndum enim est, quæ ad nos transeunt verba, quomodo apud ipsos scribantur. Nam quæ apud eos per diphthongum scribuntur, apud nos modo per *i* longum, ut Νεῖλος, *Nīlus;* sic *Nicomedīa, Alexandrīa, Darīus, Basilīus, bravīum, Samarīa, Antiochīa, latrīa, idololatrīa, politīa, litanīa, Iphigenīa;* modo per *e* longum, ut *chorēa, platēa, Medēa, Cytherēa, Laodicēa, Achillēus, spondēus, chorēus,* etc.: χορεία, πλατεῖα, ex quibus poetæ interdum *i* literam abjiciunt, ut maneat *e* breve.

Priscianus, l. I, p. 563, ubi de ει diphthongo agit, docet poetas aliquando more Dorico *i* abjicere; inde Virgilium, Æn. I, v. 665 : «tela *Tiphoĕa,*» penultima brevi dixisse, quamvis apud Græcos nomen ipsum adjectivum per diphthongum scribatur.

Nate patris summi, qui tela *Tiphoĕa* temnis.

Interdum ε in *e* breve mutatur, ut ἰδέα, *idĕa*; sic *Dorothĕa, Dorothĕus, Andrĕas.*

Quæ per *iota* apud Græcos scribuntur, fere ipsum corripiunt, ut *sophĭa, theologĭa, Ionĭa, tragœdĭa, Uranĭa, Zacharĭas, Elĭas, Isaĭas,* et alia ejusdem generis, quorum plurima efferuntur a Græcis acuta penultima, ut : *Idéa, Andréas, María, Zacharías, Elías, philosophía, theología,* quo pacto audias etiam viros doctos pronuntiantes, non quod ignorent penultimam esse brevem, sed quod intelligant hæc etiam græco tenore posse enuntiari. Qui accentum a quantitate syllabarum fortasse non distinguunt, cum penultimam audierint acutam, continuo eamdem longam esse putant, quod quidem in latino sermone verum est, non in græco; siquidem Græci penultimam brevem sæpenumero acuunt. Sed quid inter accentum et syllabarum dimensionem intersit, suo loco dicemus.

PRÆCEPTUM II.

DE DIPHTHONGIS

441. Diphthongus longa est tam in græcis quam in latinis dictionibus, ut *Æneas, Melibœus, prœmium, laūs.* Virgilius, Æn. I, v. 421 :

Miratur molem *Æneas,* magalia quondam.

Idem, Eclog. I, v. 6 :

O *Melibœe,* Deus nobis hæc otia fecit.

Idem, Æn. I, v. 461 :

En Priamus. Sunt hic etiam sua *prœmia laūdi.*

EXCEPTIO.

Præpositio *præ* composita, cum vocalem præcedit, brevis est, ut *præuro, præustus*. Virgilius, Æn. VII, v. 524 :

Sti pitibus duris agitur, sudibusve *præustis*.

Diphthongum hic in eadem dictione accipimus; nam si ultima præcedentis dictionis fuerit diphthongus, et prima sequentis vocalis, ad aliud præceptum spectat; apud ipsos Græcos etiam in eadem dictione interdum corripitur diphthongus ob sequentem vocalem. At in dictionibus quibus Latini utuntur, semper producitur, etiam si sequatur vocalis, ut *Æolus*, *Æacus*, etc. Illud Ovidii, Trist. III, eleg. 12, v. 1, si tamen locus corruptus non est, singulare est :

Frigora jam Zephyri minuunt, annoque peracto
Longior antiquis visa *Mæotis* hiems (1).

Nam eodem nomine prima longa utitur Lucanus, l. III, v. 277 :

Quaque, fretum torrens, *Mæotidas* egerit undas.

Et Virgilius, Æn. VI, v. 800 :

Responsis horrent divum, et *Mæotia* tellus.....

Præpositio *præ* nonnunquam producitur, sequente vocali. Statius, Theb., l. VI, v. 518 :

Tunc vero Œclides, quanquam jam certa sequenti
Præmia, cum vacuus domino *præiret* Arion,
Ardet adhuc, cupiens vel inanem vincere currum.

(1) Quod contra auctoritatem Ovidius diphthongum corripuerit, multi hunc locum voluerunt corrigere. « Diphthongum corripuit, ait Forcellini, Græcorum more, ob sequentem vocalem. Plerique tamen mendum hic latere contendunt. »

PRÆCEPTUM III.

DE POSITIONE

442. Vocalis ante duas consonantes, vel unam duplicem ejusdem dictionis, longa est positione, ut *tērra, Arāxes, Gāza, mājora, Trōja*. Virgilius, Æn. III, v. 13 :

Tērra procul *vāstis* colitur *Mavōrtia cāmpis*.

Lucanus, l. I, v. 19 :

Sub juga jam Seres, jam *bārbarus īsset Arāxes*.

Virgilius, Æn. I, v. 119 :

Arma virum, tabulæque, et Troïa *gāza* per *ūndas*.

Idem, Eclog. IV, v. 1 :

Sicelides Musæ, paulo *mājora* canamus.

Idem, Æn. II, v. 290 :

Hōstis habet muros; ruit *ālto* a *cūlmine Trōja*.

APPENDIX I.

Si altera consonans fuerit in fine præcedentis dictionis, altera in principio sequentis, vocalis nihilominus longa erit, ut : *āt pius*, *a* longum est positione duarum consonantium *t* et *p*, quamvis sit in diversis dictionibus. Virgilius, Æn. I, v. 305 :

*At p*ius Æneas *pēr n*octem plurima volvens.

Vocalis longa est aut *natura* aut *positione* : *Natura*, cum ipsa per se suapte natura producitur, nec consonantium eget adminiculo, ut *ah! heu! en* ; — *Positione*, quæ cum suapte natura brevis sit, consonantium vicinitate ac beneficio producitur, ut *e* in *terra*, vicinitate ac beneficio *r* literæ geminatæ, producta est, cum a *tero* dicta sit, quod verbum priorem habet brevem.

Quot modis dicatur syllaba natura longa docet Probus l. I, p. 1391, et Diomedes, l. II, p. 422; ubi etiam invenies certa verba, quæ veteres grammatici usurpant, qualia sunt : *constat natura, constat diphthongo*, etc. Positione vero fit vocalis longa, ut Probo, l. I, p. 1430, placet, decem modis; ut Diomedi, sex; idem fere Donatus sentit, Edit. I, p. 1737. Octo tamen modos Probi, et sex Diomedis, ad duos revocavimus; neque enim opus est hæc tam minute concidere. Positionis vocabulo etiam Quintilianus utitur l. I, c. 5, 28 : « Evenit, inquit, ut metri quoque conditio mutet accentum, ut : *pecudes pictæque volucres*. Nam *volucres* media acuta legam, quia, etsi brevis natura, tamen positione longa est, ne faciat iambum, quem non recipit versus heroicus. » Hæc ille. Si ad normam veritatis et veterum grammaticorum velimus loqui, hoc præceptum sic tradendum est : Vocalis brevis ante duas consonantes, etc. Nam syllabæ si naturaliter, ut Probus, l. I, p. 1431, inquit, producantur, positionem superfluam habebunt. Illic enim, ut idem ait, quærenda est positio, ubi longitudo naturæ defecerit. Nam, quemadmodum vocales naturæ deserviunt, ita positioni consonantes. Prætermisimus tamen vocem *brevis*, ne turbarentur tirones. Quotus enim quisque vel mediocriter in re metrica versatus, intelligit habeantne, verbi causa, *terra, axis, gaza, major*, et alia pene infinita, priores natura longas, an positione? Romanis pueris certe id facillimum fuit, quippe qui ipsius linguæ munere ac beneficio, essentne vocales longæ natura an positione, certo quodam sono nobis incognito optime intelligebant.

Troïa in tertio versu nomen est adjectivum, *Troïus, a, um*, trium syllabarum, neque ad rem facit; in quinto vero, substantivum est et dissyllabum, cujus prior, beneficio *i* consonantis, inter duas vocales producitur. — Dicet fortasse aliquis : « Nonne *i* apud Græcos semper est vocalis? qui igitur fieri potest ut *Troia* sit dissyllabum? Hunc nodum solvit Priscianus, l. l, p. 561 : « Diphthongus, inquit, *æ*, quando a poetis per diæresim profertur, secundum Græcos per *a* et *i* scribitur, ut *aulai, pictai*, pro *aulæ* et *pictæ*. In græcis vero (nominibus), quoties hujuscemodi fit apud nos diæresis penultimæ syllabæ, *i* pro duplici consonante accipitur, ut *Maia* pro Μαῖα, *Ajax* pro Αἴας. » Hæc ille. Ego idem puto dicendum Καλλιόπεια, *Calliopeia*, Δειόπεια, *Deiopeia*. Itaque *i* in *Maia, Ajax, Troja* et similibus pars est diphthongi græcæ dissolutæ, non vocalis per se.

APPENDIX II.

443. Si utraque consonans aut duplex fuerit in principio sequentis dictionis, fere nihil præcedentem vocalem brevem juvabit. Ovidius, Metam. II, v. 24 :

. . . . . Sedebat
In solio Phœbus claris lucen*tĕ smaragdis*.

Virgilius, Æn. VI, v. 56 :

> Phœbē, *graves* Trojæ semper miserate labores.

Idem, Æn. III, v. 270 :

> Jam medio apparet fluctu nemorosă *Zacynthos*.

Lucanus, l. II, v. 672 :

> Tales fama canit tumidum super æquoră *Xerxem*
> Construxisse vias.

Lucente, *Phœbe*, *nemorosa*, *æquora* ultimas habent breves, licet duæ consonantes, aut una duplex sit in principio sequentium dictionum.

Sunt prope innumera testimonia quibus hæc appendix confirmari possit. Virgilius, Æn. II, v. 120 :

> . . . . . Gelidusque per ima cucurrit
> Ossă *tremor*.

Martialis, l. V, epigr. 34, v. 9 :

> . . . . . Nec illi,
> Terră, *gravis* fueris; non fuit illa tibi.

Lucanus, l. II, v. 656 :

> Roma capi facilis, sed Cæsar in omniă *præceps*.

Ibid., v. 24 :

> Exigit ad sævos famularum brachiă *planctus*.

Ibid., v. 124 :

> . . . . . Truncos laceravit Fimbriă *Crassos*.

Virgilius, Æn. II, v. 277 :

> Squalentem barbam, et concretos sanguinĕ *crines*.

Idem, Æn. VI, v. 54 :

> . . . . . Gelidus Teucris per dura cucurrit
> Ossă *tremor*.

Diomedes, l. II, p. 423, ubi de septem modis syllabarum communium agit, quæ hujus sunt generis, vocales ait communes esse, sed nullo testimonio confirmat, quod huic appendici adversetur. Nam quæ a grammaticis afferri solent, cæsura aut syllaba communi excusantur, cujusmodi sunt hæc quæ subjiciam. Juvenalis, Sat. VIII, v. 107 :

> Occultā spolia et plures de pace triumphos.

Silius, l. IX, v. 575 :

> Immanē stridens agitur crebroque coacta
> Vulnere bellatrix.....

Martialis, l. II, epigr. 66, v. 6 :

> Et dignā speculo fiat imago tua.

Lucanus, l. V, v. 118 :

> Aut pretium; quippē stimulo fluctuque furoris.

Sunt et alia quæ aut eadem ratione excusantur, aut certe quia monosyllaba sunt; ut enim monosyllaba τέ, μέν, γάρ interdum apud Homerum producuntur, sic apud Latinos *que* conjunctio. Virgilius, Georg. I, v. 153 :

> Lappæquē, tribulique; interque nitentia culta.

Idem, ibid., v. 164 :

> Tribulaquē, traheæque, et iniquo pondere rastri.

Idem, Georg. IV, v. 338 :

> Drymoquē, Xanthoque, Ligeaque, Phyllodoceque.

Idem, Eclog. IV, v. 51 :

> Terrasquē, tractusque maris, cœlumque profundum.

Et ne putes beneficio consonantium productam esse, audi eumdem poetam, Æn. III, v. 91 :

> Liminaquē, laurusque Dei, totusque moveri.

Idem, Æn. XII, v. 363 :

> Chloreaquē, Sibarimque, Daretaque, Thersilochumque.

Terentianus, de syllabis, p. 2406, præcipit vocalem brevem præcedentem longam fieri positione, si in principio sequentis fuerint duæ consonantes, quarum prior sit *s*, posterior muta; contra quem tamen faciunt hæc testimonia. Virgilius, Æn. XI, v. 308 :

> Spem si quam adscitis Ætolum habuistis in armis,
> Ponitĕ; *spes* sibi quisque; sed hæc quam angusta [videtis.

Horatius, l. I, sat. 5, v. 35 :

> Linquimus insani ridentes præmiă *scribæ*.

Idem, l. I, Sat. 3, v. 140 :

> Ignoscent, si quid peccaverŏ (1) *stultus*, amici.

Alia præterea sunt quæ, ne longior sim, omitto. Duo sunt quæ cum Terentiano facere videntur, neque alia facile invenias; alterum Virgilii Æn. IX, v. 37 :

> Ferte citi ferrum, date telā, *scandite* muros;

alterum Martialis, l. V, epigr. 69, v. 3, in Marcum Antonium :

> Quid gladium, demens, Romanā *stringis* in ora?

Hæc enim cæsura excusari minime possunt, nisi forte quis dixerit spondaicam esse cæsuram. Cætera, ut paulo ante diximus, aut communi syllaba, aut cæsura (de quibus suo loco) defenduntur.

(1) Orellius et Teubner, *peccaro*; annotatque Orellius : « Lectionem *peccavero* primus rejecit Bentley; neque enim, inquit, *o* finale in verbis temere invenies correptum apud ejus ævi scriptores; et adhuc durius est, ubi sequens vocabulum a duabus mutis consonantibus inchoatur. » Correptionis exempla hæc attulit C. Passow., sat. I, 4, 104 :

> Dix*ero* quid, si forte.

Sat. I, 6, 119 :

> Deinde e*o* dormitum.

Sat. I, 9, 2 :

> Nesci*o* quid meditans.

Ibid., v. 17 :

> . . . . . Quemdam vol*o* visere.

EXCEPTIO I.

DE LIQUESCENTIBUS

444. Vocalis brevis ante mutam et liquidam ejusdem dictionis in carmine communis est; at in soluta oratione perpetuo corripitur, ut *volucris*, *cyclops*. Ovidius, Metam. XIII, v. 607 :

> Et primo similis *volŭcri*, mox vera *volūcris*.

Virgilius, Æn. III, v. 569 :

> Ignarique viæ *Cȳclopum* allabimur oris.

Idem, ibid., v. 647 :

> . . . . . Vastosque ab rupe *Cȳclopas*
> Prospicio.

Hæc est prima exceptio tertii præcepti. Nam etiamsi duæ consonantes vim habeant producendi vocalem brevem, tamen si prior fuerit muta, et posterior liquida, in soluta quidem oratione, liquida semper vim consonantis amittit; quamvis in carmine interdum eam retineat, alioqui non produceret vocalem. Si tamen præcedens vocalis fuerit longa natura, qualem habent multa nomina quæ a supinis penultima producta fiunt, ut *lavācrum*, *ambulācrum*, *involūcrum*, *volutābrum*, nun-

quam corripitur. Ex recto sæpe etiam cognoscitur vocalis sitne longa natura, an brevis in obliquis; sic *patrem, agrum, caprum* judicamus habere priores breves natura, quia *pater*, *ager*, *caper* easdem corripiunt. *Matrem*, contra, *fratrem*, *octobrem* longas, quia rectus easdem habet longas.

APPENDIX I.

445. Vocalis ante *f* et liquidas frequentissime corripitur, ut *rĕflecto*, *rĕfluo*, *rĕflo*, *rĕflagito*, *rĕfringo*, *rĕfræno*. Virgilius, Æn. II, v. 741 :

> Nec prius amissam respexi, animumve *rĕflexi*.

Ovidius, Metam. V, v. 547 :

> Inque caput crescit, longosque *rĕflectitur* ungues.

Idem, Epist. Her. VI, v. 87 :

> Illa *rĕfrœnat* aquas, obliquaque flumina sistit.

Horatius, l. I, sat. 4, v. 60 :

> . . . . . Postquam Discordia tetra
> Belli ferratos postes portasque *rĕfregit*.

Interdum etiam producitur, ut *refloreo* apud Silium, l. XV, v. 738 :

> Celsus ceu prima *rēflorescente* juventa
> Ibat consul ovans.

APPENDIX II.

446. *Abluo*, *obruo*, *sublevo*, *adnitor*, et cætera ex iisdem præpositionibus composita nunquam primam corripiunt; necesse est enim ut muta et liquida ad sequentem vocalem spectent, ut *tenebræ*, *latebræ*, *funebris*, *lugubris*. In *abluo* et cæteris, muta ad præcedentem vocalem pertinet.

Ut vocalis ante mutam et liquidam corripiatur, opus est ut muta simul et liquida ad sequentem vocalem pertineant; alioqui corripi non potest. Consonantes præpositionum *ab*, *ad*, *ob*, *sub* cum præcedente vocali junguntur. Vide Priscianum, l. I, p. 564.

APPENDIX III.

447. *M* et *n* raro liquescunt, idque in græcis dictionibus duntaxat, ut *Tecmessa*, *cycnus*, *Therapnæ*, *ichneumon*. Silius, l. VIII, v. 412 :

> Ecce inter primos *Therăpneo* a sanguine Clausi.

Martialis, l. VII, Epigr. 87, v. 5 :

> Delectat Marium si perniciosus *ĭchneumon*.

Nullum quod sciam est apud Latinos verbum in quo *m* aut *n* liquescat; illud Ovidii Metam. VIII, v. 600 :

> Debuit illius misereri, et ĭgnoscere nobis.

quo quidam docent in verbo *ignoscere n* liquescere, depravate legitur, siquidem in correctis libris *et* expuncta est :

> Debuit illius misereri, ĭgnoscere nobis.

Itaque *m* et *n* in græcis tantum verbis liquescunt. Horatius, l. II, ode 4, v. 5 :

> Movit Ajacem Telamone natum
> Forma captivæ dominum *Tĕcmessæ*.

Idem, l. IV, ode 3, v. 19 :

> O mutis quoque piscibus
> Donatura *Cўcni*, si libeat, sonum.

Est asclepiadeum carmen.

Non facile plura hujus generis reperias apud Latinos. *Procne*, quod quidam addunt, incertum est; varia est enim lectio apud Ovidium, Metam. VI, v. 468 :

> Ad mandata *Prŏcnes*, et agit sua vota sub illis.

N, etiam post *m*, apud Græcos liquescit, unde multi in *Polymneia* arbitrantur *n* vim consonantis amittere. Ovidius, Fast. V, v. 9 :

> Dissensere deæ, quarum *Polўmneia* cœpit
> Prima; silent aliæ, dictaque mente notant.

Libri tamen etiam correcti *Polyhymnia* habent, ut ratio nominis postulat; dicitur enim, ut enarratores Hesiodi docent, ὡς πολλοὺς ὑμνοῦσα, *quasi multos canens et celebrans*. Neque, si Hesiodum in catalogo Musarum audiamus, nomen hoc per diphthongum scribitur, sed per ι, *iota*, in Theogonia, v. 78 :

> Τερψιχόρη τ', Ἐρατώ τε, Πολύμνιά τ' Οὐρανιή τε.

Quare non est cur diphthongus solvatur, ut fit in *elegeia* et *Cythereia*, ut supra diximus. Itaque suspicor Πολυυμνία, *Polyhymnia*, nomen esse plenum, quo modo apud Aristophanem in Equite, v. 1325, legitur Πολυύμνος. Πολύμνια, *Polymnia* arbitror esse imminutum; pleno usos fuisse Latinos; imminuto Hesiodum verisimile est. Fulgentius tamen ait, Mythologicon, l. I, c. 14, quintam ex Musis appellari Πολύμνειαν per ει. Illud Silii, l. VIII, v. 412 :

> Ecce inter primos *Theramnæo* (1) a sanguine Clausi,

magis ad rem facit, si *Theramnæ* cum Stephano scribamus per *mn*.

Liquidæ apud Græcos non solum mutis subjectæ, sed etiam ipsæ per se positæ, vocalem brevem faciunt communem, ut in nominibus Ἄρης, ἀνήρ, μέλος, quas Persius videtur fuisse imitatus, ut in prologo, v. 14 :

> Cantare credas Pegaseium *melos*.

Apud eosdem muta *t* post *c* et *p* interdum liquescit, ut in δάκτυλος, Αἰγύπτιος. Quare mirum non est si *d*, ejus cognata, etiam apud Martialem, l. V, epigr. 11, v. 1, liquescat :

> Sardonychas, *smarăgdos*, adamantas, iaspidas uno
> Versat in articulo Stella, Severe, meus.

---

(1) Lemaire, *Therapnæo*. Hæc Stephanus : « Θέραμναι, πόλις Λακωνικῆ, ἥν τινες Σπάρτην φασίν. » In nota : « Pausaniæ Θεράπνη dicitur. » (Stephani Byzantii de Urbibus et populis, cum versione lat. Thomæ de Pinedo. — Amstelodami, 1678.)

EXCEPTIO II.

448. Inter duas vocales *i* in compositis *bijugus*, *quadrijugus* simplex consonans est, non duplex; quare merito præcedens vocalis corripitur. Virgilius, Æn. X, v. 575 :

> Interea *bĭjugis* infert se Lucagus albis.

Idem, Georg. III, v. 18 :

> Centum *quadrĭjugos* agitabo ad flumina currus.

Veteres, ut supra diximus, *i* inter duas vocales geminabant, *maijor, Maija, aijo* scribentes. Priscianus, l. I, p. 545, ait *i* in compositis pro simplici habendam, ut *rejicio*, cum tamen hoc idem verbum sæpissime primam producat beneficio *i* duplicis. Virgilius, Georg. III, v. 389 :

> *Rējice*, ne maculis infuscet vellera pullis.

Idem, Æn. V, v. 421 :

> Hæc fatus, duplicem ex humeris *rējecit* amictum.

Idem, Æn. XI, v. 619 :

> *Rējiciunt* parmas, et equos ad mœnia vertunt.

Nam illud ejusdem Virgilii, Eclog. III, v. 96, quod affert Priscianus l. I, p. 545 :

> Tityre, pascentes a flumine *reice* capellas,

simplici *i* scribitur, ut illud Statii, Theb. l. IV, v. 574 :

> Tela manu, *reicit*que canes in vulnus hiantes (1).

Sic *abicit, adicit, obicit, subicit*, simplici *i* pro duplici : *adjicit, objicit*, etc., scribuntur. Juvenalis, Sat. XV, v. 17 :

> Hunc *ăbĭcit*, sæva dignum veraque Charybdi.

Martialis, l. X, epigr. 82, v. 1 :

> Si quid nostra tuis *adĭcit* vexatio rebus.

Lucanus, l. VIII, v, 796 :

> Cur *obĭcis* Magno tumulum, manesque vagantes?

Idem, l. VII, v. 574 :

> Ipse manu *subĭcit* gladios, ac tela ministrat.

Itaque in carmine Virgilii pes proceleusmaticus est *rĕĭcĕ că*; aut *e* et *i*, ut quidam putant, coalescunt in unam syllabam longam, quasi : *reice* capellas.

(1) Lemaire : « Tela manu, *rejicit*que canes..... » Teubner vero, ut Alvarus.

PRÆCEPTUM IV.

DE PRÆTERITIS DISSYLLABIS

449. Præterita dissyllaba habent priorem longam, ut *vīdi, vēni*. Virgilius, Æn. II, v. 347 :

> Quos ubi confertos audere in prælia *vīdi*.

Idem, Æn. II, v. 324 :

> *Vēnit* summa dies et ineluctabile tempus
> Dardaniæ.

EXCEPTIO.

Sto, do, scindo, fero rapiunt, *bibo, findo*, priores.

Martialis, l. I, epigr. 43, v. 5 :

> Dixit, et ardentes avido *bĭbit* ore favillas.

Lucanus, l. III, v. 61 :

> Aut *scĭdit*, et medias fecit sibi littora terras.

Virgilius, Æn. IX, v. 588 :

. . . . . Liquefacto tempora plumbo
Diffĭdit, ac multa porrectum extendit arena.

APPENDIX.

Compositum *abscidi* habet penultimam communem. Lucanus, l. III, v. 471 :

Abscīdit impulsu ventorum adjuta vetustas.

Idem, l. IV, v. 503 :

Abscĭdit nostræ multum sors invida laudi.

Idem, l. VI, v. 563 :

Illa comam læva morienti *abscĭdit* ephebo.

Martialis, l. III, epigr. 66, v. 2 :

Abscīdit vultus ensis uterque sacros.

Quid, si *abscidit* cum penultimam habet longam, non a verbo *abscindo*, sed ex præpositione *abs* et *cædo*, *æ* in *ı* longum mutata, componitur? ut *abscædo*, ex *abs* et *cædo*; et *abscondo*, ex *abs* et *condo*.

PRÆCEPTUM V.

DE PRÆTERITIS GEMINANTIBUS PRIMAM SYLLABAM

450. Cum prima syllaba præteriti geminatur, eadem et secunda brevis est, nisi obstent duæ consonantes, ut *tĕtĭgi*, *pĕpĕri*, *cĕcĭni*. Virgilius, Georg. IV, v. 566 :

Tityre, te patulæ *cĕcĭni* sub tegmine fagi.

EXCEPTIO.

Excipiuntur *cecīdi* a *cædo*, *pepēdi* a *pedo*, in quibus secunda longa est, ut et in iis in quibus duæ consonantes sequuntur, ut *cucūrri*, *tetēndi*. Juvenalis, Sat. III, v. 278 :

Ebrius ac petulans, qui nullum forte *cecīdit*,
Dat pœnas.

Prætermisimus præceptum illud, quod nonnulli tradunt, præterita syllaba *vi* per *v* consonantem finita penultimam habere longam, ut *vōvi*, *strāvi*, *amāvi*, *petīvi*; nam dissyllaba ad præceptionem de

dissyllabis spectant; polysyllaba vero, ad incrementum verborum. Quod Priscianus, l. X, p. 891, ex Ennio affert:

. . . . . Virosque valentes
Contŭdit crudelis hiems,

priscis relinquendum est; ut enim *tŭtŭdi* simplex utramque habet brevem, ita composita secundam brevem retinent, ut *extŭdit, retŭdit, contŭdit*.

PRÆCEPTUM VI.

DE SUPINIS DISSYLLABIS

451. Supina duarum syllabarum habent priorem longam, ut *vīsum*, *mōtum*. Virgilius, Æn. VI, v. 277:

Terribiles *vīsu* formæ, Letumque Laborque.

Idem, Æn. I, v. 135:

Quos ego..... sed *mōtos* præstat componere fluctus.

EXCEPTIO.

At *reor* [1], atque *sero* [2], *do* [3], junge *ciere* [4], *lino*que [5],
Ire [6], *ruo*que [7], *queo* [8], *sivi* [9] rapuere priores.

[1] *Ratum.* — [2] *Satum.* — [3] *Datum.* — [4] *Citum.* — [5] *Litum.* — [6] *Itum.* — [7] *Rutum.* — [8] *Quitum.* — [9] *Situm.*

Virgilius, Æn. II, v. 25:

Nos abiisse *rătī*, et vento petiisse Mycenas.

Idem, ibid., v. 540:

At non ille, *sătum* quo te mentiris, Achilles
Talis in hoste fuit Priamo.

Valerius Flaccus, l. III, v. 197:

Vulnus et extrema sonuit *cĭta* casside cuspis.

Ovidius, Metam. II, v. 327:

Hic *sĭtus* est Phaeton currus auriga paterni.

APPENDIX I.

Cĭtum a *cieo*, secundæ declinationis, priorem brevem habet, unde *concĭtus*, *excĭtus*, penultima brevi.

Virgilius, Æn. XII, v. 902 :

> Altior insurgens, et cursu *concĭtus* heros.

Ovidius, de Invidia, Metam. II, v. 779 :

> Nec fruitur somno vigilantibus *excĭta* curis.

Citum vero a *cio*, quarti ordinis, priorem producit, unde *concītus*, *excītus*, penultima longa. Lucanus, l. V, v. 597 :

> Inde ruunt toto *concīta* pericula mundo.

Idem, l. I, v. 239 :

> Rupta quies populi stratisque *excīta* juventus.

APPENDIX II.

Ruo nunc facit *ruitum* supino; priscis seculis *rŭtum* fecit, unde exstant composita *dirŭtum*, *erŭtum*, *obrŭtum*. Ovidius, ep. 1, v. 51 :

> *Dirŭta* sunt aliis, uni mihi Pergama restant.

Virgilius, Æn. XI, v. 279 :

> Nec mihi cum Teucris ullum post *erŭta* bellum
> Pergama.

APPENDIX III.

Statum videtur priorem habere communem, inde enim *stătus, us*, et *stătus, a, um* priore brevi oriuntur, et composita quæ per *i* efferuntur, ipsum corripiunt, ut *præstĭtum*. Ovidius, Fast. V, v. 33 :

> Hic *stătus* in cœlo multos permansit in annos.

Idem, Fast. I, v. 660 :

> Musa, quid a fastis non *stăta* sacra petis?

Inde etiam *stāturus*, *constāturus* et quæ per *a* efferuntur, eamdem producunt. Lucanus, l. III, v. 381 :

> Tunc res immenso placuit *stătura* labore.

Martialis, l. X, epigr. 41, v. 5 :

> *Constătura* fuit Megalensis purpura centum.

Novem sunt supina quæ priorem corripiunt. Virgilius, Æn. VII, v. 152 :

Tum *sătus* Anchisa delectos ordine ab omni.

Lucanus, l. I, v. 2 :

Jusque *dătum* sceleri canimus, populumque potentem.

Virgilius, Georg. IV, v. 99 :

Ardentes auro, et paribus *lĭta* corpora guttis.

Ovidius, Metam. I, v. 138 :

Poscebatur humus, sed *ĭtum* est in viscera terræ.

Quĭtum rarum est, cujus brevitas ex Hecyra Terentiana, act. IV, sc. 1, v. 572, probatur.

Composita ex *cieo* interdum etiam secundæ sunt conjugationis, sed multo frequentius quartæ. Livius, l. I, c. 59 : « Elatum domo Lucretiæ corpus in forum deferunt, *concient*que miraculo, ut fit, rei novæ atque indignitate homines. » Plautus, Mercat. act. V, sc. 2, v. 36 :

Hic facit tranquillitatem, iste omnes fluctus *conciet*.

Rutum fuisse apud priscos in usu, argumento sunt *ruta* jurisconsultorum; sunt enim *ruta*, ut Ulpianus inquit, Dig. XIX, 1, 17 : « Quæ eruta sunt, ut arena, creta, et similia. » Prisciano, l. X, p. 882, videntur *dirutus*, *erutus*, et similia verba esse imminuta, pro plenis *diruitus*, *eruitus*.

Statum priorem habet longam, ut idem Priscianus ait, l. IX, p. 863. *Staturus* crebro reperitur prima longa. Lucanus, l. II, v. 566 :

Hinc acies *stātura* ducum.

Et l. II, v. 719 :

Et *stātura* redit.....

PRÆCEPTUM VII.

DE SUPINIS POLYSYLLABIS

452. Supina in *tum* polysyllaba, præcedente *u*, habent penultimam longam, ut *solūtum*, *argūtum*, *indūtum*, etc. Virgilius, Æn. IX, v. 189 :

Lumina rara micant; somno vinoque *solūti* (1)
Procubuere.

Item in *tum* a præteritis in *vi* per *v* consonantem, ut *cupivi*, *cupītum*; *petivi*, *petītum*. Ovidius, l. IV, eleg. 1, v. 3 :

Exsul eram, requiesque mihi, non fama *petīta* est.

EXCEPTIO.

Agnovi tamen et *cognovi*, *agnĭtum*, *cognĭtum* penultimam brevem habent. Ovidius, Trist., l. III, eleg. V, v. 9 :

Idque recens præstas, nec longo *cognĭtus* usu.

---

(1) Lemaire : « vinoque *sepulti*..... » Forbiger et Teubner, *soluti*.

PRÆCEPTUM VIII.

453. Supina in *itum* a præteritis in *ui* per *u* vocalem, habent penultimam brevem, ut *monui, monĭtum; tacui, tacĭtum*. Virgilius, Æn. VI, v. 620 :

> Discite justitiam *monĭti*, et non temnere Divos.

Idem, ibid., v. 842 :

> Quis te, magne Cato, *tacĭtum*, aut te, Cosse, relinquat?

PRÆCEPTUM IX.

DE DERIVATIS

454. Derivata sequuntur naturam eorum a quibus derivantur, ut *lĕgebam, lĕgam, lĕge, lĕgito*, prima brevi, quia oriuntur a præsenti *lĕgo, lĕgis*, cujus prior itidem brevis est.

Lēgero, lēgissem, lēgero, lēgisse, prima longa, quia a præterito *lēgi* nascuntur, cujus prior etiam longa est.

Arātrum, simulācrum, ambulācrum, lavācrum, volutābrum, involūcrum, penultima longa, quia a supinis *arātum, simulātum, ambulātum, lavātum, volutātum, involūtum*, deducuntur, quorum penultima similiter longa est.

Redĭtus, exĭtus, introĭtus, penultima correpta, quia supina unde fiunt, eamdem habent brevem.

EXCEPTIO.

Multa quæ suæ originis naturam non sequuntur, usu assiduaque poetarum lectione sunt discenda; cujusmodi sunt *fōmes, mōbilis, lāterna, rēgula*, quæ primam habent longam, cum verba *fŏveo, mŏveo, lăteo, rĕgo*, a quibus proficiscuntur, eamdem corripiant.

Contra *lŭcerna, ărista, sŏpor, vădum*, primam corripiunt, cum verba *lūceo, āreo, sōpio, vādo*, a quibus declinantur, eamdem producant.

Hic putavi testimoniis supersedendum, ne longior essem. Addunt quidam huic præcepto : *dummodo eadem consonans maneat*, quod de industria prætermisimus, cum totidem aut plura sint quæ, mutata consonante, nihilominus primigenii quantitatem sequentur, ut *simulācrum, involūcrum*, etc.

PRÆCEPTUM X.

DE COMPOSITIONE

455. Composita brevitatem vel longitudinem simplicium sequuntur. In *perlĕgo*, *relĕgo*, *e* ante *g* brevis est, quia in simplici *lĕgo* etiam corripitur.

In præterito *perlēgi*, *relēgi*, producitur, quia in simplici *lēgi* itidem longa est.

Attĭgi, *concĭdi*, *diffĭdi*, *ebĭbi*, *rescĭdi*, *i* literam habent brevem, quia in simplicibus eadem vocalis corripitur, *tetĭgi*, *cecĭdi* a *cado*, etc.

Oblĭtum, *insĭtum*, *circumdătum*, *desĭtum*, penultimam ob eamdem causam habent brevem; nam a *lĭtum* fit *oblĭtum*, etc.

APPENDIX.

Quantitas simplicium servatur in compositis, quamvis vocales mutentur; sic, *concĭdo*, *excĭdo*, *incĭdo*, *occĭdo*, *recĭdo* a *cado*, penultimam corripiunt; *elĭgo*, *selĭgo* a *lĕgo*.

Contra *concīdo*, *excīdo*, *incīdo*, *occīdo*, *recīdo*, a *cædo*, eamdem producunt; sic *allīdo*, *collīdo*, a *lædo*; *exquīro*, *requīro*, a *quæro*; *obēdio*, *obēdis*, ab *audio*. Virgilius, Æn. XII, v. 828 :

*Occĭdit, occĭderit*que sinas cum nomine Troja.

Juvenalis, Sat. VII, v. 154 :

Occīdit miseros crambe repetita magistros.

Hæc a simplicibus longis orta corripiuntur : *dejĕro*, *pejĕro*, a *jūro*; *pronŭba*, *innŭba* a *nūbo*; *semisŏpitus* a *sōpitus*; *maledĭcus*, *causidĭcus*, *veridĭcus*, *fatidĭcus* a *dīco*; *nĭhĭlum*, ex *nī* et *hīlum*. Horatius, l. II, sat. 3, v. 210 :

Stultitiane erret *nĭhĭlum* distabit an ira.

Connubium a *nūbo* secundam syllabam habet communem. Virgilius, Æn. III, v. 319 :

Hectoris, Andromache, Pyrrhin' *connūbia* servas.

Idem, Æn. I, v. 73 :

Connŭbio jungam stabili, propriamque dicabo.

Posuimus plura exempla, ut ex his atque similibus tirones assuescant in compositis syllabarum quantitatem investigare.

Pronubus et *innubus* genere virili prætermisimus, quæ non videntur usitata. *Nihilum*, ut placet grammaticis, ex *ni*, quod apud veteres *non* significabat, et *hilum* componitur. Festus *hilum* putat esse quod grano fabæ adhæret, ex quo *nihil* et *nihilum*. Nonius, c. 2, 402 : « *Hilum*, inquit, breve quoddam significat. » Lucilius, l. XXX :

Quodque tuas laudes culpas, non proficis *hilum*.

Ambitus nomen hic etiam excipiendum est, si Prisciano credimus; nam l. X, p. 910, docet *ambio* compositum ex verbo *eo* solum mutasse *e* in *i*, et more eorum quæ in *io* desinunt, penultimam supini habere longam, unde *ambītus* participium media longa. Ovidius, Metam. I, v. 37 :

Jussit et *ambītæ* circumdare littora terræ.

Ambĭtus vero nomen eamdem habet brevem, differentiæ causa. Lucanus, l. I, v. 179 :

. . . . . Lethalisque *ambĭtus* Urbi.

Semisŏpītus. Ovidius, ep. 10, v. 10 :

Theseu prensuras *semisŏpīta* (1) manus ;

et alibi apud eumdem. *Sōpio* et *sōpitus* primam producunt. Ovidius, Metam. VII, v. 149 :

Pervigilem superest herbis *sōpire* draconem.

Virgilius, Æn. I, v. 680 :

Hunc ego *sōpitum* somno super alta Cythera.

Comitium habere penultimam longam contra simplicis naturam *ĭtum* non potest probari ex carmine Silii, l. VIII, v. 284 :

Cernebat Paulus, namque huic *comītia* campus,
Jura atque arma tulit;

cum non *comitia*, sed *communia* habeant libri correcti.

(1) Scribitur nunc : *semisupina ;* quod cum olim scriberetur *semisopina*, eo factum esse aiunt ut admitterent *semisopita*. Alius voluit *semisepulta*. (Vid. Ovid. varior., Oxon., Lemaire.) De hoc verbo dicebat Vossius, l. II, c. 17 : « Existimare aliquis possit pro *semisopita* utrobique esse *semisopora* legendum ; » quod tamen fatetur nullos codices habere.

DE PRÆPOSITIONUM COMPOSITIONE

456. Breves sunt :

Ab,	ut *ăbeo*,	*Ob*,	ut *ŏbeo*,
Ad,	*ădoro*,	*Per*,	*pĕreo*,
Ante,	*antĕfero*,	*Re*,	*rĕfero*,
Circum,	*circŭmago*,	*Sub*,	*sŭbeo*,
In	*ĭnuro*,	*Super*,	*supĕraddo*.

Item *a* græca præpositio ut *ădamas*, *ădytum*, *ătomos*. Juvenalis, Sat. VII, v. 164 :

Circŭmagat madidas a tempestate cohortes.

Virgilius, Æn. I, v. 94 :

Talia voce *rĕfert :* O terque quaterque beati.

Ovidius, Fast. III, v. 805 :

Immolat hunc Briareus, facta ex *ădamante* securi.

Virgilius, Æn. VI, v. 98 :

> Talibus ex *ădyto* dictis Cumæa Sibylla.

EXCEPTIO.

Refert, hoc est, interest, seu necesse est, *re* habet longum. Martialis, l. IX, epigr. 100, v. 9 :

> Multum, crede mihi, *rēfert* a fonte bibatur
> Quæ fluit, an pigro quæ stupet unda lacu.

Virgilius, Georg. II, v. 104 :

> . . . . . Neque enim numero comprehendere *rēfert.*

Hic sunt in memoriam reducendæ superiores præceptiones de positione, de vocali ante vocalem; *rejicio* enim, *rejeci* primam habent longam positione, siquidem *i* inter duas vocales duplex est. *Objicio, adjicio, subjicio* primas etiam positione duarum consonantium producunt : nam *i* litera, quæ priore loco scribitur, consonans est, ut in simplici *jacio;* quæ vero posteriore, vocalis, quæ ex *a* simplici facta est. Interdum tamen *i* consonans a poetis rejicitur, servata vocali; qua de re supra diximus, cum de compositis *bijugus, quadrijugus* egimus, ubi exempla invenies.

Poetæ *rettuli, repperi* frequenter geminatis consonantibus producunt. Ovidius, Metam. XIII, v. 141 :

> . . . . . Sed enim quia *rēttulit* Ajax
> Esse Jovis pronepos.

Lucanus, Phars. I, v. 499 :

> *Rēppulit* a Libycis immensum syrtibus æquor.

Ausonius, epigr. 22, v. 3 :

> At qui condiderat, postquam non *rēpperit* aurum.

Ovidius, Pont. III, ep. 2, v. 82 :

> Consortes urbis *rēpperit* (1) esse suæ.

Redduco non apud Lucanum, sed Lucretium legitur : item *reccido, rellatus, refficio,* quem nolim imitari (2). Illud Propertii, l. IV, eleg. 8, v. 44 :

> *Reccidit*, inque suos mensa supina pedes,

legitur et *decidit.*

Cohæreo, cohibeo, etc., in quibus *con* præpositio *n* literam amittit ob sequentem vocalem, primam corripiunt. In verbo *comedo, n* migravit in *m,* brevi *o*. Juvenalis, Sat. XIII, v. 84 :

> Si vero et pater est; *cŏmedam*, inquit, flebile nati
> Sinciput.

Verbum *cogo,* quod *coago* scribendum fuit, ut *coactum* ejus supinum, priorem habet longam, quæ ex duabus brevibus *o* et *a* in unam contractis facta est. Virgilius, Eclog. III, v. 20 :

> Tityre, *cōge* pecus; tu post carecta latebas.

Anhelo, anhelus, primam habent brevem, quæ ex præpositione *am, m* mutata in *n,* facta sunt. Virgilius, Æn. V, v. 739 :

> Et me sævus equis Oriens afflavit *ănhelis.*

Quo pacto *con* et *am* afficiantur sequentibus voca-

(1) Lemaire et Teubner, post alios : *comperit.*

(2) Scribit Lemaire *reducit, recidit, relatus,* atque ad I, 229 :

> *Reducit* Venus; et *reductum* dædala tellus;

annotat : « Alii, metro consulentes, legunt *redducit,* et sic sæpius alibi; parum interest. » Vid. I, 857 et 1062; II, 1001; IV, 994; V, 281, 1336; ubi Teubner solet consonantem geminare.

libus, aut consonantibus, diximus cum de præteritis verborum egimus.

Omitto, operio primas habent breves, quia ex *ob* præpositione composita sunt; sed *b* extritum est. Horatius, l. I, ep. 1, v. 98 :

Quod petiit spernit; repetit quod nuper *ŏmisit.*

Virgilius, Æn. IV, v. 352 :

Nox *ŏperit* terras, quoties astra ignea surgunt.

PRÆPOSITIONES LONGÆ

457. *A, e, de, di, se,* longæ sunt, ut *āmitto, ērumpo, dēduco, dīripio, sēparo.* Virgilius, Æn. I, v. 217 :

Amissos longo socios sermone requirunt.

Idem, Æn. III, v. 71 :

Dēducunt socii naves, et littora complent.

Idem, Æn. I, v. 211 :

Tergora *dīripiunt* costis, et viscera nudant (1).

EXCEPTIO.

Dirimo et *disertus di* corripiunt. Virgilius, Æn. V, v. 467 :

Cede Deo; dixitque, et prælia voce *dĭremit.*

Martialis, l. VI, epigr. 48 :

Quod tam grande sophos clamat tibi turba togata;
Non tu, Pomponi, cœna *dĭserta* tua est.

Nihil attinet hic annumerare quæ positione aut diphthongo longæ sunt, ut *abs, ex, post, præ; trans* amissis duabus consonantibus nihilominus producitur, ut *trāno, trāduco, trādo.* Virgilius, Æn. VI, v. 671 :

. . . . . Illius ergo
Venimus, et magnos Erebi *trānavimus* amnes.

Martialis, l. I, epigr. 54, v. 3 :

Quæ tua *trāducit* manifesto carmina furto.

Idem, l. XI, epigr. 5, v. 3 :

Ardua res hæc est, opibus non *trādere* mores.

1) Heyne et Teubner, *deripiunt.* Forbiger, *diripiunt.*

De, sequenti vocali, corripitur, ut *dĕhisco.* Virgilius, Æn. IV, v. 24 :

Sed mihi vel tellus optem prius ima *dĕhiscat.*

Interdum cum eadem in unam syllabam coalescit, ut *dēesse, dēerat.* Lucanus, Phars. III, v. 42 :

Quantum *dēesse* solet lunæ, seu plena figura est.

Ovidius, Metam. I, v. 76 :

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
Deerat adhuc.

Sed de his in Figuris.

PRO PRÆPOSITIO

458. *Pro* præpositio brevis est apud Græcos, ut *Prŏpontis;* longa apud Latinos, ut *prōveho.* Ovidius, Pont. IV, ep. 9, v. 118 :

Misit in has si quos longa *Prŏpontis* aquas.

Virgilius, Æn. III, v. 72 :

Prōvehimur portu, terræque urbesque recedunt.

EXCEPTIO.

Corripe quæ *fundus*, *neptis*, *fugio*que, *nepos*que,
Et *fari*, *festus*, *fateor*, *fanum*que crearunt;
Huc *prŏfugus* spectat, cui junge *prŏfano*, *prŏtervus*;
Huc, *prŏficiscor*, ades; properate, *prŏcella*, *prŏfecto*,
Tuque, *prŏpago*, genus; vitis *prōpago*, recede.

Virgilius, Æn. I, v. 561 :

Tum breviter Dido vultum demissa *prŏfatur*.

Propertius, l. III, eleg. 21, v. 1 :

Magnum iter ad doctas *prŏficisci* cogor Athenas.

Lucanus, Phars. II, v. 546 :

Ad Cinnas Mariosque venis; sternere *prŏfecto*.

Idem, ibid., VI, v. 589 :

Quam prior affatur Pompeii ignava *prŏpago*.

Virgilius, Georg. II, v. 26 :

. . . . . Pressos *prōpaginis* arcus.

APPENDIX.

Propino, *procuro*, primam habent communem; *profundo* rarissime eamdem producit.

Sunt qui existiment *profundus*, *proneptis*, *profugio*, *pronepos*, *profari*, *professus*, *profiteor*, *profanus*, et cætera latina quæ hic numerantur, non ex præpositione *pro*, sed ex adverbio *procul* esse composita. Persa, sat. VI, v. 52:

> . . . . . Age si mihi nulla
> Jam reliqua ex amitis, patruelis nulla, *prŏneptis*
> Nulla manet patrui.....

Valerius Flaccus, Argon. VII, v. 537:

> Contingat vix deinde mori; sic fata *prŏfugit*.

Ovidius, Metam. X, v. 606:

> Est Neptunus avus, *prŏnepos* ego regis aquarum.

Horatius, l. II, sat. 3, v. 143:

> Qui Veientanum festis potare diebus
> Campana solitus trulla, vappamque *prŏfestis*.

Ovidius, Remed. am., v. 515:

> Utilitas lateat, quod non *prŏfitebere* fiet.

Horatius, Arte poet., v. 14:

> Incœptis gravibus plerumque, et magna *prŏfessis*.

Virgilius, Æn. VI, v. 258:

> . . . . . Procul, o procul este, *prŏfani*.

Ovidius, III, de Am., eleg. 9, v. 19, de morte Tibuli:

> Scilicet omne sacrum mors importuna *prŏfanat*.

Idem, Epist. VIII, v. 84:

> Damnaret nati facta *prŏterva* pater.

Participium *profectus* a *proficiscor* etiam primam corripit. Virgilius, Æn. VIII, v. 51:

> Arcades his oris, genus a Pallante *prŏfectum*.

Qui primam putant etiam longam esse, dubiis testimoniis id docent: itaque tutius corripietur.

Cæterorum exempla trita sunt. *Profecturus* a *proficio* primam producit. Ovidius, Epist. V, v. 116:

> Non *prōfecturis* littora bubus aras.

Prohibeo primam corripit, quia sequitur vocalis. Virgilius, Æn. III, v. 265:

> Di, *prŏhibete* minas; di, talem avertite casum.

Propago, cum progeniem significat, primam corripit; cum vero depressam vitem, eamdem producit.

Propino verbum est græcum προπίνω: quo tamen Latini crebro utuntur. Martialis, l. XII, ep. 74, v. 9:

> Hoc quoque non nihil est, quod *prŏpinabis* in istis;
> Frangendus fuerit si tibi, Flacce, calix.

Idem, l. VI, ep. 44, 6:

> Nemo *prŏpinabit*, Calliodore, tibi.

Ovidius, Fast. III, v. 343:

> Risit; et his, inquit, facito mea tela *prŏcures*

Virgilius, Æn. IX, v. 157:

> Quod superest, læti bene gestis corpora rebus
> *Prōcurate*, viri.

Idem, Æn. XII, v. 154:

> Vix ea; cum lacrymas oculis Juturna *prŏfudit*.

Ovidius, Metam. IX, v. 679:

> . . . . . Et lacrymis vultum lavere *prŏfusis*.

Catullus, carm. 64, v. 202:

> Has postquam mœsto *prōfudit* pectore voces

Propello, *propulso* etiam primam habent brevem apud Lucretium, l. IV, v. 195:

> Est procul a tergo, quæ provehat atque *prŏpellat*.

Ibidem, v. 581:

> Verba *prŏpulsantes* (1) iterabant dicta.....

Tutior est utriusque productio.

(1) Lemaire, *repulsantes*.

Propago verbum apud solum Lucretium ex poetis, nisi me fallit memoria, legi, qui prima modo longa, modo brevi utitur in eadem significatione; l. I, v. 196:

> *Prōpagare* genus possit, vitamque tueri.

Ibidem, v. 281 :

> Nec ratione fluunt alia stragemque *prŏpagant.*

Verba *procio, profugo, as,* inusitata sunt.

Procello incertum est an primam habeat brevem; nam Lucretii versus quo id confirmandum esset, sic legitur, l. VI, v. 447 :

> Turbinis immanem vim provomit, atque *procellæ,*

non *procellit* (2).

(2) Lemaire, *procellat,* post Forbiger affirmantem sic esse in omnibus libris Mss. et editt. antiquissimis, quamvis hic vulgo legatur *procellæ.* — Quicherat, in Thesauro poetico : « Turbinis..... atque *procellit ;* » affertque hæc ex Servio ad Æn. I, v. 89 : « Dicta *procella,* quod omnia *procellat,* hoc est, moveat. » Sed in duabus editt., Henricopetrina, Basileæ 1561, et Veneta 1552, habet Servius : « Dicta *procella* ab eo quod omnia *percellat.* » Teubner habet quæ Alvarus.

E IN COMPOSITIONE

459. Si prior pars compositi *e* vocali terminetur, fere brevis est, ut *liquĕfacio, tepĕfacio, temĕfacio, stupĕfacio, nĕfas.* Virgilius, Georg. I, v. 473 :

> Flammarumque globos, *liquĕfacta*que volvere saxa.

Idem, Æn. IX, v. 333 :

> . . . . . Atro *tepĕfacta* cruore
> Terra, torique madent.

Juvenalis, Sat. XIII, v. 54 :

> Credebant hoc grande *nĕfas* et morte piandum,
> Si juvenis vetulo non assurrexerat.

EXCEPTIO.

Excipe *nēquis, nēqua, nēquod, nēquam, nēquitia, nēquaquam, nēquicquam, nēquando, vidēlicet, venēficus, venēfica.* Virgilius, Æn. XII, v. 565 :

> *Nēqua* meis esto dictis mora; Jupiter hac stat.

Ovidius, Epist. VI, v. 19 :

> Barbara narratur venisse *venēfica* tecum.

Hic de latinis vocibus agimus; græcæ enim ex ε, vel η, vel diphthongo cognoscuntur, ut *archetypus, Nereus, Evander.*

Tepefacio et *liquefacio* fere semper corripiuntur. Horatius, l. II, sat. 3, v. 136:

> In matris jugulo ferrum *tepĕfecit* acutum.

Ovidius, Epist. I, v. 19 :

> Sanguine Tlepolemus Lyciam *tepĕfecerat* hastam.

Virgilius, Æn. IX, v. 588 :

> Et media adversi *liquĕfacto* tempora plumbo
> Diffidit.

Idem, Georg. IV, v. 36 :

> Cogit hiems, eademque calor *liquĕfacta* remittit.

Catullus, carm. 64, v. 361, produxit :

> Alta *tepēfaciet* permista flumina cæde.

Et Ovidius, Metam. VII, v. 161 :

> Thura *liquēfiunt*, inductaque cornibus aurum.

Sed uterque, necessitate constrictus, longa pro brevi usus est; id quod Epici poetæ solent facere in dictionibus tres breves continuas habentibus, more Græcorum, ut *Prĭamides*. Virgilius, Æn. VI, v. 494 :

> Atque hic *Prīamiden* laniatum corpore toto
> Deiphobum vidit.

Lucretius *e* produxit in *expergefacio*, *patefacio*, *patefio*, *rarefacio*, quæ nondum quod meminerim, apud cæteros poetas legi, ne brevia quidem. L. IV, v. 996 :

> *Expergēfacti*que sequuntur inania sæpe.

Et IV, v. 346 :

> Atque *patēfecit* quas ante obsederat ater.

Et VI, v. 1000 :

> Causa *patēfiet*, quæ ferri pelliceat vim.

Et VI, v. 871 :

> Et *rarēfecit* calido miscente vapore.

Nequam, auctore Varrone, de Ling. lat., l. X, 91, ex *ne* et *quicquam*, media syllaba extrita, coactum est. Horatius, l. II, sat. 7, v. 100 :

> Arma viri? *nēquam*, et cessator Davus; at ipse.

Ovidius, Fast. I, v. 414 :

> *Nēquitia* est quæ te non sinit esse senem.

Videlicet ex *videre* et *licet* factum est. Lucretius, l. I, v. 835 :

> Ossa *vidēlicet* e pauxillis atque minutis.

I VEL *Y* IN COMPOSITIS

460. Si prior pars compositionis in *i* vel *y* desinat, corripitur, ut *omnĭpotens*, *causĭdicus*, *Palĭnurus*, *Polỹdorus*. Virgilius, Æn. X, v. 100 :

> Tum pater *omnĭpotens*, rerum cui summa potestas,
> Infit.

Martialis, V, epigr. 33 :

> Carpere *causĭdicus* fertur mea carmina; qui sit,
> Nescio; si sciero, væ tibi, *causĭdice*.

Virgilius, Æn. V, v. 871 :

> Nudus in ignota, *Palĭnure*, jacebis arena!

Idem, Æn. III, v. 45 :

> Nam *Polỹdorus* ego.....

EXCEPTIO I.

I longum habent *ibīdem*, *ubīque*, *īdem*, pronomen virile; *bīgæ*, *quadrīgæ*,

bīduum, trīduum, sīquis, sīqua, sīquod, scīlicet, īlicet, tībicen, melīphyllon, Trīnacria. Martialis XII, epigr. 47 :

Difficilis, facilis, jucundus, acerbus es *īdem.*

Idem, II, epigr. 6, v. 12 :

Si toto tibi *trīduo* legatur.

Virgilius, Æn. V, v. 555 :

Trīnacriæ mirata fremit, Trojæque juventus.

Ovidius, Rem., v. 421 :

Parva necat morsu spatiosum *vīpera* taurum.

Idem, Trist. IV, eleg. 1, v. 1 :

Sīqua meis fuerint, ut erunt vitiosa, libellis,
Excusata suo tempore, lector, habe.

Ubicumque frequentius *i* habet breve. Martialis, l. I, ep. 3, v. 1 .

Qui tecum cupis esse meos *ubĭcumque* libellos.

Ovidius tamen produxit. Metam. VII, v. 736 :

Servor *ubīcumque* est, etc.

EXCEPTIO II.

Item composita ex *dies*, ut *merĭdies*, *merĭdior*, *quotĭdie*, *quotĭdianus*, etc. Martialis, l. III, epigr. 20, v. 13 :

Inter tepentes post *merĭdiem* buxos
Sedet.

EXCEPTIO III.

Si *i* fixum non fuerit, sed pro genere et casu mutetur, longum erit, ut *quīdam*, *quīvis*, *quīlibet*, *tantīdem*. Martialis, l. IX, epigr. 98, v. 1 :

Rumpitur invidia *quīdam*, carissime Juli;
Quod me Roma legit, rumpitur invidia.

Ovidius, Art. I, v. 444 :

Pollicitis dives *quīlibet* esse potest.

Hæc præceptio tam græcas quam latinas dictiones complectitur. Virgilius, Æn. III, v. 360 :

> Qui *trĭpodas*, Clarii lauros, qui sidera sentis.

Idem neutrum priorem habet brevem. Martialis, l. XII, epigr. 26, v. 16 :

> Et faciamus *ĭdem*, nec mereamur *ĭdem*.

Biduum primam producit, ut *triduum*. Terentius, Eunuch. act. I, sc. 2, v. 187 :

> Rus ibo, ibi hoc me macerabo *bīduum*.

Senarius est iambicus.

Siquidem, compositum ex *si* et *quidem*, semper primam corripit. Lucanus, Phars. IV, v. 258 :

> Hoc *sĭquidem* solo civilis crimine belli.

Si vero disjungantur *si quidem*, *si* semper producitur.

Scilicet ex *scire* et *licet* copulatum est. Virgilius, Æn. II, v. 577 :

> *Scīlicet* hæc Spartam incolumis, patriasque Mycenas
> Aspiciet?

Ilicet, ex *ire* et *licet*. Idem, ibid., v. 758 :

> *Ilicet* ignis edax summa ad fastigia vento
> Volvitur.

Meliphyllon herba est quæ a Varrone, de Re Rust., l. III, c. 16, *apiastrum* dicitur. Virgilius, Georg. IV, v. 63 :

> Trita *melĭphylla* (1) et cerinthæ ignobile gramen.

Trinacria Sicilia est, dicta a τρίς et ἄκρα, quod tria habeat promontoria, Pachynum, Lilybeum, Pelorum; ἄκρα enim græce *promontorium* est latine.

Ubivis, *ubilibet* aiunt etiam mediam longam habere, quamvis *ubi* ultimam habeat ancipitem. *Ubicumque* fere corripitur. Lucanus, Phars. VII, v. 675 :

> Præstandum est *ubĭcumque* caput; sed tu quoque, [conjux.

Idem, ibid., IV, v. 119 :

> Et pigras, *ubĭcumque* jacent, effunde paludes.

Martialis, l. VIII, epigr. 10, *lucrifecit* dixit secunda longa :

> Emit lacernas millibus decem Bassus
> Tyrias coloris optimi; *lucrīfecit*.

Scazon est. Aut certe dicendum est *lucri* genitivum esse, quales sunt *parvi*, *magni*, etc. Separatur enim interdum a verbo. Plautus, Pers. act. IV, sc. 4, v. 117 :

> . . . . . Cara est, *fecisti lucri*.

Ausonius in monostichis Cæsarum, carm. 259, v. 6, *matricida* antepenultima longa dixit :

> *Matrīcida* Nero proprii vim pertulit ensis;

repugnante tamen analogia, nam *parricida* eamdem habet brevem. Horatius, l. III, Ode 29, v. 8 :

> Telegoni juga *parrĭcidæ*.

Carmen constat ex duobus dactylis et totidem choreis.

Composita ex *dies* sunt etiam *pridie*, *postridie*, *pridianus*, *meridianus*. Catullus, carm. 68, v. 139, in *quotidianus* solita licentia usus est, siquidem corripuit secundam, quam Martialis semper producit; l. XI, ep. 1, v. 1 :

> Quo tu, quo, liber otiose, tendis,
> Cultus sindone non *quotĭdiana*?

Idem, l. X, epigr. 65, v. 8 :

> Levis dropace te *quotīdiano*.

(1) Heyne, Forbig. et Teubner : « Trita *melisphylla*. »

O IN COMPOSITIS

461. *O* in græcis dictionibus priorem compositi partem claudens, corripitur, ut *Cymŏthoe*, *Carpŏphorus*, *Argŏnauta*. Martialis, de Spect., epigr. 27, v. 1 :

> Secula *Carpŏphorum*, Cæsar, si prisca tulissent :
> Jam nullum in monstris orbe fuisset opus.

Idem, l. III, ep. 67, v. 10 :

Non nautas puto vos, sed *Argŏnautas.*

EXCEPTIO.

Quæ per ω *mega* apud Græcos scribuntur, longa sunt : γεωμέτρης, *geōmetra;* Λαγώπους, *Lagōpus;* nec plura facile invenias quibus utantur Latini. Martialis, l. VII, epigr. 87, v. 1 :

Si meus aurita gaudet *lagōpode* (1) Flaccus.

Γεώλοφος, *geolophus,* γεωμόρος, *geomerus,* Latinis inusitata sunt; Λευκόπετρα, *Leucopetra*, per *omicron* scribitur, quemadmodum et Θεόφιλος, *Theophilus* et *Theophila.* Martialis in *Theophila* secundam produxit, quod tres breves continuæ essent, l. VII, epigr. 69, v. 1 :

Hæc est illa tibi promissa *Theōphila,* Cani.

Fannius, interpres Dionysii, *Leucopetram* contra Græcorum quantitatem produxit :

Ad *Leucōpetram* (2) longissima rura tenentes.

Juvenalis, Sat. III, v. 76, aut *o* in *geometres* corripuit, aut certe *e* et *o* in unam syllabam contraxit :

Grammaticus, rhetor, *geometres,* pictor, aliptes.

Sic enim in correctis libris legitur, non *geometra.*

O in latinis dictionibus sæpe producitur, ut *nōlo, quandōque, quandōcumque, intrōduco, retrōversus.* Horatius, Arte poet., v. 359 :

Indignor, *quandōque* bonus dormitat Homerus.

(1) Lemaire, *glaucopide.* Vide n. 168.

(2) Lemaire in Prisciani periegesi (Poet. Latin. minor. vol. IV), v. 357 : « Ad *Leucen Petram.....* » Poema illud alii Prisciano, alii Rhemnio Fannio attribuerunt. » Krehl vero scripsit ut Alvarus.

Ovidius, Metam. VI, v. 544 :

Quandōcumque mihi pœnas dabis : ipsa, pudore.....

Lucretius, l. III, v. 630 :

Sic animas *intrōduxerunt* sensibus auctas.

Ovidius, Metam. IV, v. 655 :

Ipse *retrōversus* squalentia prodidit ora.

Hodie corripitur. Juvenalis, Sat. III, v. 23 :

Res *hŏdie* minor est, heri quam fuit, atque eadem cras.

Quandŏquidem. Virgilius, Eclog. III, v. 55 :

Dicite, *quandŏquidem* in molli consedimus herba.

Sacrosanctus habeatne brevem an longam secundam judicabunt doctiores. — *Bardocucullus o* habet breve. Martialis, XIV, epigr. 128, v. 1 :

Gallia Santonico vestit te *bardŏcucullo.*

Controversus, controversor, controversia videntur etiam corripi, in qua sententia est Sidonius, l. VIII, ep. 11, v. 29 :

Declamatio *contrŏversiarum.*

Qui si classicus fuisset, omnis dubitatio sublata esset.

DE NOMINUM INCREMENTO

QUID SIT INCREMENTUM

462. Si genitivus singularis par fuerit nominativo syllabarum numero, nullum erit incrementum, ut *musa, musæ; dominus, domini.*

Sin longior fuerit, tum penultima genitivi incrementum erit, quæ in omnibus casibus utriusque numeri semper genitivi quantitatem servat, ut : *sermo, sermōnis, sermōni, sermōnes, sermōnibus;* ubique *o* longum est. Præter *bōbus*, ubi *o* producitur, quamvis in genitivo singulari corripiatur, *bŏvis.*

APPENDIX.

Iter, supellex, et composita ex *caput*, literis *ps* finita, duplici augentur incremento : *itineris, supellectilis; biceps, bicipitis.*

Supervacaneum existimant multi de nominis incremento agere, cum ex pronuntiatione ipsa facile cognoscatur. Quis enim *hominis* penultima longa, aut *sermonis* brevi unquam dixit? Quod etsi in polysyllabis verum esse non eo inficias, in monosyllabis tamen passim hærere imperitos, nemo est qui dubitet.

Quid? *sal, par, Lar, vas vadis, mas, pes, bos, stips, trabs, scrobs, fax, grex, nex, Phryx, pix, nix, strix, crux, dux, nux, trux*, pronuntiationis beneficio intelliget puer esse corripiendas penultimas *sălis, păris, Lăris?*

Aut contra *Sol, Pan, splen, ren, Nar, ver, fur, vas vasis, Cres, dis, glis, lis, mos, dos, cos, glos, ros, flos, os, crus, rus, mus, plus, thus, plebs, seps, gryps, pax, Thrax, lex, rex, vox, lux, Sōlis, Pānos, splēnis* esse producendas? Nihil minus. Itaque non sunt omnino otiosa præcepta quæ de incremento traduntur.

DE INCREMENTO SINGULARI NOMINIS

INCREMENTUM PRIMÆ DECLINATIONIS

463. *A* incrementum primæ declinationis longum est, ut *aulāi, pictāi.* Virgilius, Æn. III, v. 354 :

Aulāi in medio libabant pocula Bacchi.

Idem, Æn. IX, v. 26 :

Dives equum, dives *pictāi* vestis, et auri.

Veteres interrogandi dandique casus primæ declinationis, ut *aulæ, pictæ,* non per *a* et *e* diphthongum efferebant, *aulæ, pictæ*, sed per *a* et *i,* more Græcorum, *aulai, pictai,* qua diphthongo soluta, etiam prima declinatio suum habet incrementum, alioquin ejus omnino expers. Virgilius, vetustatis amantissimus, hæc carminibus inseruit. Vide Quintilianum, l. I, c. 7, 18.

INCREMENTUM SECUNDÆ DECLINATIONIS

464. *E, i, u* incrementa secundæ declinationis corripiuntur, ut : *miser, misĕri; vir, vĭri; satur, satŭri.* Virgilius, Æn. I, v. 630 :

Non ignara mali, *misĕris* succurrere disco.

Idem, Æn. I, v. 1 :

Arma *vĭrum*que cano, Trojæ qui primus ab oris.

EXCEPTIO.

Iber, Ibēri penultimam habet longam, et ex eo compositum *Celtiber, Celtibēri.* Lucanus, Phars. V, v. 237 :

Interea domitis Cæsar remeabat *Ibēris.*

Martialis, l. I, epigr. 50, v. 1 :

Vir *Celtibēris* non tacende gentibus.

INCREMENTA TERTIÆ DECLINATIONIS

A.

465. *A* incrementum singulare tertiæ declinationis longum est, ut :
Vectigal, Titan, pietas, pax, calcar et *Ajax.*

Ovidius, Fast. III, v. 797 :

Concitat iratus validos *Titānas* in arma.

Virgilius, Æn. I, v. 253 :

Hic *pietātis* honos? sic nos in sceptra reponis?

Idem, Æn. VII, v. 266 :

Pars mihi *pācis* erit dextram tetigisse tyranni.

EXCEPTIO I.

Corripe masculina in *al* et *ar*, ut *sal*, *Annibal*, *Amilcar;*

Par cum compositis, *hepar* cum *nectăre*, *bacchar*,
Cum *vădе*, *mas* et *anas*, queis junges *lar*que *jubar*que.

Vigilius, Æn. I, v. 35 :

Vela dabant læti, et spumas *sălis* ære ruebant.

Silius, l. VIII, v. 277 :

Annibălem Fabio ducam spectante per Urbem.

Idem, l. I, v. 398 :

Cui sævum arridens : Narrabis *Amilcăris* umbris.

Virgilius, Æn. V, v. 744 :

Pergameumque *Lărem*, et canæ penetralia Vestæ.

EXCEPTIO II.

Item græca in *a* et *as*, ut *poema*, *stemma*, *Pallas*, et quæ consonantem habent ante *s*, ut *trabs*, *Arabs;*

Et *dropax*, *anthrax*, *Atrax*, cum *smilăce*, *climax;*
His *Atăcem*, *panăcem*, *colăcem*, *styrăcem*que *făcem*que,
Atque *abăcem*, *corăcem*, *phylăcem* compostaque nectes.

Juvenalis, Sat. VIII, v. 1 :

Stemmăta quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri?

Virgilius, Æn. II, v. 15 :

Instar montis equum divina *Pallădis* arte
Ædificant.

Ovidius, Fast. IV, v. 569 :

Nam modo thurilegos *Arăbas*, modo despicit Indos.

Non excepimus *nar*, quia neutrum est, ut suo loco diximus, quamvis etiam apud Virgilium, Æn. VII, v. 517, masculinum legatur; neque *Car*, quoniam numero singulari inusitatum est. *Lucar*, avis nomen, nusquam est, quod sciam. *Vas vadis* corripitur. Horatius, I, sat. 1, v. 11 :

Ille datis *vădibus*, qui rure extractus in urbem est.

Vas vasis producitur. Martialis, l. XIV, epigr. 98, v. 1 :

> Aretina nimis ne spernas *vāsa* monemus.

Positiones *Candax*, *Pharnax* non sunt in usu, sed *Candace*, *Candaces*, vide Plinium, l. VI, c. 29; a Græcis Κανδάκη, vide Strabonem, l. XVII, p. 821 ; Suidam, et in Actibus Apostolorum, c. 8, v. 27, tum græce, tum latine eodem modo dicitur. Illud : « Candacis Æthiopum dicant arcana, » nusquam apud Juvenalem, quem videtur quidam citare, reperitur.

Pharnaces a Cicerone, Att., l. XI, ep. 21, 2, vocatur, non *Pharnax :* « Multa eum in Asia dicuntur morari, maxime *Pharnaces.* » Et in proxima epistola : « *Pharnaces* autem quoquo modo aget, afferet moram. » Eodem modo ab Hirtio, Bel. Alex., tertio quoque verbo dicitur, c. 76 : « *Pharnaces* cum paucis equitibus profugit. » C. 70 : « Miserat enim *Pharnaces* coronam auream ; » unde fit genitivus *Pharnacis*, ut *Pylades*, *Pyladis; Tigranes*, *Tigranis.* Idem, c. 78 : « Quod sub imperio *Pharnacis* fuerat; » unde Lucanus, Phars. II, v. 637 :

> Tigranemque meum; nec *Pharnăcis* arma relinquas.

Syphax apud antiquos penultimam producit. Propertius, l. III, eleg. 11, v. 61 :

> . . . . . Victi monumenta *Syphācis.*

Ovidius, Fast. VI, v. 769 :

> Postera lux melior, superat Masinissa *Syphācem.*

Claudianus, qui Cæsarum Arcadii et Honorii ætate scripsit, eamdem, de Bello Gild., XV, v. 91, corripuit.

Κόραξ, *corax*, et φύλαξ, *phylax*, quorum posterius Latinis inusitatum est, addidimus propter composita *nycticorax* et *arctophylax*, quæ corripiuntur ut simplicia, quæ apud Græcos sine ulla dubitatione correpta sunt, l. I, epigr. 42 :

> Ρῶ καὶ λάμδα μόνον κόρακας κόλακάς τε διΐστᾷ.

Hesiodus, Ι Ἔργων καὶ ἡμέρων, v. 122 :

> Ἐσθλοὶ ἐπιχθόνιοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.

Manilius, l. I, necessitate coactus, *Arctophylaca* penultima longa dixit :

> Permeat, *Arctophylāca* petens per terga Draconis (1).

Sunt namque quatuor breves continuæ : quanquam enim Græci grammatici tradunt polysyllaba in *ax* penultimam genitivi producere, ut ἱέραξ, *ierax*, credo tamen hæc duo simplicium naturam sequi. Idem docent dissyllaba masculina penultimam genitivi producere, si prior vocalis sit natura longa, ut Φαίαξ, θώραξ, *Phæax*, *thorax;* hinc tamen excipitur δρώπαξ, *dropax*, et nonnulla alia quibus non utuntur Latini. Longis addunt κόρδαξ, *cordax*, quamvis prior non natura, sed positione sit longa, quod apud Aristophanem, Νεφ., v.v. 540, 554, invenies.

Excipiuntur et alia quorum nullus est usus apud Romanos. Ἄνθραξ, *anthrax anthracis*, penultima producta aiunt quidam dicendum esse, cum a Græcis corripiatur, Epigr. l. II Εἰς δείλους, v. 12 :

> Ἄνθρακα, καὶ δάφνην παραθύεται στρατιῶτες.

(1) Poema Manilii, *Astronomicon*, typis mandavit Lemaire, inter Poet. Latin. minores, vol. VI, secutus Jos. Scaligeri recensionem. Porro versum hunc cum præcedenti rejecit Scaliger, quia denotet ignorantiam astronomiæ et modulorum, dum circulum quemdam ignotum memorat, et penultimam producit in *Arctophylaca*.

E.

466. *E* incrementum singulare tertiæ declinationis breve est, ut :

> *Degener*, utque *teres*, *pulvis* cum *funĕre*, *nex*, *grex*.

Ovidius, Metam. IV, v. 634 :

> Mille *grĕges* illi totidemque armenta per herbas
> Errabant.

EXCEPTIO I.

Genitivus *enis* penultimam habet longam, ut : *ren, rēnis; Siren, Sirēnis;*

Ver, Iber, et *locuples, hæres, merces*que, *quies*que,
Lex, vervex, halec, seps, plebs, rex, insuper *halex*.

Martialis, l. VIII, epigr. 27 :

Munera qui tibi dat *locuplēti*, Gaure, senique,
Si sapis et sentis, hic tibi ait : Morere.

EXCEPTIO II.

Item peregrina in *el*, ut *Michael*, et græca in *er* et *es*, ut *Crater, Rhamnes, tapes*, præter *aer* et *æther*. Virgilius, Æn. I, v. 724 :

Cratēras magnos statuunt, et vina coronant.

Idem, Æn. IX, v. 324 :

. . . . . Simul ense superbum
Rhamnētem aggreditur, qui forte *tapētibus* altis
Extructus, toto proflabat pectore somnum.

Iberia regio est juxta Pontum, cujus incolæ *Iberes* dicuntur; vide Plinium, l. VI, c. 11 et 12. *Recimer, Ser, Byzer* numerantur inter græca in *er*; potest et *Iber* inter eadem numerari. Ὑμὴν, ὑμένος per ε a Græcis scribitur. Lege Aristotelem, de Hist. anim., l. III, c. 13. Hujus nominis obliqui non sunt in usu apud Latinos. Consulto prætermisimus quæ aut prisca sunt, ut *Mansues, Mansuetis*, penultima producta; aut nulla sunt, aut vix reperiuntur, ut *subtel, sucrex*, aut Græcis tantum usitata, ut ἡ μύρμηξ, *myrmex*.

I *vel* Y.

467. *I* vel *y* incrementum singulare tertiæ declinationis breve est, ut :

Ordo, pugil, carmen, cespes cum *sanguĭne, princeps*,
Et *chlamys*, atque *Chalybs, pollex*.....

Virgilius, Georg. I, v. 57 :

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi,
At *Chalўbes* nudi ferrum.....

EXCEPTIO I.

Genitivus *inis* vel *ynis* a nominibus græcis penultimam producit, ut *delphin*, *Phorcyn*, *Salamis*. Idem *Nesis*, *Nesīdis*; *Gryps*, *Grȳphis*; *vibex*, *vibīcis*;

> *Glis*, *glīris*; *dis*, *lis*, *Samnis*, quibus adde *Quirītem*.

Virgilius, Eclog. VIII, v. 56 :

> Orpheus in silvis, inter *delphīnas* Arion.

Idem, Æn. VIII, v. 158 :

> Laomedontiadem Priamum *Salamīna* petentem.

Idem, Æn. VI, v. 127 :

> Noctes atque dies patet atri janua *Dītis*.

EXCEPTIO II.

Nomina *ix* vel *yx* syllaba finita penultimam genitivi habent longam, ut *felix*, *bombyx*, *bombȳcis*. Virgilius, Æn. III, v. 493 :

> Vivite *felīces*, quibus est fortuna peracta
> Jam sua.

EXCEPTIO III.

> *I* breve servarunt *histrix* cum *fornĭce*, *varix*,
> *Coxendix*que, *Cilix*, *chœnix*, *natrix*que, *calix*que,
> Atque *calyx* Danaum, nectes *Erўcem*que *nĭvem*que.
> *Sardonўchi* sociatur *onyx*, *pix* hæret utrique,
> Et *salĭces*, *filĭces*, *larĭces*. Sit *bebricis* anceps.
> Sed brevibus junges in *gis* cum patrius exit.
> *Coccyx coccўgis*, *mastix mastīgis* amabit.

Lucanus, Phars. II, v. 594 :

> Armenios *Cilĭcas*que feros, Taurosque subegi.

Idem, Phars. III, v. 684 :

> Nunc *pĭce*, nunc liquida rapuere incendia cera.

Psophis, idis non satis constat an producatur: varie enim *Psophida,* accusandi casus, unde id intelligendum esset, legitur. Statius, Theb. IV, v. 296 :

> Æphitios idem ardor agros, et *Psophĭda* celsam
> Vastat.

Ovidius, Metam. V, v. 607 :

> Usque sub Orchomenon, et *Psophĭda*, Cyllenenque.

Alii, expuncta conjunctione *et,* legunt *Psophidaque* :

> Usque sub Orchomenon, *Psophida*que, Cyllenenque.

Nesis sine controversia producitur. Statius, Silv. III, carm. 1, v. 148 :

> Silvaque, quæ fixam pelago *Nesīda* coronat.

Crenis Crenidis etiam longum est, ut Priscianus, l. VII, p. 755, docet, sine veterum tamen testimoniis. — *Bebryx Bebrycis* longum est apud Silium, III, v. 423 :

> Possessus Baccho sæva *Bebrȳcis* in aula;

breve apud Valerium Flaccum, Argon. II, v. 648 :

> . . . . . Procul effera virtus
> *Bebry̆cis* et Scythici procul inclementia sacri;

unde *Bebrycius* passim a poetis corripitur; quare tutior videtur correptio.

Scandix, coccyx, mastix, cum sint longa, inter brevia numerantur a nonnullis. Primi carmen invenies apud Suidam in verbo σκάνδιξ.

> Σκάνδικά μοι δός μητρόθεν δεδεγμένος.

Senarius iambicus. — Secundi apud Athenæum, l. VII, c. 17 :

> Κόκκυγ' ἢ ὀλίγας πεμφηρίδας ἄλλοτε σαῦρον.

Tertii plurima apud Homerum, Iliad. XVII, v. 479 :

> Ἀλλὰ σὺ μεν μάστιγα καὶ ἡνία σιγαλόεντα
> Δέξαι.

Ubi Eustathius docet in obliquis *i* longum esse natura. Idem nomen ab Homero producitur, Iliad., V, v. 226; XIII, v. 812; XVII, v. 430. — *Mastix, mastichis* a Sereno corripitur (1): a Græcis μαστίχη, μαστίχης declinatur, *mastiche, mastiches,* quo pacto doctiores loquuntur. Plinius, l. XII, c. 36, 1 : « Sed *mastiche* quoque gemina est. »

David ab Hebræis scribitur per *chirec caton,* hoc est *i* breve, quod facillime cognoscitur, cum habeant, ut ante diximus, decem vocales, quinque longas totidemque breves. Quare si latinam declinationem ei demus, *David, Davidis,* videtur corripienda penultima, si hebraicæ quantitatis habenda sit ratio. Græci per *iota* scribunt Δαβίδ, unde intelligi non potest sitne brevis an longa secunda vocalis. Quare, qui eam corripuerit, non recedet a fontibus; qui produxerit, consuetudini serviet. Prior vocalis est *camez,* hoc est, *a* longum natura.

Gadir, punicum verbum, *Gadiris* facit penultima brevi, ut placet Prisciano, l. VI, p. 747, cum numero multitudinis τὰ Γάδειρα per diphthongum a Græcis scribatur. Vide Strabonem, l. III, p. 140, Suidam.

---

(1) Q. Serenus Sammonicus, de Medicina liber, cap. 24, al. 23 :

> Pulegium, abrotonum nitida cum *mastiche* coctum.

Est hic liber tom. IV Collectionis Pisaurensis, et tom. II Poet. minor. latin. Petri Burmanni.

O.

468. *O* incrementum singulare tertiæ declinationis longum est, ut:

> *Unio, sol, Telamon, candor, vox* atque *sacerdos.*

Ovidius, Metam. II, v. 1 :

> Regia *Sōlis* erat sublimibus alta columnis.

EXCEPTIO I.

Græca in *on*, quæ in obliquis habent ο *micron*, corripiuntur, ut *Philemon*, *Palæmon*, *Sindon*, *Agamemnon*, *Jason*, *Amazon*, et multa alia quæ usu sunt discenda. Virgilius, Æn. XI, v. 660 :

Pulsant, et pictis bellantur *Amazŏnes* armis.

Latini interdum *n* literam amittunt, ut *Macedo*, *Macedonis*; *Agamemno*, *Agamemnonis*. Statius, Achil. I, v. 553 :

Conclamant Danai stimulatque *Agamemnŏ* volentes.

Quæ vero per ω *mega* scribuntur, longa sunt, ut *Simon*, *agon*, *Sidon*, *Solon*, etc.

Si cui otium erit, pergratum fecerit tironibus, si literarum ordine quæ per ο *micron* scribuntur, ab iis quæ habent ω secreverit. *Senones*, *Vangiones*, *Lingones*, *Vascones*, *Teutones* sive *Teutoni*, *Britones*, penultimam corripiunt. Lucanus, Phars. I, v. 254 :

Nos primi *Senŏnum* motus, Cimbrumque ruentem.

Silius, l. VIII, v. 453 :

Et Clanis, et Rubico, et *Senŏnum* de nomine Sena.

Idem, l. I, v. 624 :

Hic galeæ *Senŏnum*, pensatique improbus auri
Arbiter ensis inest.

Quare illud Lucani, Phars. I, v. 423 :

Et Biturix, longisque leves *Saxŏnes* (1) in armis,

legendum est *Axones*. Idem Lucanus, in eodem, v. 431 :

Vangiŏnes, Batavique truces.....

Idem in eodem, v. 398 :

Pugnaces pictis cohibebant *Lingŏnas* armis.

Juvenalis, Sat. XV, v. 93 :

Vascŏnes, hæc fama est, alimentis talibus olim
Produxere animas.

Sunt qui putent hoc nomen produci, atque longe aliter hunc versum legant :

Vascōnes, fama est, alimentis talibus usi
Produxere animas.

(1) Lemaire : *Suessones*.

Quod si ita legas, *usos* et *produxisse* legendum est. Qui hanc lectionem probant, videntur in Ptolomeo Οὐασκώνων per ω scripsisse; apud quem etiam leges Σαντωνῶν, cum *Santonus*, *Santonicus* semper corripiantur. Lucanus, Phars. I, v. 422 :

..... Gaudetque amoto *Santŏnus* hoste (2).

Juvenalis, Sat. VIII, v. 145 :

Tempora *Santŏnico* velas adoperta cucullo.

Itaque hæc a poetis Latinis potius quam a Græcorum libris petenda sunt, in quibus facile ο pro ω, et contra ω pro ο scribitur. Lucanus, Phars. VI, v. 259 :

Cantaber exiguis, aut longis *Teutŏnus* armis.

Juvenalis, Sat. XV, v. 124 :

Qua nec terribiles Cimbri, nec *Britŏnes* unquam.

Martialis, l. XI, epigr. 21, v. 9, produxit :

Quam veteres brachæ *Britōnis* pauperis.....

Vectones o habet commune in obliquis.

Item *Orion*. Virgilius, Æn. III, v. 517 :

Armatumque auro circumspicit *Oriōna*.

Ovidius, Metam. VIII, v. 207 :

Aut Helicen jubeo, strictumve *Oriŏnis* ensem.

(2) Apud Ptolemæum, l. II, c. 5, legitur Οὐασκόνων; in notis vero inter varias lectiones, et Οὐασκουνῶν et Οὐασκώνων. — Item Σαντόνων; in notis autem Σαντονῶν et Σαντωνῶν.

EXCEPTIO II.

469. Genitivus in *oris* a nominibus græcis, et latinis neutris, præter *os, oris*, penultimam habet brevem, ut *Nestor*, *marmor*, *ebur*, *corpus;* quibus adduntur *memor*, *arbor*, *lepus;* et ex πούς, ποδός, *pus*, *podos*, composita, ut *tripus*. Item *bos*, *compos* et *impos*. Ovidius, Metam. XIII, v. 63 :

> Qui licet eloquio fidum quoque *Nestŏra* vincat.

Virgilius, in Epigr. :

> Sic vos non vobis fertis aratra, *bŏves*.

Composita sequuntur simplicium naturam, ut *bicorpor, tricorpor,* quæ a *corpus* fiunt. *Dedecor, indecor,* ut volunt grammatici, vel a *decus, oris,* vel a nomine adjectivo prisco *hic* et *hæc* et *hoc decor, decoris*, penultima brevi. Nævius in carmine Bel. Punic. :

> Magnamque domum, *decŏrem*que ditem vexerant.

Sallustius in III : « Equis et armis *decoribus* cultus. » Idem, in eodem : « *Dedecores* multique per terga ab hostibus cædebantur. » Virgilius, Æn. VII, v. 231 :

> Non erimus regno *indecŏres*, nec vestra feretur.

Vide Priscianum, l. VI, p. 699. Positiones singulares *dedecor, indecor,* non sunt usitatæ. Quid, si apud priscos fuit adjectivum *decoris* et *decore,* ut *brevis* et *breve;* unde *indecoris* et *dedecoris* deducta sunt casu nominandi ? Vide, si vacat, quid de hac re, in Nominum generibus, dictum sit.

Marcipor, publipor et id genus cætera, ex *puer* composita, jam exoleverunt.

Ador, cujus obliqui vix reperiuntur, *o* habuit commune apud priscos. Gannius, l. I :

> Hic *adŏris* dat primitias sibi sanguine libat.

Idem, l. III :

> Emicat in nubes nidoribus ardor *adōris*.

Vide Priscianum, l. VI, p. 700.

Neutra comparativa sequuntur masculinorum quantitatem, ut *majus majōris, minus minōris*, penultima longa, ut *major, minor*.

EXCEPTIO III.

470. Corripiuntur etiam *Cappadox*, *præcox*, et quæ consonantem habent ante *s*, ut *scrobs*, *Æthiops*, *Dolops*, præter *Cyclops*, *hydrops*. Martialis, l. IX, epigr. 31, v. 1 :

> *Cappadŏcum* sævis Antistius occidit oris
> Rusticus : o tristi crimine terra nocens !

Virgilius, Æn. II, v. 29 :

> Hic *Dolŏpum* manus, hic sævus tendebat Achilles.

Ovidius, Metam. I, v. 259 :

> Tela reponuntur manibus fabricata *Cyclōpum*.

Celox, celocis penultimam producit. Varro in Bimargo :

Nautæ remivagam movent *celōcem.*

Est carmen hendecasyllabum. Vide Non. Marcellum, c. 13, de genere navigiorum.

Cercops usitatum est. Ovidius, Metam. XIV, v. 91 :

Quippe Deum genitor fraudem, et perjuria quondam
Cercōpum exosus.....

Conops, myops inusitata sunt Latinis.

U.

471. *U* incrementum tertiæ declinationis breve est, ut :

Dux, Ligus, et *pecus, intercus,* cum *præsŭle turtur.*

Virgilius, Georg. IV, v. 4 :

Magnanimosque *dŭces,* totiusque ordine gentis
Mores, et studia, et populos, et prælia dicam.

EXCEPTIO.

Interrogandi casus *udis, uris* et *utis,* a nominibus, penultimam habent longam, ut *palus, palūdis; tellus, tellūris; virtus, virtūtis.*

Item *fur furis.* Quibus addenda sunt *Pollux, lux,* et *frugis frugi,* et cæteri obliqui. Virgilius, Eclog. III, v. 16 :

Quid domini faciant, audent cum talia *fūres.*

Tibullus, II, eleg. 1, v. 5 :

Lūce sacra requiescat humus, requiescat arator.

Redux, tradux penultimam corripiunt, ut *dux.* Virgilius, Æn. I, v. 390 :

Namque tibi *redŭces* socios classemque relatam.

Cornelius Severus, seu quicumque ille fuit, in extrema Ætna (1) :

Tradŭce materia, et tetris per proxima fatis.

Volux proprium, ut Priscianus, l. VI, p. 724, ait, corripitur; sed nullo testimonio id confirmat.

Saul u habet longum natura apud Hebræos : scribitur enim per *vau sorec,* quæ vocalis perpetuo longa est; a Græcis per diphthongum, Σαούλ : quare jure optimo producetur. Si tamen apud viros doctos brevem legeris, eos venia dignos putato; nam et Græci poetæ easdem syllabas modo corripiunt, modo producunt; quod apud Nonnum, in paraphrasi Evangelii S. Joannis, v. 387, in voce ἀμήν experieris; et in *Phalec* apud Gregorium Nazianzenum, de Genealogia Christi Domini nostri, v. 69; idque in eodem versu.

Græci præterea Σόδομα, *Sodoma,* per *omicron* scribunt, cum Hebræi per *cholem,* hoc est, suum ω *mega* scribant. Idem Hebræi *Emmanuel* per *u* longum, et Græci per diphthongum Ἐμμαουήλ scribunt; nemo tamen *Emmanuel* penultima longa pronuntiat, imo vero interdum etiam a doctis poetis corripitur.

(1) Lemaire (Poet. Latin. min. tom. III. Lucilius Junior, vulgo Cornelius Severus), v. 565 :

Trajicimus maria et terras.....

Vett. editt. ut Alvarus; sed plures *terris* pro *tetris.*

DE INCREMENTO PLURALI NOMINIS

472. Penultima genitivi vel dativi pluralis numeri dicitur *incrementum plurale*, cum uterque casus longior est nominativo ejusdem numeri, ut : *musæ, musarum; ambo, amborum, ambobus; qui, quorum, quĭbus; res, rerum, rebus.*

PRÆCEPTUM I.

A, e, o, incrementa multitudinis, longa sunt, ut *quārum, hārum, ambābus; rērum, rēbus; hōrum, quōrum.* Ovidius, Pont. IV, epist. 5, v. 27 :

Cum tamen a turba *rērum* requieverit *hārum*,
Ad vos mansuetas porriget ille manus.

Virgilius, Æn. II, v. 35 :

At Capys, et *quōrum* melior sententia menti.

PRÆCEPTUM II.

I et *u*, incrementa multitudinis, corripiuntur, ut *quĭbus, trĭbus, montĭbus, lacŭbus.* Virgilius, Eclog. V, v. 8 :

Montĭbus in nostris solus tibi certet Amyntas.

Ovidius, Fast. IV, v. 888 :

Præmia de *lacŭbus* proxima musta tuis.

DE VERBORUM INCREMENTO

QUID SIT INCREMENTUM VERBI

473. Secunda persona singularis, modi indicativi, norma est ad quam verborum incrementa diriguntur : cui si verbum sit æquale, nullum erit incrementum ; ut *amat*, *amant*, quia dissyllaba sunt, sicut *amas*, quæ norma et regula est incrementorum, nullum habet incrementum. Sin verbum longius sit una syllaba, unum habebit incrementum, ut *amamus*, *amatis*, quorum penultima incrementum est : nam ultima nunquam dicitur incrementum. Si duabus syllabis norma superetur, duo erunt incrementa, ut *amabitis*, *amabamus*. Si tribus, tria, ut *amaveritis*, *amaveramus*. Si deinde quatuor, totidem erunt incrementa, ut *audiebamini*.

In verbis deponentibus fingenda est vox activa, ad quam verborum incrementa dirigantur.

Ultima syllaba, ut modo diximus, nunquam est incrementum; prima vero est, si norma ipsa sit monosyllaba, ut *das*, *fles; damus*, *datis*, *dabam*, *dare*, et cætera dissyllaba unum habent incrementum ; eodem modo *flemus*, *fletis*, *flebam*, *flere*, etc.

PRÆCEPTUM I.

474. *A* in omni verborum incremento producitur, ut *stābam*, *stāres*, *properāmus*, *docebāmus*, *audiebāmini*, etc. Virgilius, Æn. II, v. 56 :

> Trojaque, nunc *stāres*, Priamique arx alta, maneres.

Ovidius, Metam. X, v. 33 :

> Serius aut citius sedem *properāmus* ad unam.

EXCEPTIO.

A primum duntaxat incrementum verbi *do*, *das* corripitur, ut *dămus*, *dăbunt*, *dăre;* ob quam causam pronuntiamus *circumdămus*, *circumdăbunt*, *circumdăre:*

venumdăbo, venumdăre, et cætera, penultima brevi. Virgilius, Æneid. II, v. 145 :

His lacrymis vitam *dămus,* et miserescimus ultro.

Ovidius, Metam. I, v. 37 :

Jussit, et ambitæ *circumdăre* littora terræ.

PRÆCEPTUM II.

475. *E* in omnibus verborum incrementis producitur, ut *flēbam, rēbar, lacerēris, docērem, legērunt.* Ovidius, Fast. I, v. 363 :

Flēbat Aristæus quod apes cum stirpe necatas
Viderat inceptos destituisse favos.

Virgilius, Æn. VI, v. 690 :

Sic equidem *ducēbam* animo, *rēbar*que futurum.

Martialis, de Spect., epigr. 8, v. 1 :

Dædale, Lucano cum sic *lacerēris* ab urso
Quam cuperes pennas nunc habuisse tuas !

EXCEPTIO I.

E ante *r* breve est, in quovis præsenti et imperfecto tertiæ conjugationis, ut *cognoscĕrem, legĕrem, legĕremus, legĕris* vel *legĕre.* — *Reris* tamen vel *rere* producitur, ut *loquerēris, prosequerēre.* Virgilius, Eclog. IV, v. 60 :

Incipe, parve puer, risu *cognoscĕre* matrem.

Martialis, III, epigr. 66, v. 3 :

Illud, laurigeros *agĕres* cum læta triumphos;
Hoc tibi, Roma, caput, cum *loquerēris,* erat.

Ovidius, Trist. I, eleg. 8, v. 11 :

Tantane te, fallax, cepere oblivia nostri;
Afflictumne fuit tantus adire pudor?
Ut neque *respicĕres,* nec *solarēre* jacentem,
Dure ! nec exsequias *prosequerēre* meas?

EXCEPTIO II.

E ante *ram, rim, ro* corripitur, ut : *amavěram, amavěrim, amavěro; fecěram, fecěrim, fecěro.* De cæteris personis idem esto judicium : *amavěris, amavěrit, amavěrimus, amavěritis; fecěrimus, fecěritis.* Ovidius, Metam. III, v. 50 :

Fecěrat exiguas jam Sol altissimus umbras.

EXCEPTIO III.

Beris et *bere* semper corripitur, ut : *celebraběris* vel *celebraběre, mordeběris* vel *mordeběre.* Virgilius, Æn. VIII, v. 76 :

Semper honore meo, semper *celebraběre* donis.

Ovidius, Trist. I, eleg. I, v. 25 :

Neu, cave, defendas, quamvis *mordeběre* dictis.

APPENDIX.

Poetæ, in præterito indicativi, *e* literam ante *runt* syllabam, pro suo jure, interdum corripiunt. Virgilius, Æn. II, v. 774 :

Obstupui, *stetěrunt*que comæ, et vox faucibus hæsit.

Horatius, l. I, ep. 4, v. 7 :

Dî tibi divitias *deděrunt* (1) artemque fruendi.

Silius, l. VIII, v. 631 :

Terruěrunt pavidos accensa Ceraunia nautas.

PRÆCEPTUM III.

476. *I* in quovis verborum incremento, corripitur, ut *linquĭmus*, *amabĭmus*, *audiebamĭni*. Virgilius, Æn. III, v. 124 :

Linquĭmus Ortygiæ portus, pelagoque volamus.

EXCEPTIO.

Penultima præteriti in *ivi* longa est, ut *petīvi*. Et primum incrementum quartæ

---

(1) Sic Orellius et Teubner; alii *dederant*.

conjugationis, ut *ībam*, *ībo*, *īto*, *venīmus*, *reperīmus*, præsentis temporis. Virgilius, Æn. II, v. 804 :

> Cessi, et sublato montem genitore *petīvi*.

Idem, Æn. VI, v. 95 :

> Tu ne cede malis, sed contra audentior *īto*.

Idem, Æn. III, v. 83 :

> Jungimus hospitio dextras, et tecta *subīmus*.

Hæc etiam *i* longum habent : *nolīto*, *nolīte*, *nolīmus*, *nolītis*; *velīmus*, *velītis*; *sīmus*, *sītis*, et quæ ex ipsis componuntur, ut *possīmus*, et cætera. Ovidius, Metam. I, v. 415 :

> Et documenta damus qua *sīmus* origine nati.

Idem, Pont. IV, ep. 5, v. 11 :

> Siquis, ut in populo, qui *sītis* et unde requiret.

APPENDIX I.

Imus in præterito penultimam corripit, ut *venĭmus*, *reperĭmus*, *comperĭmus*. Virgilius, Æn. I, v. 527 :

> Non nos aut ferro Libycos populare penates
> *Venĭmus*, aut raptas ad littora vertere prædas.

APPENDIX II.

Tempora conjunctivi modi syllabis *rimus* et *ritis* finita, habeantne penultimam brevem, an longam,

> Grammatici certant, et adhuc sub judice lis est,

non solum recentiores, sed etiam veteres. Diomedes enim docet præteritum breve esse, futurum vero longum. Probus utrumque longum esse affirmat. Quare, cum versus facies, poetas optimos imitaberis, qui *ri* syllabam modo corripiunt, modo producunt, prout versus postulat. Sin tibi aliquid recitandum erit, ne sermonem des auditoribus, consuetudini regionis servies.

PRÆCEPTUM IV.

477. *O* in verborum incrementis semper producitur, ut *facitōte*. Ovidius, Metam. IX, v. 378 :

> Cumque loqui poterit, matrem *facitōte* salutet.

PRÆCEPTUM V.

478. *U* in verborum incrementis ubique corripitur, ut *sŭmus*, *possŭmus*, *volŭmus*. Horatius, l. I, epist. 2, v. 27 :

> Nos numerus *sŭmus*, et fruges consumere nati.

Idem, ibid., epist. 3, v. 29 :

> Si patriæ *volŭmus*, si nobis vivere cari.

Composita ex verbo *dandi* diligenter tironibus sunt explicanda, solent enim in ea frequenter impingere. Primum tantum incrementum breve est, cætera longa, ut *dăbāmus*, *dederāmus*. — *Rebar* a verbo deponenti *reor* fit; fingenda est, ut diximus, vox activa, ut *reo*, *res*, *rebam*, etc.

Præceptiones illæ generales, quas initio posuimus, ubique servandæ sunt; quare præteritum *dedi* priorem, ut ibidem dictum est, brevem habet, quamvis incrementi ratio postulet ut producatur. Verbum *solarere*, quod est in prima exceptione secundi præcepti, non facit ad rem, sed tantum *prosequerere*, quod est tertiæ conjugationis.

Ne putent novi poetæ sibi licere *e* ante *runt* syllabam corripere; id enim claris illustribusque tantum concessum est. Tibullus, l. II, eleg. 3, v. 12 :

> Nec cithara, intonsæ *profuĕrunt*ve comæ.

Virgilius, Georg. II, v. 129 :

> *Miscuĕrunt*que herbas, et non innoxia verba.

479. De *rimus* et *ritis*, quæ grammaticis semper rixandi ansam dederunt, sic scribit Diomedes, l. I, p. 331, de modis verborum : « In subjunctivo, numero plurali, uniformem declinationem perfecti et futuri temporis accentus distinguit. Perfectum enim acuto accentu declinatur; futurum circumflectitur. » Probus, Instit. artium, sive libro priore, p. 1412, ubi de penultimis ultimisque verborum syllabis agit : « Adjunctivo, inquit, modo..... Perfectum tempus numeri singularis in omnibus personis omnium conjugationum penultimas ultimasque syllabas breves habet, ut : *Cum clamaverim*, *clamaveris*, *clamaverit*..... Plurali autem numero, in omnibus quatuor conjugationum modis, personæ duæ, prima et secunda, penultimam semper producunt; ultimam vero corripiunt. » Deinde, p. 1413, ubi de futuro subjunctivi agit : « Plurali, inquit, numero, prima et secunda persona omnium conjugationum penultimam longam, et ultimam brevem habent, ut : *clamaverîmus*, *clamaverîtis*; *monuerîmus*, *monuerîtis*; *audierîmus*, *audierîtis*; *dixerîmus*, *dixerîtis*. » Idem, in eodem libro, cap. De productione vel correptione syllabarum, præteritum adeo aperte docet producendum esse, ut barbarismi eos condemnet, qui id corripiunt. « Sunt, inquit, p. 1433, aliquæ syllabæ apud Virgilium, quæ necessitate metrica, cum vitio barbarismi qui apud poetas metaplasmus appellatur, contra rationem corripiuntur. Sunt aliquæ quæ, cum breves sint,

necessario producuntur. Corripiuntur in his, Virgilius, Eclog. IV, v. 61 :

Matri longa decem *tulĕrunt* fastidia menses.

Item, Æn. I, v. 16 :

. . . . . Hic *illĭus* arma;

Et, Æn. I, v. 114 :

Ipsĭus ante oculos;

mediam syllabam pronominum, cum sit longa, corripuit. Item, Æn. II, v. 774 :

Obstupui, *stetĕrunt*que comæ;

te syllabam longam in verbo corripuit. Item, Æn. VI, v. 514 :

Egerĭmus, nosti, et nimium meminisse necesse est;

ri syllabam longam corripuit. » Hæc ille. Servius, explicans hunc ipsum locum Virgilii, Æn. VI, v. 513 :

Namque ut supremam falsa inter gaudia noctem
Egerĭmus, nosti, et nimium meminisse necesse est :

« *Ri*, inquit, metri necessitate corripuit. » Itaque Probus et Diomedes futurum longum esse sine controversia affirmant. Probus et Servius etiam præteritum; a quibus dissentit Diomedes, quorum auctoritas ea est, ut tantas lites non nisi Palæmon aliquis possit componere. Nunc, quo res fiat planior, aliquot testes citabimus. Ennius, l. V Annal., apud Ciceronem, de Offic., l. I, c. 12, 38 :

Nec mi aurum posco, nec mi pretium *dederītis*.

Ovidius, Pont. IV, ep. 5, v. 5 :

Cum gelidam Thracen, et opertum nubibus Æmon
  Et maris Ionii *transierītis* aquas.

Ibidem, v. 15 :

Copia nec vobis, ullo prohibente, videndi
  Consulis, ut limen *contigerītis*, erit.

Idem, Metam. VI, v. 356 :

Haustus aquæ mihi nectar erit, vitamque fatebor
Accepisse simul; vitam *dederītis* in unda.

Catullus, carm. 5, v. 10 :

Dein cum millia multa *fecerīmus*.

Hæc omnia futuri sunt temporis, et penultimam producunt. Ovidius, Metam. II, v. 514, *viderĭtis* penultima brevi dixit :

Mentiar, obscurum nisi nox cum fecerit orbem,
Nuper honoratas summo, mea vulnera, cœlo
Viderĭtis stellas illic, ubi circulus axem.

metri necessitate *ri* corripuit, neque enim heroicus versus creticum recipit. Qui Diomedis sententiam tuentur, fatentur quidem *videritis* futurum esse, non tamen profectum ab eo futuro cujus prima persona singularis *ro* syllaba terminatur, sed *rim*. Hic reducenda sunt in memoriam quæ in verborum conjugatione de varia positione futuri conjunctivi diximus : exit enim tum in *ro*, tum in *rim*. Terentius, Andr. act. I, sc. 3, v. 200 :

. . . . . Ut si te inde *exemerim*, ego pro te molam.

Ibidem, act. III, sc. 4, v. 495 :

. . . . . Certe si *resciverim*.

Idem, Eunuch. act. V, sc. 2, v. 861 :

. . . . . Id si *fecerim*.

Vide ibidem, si vacat, integros versus. Plautus, Pseud. act. I, sc. 3, v. 142 :

. . . . . . Si tu argentum attuleris, cum illo *perdide-*
[*rim* fidem.

Ibidem, act. I, sc. 1, v. 89 :

Quis mi igitur drachmam reddet, si *dederim* tibi?

Qui igitur Diomedis opinionem defendunt, aiunt futurum, cum breve reperitur, fieri non a futuro in *ro*, sed in *rim;* quod ut positione consentit cum præterito perfecto, sic etiam quantitate congruit.

Est et alius locus Ovidii de Ponto IV, ep. 5, v. 45 :

Hæc ubi *dixeritis*, servet sua dona, rogate;
  Sic fuerit vestræ causa peracta viæ.

Nec video cur *dixeritis* non sit etiam futurum. An non dicitur bene latine : *Ubi hæc* dixero, *finem dicendi faciam?* Mihi sane nullum succurrit carmen in quo *rimus* aut *ritis* aperte sit præteriti

temporis, excepto Virgilii, quo fortasse adductus Diomedes præteritum corripi affirmat; cum tamen Probus et Servius, ut diximus, id metri necessitate factum esse doceant. Neque qui in contraria sunt sententia, eam testimoniis confirmant. Sunt qui arbitrantur tam præteritum quam futurum, propter multarum brevium syllabarum continuationem, interdum a poetis necessario produci; cum quibus nullus veterum grammaticorum, quod quidem sciam, facit. Certe Catullus, nulla necessitate coactus, *fecerīmus* penultima longa dixit: recipit enim hendecasyllabum carmen secundo loco dactylum. Alii denique credunt utrumque tempus corripiendum, quod plerique omnes hac ætate sic pronuntient, quibus libentissime accederem, si id aut Ciceronis aut Quintiliani ætate factum esse probassent. Verisimile profecto est Probi, Diomedis ac Servii ætate, multo puriorem quam hac nostra fuisse pronuntiationem. Quod si is Probus est cujus Martialis, Plinius et Gellius meminerunt, utrumque sine ulla controversia longum est.

DE PRIMIS ET MEDIIS SYLLABIS

480. Syllabæ aut primum, aut medium, aut ultimum locum occupant. Quæ adhuc dicta sunt præcipue spectant ad primas et medias cognoscendas. *Exaudiverimus*, exempli causa, primam longam habet positione, secundam diphthongo; cæterarum trium cognitio ad verborum incrementa spectat. Si quando ergo prima vel secunda syllaba occurret, tum ad præcepta illa universa confugies, tum ad nominum et verborum incrementa, in quibus, tanquam in sedibus ac locis quibusdam, syllabarum dimensio latet, quos paratos et expeditos habere oportet. Quod si ubi diligentius requisieris, non apparuerit, experire num pronuntiatione tenoreque possis eam indagare. Fingamus antepenultimam verbi *invideo*, quod quatuor syllabis constat, tibi negotium facessere; excogita quo pacto fiat trisyllabum, atque ita accentu cognosces sitne brevis an longa *invides, invidet*. Vides ut accentus syllabæ brevitatem aperuit? Idem in verbis *pĕto, paro, loquor*, et similibus quæ ex duabus constant, faciendum est; quæ trium syllabarum fient, si præpositiones addas ad hunc modum : *repeto, comparo, alloquor*.

Deprehenditur etiam syllabarum quantitas analogia atque similitudine. Scis *amabilis*, verbi causa, secundam syllabam habere longam, dices *formidabilis, penetrabilis, lacrymabilis*, et cætera eidem similia eamdem producere. Compositio etiam et derivatio, de quibus supra dictum est, syllabarum brevitatem longitudinemque detegunt.

Quod si, his omnibus adhibitis remediis, hæseris, ne animo concidas; superest poetarum auctoritas, qua suas præceptiones fulciunt grammatici. Ignoras *meta*, exempli gratia, *sudo, studeo*, habeantne primas breves an longas; ungues arrodenti caputque perfricanti Horatius opem ferct, in Arte poet., v. 412 :

> Qui *stŭdet* optatam cursu contingere *mētam*,
> Multa tulit, fecitque puer, *sūdavit* et alsit.

Quæ cum ita sint, quamplurima carmina optimorum poetarum memoriæ sunt mandanda, versus sæpissime scribendi; quæ exercitatio multo facilius et certius te syllabarum rationem docebit, quam de primis et mediis præceptionum multitudo prope infinita. In quibus sæpe aliter citantur versus quam a poetis scripti fuerint; interdum alii pro aliis testes proferuntur. Quæ præceptiones ne nos in errorem inducant diligenter cavendum est : citantur enim sæpe poetæ aut recentiores, aut vetustiores, quam ut eis fides habenda sit. Cæterorum testimonia non raro depravata ac corrupta proferuntur. Quare cui de primis et mediis syllabis privatas præceptiones tradere in animo erit, secum cogitet nihil ad hunc diem de ipsis a grammaticis traditum esse, evolvatque ipse summa cura ac studio poetas omnes classicos. Nam si iisdem testimoniis contentus erit quæ ab aliis afferuntur, sæpenumero se falsum fuisse experietur. Sed hæc pene totam hominis, non solum otiosi, sed etiam doctissimi vitam requirunt.

DE ULTIMIS SYLLABIS

481. Syllabæ quæ ultimum locum tenent, partim positione, ut *prudens*, *præcox;* partim diphthongo, ut *musæ;* partim privatis præceptionibus cognoscuntur, de quibus nunc agendum est.

A IN FINE

A finita longa sunt, ut *memorā*, *contrā*, *ultrā*, *anteā*, *trigintā*, *quadragintā*, *quinquagintā*, etc. Virgilius, Æn. I, v. 8 :

Musa, mihi causas *memorā;* quo numine læso.

Idem, ibid., v. 76 :

Æolus hæc *contrā* : Tuus, o regina, quid optes
Explorare labor; mihi jussa capessere fas est.

Idem, Æn. III, v. 391 :

Trigintā capitum fœtus enixa jacebit.

EXCEPTIO.

482. Corripe *eiă*, *ită*, *posteă*, *quiă*. Item casus omnes in *a*, ut *anchoră*, *velă;* præter ablativum, ut *de prorā*, et vocativos græcos, ut *o Æneā*, *o Atlā*, *o Calchā*, *o Pallā*. Virgilius, Æn. XI, v. 396 :

Haud *ită* me experti Bitias et Pandarus ingens.

Idem, Æn. III, v. 277 :

Anchoră de *prorā* jacitur, stant littore puppes.

Idem, ibid., v. 268 :

Tendunt *velă* Noti; ferimur spumantibus undis.

Idem, Æn. XI, v. 152 :

Non hæc, o *Pallā*, dederas *promissă* parenti.

Idem, Æn. III, v. 41 :

Quid miserum, *Æneā*, laceras? jam parce sepulto.

Proposuimus pueris ediscenda quæ certa atque usitata sunt.

Contra nonnunquam corripitur. Manilius, Astronomicon, l. II, v. 253 :

> *Contră* jacet Cancer patulam distentus in alvum (1).

Valerius Flaccus, Argon. VIII, v. 83 :

> *Contrā* Tartareis Colchis spumare venenis,
> *Contră*que Lethæi quassare silentia rami
> Perstat (2).

Ultra, frustra apud veteres classicosque poetas producuntur. Juvenalis, Sat. II, v. 1 :

> *Ultrā* Sauromatas fugere hinc libet, et glacialem
> Oceanum.

Virgilius, Æn. IV, v. 415 :

> Nequid inexpertum *frustrā* moritura relinquat.

Sunt qui credant *triginta, sexaginta,* et cætera hujus positionis ambigua esse; quod Martialis præcipue versibus docent, l. III, epigr. 40, v. 1 :

> Mutua quod nobis ter *quinquagintă* dedisti.

Idem, l. XII, epigr. 26, v. 1 :

> *Sexagintă* teras cum limina mane Senator.

Sed qui longam esse affirmant, priore loco *quinquagena,* posteriore *sexagena* legunt. Martialis ipse alibi ultimam solet producere : l. III, epigr. 36, v. 7, in Fabianum :

> Hoc per *trigintā* merui, Fabiane, decembres.

Idem, l. VII, epigr. 9 :

> Cum *sexagintā* numeret Cascelius annos.

Idem, l. X, epigr. 104, v. 10 :

> *Trigintā* mihi, quatuorque visos.

(1) Lemaire : « Strata jacent, Cancer..... Scorpios..... Piscesque ; » intelligenda *signa;* idque, corrigente Bentleio, quum omnes fere haberent : *Contra jacent.*

(2) Lemaire : « Cunctaque Lethæi..... » admonens *contraque* fuisse translatum ex præcedenti versu.

Idem, l. XI, epigr. 24, v. 13, ad Fabullum :

> *Trigintā* prope jam diebus una est
> Nobis pagina vix peracta; sic fit
> Cum cœnare domi poeta non vult.

Illud Manilii Astronom. II, v. 322, cum illis magis videtur facere :

> Ter *trigintă* quadrum partes per sidera reddant.

Idem tamen eodem libro, v. 328, produxit :

> *Trigintā* duplicat partes, pars tertia deerit.

In eodem, v. 2 :

> Et *quinquagintā* regum regemque patremque.

Rhemnius Fannius, De ponderibus et mensuris (3), v. 37, *sexaginta* apertissime corripuit :

> Cecropium superest post hæc docuisse talentum
> *Sexagintă* minas, seu vis, sex millia drachmas.

Sed hæc hactenus.

Eia Valerius Flaccus corripuit, quem imitandum puto, l. VIII, v. 109 :

> Quærenti tunc deinde viam qua se arduus heros
> Ferret ad aurigeræ caput arboris : *Eiă* per ipsum
> Scande age, et adverso gressus, ait, imprime dorso.

Probus, Inst. artium, p. 1421, ubi de ultimis adverbiorum syllabis agit, *eia* inquit constare spondeo; sed in versibus quibus id confirmat, *a* per synalœpham evanescit : *Eia age* segnes, etc. Sidonius *a* produxit, Paneg. carmen 14, v. 6, sed non est classicus.

Postea et *antea* aiunt quidam corripi, cum tanquam præpositiones suos casus habent, *post ea, ante ea;* alioquin adverbia esse et produci. Mirum est eos non tradidisse idem de particulis *prœterea* et *interea. Postea* certe malim corripere, cætera producere; neque veteribus in mentem arbitror hoc discrimen venisse. Ovidius, Fast. I, v. 165 :

> *Posteă* mirabar cur non sine litibus esset
> Prima dies.

(3) Poema illud, quod alii Prisciano, alii Fannio adscribunt, habet Lemaire inter Poet. Latin. minores, vol. IV; P. Burmann, vol. II.

Horatii carmen in Epod. ode 9, v. 11 :

> Romanus heu ! *posteā* fugabitis;

quo probant *a* longum esse, depravatum est; sic enim legitur in correctis libris :

> Romanus (eheu ! posteri negabitis).

Horatius, in Epod. ode 11, v. 1 :

> Petti, nihil me sicut *anteā* juvat,

est senarius iambicus. Reliqua non egent testimoniis.

Puta adverbium eamdem videtur producere; nam illud Persii, Sat. IV, v. 8 :

> . . . . . Quid deinde loquere? Quirites,
> Hoc *pută* non justum est, illud male, rectius istud;

puto corrigunt viri docti (4); quamvis ætate etiam Prisciani quidam *puta* legerint, l. XV, p. 1007, ubi de adverbiis literarum ordine agit : « *A*, inquit, terminantia, vel primitiva sunt, ut *ita*, quod solum *a* correptam habuit; quamvis quidam *puta* quoque adverbium esse accipiant, ideoque Persium id corripuisse, ut :

> Hoc *pută* non justum est, illud male, rectius istud.

Vel composita, ut *præterea, interea, postea, antea*, quæ omnia producunt *a* terminalem. » Hoc fortasse loco adducti grammatici aiunt *postea* non esse adverbium, quando ultimam habet brevem.

483. Nonnulla græca nomina casu nominandi producuntur, sed fere cæsuræ beneficio, ut *Nemeā, Tegeā, Maleā, Amalteā*. Statius, Theb. IV, v. 159 :

> Dat *Nemeā* comites.....

Ibidem, V, v. 44 :

> Nec facilis *Nemeā* latas evolvere vires (1).

Ibidem, IV, v. 287 :

> Non *Tegeā*, non ipsa deo vacat alite velox.

In eodem, v. 224 :

> Quos Pilos, et dubiis *Maleā* vitata carinis.

Ovidius, Fast. V, v. 115 :

> Nais *Amaltheā*, Cretæa nobilis Ida.

Eadem sexto casu apud poetas videtur corripi; verum longe aliter se res habet : nam in unam syllabam longam coalescunt *e* et *a*. Virgilius, Æn. X, v. 487 :

> Una *ea dem*que via sanguis animusque sequuntur.

Et Calpurnius (2), Eclog. IV, v. 16 :

> Rupe sub hac *eadem*, quam proxima pinus obumbrat.

Græca nomina, de quibus hic agitur, masculina sunt in *as* primæ vel tertiæ declinationis : *Æneas*, o *Æneā*. Virgilius, Æn. X, v. 228 :

> . . . . . Vigilasne, deum gens,
> *Æneā?* vigila, et velis immitte rudentes.

Ovidius, Metam. IV, v. 643 :

> Tempus, *Atlā*, veniet.....

Illud Virgilii Æn. III, v. 475 :

> Conjugio, *Anchisā*, Veneris dignate superbo,

non huc spectat : *a* enim breve est, sed producitur cæsuræ beneficio, ut in illo ejusdem Æn. III, v. 606 :

> Si *pereō*, *manibūs* hominum periisse juvabit (3).

Neque *Anchisa* a nominativo *Anchises*, sed *Anchisa* fit. Veteres enim, ut Quintilianus, l. I, c. 5, 61, docet, *Ænea, Anchisa* dicebant recto casu, pro *Æneas, Anchises*. « Ne, inquit, in *a* quidem atque *s* literas exire temere masculina græca nomina recto casu patiebantur; ideoque et apud Cælium legimus *Pelia Cincinnatus;* et apud Messalam : *Benefecit Euthia ;* et apud Ciceronem : *Herma-*

---

(4) Lemaire scripsit *puto;* Teubner, *puta*.

(1) In his duobus versibus habent Lemaire et Teubner *Nemee*. *Nemea* legebat Priscianus, qui, l. VII, p. 731 : « Statius, ait, *Nemea*..., *a* producta protulit more græco. »

(2) Calpurnii poemata habent Burmann et Lemaire inter Poetas minores, t. I.

(3) Sic multi; Lemaire, Forbiger et Teubner :

> Si pereo, hominum manibus, etc.

gora. Ne miremur quod ab antiquorum plerisque *Ænea* et *Anchisa* sit dictum. » Hæc ille.

Atrida ab Horatio pro *Atrides* dictus est, II, sat. 3, v. 187 :

> Nequis humasse velit Ajacem, *Atridă*, vetas cur ?

Videsne *Atrida* ultima brevi? *Velit*, in eodem carmine, ultimam producit, propter cæsuram, et eodem loco quo *Anchisa* apud Virgilium, qui more veterum *Anchisa, æ*, solet declinare, Æn. l. VII, v. 152 :

> Tum satus *Anchisa* delectos ordine ab omni.

Si græce declinasset, dixisset *Anchise*, ut Priscianus, l. VII, legit (4).

Halleluiah ultimam apud Hebræos habet longam : scribitur enim per *cames*, hoc est, *a* longum natura, et *i* consonantem; neque mirum est si a Prudentio, Cathemer. hymn. post cibum, v. 72, corripiatur :

> Amen reddidit, *alleluiă* dixit.

Hendecasyllabon est : metiuntur enim Græci et Latini sæpe hebræa verba potius græcis latinisque spatiis quam hebraicis.

(4) Priscianus, l. VII, p. 730, *Anchise* legit in illo Virgilii : « Conjugio, *Anchise*, etc., » atque p. 731, illud Horatii : « *Atride*, vetas cur. » De ablativo ibidem illud affert Virgilii Æn. I, v. 312 :

> . . . . . Uno graditur comitatus *Achate*.

Vocativum autem *Atride* correptum latina proportione dicit.

E IN FINE

484. *E* litera finita corripiuntur, ut *natĕ*, *fugĕ*, *ponĕ*, *facilĕ*, *penĕ*, *nempĕ*. Virgilius, Æn. II, v. 289 :

> Heu! *fugĕ, natĕ* Dea, teque his, ait, *eripĕ* flammis.

Idem, Eclog. IX, v. 18 :

> *Penĕ* simul tecum solatia rapta, Menalca.

Martialis, IX, epigr. 90 :

> *Legĕ* nimis dura convivam *scriberĕ* versus
> Cogis, Stella; licet *scriberĕ, nempĕ* malos.

EXCEPTIO I.

Producuntur omnia primæ et quintæ declinationis : *Anchisiades*, o *Anchisiadē*, *Calliopē*, *rē*, *diē*, et quæ inde oriuntur, ut *quarē*, *hodiē*, quibus adde *Famē*, *cetē*, *Tempē*. Virgilius, Æn. VI, v. 126 :

> Tros *Anchisiadē*, facilis descensus Averni (1).

(1) Lemaire, Forbiger, *Anchisiada*. « Vulgo, ait ille, *Anchisiade* est, ὦ Ἀγχισιάδη. » Teubner, *Anchisiade*.

Idem, Æn. IX, v. 525 :

Vos, o *Calliopē,* precor, aspirate canenti.

Martialis, l. X, epigr. 36, v. 7 :

Non venias *quarē* tam longo tempore Romam.

Lucanus, Phars. VII, v. 121 :

Aut *hodiē* Pompeius erit miserabile nomen.

Virgilius, Æn. VI, v. 421 :

Objicit; ille *famē* rabida tria guttura pandens.

EXCEPTIO II.

Item verba imperativi modi numeri singularis secundæ declinationis, ut *vidē*, *habē*. Horatius, l. I, epist. 13, v. 19 :

Vade, *valē,* cave ne titubes, mandataque frangas.

Martialis, l. X, epigr. 51, v. 16 :

Quæ tua sunt, tibi *habē;* quæ mea, redde mihi.

Cave fere corripitur. Ovidius, Trist. I, eleg. 1, v. 25 :

Neu, *cavĕ,* defendas, quamvis mordebere dictis.

Idem produxit alibi, Metam. II, v. 89 :

Nate, *cavē;* dum resque sinit, tua corrige vota.

Sunt etiam longa monosyllaba, ut *mē*, *tē*, *sē;* exceptis conjunctionibus encliticis *quĕ*, *nĕ*, *vĕ;* et syllabicis adjectionibus *ptĕ*, *cĕ*, *tĕ*, ut *suaptĕ, hiscĕ*, *tutĕ*. Virgilius, Æn. I, v. 132 :

Tanta*nĕ* vos generis tenuit fiducia vestri?

Horatius, l. I, epist. 16, v. 20 :

Ne*vĕ* putes alium sapiente bono*quĕ* beatum.

Horatius, l. I, sat. IV, v. 6 :

Hinc omnis pendet Lucilius, hos*cĕ* secutus.

Lucretius, l. I, v. 270 :

Accipe præterea, quæ corpora tu*tĕ* necesse est
Confiteare.

EXCEPTIO III.

Longa præterea sunt *ferē*, *fermē*, *ohē*, et adverbia a nominibus secundæ declinationis profecta, ut *placidē, valdē, minimē, summē;* præter *benĕ* et *malĕ*. Juvenalis, sat. VI, v. 242 :

> Nulla *ferē* causa est, in qua non femina litem
> Moverit.

Idem, sat. XIII, v. 236 :

> Mobilis et varia est *fermē* natura malorum.

Martialis, l. IV, epigr. 91, v. 1 :

> *Ohē!* jam satis est, *ohē* libelle.

Idem, l. IX, epigr. 59, v. 5 :

> Excipe sollicitos *placidē*, mea dona, libellos.

Idem, l. II, epigr. 7, v. 7 :

> Nil *benĕ* cum facias, facis attamen omnia belle.

Horatius, Arte poetica, v. 441 :

> Et *malĕ* tornatos incudi reddere versus.

APPENDIX.

Facile, etiam cum est adverbium, corripitur; nam adjectiva tertiæ declinationis cum in adverbia transeunt, ultimam habent brevem, ut *sublimĕ*, *suavĕ*, *dulcĕ*. Virgilius, Eclog. IX, v. 29 :

> Cantantes *sublimĕ* ferent ad sidera cycni.

Idem, Eclog. IV, v. 43 :

> Ipse sed in pratis aries jam *suavĕ* rubenti
> Murice.

485. De græcis primæ declinationis nulla est controversia. *Alcides, o Alcidē; Libyē, Calliopē, Penelopē*, et id genus cætera, hic, more grammaticorum, vocamus primæ declinationis, quamvis ad nullam Latinorum spectent, ut suo loco dictum est. Martialis, l. IX, epigr. 66, v. 1 :

> *Alcidē*, Latio nunc agnoscende Tonanti.

Idem, l. VIII, epigr. 55, v. 13 :

> Unde tuis, *Libyē*, tam felix gloria silvis?

Et in ablativo. Lucanus, Phars. VIII, v. 358 :

> Signaque ab *Euphratē* cum Crassis capta sequentem

nam *Euphrates, æ* ab eodem Lucano declinatur eodem libro, v. 214 :

> *Euphraten*, et adhuc securum a Cæsare Tigrim.

Et Propertius, l. IV, carm. 6, v. 84 :

> Ire per *Euphraten* ad tua busta licet.

Statius, Theb. I, v. 477 :

> Opposito rabidam *Pyladē* vitasse Megæram.

Si vero *es* finita ad tertiam Latinorum transeant, ut *Orestes, Orestis; Pylades, is; Euphrates, is; acinaces, is*, tunc ultima ablativi brevis erit. Valerius Flaccus, Argon. VI, v. 701 :

> Insignis manicis, insignis *acinacĕ* dextro.

Quorum vocativus, ut opinor, similis est recto : *o Pylades, o Euphrates, o Orestes*. In illo carmine Ovidii, Trist. I, eleg. 5, v. 21 :

> Ut foret exemplum veri Phocæus amoris,
> Fecerunt furiæ, tristis *Orestă*, tuæ,

non *Oreste*, sed *Oresta* legitur; sic Seneca in Agamem. act. V, v. 933 :

> Aggrediar, et te, *Orestă*, furabor libens.

Etenim græca primæ declinationis της syllaba finita, casu vocandi in τα exeunt, ut προφήτης, ὦ προφῆτα; Ὀρέστης, ὦ Ὀρέστα. Idem, Thyest. act. IV, v. 783 :

> Bonum est, *Thyestă*, quod mala ignoras tua.

Valerius Flaccus, Argon. VIII, v. 350 :

> Non te, *Æetă* pater, generi, aut Sol magne, pudebit,

ab *Æetes*, quo sæpe utitur. Neque illud Martialis, l. II, epigr. 15, v. 2 :

> Humane facis, *Hermĕ*, non superbe,

ab *Hermes* fit, sed ab *Hermus*, ut docet ipsa inscriptio.

Achille tamen et *Ulysse*, cum ultimam habeant brevem, suspicor vocativos esse priscos ab *Achilleus, o Achillee; Ulysseus, o Ulyssee*, ultimo ε rejecto; aut certe ex vocativo græco *Achilleu, Ulysseu, u* literam abjectam esse. In nominum declinatione, Priscianum, l. VII, p. 730, secuti, diximus vocativos *Ulysse, Achille*, more dorico factos esse. *Chreme* tamen et *Lache*, et quæ apud Græcos tum quintæ, tum primæ declinationis sunt, crediderim longa esse, ὦ Χρέμη, ὦ Λάχη. Unum duntaxat, quod sciam, est carmen Propertii, l. IV, eleg. 11, v. 39, quo *Achille* ultimam corripere probemus, quod tamen pluris faciendum est quam Prisciani conjectura :

> Et Persen proavi simulantem pectus Achilli,
> Quique tuas proavus fregit, *Achillĕ*, domos (1).

Re. Horatius, l. II, sat. 5, v. 8 :

> Et genus, et virtus, nisi cum *re*, vilior alga est.

Fames apud priscos quintæ fuit declinationis; vide Gellium, l. IX, c. 14.

Cete, Tempe et *mele* (quorum ultimum, quia parum usitatum est, omisi) a Græcis scribuntur per η sive *e* longum, de quibus etiam in nominum genere dictum est.

Vide fere ultimam corripit, cum ei particula *sis* adjungitur. Persius, sat. I, v. 107 :

> Sed quid opus teneras mordaci radere vero
> Auriculas ? *vidĕsis* ne majorum tibi forte.....

Rarius per se positum : Valerius Flaccus, Argon. V, v. 594 :

> . . . . . Ille profundo
> Incumbens Odrussa mero *vidĕ* lata comantem
> Pectora, et ingenti turbantem pocula barba (2) ?

Vale nonnunquam etiam breve est. Ovidius, Trist. I, eleg. 8, v. 21 :

> Idque quod ignoti faciunt *valĕ* dicere saltem.

Cum priscis seculis multa verba quæ hodie sunt declinationis secundæ, fuerint tertiæ, non mirum est si aliquando a poetis correpta inveniantur.

Valde, ut aiunt, pro *valide* dicitur, media syllaba extrita. Martialis, l. III, epigr. 44, v. 5 :

> Hoc *valdē* vitium periculosum est.

---

(1) Longe aliter legit Lemaire :

> Te, Perseu, proavi simulantem pectus Achilli,
> Quique tuas proavo fregit Achille domos;

variasque affert lectiones quæ habent omnes *Achille* in ablativo. — Teubner vero :

> Et Persen proavi simulantem pectus Achillis,
> Quique tuas proavo fregit Achille domos.

(2) Lemaire, relictis aliis codicibus, quæ habent *vide*, sic, post Heinsium, scribit :

> . . . . . Ille profundo
> Incumbens Odrussa mero, *viden'* alta comantem, etc.

I IN FINE

486. *I* vocali terminata longa sunt, ut *classī*, *fierī*. Virgilius, Æn. VI, v. 1 :

> Sic fatur lacrymans, *classī*que immittit habenas.

Martialis, l. VIII, epigr. 72, v. 9 :

> Quam vellem *fierī* meus libellus !

EXCEPTIO I.

Corripe *nisi*, *quasi*; et græca quæ in *i* vel *y* exeunt, ut *Palladĭ*, *Daphnĭ*, *molў*. Ovidius, Pont. IV, eleg. 2, v. 45 :

> Quid *nisĭ*, Pierides, solatia frigida restat?

Martialis, l. I, epigr. 66, v. 1 :

> Cum dixi ficus, rides *quasĭ* barbara verba.

Statius, Achill. I, v. 285 :

> *Palladĭ* littoreæ celebrabat Scyros honorum
> Forte diem.

Virgilius, Eclog. IX, v. 50 :

> Insere, *Daphnĭ*, pyros; carpent tua poma nepotes.

Ovidius, Metam. XIV, v. 292 :

> *Molў* vocant superi; nigra radice tenetur.

EXCEPTIO II.

Mihi, *tibi*, *sibi* ultimam habent communem. *Ibi*, *ubi*, *cui*, cum dissyllabum est, frequentius corripiuntur. Virgilius, Æn. I, v. 136 :

> Post *mihĭ* non simili pœna commissa luetis.

Idem, Eclog. X, v. 1 :

> Extremum hunc, Arethusa, *mihī* concede laborem.

Martialis, l. I, epigr. 105, v. 22 :

> Sed norunt *cuĭ* serviant leones.

Idem, l. VII, epigr. 88, v. 3 :

Me legit omnis *ibī* senior, juvenisque, puerque.

Horatius, Epod. ode XVI, v. 43 :

Reddit *ubī* Cererem tellus inarata quotannis.

Quasi a Lucretio, l. II, v. 291; *nisi* a Rufo producitur; tu optimos poetas imitare.

Græca nomina primæ declinationis, ut *Pylades, Orestes*, etc., cum ad tertiam Latinorum transeunt, ut *Pyladis, Pyladi, Pyladem*, Latinorum præceptis metienda sunt. Martialis, l. X, epigr. 11, v. 7 :

Quid quod nil unquam *Pyladī* donavit Orestes ?

Ibidem, epigr. 11, v. 2 :

Teque putas *Pyladī*, Calliodore, parem.

Mihĭ, tibĭ, sibĭ passim reperiuntur. *Cui* dissyllabum ultima correpta sæpe apud Martialem reperitur, l. XII, epigr. 49, v. 3 :

Et credit *cuĭ* Posthumilla dives ;

et rursus l. I, epigr. 105, v. 22.

Testimonia quibus docent grammatici *cui* simplicis ultimam esse longam, non sunt satis idonea : apud Manilium reperitur compositum *cuique* l. IV, v. 813 :

Sic erit et sedes fugienda, petenda *cuīque*.

Adverbium *uti* producitur compositum. *Sicuti* aiunt ultimam semper corripere apud Lucretium; l. II, v. 537 :

Sicutĭ quadrupedum cum primis esse videmus.

O IN FINE

487. *O* finita ambigua sunt, ut *quando*, *vigilando*, *nolo*. Martialis, l. III, epigr. 45, v. 5 :

Nolŏ mihi ponas rhombum, mullumve bilibrem,
Nolō (1) boletos, ostrea *nolŏ;* tace.

EXCEPTIO I.

Excipe monosyllaba, ut *o, do, sto;* dativos et ablativos, ut *somno*, *tuo;* item græca quæ habent ω *mega*, ut *Androgeo*, *Atho*, *Clio, Alecto*, etc., ejusdem generis; quibus accedit *ergo* pro *causa*. Virgilius, Æn. II, v. 281 :

O lux Dardaniæ, spes *ō* fidissima Teucrum.

Idem, ibid., v. 265 :

Invadunt urbem *somnō vinō*que sepultam.

Idem, Æn. VII, v. 324 :

Luctificam *Alectō* dirarum ab sede sororum
Infernisque ciet tenebris.

(1) Lemaire et Teubner : *Nec volo*.

EXCEPTIO II.

Item adverbia a nominibus orta, ut *subitō*, *meritō*, *multō*, quibus adduntur *adeō*, *ideō*.

Hinc rursus excipiuntur *modŏ*, *quomodŏ*, *dummodŏ*, *postmodŏ*, *citŏ*, *imŏ*, quibus accedunt *sciŏ*, *nesciŏ*, *duŏ*. Martialis, l. III, epigr. 43 :

Mentiris juvenem tinctis, Lentine, capillis,
Tam *subitō* corvus, qui *modŏ* cycnus eras?

Idem, l. VI, epigr. 94, v. 4 :

Non habet ergo aliud? non habet *imŏ* suum.

EXCEPTIO III.

Adverbium *sero*, conjunctio *vero*, ultimam habent communem. Martialis, l. V, epigr. 65, v. 15 :

Pro meritis cœlum tantis, Auguste, dederunt
Alcidæ *citŏ* dii; sed tibi *serŏ* dabunt.

Valerius Flaccus, Argon. V, v. 32 :

. . . . . Sin *verŏ* preces, et dicta superbus
Respuerit.

Gerundia sæpius producuntur. Lucanus, Phars. III, v. 79 :

Perdidit o qualem *vincendō* plura triumphum.

Idem, Phars. IV, v. 702 :

Audendō magnus tegitur timor, arma capessam.

Juvenalis, Sat. III, v. 232 :

Plurimus hic æger moritur *vigilandŏ*, sed illum.

Ergo ait Probus, Inst. art., p. 1426, sine dubio habere ultimam longam.

Lucanus, Phars. VIII, v. 698 :

Huc illuc jactatur aquis, *adeōne* molesta.....

Idem, Phars. II, v. 322 :

Non bene compertum est; *ideō* me milite vincat.

Martialis, l. VI, epigr. 5, v. 4 :

Non reddes? *Ideō*, Cæciliane, rogo.

Modo et ex eo composita, *postmodo*, *dummodo*, *quomodo* corripiuntur. Martialis, l. X, epigr. 16, v. 8 :

Quidquid habent omnes, accipe, *quomodŏ* das.

Imo frequentissime ab eodem corripitur; ad Ponticum, V, epigr. 63, v. 6 :

Hoc sentis? inquis, faciat tibi sic bene Cæsar,
Sic Capitolinus Jupiter; *imŏ* tibi.

Idem, III, epigr. 47, v. 15 :

Romam petebat Bassus? *imŏ* rus ibat.

Idem, VIII, epigr. 10, v. 3 :

Adeo bene emit? inquis; *imŏ* non solvit.

Uterque versus scazon est.

Illico, *cedo* pro *dic* aiunt semper corripi.

Ego non raro habet ultimam longam; admo-

nendi tamen sunt pueri ut eam corripiant. Ovidius, Epist. XIII, v. 135 :

> Sed quid *egō* revoco hæc? omen revocantis abesto.

Cornelius Gallus (2), eleg. II, v. 53 :

> Sum grandævus *egō*, nec tu minus.....

Idem, eleg. I, v. 71 :

> Sic cunctis formosus *egō* gratusque videbar.

Ausonius, de Cræso, epigr. 54, v. 5 :

> Sicut *egō* solus; me quoque pauperior.

(2) Lemaire : Maximianus Etruscus, Poet. minor. t. VII.

Sero frequenter reperitur breve. Martialis, l. V, epigr. 67, v. 5 :

> *Serŏ* dedit pœnas, discerpi noxia mater
> Debuerat.

Statius, Theb. I, v. 596 :

> *Serŏ* memor thalami, mœstæ solatia morti.

Vero rarius reperitur breve. Illud Silii l. IX, v. 193 :

> Lux oritur. Mihi magna satis, sat *verŏ* superque
> Bellandi merces sit gloria.

Vera habet in correctis libris, quemadmodum res ipsa postulat.

Sedulo, *mutuo*, *crebro*, *profecto* corripies, cum legeris apud bonos poetas.

U IN FINE

488. *U* finita longa sunt, ut *manū*, *cornū*, *Panthū*. Virgilius, Æn. II, v. 459 :

> Tela *manū* miseri jactabant irrita Teucri.

Idem, Æn. IX, v. 629 :

> Jam *cornū* petat, et pedibus qui spargat arenam.

Ovidius, Metam. XI, v. 324 :

> Nec mora; curvavit *cornū*, nervoque sagittam
> Impulit.

Virgilius, Æn. II, v. 322 :

> Quo res summa loco, *Panthū?* quam prendimus arcem?

Veteres grammatici, Probus in Catholicis, p. 1476, ubi de formis casuum agit, et Diomedes, l. I, p. 286, aiunt *cornu, gelu*, et cætera neutra quartæ declinationis, nominandi, accusandi, vocandi casibus ultimam habere brevem; sed nullis veterum testimoniis suam sententiam confirmant. Idem tamen Probus, Instit. artium, p. 1392, longe aliter sentit: « Nominativum, inquit, singularem nominis aptoti *u* litera terminatum, in poemate aliquo non facile invenies, ut si facies, *hoc cornu, hoc genu*, vel *hoc gelu;* nam hæc nomina apud Virgilium septimo casu inveniuntur. Verumtamen si *nominativum* casum collocare volueris, ultimam syllabam *longam* ponito, quoniam necesse est eam ablativo produci, ut Tullius in Arat. :

> » Jam Tauri lævum *cornū*, dexterque simul pes.

Ibidem et corripuit, ut :

> » Hac propter lævum *genŭ* omnis parte locatus.

In ablativo tamen sine ambiguitate producitur. » Hæc ille. *Genu*, ut ego quidem arbitror, etiam accusandi casu habet posteriorem longam; sed corripitur hic propter sequentem vocalem; sic Virgilius, Æn. V, v. 261 :

> . . . . . Sub *Iliŏ* alto;

alioqui longum natura corripuit.

B, D, T IN FINE

489. *B, d, t* literis terminata corripiuntur, ut *ăb, quĭd, audiĭt.* Virgilius, Æn. VIII, v. 115 :

Tum pater Æneas puppi sic fatur *ăb* alta.

Idem, Æn. II, v. 49 :

Quidquĭd id est, timeo Danaos et dona ferentes.

Idem, Æn. VII, v. 516 :

Audiĭt et Triviæ longe lacus, *audiĭt* amnis
Sulphurea Nar albus aqua, fontesque Velini.

Peregrina fere apud Hebræos producuntur, ut *Achāb, Aminadāb, Josaphāt,* quæ per *chames,* hoc est vocalem longam, scribuntur; item *Jacōb, Jōb, Lōt,* quæ per *cholem,* id est, ω *mega. David* per *i* breve, ut diximus in nominis Incremento; ubi cætera, si vacat, lege, quæ ibidem dicta sunt.

Audiit, leniit, mugiit, et reliqua generis ejusdem tam corripiunt ultimam cum imminuuntur, quam cum plena sunt, *audivit, lenivit,* Virgilius, Æn. VIII, v. 87 :

Leniĭt, et tacita refluens ita substitit unda.

In eodem, v. 218 :

Mugiĭt, et Caci spem custodita fefellit.

Potius de penultima dubitandum fuit, essetne longa etiam post imminutionem, quam de ultima. Nec te moveat quod aliquando a poetis ultima producatur. Ovidius, Metam. III, v. 545 :

. . . . . Pro fontibus ille lacuque
Interiīt; at vos pro fama vincite vestra.

Idem, Fast. IV, v. 721 :

Nox *abiīt,* oriturque Aurora, Palilia poscor.

Idem, Metam. IV, v. 711 :

Arduus in nubes *abiīt,* ut in æquore summo
Umbra viri visa est.

Horatius, l. I, Sat. 9, v. 21 :

Cum gravius dorso *subiīt* onus, incipit ille.

Ne te, inquam, hæc et similia exempla moveant : non enim imminutis vocabulis solum accidit, sed etiam plenis; et, ut uno verbo dicam : Syllaba quæcumque brevis ex pede quovis relicta non raro communis, hoc est, modo brevis, modo longa est apud poetas; de qua re, cum de communi syllaba agemus, fusius dicetur. Illud certe verisimilius est : ultimam produci cum duæ vocales in unam longam contrahuntur; quod fit post imminutionem verborum, ut ex *obiit, obit;* ex *petiit, petit,* duplici *ii* in unum coalescente; quemadmodum in verbis *defleram, probaram, respiraro,* et cæteris id genus; *defleveram* plenum imminuitur extrita *u* litera : *defleeram,* deinde utrumque *e* in *e* longum coalescit. *Probaveram, probaeram,* inde *probaram, a* et *e* in *a* longum coalescentibus. Juvenalis, Sat. VI, v. 559 :

Magnus civis *obīt,* et formidatus Othoni;

pro *obiit.* — Virgilius, Æn. IX, v. 9 :

Sceptra Palatini sedemque *petīt* Evandri;

pro *petiit.* Sed hic etiam dubium est producaturne ultima beneficio contractionis, an generalis cæsuræ. *Generalem cæsuram* appello quamvis syllabam relictam post quemvis pedem; nam etiam syllaba quæ post quartum relinquitur, interdum fit longa, ubi nulla prorsus est vocalium contractio. Virgilius, Georg. II, v. 5 :

Muneribus; tibi pampineo *gravidūs* Autumno
Floret ager.

C IN FINE

490. *C* litera finita longa sunt, ut *sīc*, *hōc*, *hīc* adverbium. Virgilius, Æn. III, v. 490 :

Sīc oculos, *sīc* ille manus, *sīc* ora ferebat.

Idem, Æn. V, v. 73 :

Hōc Helymus facit, *hōc* ævi maturus Acestes.

Idem, Æn. II, v. 30 :

Classibus hic locus, *hīc* acie certare solebant.

EXCEPTIO I.

Corripe *donec*, *nec*. Ovidius, Trist. I, eleg. 9, v. 5 :

Donĕc eris felix, multos numerabis amicos.

Idem, ibid., eleg. 1, v. 1 :

Parve, *nĕc* invideo, sine me, liber, ibis in urbem.

EXCEPTIO II.

Hic pronomen virile anceps est. Virgilius, Æn. VI, v. 792 :

Hic vir, *hĭc* est tibi quem promitti sæpius audis.

Idem, Æn. IX, v. 205 :

Est *hīc*, est animus lucis contemptor, et istum.

Verbum *fac* tutius producitur. Ovidius, Art. I, v. 225 :

Hos *fāc* Armenios, hæc est Danaeia Persis (1).

Martialis, l. V, epigr. 39, v. 5 :

Signa rarius, aut semel *fāc* illud.

Fac putant nonnulli corripiendum esse, quod a *face* fiat, ut *fer* a *fere;* unde sunt illa carmina Ovidii, Heroid. II, v. 98 :

Phylli, *făc* exspectes Demophoonta tuum.

(1) Lemaire, *Hos facito* ; et post ipsum edit. Oxoniensis, et Teubner.

Et v. 367 :

Mille *făc* esse jocos (2), etc.,

et alia id genus.

Alii putant his et similibus locis integrum verbum scribendum esse *face :* Mille *face* esse jocos. Alii credunt *fac* semper longum esse. Ovidius :

Hos *fāc* Armenios, hæc est Danaeia Persis.

Hic *face* nullo modo habet locum, nisi quis putet *facito* legendum, ut idem inquit, epist. XIII, v. 69 :

Et *facito* dicas, quoties pugnare parabis;

aut particulam aliquam interjiciendam, ut *face* locum habere possit, ut in illo Ovidii, Rem., v. 337:

Durius incedit, *fac ut* ambulet;

vel *fac obambulet,* quod alii legunt, *Durius incedit, fac ambulet.* Probus, l. I, p. 1406, ubi de verborum penultimis ultimisque agit, docet *fac* breve esse : « *C* litera terminata (vocabula), inquit, sæpe producuntur, ut *Dūc,* age, *dūc* ad nos, et : *Dīc,* age, namque mihi. Interdum corripitur, ut : *Făc* ergo, ut fuerit. » Hæc ille.

(2) Lemaire, Oxoniens. et Teubner : *Mille facesse jocos.*

Sic semper producitur. Carmen illud Martialis, l. II, epigr. 44, v. 6 :

Et secum *sic* ut audiam susurrat,

mendosum est; legendum est enim :

Et secum, *sed* ut audiam, susurrat.

Lac, ut plerisque grammaticorum placet, corripitur, sine ullo tamen veterum testimonio; a Sereno producitur :

Lāc asinæ placidæque bovis prodesse loquuntur.

Cui, si testis esset locuples, potius quam grammaticis credendum esset (3).

Hebræa, si in *sedec* aut *melech* exeunt, ultimam corripiunt, ut *Melchisedĕc, Abimelĕch :* scribuntur enim per *segol* sive ε; *Sadoc* vero per ω.

Nulla vocabula in literis *f, g,* quod quidem sciam, exeunt. *Magog* peregrinum est, et tam ab Hebræis quam Græcis per ω scribitur. *H* litera, vel potius aspirationis nota, finita, si latina sint, vocalium præceptionibus metienda sunt, ut *vah, ah,* quæ longa sunt. Si peregrina, consulantur peregrini, ut *Joseph,* cujus ultima longa est natura : scribitur enim ab Hebræis per *sere,* hoc est, η sive *e* longum.

(3) Q. Serenus Sammonicus, lib. de Medicina, cap. 63, cui titulus : Venenis datis.

L IN FINE

491. *L* finita brevia sunt, ut *Asdrubăl, semĕl, vigĭl, simŭl, consŭl.* Silius, l. XVII, v. 148 :

Vertit terga citus damnatis *Asdrubăl* ausis.

Horatius, l. I, epist. 2, v. 69 :

Quo *semĕl* est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu.

EXCEPTIO.

Sal, nil, sol, longa sunt. Item pleraque peregrina, ut *Nabāl, Daniēl, Saūl.* Statius, Silv. l. IV, c. 9, v. 36 :

Non *sāl* oxygarumve caseusve.

Martialis, l. X, epigr. 14, v. 9 :

> *Nīl* aliud video, quo te credamus amicum.

Ovidius, Metam. II, v. 417 :

> Ulterius spatium medio *Sōl* altus habebat.

Sal Statius in Silv. l. IV, c. 9, 36, produxit; versus est hendecasyllabus, neque solet ipse primo loco choreum collocare. Ausonius etiam produxit, epigr. 86, v. 2 :

> *Sāl*, oleum, panis, mel, piper, herba, novem.

Pol aiunt quidam longum esse, alii vero breve; quod ex comicis poetis, maxime Plauto (cujus versus alii longiores, alii breviores faciunt, senariisque octonarios, et contra permutant), difficile sane probari potest. Ennius apud Macrobium, Saturn. l. VI, c. 1, corripuit :

> Nec *Pŏl* homo quisquam faciet impune animatus.

Tanaquil itidem alii producunt, alii corripiunt; sed desiderantur veterum testimonia.

Non omnia peregrina corripiuntur : *Baal* enim ab Hebræis per *patach*, id est, *a* breve, scribitur, et *Rogel* per *segol*, seu ε; *Ambigail* per *i* breve; *Michol* per *cateph camès*, hoc est, *o micron*, et a Græcis etiam Μεχόλ per *o micron*. Quare hæc, si incrementa recipiant, corripiuntur : *Baălis* enim dicam penultima brevi, ut *Annibălis*.

M IN FINE

492. *M* finita priscis temporibus corripiebantur, neque a sequenti vocali, ut modo fit, excipiebantur, quod etiam nunc compositis verbis cernitur. Ennius apud Priscianum, l. I, p. 556 :

> Insignita fere tum millia *militŭm* octo
> Duxit delectos, bellum tolerare potentes.

Juvenalis, Sat. IX, v. 81 :

> Quo te *circŭmagas?* quæ prima aut ultima ponas?

Posteri, sequente vocali, *m* literam cum præcedente vocali elidendam putarunt, quæ figura *eclipsis* dicitur; de qua paulo post.

N IN FINE

493. *N* litera finita longa sunt, ut *sīn*, *Tītān*, *Sirēn*, *Salamīn*, *Actæōn*, et cætera tertiæ declinationis quæ in *on* exeunt. Virgilius, Æn. I, v. 555 :

> *Sīn* absumpta salus et te, pater optime Teucrum.

Lucanus, Phars. I, v. 15 :

Unde venit *Titān,* et nox ubi sidera condit.

Ovidius, Metam. III, v. 230 :

Actæōn ego sum; dominum cognoscite vestrum.

Item accusativus græcus nominum in *as, es, e,* ut *Æneān, Anchisēn, Calliopēn.* Græcus itidem genitivus multitudinis, cujusvis declinationis, ut *Cimmeriωn, epigrammatωn.* Virgilius, Æn. XI, v. 910 :

Et sævum *Æneān* agnovit Turnus in armis.

Idem, Æn. III, v. 710 :

Amitto *Anchisēn;* hic me, pater optime, fessum.

Tibullus, l. IV, carm. 1, v. 64 :

Cimmeriωn etiam obscuras accessit ad oras (1).

EXCEPTIO I.

Corripe *ăn, ĭn, forsăn, forsităn, tamĕn, attamĕn, vidĕn.* — Item *en* syllaba finita quæ faciunt genitivo *inis,* ut *nomĕn, lumĕn, flumĕn.* Virgilius, Æn. II, v. 506 :

Forsităn et Priami fuerint quæ fata requiras.

Idem, Æn. I, v. 247 :

Hic *tamĕn* ille urbem Patavi, sedesque locavit.

Statius, Theb. X, v. 813 :

. . . . . Ferrumque quod amens
Ipsa dedi; *vidĕn'* ut jugulo consumpserit ensem.

Ovidius, Fast. II, v. 93 :

Nomĕn Arionium Siculas impleverat urbes.

(1) Lemaire : *Cimmeriorum..... arces,* cum hac nota : « Italici critici olim legebant *Cimmeriūm.* Brouckhusius, qua sententia sum, veram restituit lectionem *Cimmeriorum,* subjiciens : « Error natus ex compendio pingendi : » fuit enim *Cimmeriōr,* elemento *r* deinde in *n* corrupto. » Neque nos terrere debet hiatus paulo vastior, non tamen » indecorus. » — Teubner scribit : *Cimmerion* etiam.....

EXCEPTIO II.

494. Corripiuntur etiam græca in *on* quæ ad secundam nostram declinationem spectant, ut *Peliŏn, Iliŏn, Erotiŏn.* Ovidius, epist. XIII, v. 53 :

Iliŏn, et Tenedŏs, Simoisque, et Xanthus, et Ida.

Martialis, l. V, epigr. 34, v. 3 :

Paulula ne nigras horrescat *Erotiŏn* umbras.

Omnes denique accusandi casus, qui a nominibus ultimam brevem habentibus proficiscuntur, ut *Scorpiŏn, Thetĭn, Itўn, Maiăn, Æginăn.* Lucanus, l. I, v. 659 :

Scorpiŏn incendis cauda, chelasque peruris.

Ovidius, Metam. VI, v. 652 :

Tantaque nox animi est, « *Itўn* huc arcessite, » dixit.

Statius, Theb. VII, v. 319 :

Namque ferunt raptam patriis *Æginăn* ab undis.

Hymen ultimam producit, quia a Græcis ὑμὴν per η scribitur. Catullus, carm. LXII, v. 5 :

Hymēn, o Hymenæe, *Hymēn*, ades, o Hymenæe.

Idem tamen alibi solita licentia eamdem corripuit. — *Anchisen, Calliopen,* etc., quæ per η sive *e* longum scribuntur, per se ipsa aperta sunt. — *Cimmerii* rectus multitudinis genitivum *Cimmeriorum* postulabat; maluit tamen Tibullus græco uti Κιμμερίων, *Cimmeriωn,* cujus ultima, ut cæterorum omnium, interrogandi casus per ω scribitur.

Viden' ab omnibus corripitur. Virgilius, Æn. VI, v. 780 :

Educet : *vidĕn'* ut geminæ stant vertice cristæ ?

Idem in Culice, v. 215 :

Præda Charontis agor; *vidĕn'* ut flagrantia tædis.

Sic Catullus et Tibullus.

De cæteris ejusdem formæ, ut *scin', audin', nostin',* pro *scisne, audisne, nostine,* magna inter grammaticos dissensio est. Qui censent hæc producenda esse, aiunt cum Servio, in Virg. Æn. VI, v. 780, *viden'* ultimam longam natura, sed ab Ennio primum correptam fuisse, deinde ejus exemplo a cæteris poetis. Alii contra affirmant vocalem natura longam in brevem mutari, adhibita particula *ne.* Utrique tamen certant sine testibus. Quare, dum res in dubio est, tutius puto ab his omnibus abstinere, uno *viden'* excepto. *Nemon'* ab Horatio producitur, l. II, sat. 7, v. 34 :

Convivam : *nemōn'* oleum feret ocius ? ecquis?

Sed qui in contraria sunt sententia, id cæsuræ attribuunt. Illud : *Ten' ego,* quod semel atque iterum initio carminis legitur in Ciri Virg., v. 290 et 428, aiunt nonnulli depravatum esse, corrigendumque *Tene ego. Nostin',* in epistola Medeæ, Ovidii epist. XII, v. 71 :

Nostĭn' an exciderunt mecum loca, etc.,

ubi tamen alii legunt :

Nescio an exciderint mecum loca;

verum posterior lectio frigidior videtur, et iratæ feminæ parum apposita (1).

(1) Lemaire, post Cnipping : « *Nescio* an exciderint. » Oxon. : « *Nostin'* an exciderunt. » Teubner : « *Noscis,* an exciderunt. »

Menelaos, Scorpios, Pylos, Thetis, Itys, Maia, Ægina, quemadmodum nominativi ultimam corripiunt, ita et accusativi. Ovidius, epist. XVII, v. 249 :

Tu fore tam justa lentum *Menelaŏn* in ira,
Et geminos fratres, Tyndareumque putas?

Idem, Fast. IV, v. 174 :

Maiăn, et Electran, Taygetemque Jovi.

Tethyn produxit Martialis l. X, epigr. 44, v. 2 :

Et viridem *Tethȳn,* Oceanumque patrem.

Silius, l. XVII, v. 242 :

Tum penitus telo molitus regna tridenti
Intima, ab occasu *Tethȳn* impellit et ortu.

P finitum unum est *volup;* sed obsoletum, quod ab Ennio apud Gellium, l. XII, c. 4, producitur.

R IN FINE

495. *R* litera terminata corripiuntur, ut *Amilcăr*, *sempĕr* , *semivĭr*, *cŏr*, *precŏr*, *Hectŏr*, *turtŭr*. Silius, l. II, v. 429 :

At senior Siculis exultat *Amilcăr* in arvis.

Virgilius, Æn. I, v. 609 :

Sempĕr honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.

Lucanus, Phars. VIII, v. 552 :

Inseruisse manus, impure ac *semivĭr*, audes?

Ovidius, Trist. V, eleg. VIII, v. 28 :

Molle *cŏr* ad timidas sic habet ille preces.

Juvenalis, sat. VI, v. 170 :

Tolle tuum, *precŏr,* Annibalem, victumque Syphacem.

Ovidius, Metam. XII, v. 3 .

Inferias dederat cum fratribus *Hectŏr* inanes.

Virgilius, Eclog. I, v. 59 :

Nec gemere aeria cessabit *turtŭr* ab ulmo.

EXCEPTIO.

496. Producito *cūr*, *fār*, *fūr*, *Ibēr*, *Lār*, *Nār*, *vēr*, *pār* cum compositis, ut

compār, *dispār* et *impār;* et græca quæ faciunt genitivo *eris*, ut *aēr*, *æthēr*, *cratēr*. Horatius, Arte poet., v. 86 :

Des criptas servare vices, operumque colores
Cūr ego, si nequeo ignoroque, poeta salutor?

Martialis, l. V, epigr. 42, v. 1 :

Callidus effracta nummos *fūr* auferet arca.

Lucanus, l. VI, v. 258 :

Si tibi durus *Ibēr*, aut si tibi terga dedisset
Cantaber.

Horatius, l. II, sat. 3, v. 248 :

Ludere *pār*, *impār*, equitare in arundine longa.

Virgilius, Æn. VI, v. 640 :

Largior hic campos *æthēr* et lumine vestit.

APPENDIX.

Celtiber a Martiale, l. X, epigr. 20, v. 1, corripitur :

Ducit ad auriferas, quod me Salo *Celtibĕr* oras.

Cor non ausim producere, cum fere semper a poetis corripiatur. Ovidius, Trist. V, eleg. 1, v. 63:

Strangulat inclusus dolor, atque *cŏr* æstuat intus (1).

Idem, Pont., l. I, ep. 3, v. 32 :

Confiteor misero molle *cŏr* esse mihi.

Quare illud Ovidii, epist. XV, v. 79 :

Molle meum levibus *cōr* est, etc.

suspicantur quidam legendum esse sic :

Molle meum levibusque *cŏr* est, etc. (2).

Cæterorum exempla a grammaticis traduntur. Ovidius, Fast. I, v. 338 :

Fār erat, et puri lucida mica salis.

Ibidem, V, v. 141 :

Exagitant et *Lār*, et turba Diania fures.

Virgilius, Æn. VII, v. 517 :

Sulphurea *Nār* albus aqua, fontesque Velini.

Postulat compositionis ratio ut *Celtiber* ultimam etiam longam habeat, cujus tamen nullum mihi succurrit exemplum.

(1) Lemaire et Teubner :

Strangulat inclusus dolor atque exæstuat intus.

(2) Lemaire priorem habet lectionem, annotatque Ovidium produxisse *cor*, « contra quam solet; » Oxonienses, posteriorem ; item Teubner, qui hanc epistolam ultimam omnium, italico charactere, exhibet; quam monuit Heinsius non apparuisse nisi in recentissimis Ovidii exemplaribus, atque ut plurimum ad calcem operis.

AS IN FINE

497. *As* syllaba finita longa sunt, ut *Æneās*, *Pallās*, *Pallantis; fās*, *nefās*. Virgilius, Æn. X, v. 85 :

> *Æneās* ignarus abest, ignarus et absit.

Idem, ibid., v. 433 :

> Tela manusque sinit; hinc *Pallās* instat et urget.

Idem, Georg. I, v. 268 :

> Quippe etiam festis quædam exercere diebus
> *Fās* et jura sinunt.

Juvenalis, Sat. XIII, v. 54 :

> Credebant hoc grande *nefās*, et morte piandum
> Si juvenis vetulo non assurrexerat.

EXCEPTIO.

Corripe græca quorum genitivus exit in *adis*, ut *Arcăs, Pallăs, Palladis*. — Item accusativos tertiæ declinationis nominum Græcorum, ut *Troăs, delphinăs*, *heroăs*. Ovidius, Metam. VI, v. 26 :

> *Pallăs* anum simulat, falsosque in tempora canos
> Addit.

Martialis, l. IX, epigr. 35, v. 6 :

> Cum quibus Alcides et pius *Arcăs* erat.

Ovidius, epist. I, v. 13 :

> In te fingebam violentos *Troăs* ituros.

Virgilius, Eclog. IV, v. 16 :

> Permistos *heroăs*, et ipse videbitur illis.

S litera finita, cum multo latius pateant superioribus, in varias positiones necessario fuerunt distribuenda. Masculina primæ declinationis, ut *Æneas, Menalcas, Damœtas*, *Hermagoras*, longa sunt. *Elias* ab Ausonio in Ephem. Oratio, v. 42, corripitur, quod aliter carmen ingredi minime possit.

Item tertiæ, quorum genitivus in *antis* exit, ultimam producunt, ut *Calchās*, *Atlās*. Martialis, l. IX, epigr. 4, v. 5 :

> Conturbabit *Atlās*, et non erit uncia tota.

ES IN FINE

498. *Es* syllaba terminata longa sunt, ut *Anchisēs, locuplēs, quotiēs, octiēs, deciēs, triciēs*, etc. Virgilius, Æn. VI, v. 685 :

> *Anchisēs* alacris palmas utrasque tetendit (1).

Martialis, l. XI, epigr. 44, v. 1 :

> Orbus es, et *locuplēs*, et Bruto consule natus.

Idem, l. X, epigr. 51, v. 15 :

> Dicere te lassum *quotiēs* ego credo Quirino?

Idem, l. VIII, epigr. 64, v. 2 :

> Uno nasceris *octiēs* in anno.

Idem, l. XII, epigr. 56, v. 1 :

> Ægrotas uno *deciēs*, aut sæpius anno.

EXCEPTIO I.

499. Corripe nomina tertiæ declinationis quæ crescunt in obliquis penultima brevi, ut *divĕs, equĕs, hospĕs, pedĕs*. Virgilius, Æn. II, v. 22 :

> Insula *divĕs* opum, Priami dum regna manebant.

Idem, Æn. VI, v. 881 :

> Obvius armato, ceu cum *pedĕs* iret in hostem.

Præter *abiēs, ariēs, Cerēs, pariēs, pēs* cum compositis, ut *cornipēs, sonipēs*. Virgilius, Eclog. VII, v. 66 :

> Populus in fluviis, *abiēs* in montibus altis.

Lucanus, l. VIII, v. 377 :

> Non *ariēs* illis, non ulla est machina belli.

Virgilius, Georg. I, v. 96 :

> Flava *Cerēs* alto nequicquam spectat Olympo.

---

(1) Lemaire, Forbiger et Teubner : « *Ænean*, alacris palmas, etc. » Invenies autem *Anchises*, v. 713, 855, 898.

Ovidius, Metam. VI, v. 309 :

Nec *pēs* ire potest, intra quoque viscera saxum est.

Virgilius, Æn. IV, v. 135 :

Stat *sonipēs*, et frena ferox spumantia mandit.

EXCEPTIO II.

500. *Es* a verbo *Sum* etiam breve est, et ex eo composita, ut *potĕs*, *adĕs;* item *penĕs;* græca neutra in *es*, ut *cachoetĕs*. — Præterea nominandi vocandique casus Græcorum, ut *Arcadĕs*, *Troĕs*. Virgilius, Æn. II, v. 148 :

Quisquis *ĕs*, amissos hinc jam obliviscere Graios.

Martialis, l. VI, epigr. 25, v. 8 :

Tu *potĕs* et patriæ miles et esse decus.

Horatius, Arte poet., v. 72 :

Quem *penĕs* arbitrium est, et jus, et norma loquendi.

Juvenalis, Sat. VII, v. 51 :

. . . . . Tenet insanabile multos
Scribendi *cacoethĕs*, et ægro in corde senescit.

Virgilius, Eclog. VII, v. 4 :

Ambo florentes ætatibus, *Ărcadĕs* ambo.

Idem, Æn. I, v. 172 :

Egressi, optata potiuntur *Troĕs* arena.

Adverbia numerandi semper producuntur. Martialis, l. V, epigr. 79, v. 1 :

Undeciēs una surrexti, Zoile, cœna.

Idem, l. X, epigr. 23, v. 2 :

Quindeciēs actas primus Olympiadas.

Idem, l. V, epigr. 39, v. 1 :

Supremas tibi *triciēs* in anno.

Idem, l. V, epigr. 37, v. 24 :

Ducentiēs accepit, et tamen vivit.

Scazon est. — Protulimus tam multa testimonia, quod quidam existiment esse brevia, alii desiderent classici alicujus testimonium.

Aries. Idem, l. IX, epigr. 72, v. 10 :

Hic *ariēs* astris, hic leo dignus erat.

Paries. Virgilius, in Moreto, v. 20 :

Quam fixam *pariēs* illos servabat in usus.

Pes et ex eo composita, ut *alipes*, *sonipes*, docet Probus in Catholicis, p. 1470, esse brevia; quem Ausonius, Idyll. XI, v. 39, secutus est :

Qui *bipĕs* et quadrupes foret, et *tripĕs*, omnia solus.

Uterque tamen a veterum testimoniis recessit. Virgilius, Georg. III, v. 55 :

> *Pēs* etiam, et camuris hirtæ sub cornibus aures.

Horatius, l. I, sat. 3, v. 13 :

> Omnia magna loquens; modo sit mihi mensa *tripēs*, et
> Concha salis puri.

Virgilius, Æn. X, v. 892 :

> Tollit se arrectum *quadrupēs*, et calcibus auras
> Verberat.

Lucanus, l. IV, v. 225 :

> Non *sonipēs* in bella ferox, non iret in æquor.

Illud rectius docet idem Probus eodem loco, *teres* esse breve : « *Res* correpta, inquit, *tis* faciunt genitivo, *teres*, *teretis*. » Cujus sententiam Vir bonus Virgilianus confirmat, v. 5 (1) :

> Securus, mundi instar habens, *terĕs* atque rotundus.

Ex *es* composita etiam corripiuntur. Juvenalis, Sat. V, v. 3 :

> Si *potĕs* illa pati, etc.

Virgilius, Eclog. VII, v. 9 :

> Huc *adĕs*, o Meliboœ, caper tibi salvus et hædi.

Addunt etiam quidam *inquies*, sed nullo id testimonio confirmant.

(1) Carmen illud est ad calcem edit. Venetæ 1552; invenitur autem nunc inter Idyllia Ausonii, idyll. 16.

IS vel *YS* IN FINE

501. *Is* vel *ys* finita corripiuntur, ut *apĭs*, *inquĭs*, *aĭs*, *Thetĭs*, *Tiphȳs*, *Itȳs*. Ovidius, Metam. XIII, v. 928 :

> Non *apĭs* inde tulit collectos sedula flores.

Martialis, l. III, epigr. 46, v. 3 :

> Non est, *inquĭs*, idem; multo plus esse probabo.

Persius, Sat. IV, v. 27 :

> Hunc *aĭs?* hunc diis iratis, genioque sinistro.

Statius, Achil. I, v. 126 :

> Jam dudum tacito lustrat *Thetĭs* omnia visu.

Virgilius, Eclog. IV, v. 34 :

> Alter erit tum *Tiphȳs*, et altera quæ vehat Argo
> Delectos heroas.

EXCEPTIO I.

502. Excipe casus omnes multitudinis, ut *viris*, *armis*, *Musis*, *nobis*, *vobis*, *quîs* pro *quibus*, *omnîs*, *urbîs*. — Item *glis*, *vis*, nomen et verbum, *velis*, *sis* cum com-

positis, ut *quamvis*, *nolis*, *adsis*. — Et secundas personas, numeri singularis, modi indicativi, quartæ conjugationis, ut *nescis*, *sentis*. Virgilius, Æn. I, v. 91 :

Præsentemque *virīs* intentant omnia mortem.

Lucanus, Phars. I, v. 107 :

Plus illa *vobīs* acie, quam creditis, actum est.

Virgilius, Æn. I, v. 94 :

. . . . . O terque quaterque beati
Quīs ante ora patrum, Trojæ sub mœnibus altis,
Contigit oppetere!

Idem, Æn. I, v. 529 :

Non ea *vīs* animo, nec tanta superbia victis.

Martialis, l. IX, epigr. 8, v. 4 :

Jam satis est; non *vīs*, Afer, avere, vale.

Lucanus, l. III, v. 359 :

Quamvīs Hesperium mundi properemus ad Axem.

Martialis, l. I, epigr. 4, v. 3 :

Nescīs, heu! nescis dominæ fastidia Romæ.

EXCEPTIO II.

503. Longa præterea sunt quorum genitivus exit in *inis*, *entis*, *itis*, penultima longa, ut *Salamīs*, *Simoīs*, *Samnīs*, *līs*. Ovidius, epist. I, v. 33 :

Hac ibat *Simoīs*, hic est Sigeia tellus.

Horatius, Arte poetica, v. 78 :

Grammatici certant, et adhuc sub judice *līs* est.

Aio tertiæ esse declinationis docet secunda persona brevis, *aĭs;* videtur tamen priscis temporibus quarti ordinis fuisse; Nævius enim apud Priscianum, l. X, p. 875, sic ait :

An nata est sponsa prægnans? vel *ai*, vel nega.

Supra, cum de diphthongis egimus, ostendimus *mnis*. *urbis* et cætera id genus per *i* literam, non per diphthongum ει sive *ei* a veteribus fuisse scripta.

Quæ in *ys* per *y* exeunt, fere corripiuntur. Virgilius, Æn. II, v. 35 :

At *Capўs* et quorum melior sententia menti.

Ovidius, Metam. V, v. 75 :

Et *Libўs* Amphimedon, avidi committere pugnam.

Tethys tamen videtur anceps. Virgilius, Georg. I, v. 31 :

> Teque sibi generum *Tethȳs* emat omnibus undis ;

quod etiam ex accusandi casu, qui nominandi sequitur, intelligitur. Silius, l. XVII, v. 242 :

> Tum penitus telo molitus regna tridenti
> Intima, ab occasu *Tethȳn* impellit et ortu.

Martialis, l. X, epigr. 44, v. 2 :

> Et viridem *Tethȳn*, Oceanumque patrem.

Rarissime enim hic, maxime apud Martialem, producitur brevis cæsuræ beneficio. Sed quid mirum, an etiam prior vocalis, quæ a Græcis per η scribitur, interdum corripitur? Seneca in Troad. act. IV, v. 881 :

> Placidumque numen, æquoris tumidi *Tĕthys*.

Ovidius posteriorem corripuit, Fast. V, v. 22 :

> *Tethȳs* et extremo sæpe recepta loco est.

Ris ultima futuri conjunctivi sæpissime corripitur. Martialis, l. II, epigr. 30, v. 5 :

> Is mihi, dives eris, si causas *egerĭs*, inquit.

Idem, l. III, epigr. 5, v. 9 :

> Hos tu seu pariter, sive hanc, illumve priorem
> *Viderĭs*; hoc dices : Marcus avere jubet.

Idem, l. V, epigr. 6, v. 16 :

> Nec *porrexerĭs* ista, sed teneto.

Idem, l. VII, epigr. 38, v. 3 :

> . . . . . Quod si fera monstra duorum
> *Junxerĭs*, alterius fiet uterque timor.

In eodem, epigr. 51, v. 14 :

> Et cum jam satis est *dixerĭs*, ille leget.

Idem, l. IX, epigr. 46, v. 5 :

> *Viderĭs* immensis quum conclamata querelis
> Saxa.

Horatius, Arte poet., v. 47 :

> *Dixerĭs* egregie, notum si callida verbum
> Reddiderit junctura novum.

Lucanus, Phars. I, v. 56 :

> Ætheris immensi partem si *presserĭs* unam.

Omitto alia, ne sim longus. Reperitur interdum hoc tempus longum : sed credo id cæsuræ attribuendum. Certe Probus, l. I, p. 1412, ubi de ultimis verborum agit, *ris* syllabam tam præteriti quam futuri temporis, conjunctivi modi, brevem esse docet; quamvis idem ipse Probus affirmet *rimus* utriusque temporis semper penultimam producere.

Idem, eodem libro, p. 1403, ubi de ultimis provocabuli *quis* vel *qui* agit : « Dativus et ablativus, inquit, si *is* syllaba terminantur, iambum recipiunt, ut : *Queis* ante ora patrum; si *bus*, pyrrhichium, ut : Hic, *quibus* invisi fratres. » Non satis intelligo quid sibi velit : versus enim heroicus nunquam, maxime primo loco, iambum recipit. Quare viderint critici num *quis* potius sit scribendum. Etenim cum provocabulum partim ad secundam declinationem, ut a *quo, qua, quos, quas;* partim ad tertiam spectet, ut *quæ* a *qui,* dativus *quis* similis est dativo secundæ, ut *dominis, doctis; quibus* vero dativo tertiæ, ut *sermonibus, brevibus.* Unde qui analogiam impugnant, apud Varronem, l. VIII, 50, *ques homines* recto multitudinis, pro *qui homines,* aiebant dicendum esse, si sequenda esset analogia. Servius, in Donati Edit. II, p. 1786, idem sentit. « Dativus, inquit, et ablativus plurales plerumque varii sunt : dicimus enim *a quis* vel *a quibus;* qui quidem videntur hac ratione variari, quoniam ablativus singularis inventus est varius. Scimus enim quia omnia quæ *o* terminantur, in *is* mittunt; quæ *i,* in *bus.* Ergo, sicut dicimus *ab hoc docto, ab his doctis,* ita dicimus *a quo, a quis.* Item, sicut dicimus *a puppi, a puppibus,* ita dicimus *a qui, a quibus.* » Hæc ille.

Velis. Persius, Sat. V, v. 170 :

> Ne trepidare *velīs*, atque arctos rodere casses.

Martialis, l. XIII, epigr. 2, v. 1 :

> Nasutus *sīs* usque licet, sis denique nasus.

Idem, ibidem, v. 3 :

> Et *possīs* ipsum tu deridere Latinum.

OS IN FINE

504. *Os* finita longa sunt, ut *ōs*, *oris*, *Erectōs*, *Trōs*, *Minōs*, *herōs*, *Athōs*, *Androgeōs*, et cætera quæ per ω scribuntur. Ovidius, Metam. I, v. 85 :

> *Os* homini sublime dedit, cœlumque tueri
> Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Virgilius, Æn. VI, v. 126 :

> *Trōs* Anchisiada, facilis descensus Averno.

Idem, Æn. II, v. 370 :

> Primus se, Danaum magna comitante caterva,
> *Androgeōs* offert nobis, socia agmina credens (1).

EXCEPTIO.

Corripe *ŏs*, *ossis*, *compŏs* et *impŏs*, et græca neutra, ut *chaŏs*, *melŏs*, *Argŏs*. Virgilius, Æn. VI, v. 265 :

> Et *Chaŏs*, et Phlegethon, loca nocte tacentia late.

Item *os* finita quæ ad secundam latinam declinationem transeunt, ut *Tyrŏs*, *Arctŏs*, *Iliŏs*. Lucanus, Phars. III, v. 217 :

> Et *Tyrŏs* instabilis, pretiosaque murice Sidon.

Martialis, l. IX, epigr. 85, v. 6 :

> Nescia nec nostri nominis *Arctŏs* erat.

Omnes denique interrogandi casus, a quibuscumque rectis proficiscantur, ut *Arcadŏs, Palladŏs*, *Typhoeŏs*, *Tethyŏs*, *Tereŏs*. Ovidius, Metam. I, v. 218 :

> *Arcadŏs* hinc sedes et inhospita tecta tyranni
> Ingredior.

Ovidius, Fast. IV, v. 491 :

> Alta jacet vasti super ora *Typhoeŏs* Ætnæ.

Lucanus, l. I, v. 414 :

> *Tethyŏs* unda vagæ lunaribus æstuet horis.

---

(1) Vide supra, n. 186.

Ex composito *exos* intelligimus *os ossis* breve esse. Lucretius, l. III, v. 721 :

Exŏs et exsanguis tumidos perfluctuat artus.

Ovidius, Am. I, v. 486 :

. . . . . Voti postmodo *compŏs* eris.

Pallados. Valerius Flaccus, l. VIII, v. 224 :

Ipsa autem invitæ jam *Palladŏs* erigit aras.

Martialis, l. IV, epigr. 49, v. 3 :

Ille magis ludit, qui scribit prandia sævi
Tereŏs; aut cœnam, crude Thyesta, tuam.

Hic illud obiter dictum sit, *Thyesta* per *a* legendum esse, non per *e*, ut *Orestes*, *Oresta*, *Æetes*, *Æeta*. Vide quæ supra diximus cum de *es* syllaba finitis egimus.

US IN FINE

505. *Us* syllaba terminata brevia sunt, ut *littŭs*, *intŭs*, *sensibŭs*. — Et nominandi vocandique casus singulares quartæ declinationis, ut *domŭs*, *manŭs*. Virgilius, Æn. III, v. 44 :

Heu! fuge crudeles terras, fuge *littŭs* avarum.

Idem, Æn. II, v. 483 :

Apparet *domŭs intŭs*, et atria longa patescunt.

Idem, ibid., v. 29 :

Hic Dolopum *manŭs*, hic sævus tendebat Achilles.

EXCEPTIO.

506. Excipe monosyllaba, ut *plūs*, *rūs*, *thūs*. Lucanus, Phars. I, v. 107 :

Plūs illa vobis acie, quam creditis, actum est.

Et quæ crescunt in obliquis penultima longa, ut *salūs*, *tellūs*, *palūs;* et nomina quartæ declinationis præter casus ante dictos, ut *aditūs*, *vultūs*. Ovidius, Metam. I, v. 109 :

Mox etiam fruges *tellūs* inarata ferebat.

Idem, Metam. XI, v. 363 :

Juncta *palūs* huic est, densis obsessa salictis.

Martialis, l. VIII, epigr. 65, v. 12 :

Hos *aditūs* Urbem Martis habere decet.

Denique græca nomina quorum genitivus exit in *untis*, ut *Opūs*, *Amathūs*, et

quæ ex πούς, ποδός (*pus, podos*) componuntur, ut *tripūs, Melampūs;* quæque ex *oos* contrahuntur, ut *Panthūs* ex *Panthoos*. — Item genitivus a femininis in *o*, ut *Manto, Mantūs; Clio, Cliūs*, etc. Virgilius, Æn. X, v. 51 :

Est *Amathūs*, est celsa mihi Paphus atque Cythera.

Idem, Æn. II, v. 319 :

Panthūs Otriades, arcis Phœbique sacerdos.

Idem, Æn. X, v. 199 :

Fatidicæ *Mantūs* et Tusci filius amnis.

Huc etiam *Jesus*, sacrosanctum Domini atque Redemptoris nostri nomen, spectat.

APPENDIX.

Us finita, non contracta, ab *os* syllaba profecta corripiuntur, ut *Pamphagŭs, Oribasŭs, polypŭs;* quorum ultimum Æoles per ος scribunt, πόλυπος; unde a Latinis per *us* effertur, ultima brevi. Ovidius, Metam. III, v. 210 :

Pamphagŭs, et Dorceus, et *Oribasŭs*, Arcades omnes.

Horatius, Epod. XII, v. 5 :

Polypŭs, an gravis hirsutis cubet hircus in alis.

Jesus nomen hebræum est; a Græcis Ἰησοῦς scribitur; ab Hebræis, *Jesua*, cui præter *a* addunt consonantem cui nulla in Europa respondet.

Palus ultimam producit. Virgilius, Æn. VI, v. 438 :

Fas obstat, tristique *palūs* inamabilis unda.

Horatius eamdem corripuit in Arte poet., v. 65 :

Regis opus, sterilisque diu *palŭs*, aptaque remis.

Aut certe *s* litera eliditur, et *u* vocalis ob sequentem corripitur.

Attici πολύπους, *polypus*, nominandi casu, ut *tripus* dicunt; Æoles vero, πόλυπος, *polypos;* unde Latini *polypus* ultima brevi. Vide Athenæum, l. VII, c. 19. *Polypus* dicitur etiam πώλυψ, πώλυπος, per ω, ab eodem Athenæo; ob quam causam Horatius primam vocalem produxit.

DE SYLLABA COMMUNI

507. Communis syllaba, ut supra diximus, est, quæ modo brevis, modo longa apud poetas reperitur.

PRÆCEPTUM I.

Et diphthongus et vocalis longa communes fiunt, cum vocalem diversæ dictionis præcedunt.

Breves. — Virgilius, Æn. III, v. 211 :

Insulæ̆ Ionio in magno, quas dira Celæno.

Idem, Æn. V, v. 261 :

Victor apud rabidum Simoenta, sub *Iliŏ* alto.

Idem, Eclog. VIII, v. 108 :

Credimus, an *quĭ* amant, ipsi sibi somnia fingunt?

Horatius, l. I, sat. 9, v. 38 :

Si *mĕ* amas, inquit, paulum hic ades. Inteream, si
Aut valeo stare, aut novi civilia jura.

Propertius, l. II, eleg. 33, v. 31 :

Tu quoque, ŏ Eurytion, vino, Centaure, peristi.

Longæ. — Virgilius, Georg. I, v. 221 :

Ante tibi *Eoæ̅* Atlantides abscondantur.

Idem, Eclog. VII, v. 53 :

Stant et *juniperī*, et *castaneæ̅* hirsutæ.

Idem, Æn. IV, v. 667 :

Lamentis gemituque, et *femineō* ululatu
Tecta fremunt.

Idem, Eclog. III, v. 6 :

Et succus *pecorī*, et lac subducitur agnis.

Juvenalis, sat. II, v. 25 :

Quis cœlum terris non misceat, et mare cœlo,
Si fur displiceat *Verrī*, homicida Miloni?

Ovidius, Metam. II, v. 520 :

O ego (1) quantum egi; quam vasta potentia nostra est!

Breves et longæ in eodem versu. — Virgilius, Georg. I, v. 437 :

Glaucō, et *Panopeæ,* et Inoo Melicertæ.

Idem, Georg. I, v. 281 :

Ter sunt *conatī* imponere *Peliō* Ossam.

PRÆCEPTUM II.

508. Monosyllaba brevia interdum a poetis more Græcorum producuntur. Virgilius, Æn. III, v. 91 :

Liminaquē laurusque Dei totusque moveri.

Juvenalis, Sat. VI, v. 531 :

Et animam, et mentem (2), cum qua di nocte loquantur.

PRÆCEPTUM III.

509. Syllaba brevis post quatuor primos pedes, maxime secundum et tertium, relicta, nonnunquam a poetis producitur.

Syllaba brevis post primum pedem producta. — Virgilius, Æn. IV, v. 64 :

Pectoribūs inhians spirantia consulit exta.

Idem, Æn. XI, v. 111 :

Oratīs; equidem et vivis concedere vellem.

Juvenalis, Sat. VI, v. 247 :

Quis *nescīt?* aut quis non vidit vulnera pali (1)?

(1) Lemaire : « *En* ego..... »
(2) Lemaire et Teubner : « *En* animam et mentem..... »

(1) Lemaire et Teubner : « Quis nescit? *Vel*.....»

Martialis, l. VI, epigr. 61, v. 2 :

Meque *sinūs* omnis (2), me manus omnis habet.

Post secundum. — Virgilius, Æn. II, v. 410 :

Hic primum ex alto delubri culmine telis
Nostrorum *obruimūr*, oriturque miserrima cædes.

Idem, Æn. V, v. 337 :

Emicat *Euryalūs*, et munere victor amici.

Idem, Æn. X, v. 394 :

Nam tibi, Thymbre, *capūt* Evandrius abstulit ensis.

Ovid., Metam. XI, v. 221 :

Namque senex *Thetidī* Protheus : « Dea, dixerat, undæ..... »

Martialis, l. XIV, epigr. 153, v. 1 :

Det tunicam *divēs;* ego te præcingere possum.

Idem, l. VII, epigr. 44, v. 1 :

Maximus ille *tuūs,* Ovidi, Cæsonius hic est.

Post tertium. — Virgilius, Æn. V, v. 521 :

Ostentans artemque *patēr,* arcumque sonantem.

Idem, Æn. III, v. 464 :

Dona dehinc auro *graviā,* sectoque elephanto
Imperat ad naves ferri.

Idem, Æn. XII, v. 13 :

Congredior; fer sacra *patēr,* et concipe fœdus.

Statius, Achill. II, v. 281 :

Nequa det indignos *Thetidī* captiva nepotes.

Post quartum. — Virgilius, Æn. X, v. 720 :

Graius homo infectos linquens *profugūs* Hymenæos.

---

(2) Lemaire : « Meque sinus *omnes*..... » Teubner : « Meque sinus *omnis*..... »

Idem, Eclog. VI, v. 53 :

> Ille latus niveum molli *fultūs* hyacintho.

Idem, Georg. II, v. 5 :

> Muneribus, tibi pampineo *gravidūs* Autumno.

ADMONITIO. — His tribus præceptionibus non in suis componendis, sed metiendis veterum poetarum carminibus utentur tirones.

Tria hæc præcepta a Græcis mutuati sunt Latini, quorum omnia exempla posuissem, nisi ad alia festinarem. Huc spectant præterita imminuta *t* litera finita. Ovidius, Fast. IV, v. 721 :

> Nox *abiīt*, oriturque Aurora. Palilia poscor;

quæ supra attulimus, cum de *t* litera finitis egimus.

Huc itidem videtur spectare ultima syllaba secundæ personæ, tam præteriti quam futuri conjunctivi modi, cum longa reperitur. Ovidius, Fast. I, v. 17 :

> Da mihi te placidum, *dederīs* in carmina vires.

Tibullus, l. IV, eleg. 1, v. 8 :

> *Respuerīs* : etiam Phœbo gratissima dona.

Item hæc quæ sequuntur. Juvenalis, Sat. VIII, v. 107 :

> *Occultā* spolia, et plures de pace triumphos.

Silius, l. IX, v. 575 :

> *Immanē* stridens agitur, crebroque coacta.

Martialis, l. II, epigr. 66, v. 8 :

> Ut *dignā* speculo fiet imago tua.

Multa denique his præceptionibus excusantur, quæ alioqui brevia sunt. Lucretius, l. I, v. 806 :

> Imbribus, et *tabē* nimborum arbusta vacillant.

Tabe enim posteriorem alias habet brevem. Lucanus, l. I, v. 621 :

> Cernit *tabĕ* jecur madidum, venasque minaces.

Macrobius, l. V, c. 14, docet a Græcis appellari λαγαρούς versus, qui in medio breves syllabas pro longis habent, ut :

> . . . . . Et duros *obĭce* postes;

et :

> Consilium ipse *patēr* et magna incœpta Latinus.

Idem sentit Diomedes, l. III, p. 499.

PRÆCEPTUM IV.

510. Vocalis brevis ante mutam et liquidam ejusdem dictionis, ut supra dictum est, communis est in carmine, quamvis in soluta oratione semper corripiatur, ut *Atlas*, *volucris*, *Cleopatra*, *Patroclus*, *lugubris*, *funebris*. Ovidius, Metam. IV, v. 643 :

> Tempus, *Atla*, veniet, tua quo spoliabitur auro
> Arbor.

Virgilius, Æn. I, v. 740 :

> . . . . . Cithara crinitus Iopas
> Personat aurata, docuit quæ maximus *Atlas*.

Idem, Æn. IV, v. 525 :

Cum tacet omnis ager, pecudes pictæque *volŭcres.*

Idem, Æn. VII, v. 33 :

Assuetæ ripis *volŭcres* et fluminis alveo.

APPENDIX.

Syllaba natura longa nunquam corripitur, etiamsi muta cum liquida sequatur, ut *arātrum*, *volutābrum*, *involūcrum*, *salūbris*, et reliqua generis ejusdem.

Quarta hæc præceptio suo loco fusius explicata est, ubi nonnulla dicta sunt quæ ad ejus perfectam cognitionem spectant.

PRÆCEPTUM V.

511. Ultima syllaba versus communis est, siquidem brevis pro longa ponitur. Virgilius, Æn. I, v. 67 :

Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat *æquŏr.*

Idem, ibidem, v. 665 :

Nate, Patris summi qui tela Typhoia *temnĭs.*

Sextus enim pes spondeus est, qui ex duabus longis constat.

Aut contra longa pro brevi. Martialis, l. IX, epigr. 12. v. 16 :

Nobis non licet esse tam *disertīs,*
Qui Musas colimus *severiōrēs.*

Cicero in Oratore, c. 64, 217, ubi de pedibus agit : « Nihil interest, inquit, dactylus sit extremus, an creticus; quia postrema syllaba brevis an longa sit, ne in versu quidem refert. »

DE NECESSITATE METRICA

512. Lex necessitasque metri cogit poetas breves aliquando producere, velut cum sunt tres breves continuæ in carmine heroico, quod in *Italia*, *Priamide*, *Arabia*, aliisque id genus usu venit. Virgilius, Æn. III, v. 264 :

Ibitis *Italiam*, portusque intrare licebit.

Idem, *Æn.* VI, v. 494 :

> Atque hic *Priamidem* laniatum corpore toto
> Deiphobum vidit.

Propertius, l. II, eleg. 10, v. 16 :

> Et domus intactæ te tremit *Arabiæ.*

Aut contra longas corripere, ut cum brevis inter duas longas est. Juvenalis, Sat. II, v. 64 :

> Fugerunt trepidi vera ac manifesta canentem
> *Stoicidæ.*

Stoicidæ dixit penultima brevi necessitate metri constrictus, neque enim hexametrum carmen creticum recipit, qui ex longa, brevi et longa constat.

DE LICENTIA POETICA

513. Poetæ, quibus semper potestas fuit, ut inquit Horatius, Arte poet., v. 10, quidlibet audendi, nulla coacti necessitate, syllabis interdum pro suo jure abutuntur. *Tulerunt* enim, *dederunt*, et nonnulla alia ejusdem generis, penultima correpta efferunt. Virgilius, Eclog. IV, v. 61 :

> Matri longa decem *tulĕrunt* fastidia menses.

Horatius, l. I, epist. 4, v. 7 :

> Dî tibi divitias *dedĕrunt* artemque fruendi (1).

---

(1) Vid. supra, n. 475.

DE PEDIBUS

514. Quoniam de syllabis tum brevibus, tum longis, tum communibus dictum est, superest ut et de pedibus, qui ex ipsis syllabis, et de versu, qui ex pedibus constat, breviter dicamus.

QUID SIT PES

Pes est pars versus certo syllabarum numero atque ordine definita.

PEDES DUARUM SYLLABARUM

515. *Spondeus* constat ex duabus syllabis longis, ut *pōssūnt, ōmnēs.*
Pyrrhichius ex duabus brevibus, ut *fŭrŏr, rŭĭt.*
Choreus, seu, ut alii vocant, *trochæus*, ex longa et brevi, ut *ārmă, vīncŏr.*
Iambus ex brevi et longa, ut *vĭrōs, rŏgās.*

PEDES TRIUM SYLLABARUM

516. *Molossus* ex tribus longis, ut *Ænēās, cōntēndūnt.*
Trochæus, sive *tribrachis*, ex tribus brevibus, ut *făcĕrĕ, tŭmĭdŭs.*
Dactylus, ex longa et duabus brevibus, ut *cōrpŏră, trāxĭmŭs.*
Anapæstus, ex duabus brevibus et longa, ut *ănĭmōs, căpĭūnt.*
Bacchius, ex brevi et duabus longis, ut *dŏlōrēs, părābānt.*
Antibacchius, ex duabus longis et brevi, ut *aūdīssĕ, mātūrŭs.*
Creticus seu *amphimacer*, ex longa, brevi et longa, ut *māxĭmōs, aūdĭūnt.*
Amphybrachys, ex brevi, longa et brevi, ut *cădēbăt, pŏēmă.*

PEDES QUATUOR SYLLABARUM

EX SUPERIORIBUS COMPOSITI

517. *Dispondeus* constat ex duobus spondeis, ut *ōrātōrēs.*
Proceleusmaticus, ex duobus pyrrhichiis, ut *ăbĭĕtĕ.*
Dichoreus, ex duobus choreis, ut *dīmĭcārĕ.*

Diiambus, ex duobus iambis, ut *prŏpīnquĭtās.*
Choriambus, ex choreo et iambo, ut *nōbĭlĭtās.*
Antipastus, ex iambo et choreo, ut *rĕcūsārĕ.*
Ionicus a majore, ex spondeo et pyrrhichio, ut *cālcārĭbŭs, cāntābĭmŭs.*
Ionicus a minore, ex pyrrhichio et spondeo, ut *Dĭŏmēdēs, Lăcĕdǣmōn.*

PÆONES

518. *Pæones* quatuor sunt; omnes ex tribus brevibus et una longa constant, hac lege, ut primus primam habeat longam; secundus, secundam; tertius, tertiam; quartus, quartam.

Pæon I, ex choreo et pyrrhichio, ut *āspĭcĭtĕ, tēmpŏrĭbŭs.*
Pæon II, ex iambo et pyrrhichio, ut *pŏtēntĭă, dŏcēbĭmŭs.*
Pæon III, ex pyrrhichio et choreo, ut *ănĭmātŭs, mŏrĭāmŭr.*
Pæon IV, ex pyrrhichio et iambo, ut *călămĭtās, ŏbĭĕrānt.*

EPITRITI

519. *Epitriti* seu *hippii* totidem sunt, sed superioribus contrarii.

Epitritus I, ex iambo et spondeo, ut *rĕpēntīnō, rĕpūgnārūnt.*
Epitritus II, ex choreo et spondeo, ut *cōndĭtōrēs, cōmprŏbārūnt.*
Epitritus III, ex spondeo et iambo, ut *dīscōrdĭǣ, clāmāvĕrās.*
Epitritus IV, ex spondeo et choreo, ut *fōrtūnātŭs, pūgnābāmŭs.*

PEDES QUINQUE SYLLABARUM

520. Quinque syllabarum pedes inusitati sunt, præter *dochimum*, oratoriæ compositioni maxime appositum : constat ex iambo et cretico, ut *rĕīpūblĭcǣ*, *pĕrhōrrēscĕrēnt.*

Diomedes, l. III, p. 471, docte et copiose de pedibus agit, quorum enumeratione fuimus contenti, quod cætera non sunt perinde necessaria ad scribenda carmina. *Choreum* solet Cicero appellare, quem plerique grammatici *trochæum* vocant; quem vero hi *tribrachym* appellant, ille *trochæum* nominat. Quintilianus, Ciceronem secutus, iisdem nominibus utitur; non sunt tamen grammaticorum vocabula ut barbara contemnenda, cum etiam Quintiliani ætate recepta fuerint.

DE VERSU

521. *Versus* est oratio certo genere, numero atque ordine pedum alligata.

CARMEN HEXAMETRUM SIVE HEROICUM

Hexametrum carmen constat sex pedibus, quorum quintus dactylus est, sextus spondeus, reliqui dactyli vel spondei. Virgilius, Æn. II, v. 363 :

> Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos.

APPENDIX.

Quintus pes nonnunquam spondeus est; unde versus *spondaicus* appellatur, quo vel rei alicujus gravitas et amplitudo, vel ingens mœror animique angor, vel aliud declaratur. Virgilius, Eclog. IV, v. 49 :

> Cara Deum soboles, magnum Jovis *incre*mentum.

Idem, Æn. II, v. 68 :

> Constitit, atque oculis Phrygia agmina *circum*spexit.

PENTAMETRUM CARMEN

522. *Pentametrum* carmen, quod fere hexametrum comitatur, quinque pedes habet, quorum duo primi dactyli vel spondei pro cujusque arbitrio sunt, adjuncta syllaba longa, quæ cæsura vel semipes dicitur, cæteri perpetuo sunt dactyli, quibus semipes itidem adjungitur, ut ex utroque semipede pes fiat : vel tertio loco est spondeus, qui alterius verbi fine, alterius initio constat; deinde duo anapæsti. Ovidius, Pont. IV, ep. 3, v. 35 :

> Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
> Et subito casu, quæ valuere ruunt.

Delegimus ex plurimis carminum generibus ea quibus poetæ frequentius utuntur. Diomedis librum tertium, Servii Centimetrum, aliorumque libros adeat, cui hæc non satis esse videbuntur.

Heroici carminis ornamenta (quod etiam *epos* vocatur, unde *epici* poetæ dicti) a Virgilio in primis, ac cæteris qui eodem scribendi genere floruerunt, sunt petenda; quod idem de aliis versuum generi-

bus dictum sit: horum enim diligens et assidua lectio magistros omnes superat. Versus hexameter recipit interdum anapæstum et proceleusmaticum, ut quibusdam placet; de quibus paulo post.

Posterior ratio metiendi pentametrum Quintiliano probatur, l. IX, c. 4, 109 : « Et quidem optime est sibi junctus anapæstus, ut qui sit pentametri finis. » Ibidem, 98 : « Est quoddam in ipsa divisione verborum latens tempus ut in pentametri medio spondeo, qui nisi alterius verbi fine, alterius initio constat, versum non efficit. »

SENARIUS IAMBICUS, SIVE TRIMETER IAMBICUS ACATALECTUS

523. *Senarius iambicus*, cum purus est et integer, omnibus in locis iambos habet. Horatius, Epod., ode 2, v. 1 :

> Beatus ille qui procul negotiis.

Omnes sex pedes iambi sunt, totidem enim pedes senarius admittit, unde et nomen invenit. Verum,

> Tardior ut paulo, graviorque veniret ad aures,

ut Horatius, Arte poet., v. 255, ait, primo, tertio et quinto loco spondeum, dactylum et anapæstum recipit. Omnibus etiam locis, præterquam sexto, tribrachym potest recipere. Horatius, Epod., ode 2, v. 35 :

> Pavidumque leporem, et advenam laqueo gruem,
> Jucunda captat præmia.

DIMETRUM IAMBICUM ACATALECTUM

524. *Dimetrum iambicum* quatuor recipit pedes : secundo et quarto loco iambos; primo et tertio iambum, spondeum, dactylum, anapæstum; potest etiam in omnibus, præter quartum, tribrachym admittere. Horatius, Epod., ode 2, v. 61 :

> Has inter epulas, ut juvat pastas oves
> Videre properantes domum.

Subscribitur hic versus interdum eleganter senario iambico. Martialis, l. I, epigr. 50, v. 1 :

> Vir Celtiberis non tacende gentibus,
> Nostræque laus Hispaniæ.

SCAZON, SIVE CHOLIAMBUS

525. *Scazon* semper quinto loco habet iambum, sexto vero spondeum; cæteris omnibus cum senario iambico consentit. Martialis, l. V, epigr. 54 :

> Extemporalis factus est meus rhetor;
> Calpurnium non scripsit et salutavit.

Metimur omnia genera carminum pedibus duplicatis, præter dactylum, hoc est, hexametrum et pentametrum, quod ex ipsis nominibus facile intelligitur. *Trimetra* autem appellantur, quod tribus metris sive mensuris constent, cum tamen senos habeant pedes, unde et senarii vocantur.

Ἀκατάληκτα, *acatalecta*, dicuntur carmina integra, omnibusque suis numeris absoluta; καταληκτικά, *catalectica*, quibus deest una syllaba; ὑπερκατάληκτα, *hypercatalecta*, quæ syllaba una aut duabus redundant, βραχυκατάληκτα, *brachycatalecta*, quibus pes unus deest. Legitimus senarius iambicus sexto loco iambum habet tanquam custodem defensoremque iambici ordinis; ex quo cum fuerit deturbatus, atque in ejus locum substitutus spondeus, σκαζών, *scazon*, id est *claudicans*, et χωλίαμβος, *choliambus*, hoc est, *claudus iambus* appellatur: claudicare enim hi versus putantur. Martialis plurima epigrammata hoc carmine scripsit; trimetro ac dimetro pauciora. Tragœdiam scripturus Senecæ trimetros diligenter inspiciet, observabitque quos pedes quibus locis frequentius usurpet.

Non loquimur de Plautinis ac Terentianis senariis, qui locis omnibus (ut Priscianus de metris comicis, p. 1319, docet), excepto sexto, quinque pedes, iambum, tribrachym, spondeum, dactylum, anapæstum sine discrimine admittunt. Terentius, in prolog. Andr., v. 10:

Qui utramvis recte norit, ambas noverit.

Idem, ibidem, v. 19:

Accusant, quos hic noster auctores habet.

Idem, Andr. act. I, sc. 1, v. 81:

Perduxere illuc, secum ut una esset, meum.

Omnes sunt spondei, præter quartum, et sextum qui est iambus. Idem, ibid., v. 32:

Nihil istac opus est arte, ad hanc rem, quam paro.

Primus pes est anapæstus, secundus dactylus; reliqui spondei præter quartum et sextum. Ibidem, v. 59:

Studebat; et tamen omnia hæc mediocriter.

Primus et secundus est iambus, tertius anapæstus, quartus iambus, quintus tribrachys, sextus necessario est iambus.

Qui dialogos aut comœdias scripserit, dummodo ultimus sit iambus, ne de cæteris sit sollicitus: poterit enim hos quinque pedes ad arbitrium suum permiscere.

ANAPÆSTICUM DIMETRUM ACATALECTUM

526. *Anapæsticum* carmen, quo frequenter in choris utitur Seneca, constat quatuor pedibus, qui fere sunt dactyli vel spondei, permixtis anapæstis, ita tamen ut secundo et quarto loco absit dactylus. Seneca. Hercul. fur. act. IV, v. 1054:

Lugeat æther, magnusque parens
Ætheris alti, tellusque ferax,
Et vaga ponti mobilis unda.

APPENDIX.

Secundus pes dictionem terminat, qui frequentissime est spondeus.

GLYCONIUM

527. *Glyconium* carmen constat spondeo et duobus dactylis, quo Seneca interdum choros scribit. Thyest. act. II, v. 336 :

Tandem regia nobilis,
Antiqui genus Inachi,
Fratrum composuit minas.

ASCLEPIADEUM.

528. *Asclepiadeum* carmen constat spondeo, duobus choriambis, et pyrrichio; vel spondeo, dactylo, et syllaba longa, deinde duobus dactylis. Horatius, l. I, ode 1, v. 1 :

Mæcenas, atavis edite regibus.

PHALEUCIUM.

529. *Phaleucium* carmen quinque pedibus constat, spondeo, dactylo, deinde tribus choreis. Martialis, l. I, epigr. 53, v. 1 :

Commendo tibi, Quintiane, nostros;
Nostros dicere si tamen libellos
Possim, quos recitat tuus poeta.

Versibus hendecasyllabis (sic enim a numero syllabarum etiam appellantur) plurimum utuntur qui epigrammata scribunt.

SAPPHICUM CARMEN.

530. Versus *sapphicus* quinque pedes hoc ordine admittit : choreum, spondeum, dactylum, deinde duos choreos; tertio cuique carmini fere nectitur *adonius*, qui ex dactylo et spondeo constat. Horatius, l. I, ode 22, v. 1 :

Integer vitæ scelerisque purus
Non eget Mauris jaculis, neque arcu,
Nec venenatis gravida sagittis,
    Fusce, pharetra :
Sive per Syrtes iter æstuosas,
Sive facturus per inhospitalem

Caucasum, vel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Glyconium carmen apud Horatium, l. I, ode 15, v. 36, choreum habet initio :

Ignĭs Iliacas domos (1).

Phaleucii pedibus abutitur Catullus; primæ enim sedi tum iambum, tum choreum attribuit, a quibus cæteri fere abstinent. Martialis tamen, l. II, epigr. 6, v. 15, ad Severum, eum imitatus, iambum posuit pro spondeo :

Et cum currere debeas Bovillas,
Itĕr jungere quæris ad Camœnas (2).

(1) Sic Orellius et Teubner. Lemaire vero :

Ignis Pergameas domos.

(2) Lemaire et Teubner : « Interjungere, etc.; » quæ correctio auctorem habuit Scaligerum, confundentibus sæpe librariis verba *iter* et *ĭter* (*inter*).

ALCAICUM CARMEN.

De alcaïco versu hæc in sua Alvari editione Antonius Vellez addidit : « Alcaicus primo loco iambum vel spondeum recipit; in secundo, iambum; tertio, cæsuram syllaba longa constantem; quarto et quinto, dactylum. Horatius, l. II, ode 1, v. 13 :

Insigne mœstis præsidium reis
Et consulenti Pollio curiæ.

Tertius versus iambicus archilochius dimeter hypercatalectus addi solet, qui primo et tertio loco iambum postulat vel spondeum; secundo et quarto solum admittit iambum, ac denique syllabam, in hunc modum. Idem, ibidem, v. 13 :

Cui laurus æternos honores.

Quartus versus est dactylicus alcaicus acatalectus, primo et secundo loco dactylum recipiens, tertio et quarto choreum. Ibidem, v. 16 :

Dalmatico peperit triumpho.

» Alcaicus dactylicus primo loco sæpissime iambum admittit. Horatius, l. I, ode 31, v. 17 :

Frui paratis et valido mihi.

Idem, l. II, ode 9, v. 5 :

Amice Valgi, stat glacies iners.

Quarto et quinto loco duos habere dactylos communis usus ostendit. Illud enim Horatii, l. I, ode 17, v. 9 :

Nec Martialeis hædilia lupos (1),

rarissimum est. Dionysius, ejus interpres, in eumdem locum docet ionicum a majore pro choriambo (qui pedes temporibus sunt pares) fuisse positum; idque tum græcis aliquibus, tum latinis confirmat exemplis. Unde post cæsuram, loco duplicis dactyli seu choriambi cum pyrrichio, qui totidem syllabis constant, ionicus a majore cum pyrrichio adhibetur, *hædilia lupos.* »

(1) Orellius : « Nec Martiales Hædiliæ lupos. »

DE CARMINUM DIMENSIONE

531. Versus metimur pedibus, quibus metiendis non parum prodest syllabæ communis, necessitatis metricæ, licentiæ poeticæ figurarumque cognitio.

EPISYNALŒPHE

532. *Episynalœphe*, quæ et *synecphonesis* et *synerœsis* appellatur, est syllaba una ex duabus facta; quod fit cum duæ vocales in unam contrahuntur, ut *alve̅a̅ria e̅a̅dem, alve̅o̅, e̅o̅dem, e̅o̅sdem, aure̅i̅s, denari̅i̅s*. Virgilius, Georg. IV, v. 34 :

> Seu lento fuerint *alve̅a̅ria* vimine texta.

Idem, Æn. X, v. 487 :

> Una *e̅a̅demque* via sanguis animusque sequuntur.

E et *a* in unam syllabam contrahuntur. — Virgilius, Æn. VII, v. 33 :

> Assuetæ ripis volucres et fluminis *alve̅o̅*.

Idem, Æn. XII, v. 847 :

> Uno *e̅o̅demque* tulit partu, paribusque revinxit
> Serpentum spiris.

E et *o* vocales in unam coalescunt. — Idem, Æn. I, v. 726 :

> Atria; dependent lychni laquearibus *aure̅i̅s*.

Idem, Æn. XII, v. 541 :

> Pectora; nec misero clypei mora profuit *ære̅i̅*.

E et *i* in unam syllabam coeunt. — Martialis, l. IX, epigr. 101, v. 1 :

> *Denari̅i̅s* tribus invitas; et mane togatum
> Observare jubes atria, Basse, tua.

Duplex *ii* in unum contractum est.

Idem accidit genitivis *Oïlei*, *Achillei*, *Ulyssei*, et dativis ablativisque *Tereo*, *Typhoeo* et similibus, interdum et accusativo *Typhoea*. Virgilius, Æn. I, v. 41 :

> Unius ob noxam, et furias Ajacis *Oïle̅i̅*.

Idem, Æn. III, v. 691 :

> Littora Achemenides, comes infelicis *Ulyssēī*.

Idem, Æn. IX, v. 716 :

> Inarime, Jovis imperiis imposta *Typhoēō*.

Ovidius, Metam. VI, v. 635 :

> Degeneras, scelus est pietas in conjuge *Terēō*.

Idem, Metam. III, v. 303 :

> Nec, quo centimanum dejecerat igne *Typhoēā*,
> Nunc armatur eo.

In primis *e* et *i*; in secundis *e* et *o*; in ultimo *e* et *a*, in unam syllabam coalescunt.

In superiorum contractione, delectu et auctoritate opus est; ad horum *cui, huic, dii, diis, iidem, iis, iisdem, usqueadeo*, omnibus uti licet.

Item adverbiorum *deinde, dein, deinceps, dehinc*, et verbi *deest, deerat, deerant, deerit, deerunt, deesse*, et eorum quæ ex *semi* componuntur, ut *semianimis, semihomo*. Ovidius, Metam. XI, v. 363 :

> Juncta palus *hūīc* est densis obsessa salictis.

Lucanus, Phars. I, v. 635 :

> Sed venient majora metu. *Dīī* visa secundent.

Idem, Phars. IV, v. 524 :

> *Iīdem*, cum fortes animos præcepta *subīīssent*,
> Optavere diem.

Idem, Phars. I, v. 366 :

> *Usqueadēō* miserum est civili vincere bello.

Statius, Achil. I, v. 370 :

> *Dehinc* sociare choros, castisque accedere sacris
> Hortantur.

Lucanus, Phars. VIII, v. 571 :

> Non ulli comitum sceleris præsagia *dēērant*.

Martialis, l. VIII, epigr. 56, v. 5 :

> Sint Mæcenates : non *dēērunt*, Flacce, Marones.

Lucanus, Phars. III, v. 576 :

Semīānimes alii vastum subiere profundum.

Virgilius, Æn. VIII, v. 194 :

Semihominis Caci facies quam dira tenebat.

Huc etiam spectant *antēāmbulo*, *antehac*, *antēīt,* et si qua præterea sunt. Martialis, l. II, epigr. 18, v. 5 :

Sum comes ipse tuus, tumidique *antēāmbulo* regis.

Lucanus, Phars. VI, v. 116 :

Plurimaque humanis *antehac* incognita mensis (1).

Virgilius, Æn. XII, v. 84 :

Qui candore nives *antēīrent,* cursibus auras.

Probus, Inst. art., p. 1438 : « Episynalœphe est una syllaba ex duabus facta, ut Fixerit *Æripedem,* pro *Aeripeden,* tetrasyllabon ex pentasyllabo fecit. » Συνεκφώνησις, *Synecphonesis,* dicitur a συνεκφωνεῖν, quod *simul sonare* significat, quod duarum vocalium sonus confundatur permisceaturque. *Denarius a* longum habet ; nequis putet esse dactylum. Idem Martialis, l. II, epigr. 51, v. 1 :

Unus sæpe tibi tota *denārius* arca.

Idem etiam, l. I, epigr. 118, v. 17, contraxit :

Denarīīs tibi quinque Martialem.

Eosdem est apud Propertium, l. IV, carm. 7, v. 7 :

Eosdem habuit secum, quibus est elata capillos.

Cui, huic, ei, ii dandi casus putat Priscianus, l. XIII, p. 961, monosyllaba esse, quod in hoc genere declinationis dativus minor sit genitivo una syllaba, ut *unius, uni; solius, soli; illius, illi; ipsius, ipsi;* item quod plerique poetarum id metris comprobent. Virgilius, Æn. IV, v. 213 :

Cūīque loci leges dedimus, connubia nostra
Reppulit.

Et Georg. I, v. 171 :

Hūic a stirpe pedes temo protentus in octo.

De dativo *ei* nullum profert testimonium. Probus, Inst. art., pp. 1403 et seq., docet hæc tria esse dissyllaba. *Huic* ait iambum esse, sed posse ambas syllabas in episynalœpham cadere. *Cui* ait idem constare ex duabus brevibus, ut :

Et [*cŭĭ* putre solum.

Interdum ex brevi et longa, etc.

Supra, cum de ultimis egimus, testimoniis Martialis planum fecimus utramque aliquando brevem esse ; easdem corripuit et Juvenalis, Sat. III, v. 49 :

Quis nunc diligitur, nisi conscius, et *cŭĭ* fervens
Æstuat occultis animus ?

Multo tamen frequentius contractum est ; sic ex eo composita, ut *alicui, cuivis.* Martialis, l. V, epigr. 52, v. 3 :

Incipio quoties *alicūī* tua dona referre.

Horatius, l. I, ep. 6, v. 53 :

Cūīlibet, hic fasces dabit, eripietque, curule,
Cūī volet importunus ebur.

Ovidius, Trist. eleg. 11, v. 21 :

In causa facili *cūīvis* licet esse diserto.

(1) Lemaire : « ..... *ante hoc* incognita mensis; » notat vero legi vulgo *antehac.*

Manilius tamen, l. IV, v. 813, *cuique* posteriore longa dixit :

Si erit et sedes fugienda, petenda *cuīque*.

Huic apud Statium, I Silv., bis legitur priore brevi; carm. 1, v. 107 :

Lætus *hŭic* dono videas dare thura nepotes.

Et carm. 2, v. 135 :

Falsus *hŭic* pennas, et cornua sumeret æthræ.

Utrumque versum affert Priscianus eodem loco, l. XIII, p. 961, putatque a Statio utrobique factam esse diæresim.

Probus ait, p. 1404, *ei* iambum esse; quod Lucretius produxit l. VI, p. 796 :

Et manibus nitidum teneris opus effluit *ēi*.

In eodem, v. 675 :

Scilicet et fluvius, qui visus maximus *ēi* est.

Suspicantur quidam eum *eii* gemino *ii* scripsisse, prioremque productam esse positione. Prisci enim, ut supra diximus, *i* inter duas vocales geminabant : *aiio, Maiia;* sic *eiius*, et in dativo, servato utroque *i, eii*. Hæc est Probi atque Prisciani sententia. Probo libentius accedo. Itaque *cui, huic, ei,* puto suapte natura dissyllaba esse, ut *dii, diis, ii, iis,* quæ fere a poetis contrahuntur. Quod vero Priscianus ait, dativum nominum pronominumque quorum genitivus exit in *ius*, minorem esse genitivo una syllaba, de iis accipiendum est quorum rectus duas habet syllabas, ut *unus, ille, solus,* etc. At *quis, hic, is* monosyllaba sunt. Sed hæc, ut multa alia, viderint critici.

Deorsum, seorsum, prehendo, prehenso omisimus, quod illa fere apud priscos poetas leguntur contracta; hæc vero, quia nihil est cur a poetis contrahantur, cum *prendo, prenso* verba imminuta, tam sint in usu quam plena; et apud Virgilium, Æn. II, v. 444, *prensant,* ut quidam citant.

SYNALŒPHE

533. *Synalœphe* est cum vocalis aut diphthongus præcedentis dictionis a sequenti excipitur, et quodam modo absorbetur. Virgilius, Æn. IX, v. 1 :

Atq*ue* ea diversa penitus dum parte geruntur.

Idem, Æn. II, v. 1 :

Conticuer*e* omnes, intentiq*ue* ora tenebant.

Idem, Æn. X, v. 262 :

. . . . . Clamorem ad sidera tollunt
Dardanid*æ* e muris; spes addita suscitat iras.

EXCEPTIO.

O et *heu*, sequente vocali aut diphthongo, integra manent. Virgilius, Æn. X, v. 18 :

O pater, *o* hominum divumque æterna potestas!

Statius, Theb. V, v. 613 :

Heu! ubi siderei vultus? ubi verba ligatis
Imperfecta sonis?

Episynalœphe locum habet in eadem dictione; *synalœphe* vero in diversis, a συναλείφειν appellata, quod simul ungere et linire significat; coeunt enim duæ vocales, et quodammodo simul unguntur atque collinuntur. Quintilianus synalœphen et synæresim etiam in eadem dictione fieri docet, l. I, c. 5, 17 : « Plus, inquit, exigunt subtilitatis, quæ accidunt in dicendo vitia; quia exempla eorum tradi scripto non possunt, nisi cum in versus inciderunt ut divisio *Europai;* et ei contrarium vitium quod συναίρεσιν et συναλοιφήν Græci vocant; nos *complexionem* dicimus, qualis est apud Varronem :

Cum te flagranti dejectum fulmine *Phœton*.

Nam si esset prosa oratio, easdem literas enuntiare veris syllabis licebat. » Hæc ille, ubi aperte *Phœton* pro *Phaeton* ait synalœphen esse. Idem, l. IX, c. 4. 36, synalœphen appellat in diversis dictionibus : « Nam et coeuntes literæ, quæ συναλοίφαι dicuntur, etiam leniorem faciunt orationem, quam si omnia verba suo fine claudantur. » Ibidem, 109 : « Nam ubi libido dominatur, innocentiæ leve præsidium est. Nam synalœphe facit ut duæ ultimæ syllabæ pro una sonent; » ubi synalœphen *ecthlipsim* vocavit. Probus, Inst. art., l. I, p. 1439, ait synalœphen fieri multis modis : « Interdum, inquit, brevis in brevem cadit, ut :

Obseder*ĕ* *ă*lii telis angusta viarum.

Interdum brevis in longam, ut :

Tænarias etiam fauces, alt*ă* *ō*stia Ditis.

Interdum longa in brevem. Virgilius, Æn. XII, v. 3 :

Se signar*ī* *ŏ*culis; ultro implacabilis ardet.

Interdum diphthongus in simplicem longam, ut :

Dardanid*ǣ* *ē* muris.

Aliquando brevis in diphthongum, ut :

Arva nequ*ĕ* *Aū*soniæ semper.

Interdum diphthongus in diphthongum. » Hujus ultimi modi exemplum non est apud Probum; a vetustate enim deletum est. Virgilius, Æn. VI, v. 827 :

Ill*ǣ* *aū*tem paribus quas fulgere cernis in armis.

Ah, hei, hui et *cui*, cum est contractum, non videntur elidi sequente vocali.

APPENDIX I.

534. Interdum nec vocalis, nec diphthongus, ut supra diximus, a sequenti vocali excipitur. Virgilius, Georg. I, v. 437 :

Glauco, et Panope*æ̆*, et Inoo Melicertæ.

Idem, Æn. I, v. 16 :

Posthabita coluisse Sa*mō;* hic illius arma.

Id quod multo rarius accidit, si vocalis brevis sit. Idem, Æn. I, v. 405 :

Et vera incessu patuit *Deă*; ille ubi matrem.

APPENDIX II.

Synalœphe non solum in eodem carmine, sed in diversis locum habet. Idem, Georg. III, v. 449 :

Et spumas miscent argenti, vivaque sulphu*ra*
Idæasque pices.

Idem, Georg. II, v. 69 :

Inseritur vero ex fœtu nucis arbutus horrid*a*
Et steriles platani malos gessere valentes.

Idem, Æn. I, v. 332 :

. . . . . Quibus orbis in oris
Jactemur doceas, ignari hominumque locorumq*ue*
Erramus.

In his atque similibus locis, ultima vocalis præcedentis versus excipitur atque absorbetur a prima sequentis.

ECTHLIPSIS

535. *Ecthlipsis* est, cum *m* litera simul cum vocali eliditur, propter sequentem vocalem. Virgilius, Æn. III, v. 523 :

Itali*am,* Italiam primus conclamat Achates.

Persius, Sat. I, v. 1 :

O curas homin*um,* o quant*um* est in rebus inane !

APPENDIX I.

Prisci *m* literam cum vocali correpta servabant. Lucretius, l. I, v. 361 :

Nam si tantumdem est in lanæ glomere, quantum
Cōrpŏrŭm in plumbo est, tantumdem pendere par est.

Corporum dactylus est. — Ennius, Annal., l. X :

Infinita fere tum millia *mīlĭtŭm* octo.

APPENDIX II.

Ecthlipsis etiam in diversis carminibus locum habet. Virgilius, Æn. VII, v. 160 :

Jamque iter emensi, turres ac tecta Latinor*um*
Ardua cernebant juvenes, muroque subibant.

Idem, Georg. I, v. 295 :

Aut dulcis musti Vulcano decoquit humor*em,*
Et foliis undam tepidi despumat aheni.

APPENDIX III.

536. Prisci poetæ *s* literam passim elidebant; quod si deinde concurrerent vocales, prior a posteriore per synalœpham excipiebatur. Ennius, Annal., l. VII :

Doctŭ*s*, fidelĭ*s*, suavis homo, facundŭ*s*, suoque
Content*us*, atque beatŭ*s*, scitus, secunda loquens in
Tempore, commodus, et verborum vir paucorum (1).

Dōctŭ fĭ, *cūndŭ sŭ*, dactyli sunt. In secundo versu ex primo verbo exteritur *s*, deinde fit synalœpha, sic : *Cōntēnt–ātquĕ bĕ*. — Rarissime apud posteros videas hanc literam extritam. Cicero, in Arat., v. 333 :

Delphinus jacet haud nimio lustratŭ*s* nitore.

Alcinoüs (2) :

Longe erit a primo quisquĭ*s* secundus erit.

Lustratus et *quisquis* *s* amittunt.

Ἐκθλίβω, *elidere*, *extinguere* significat; unde *ecthlipsis* dicta est, qua proprie eliditur *m* litera, deinde vocalis a vocali per synalœpham excipitur. Juvenalis, Sat. IX, v. 118, neque consonantem, neque vocalem extrivit :

Vivendum recte est, cum propter plurima, *tum* his (3)
Præcipue causis.

Quidam aiunt *h* hic vim habere consonantis, ut in illis Virgilii carminibus : Æn. IX, v. 609 :

. . . . . Versaque juvencum
Terga fatigamūs *hasta;*

et VII, v. 397 :

. . . . . Fervida pinum
Sustinet, ac natæ Turnique canīt *hymenæos.*

Sed hæc loca Virgilii, aliaque ejusdem generis, syllaba communi excusantur, de qua supra egimus.

Illud vero Juvenalis non video qua ratione sit excusandum, quod hodie in libris correctis legitur : « *Tum his,* » non addita præpositione *de*, hoc modo : « *Tum de his,* » ut alii volunt. Macrobius, l. V, c. 14, ait hos versus ὑπερκαταληκτικούς (*hypercatalecticos*) a Græcis appellari, « qui, inquit, syllaba longiores sunt, ut :

. . . . . Quin protinus omni*a*,

et :

. . . . . Vulcano decoquit humor*em*,

et :

Spumas miscent argenti, vivaque sulphur*a ;*

et :

. . . . . Arbutus horrid*a*. »

Hæc ille : quæ omnia aut synalœpha aut ecthlipsi defendi possunt, excepto eo quod est in Æn. VI, v. 33 :

Bis patriæ cecidere manus, quin protinus omnia
Perlegerent.....

Servius legit : « quin protinus *omnem;* » subaudit enim *picturam*.

De litera extrita sic scribit Cicero in Oratore, c. 48, 161 : « Quin etiam quod jam subrusticum

(1) Hos vero Ennii versus sic exhibent :

. . . . . Doctu', fidelis,
Suavis homo, facundu', suo contentu', beatus,
Scitu', secunda loquens in tempore, commodu', verbum
Paucum.

Affert illos Gellius, l. XII, c. 4.

(2) Lemaire, Virgil. t. VII, p. 399, scripsit *quisque* : « more, inquit, seriorum. »

(3) Ita Lemaire. — Teubner vero scribit :

Vivendum . . . . . tum vel
Idcirco ut possis.

videtur, olim autem politius, eorum verborum, quorum eædem erant postremæ duæ literæ quæ sunt in *optumus*, postremam literam detrahebant, nisi vocalis insequebatur. Ita non erat ea offensio in versibus, quam nunc fugiunt poetæ novi. Ita enim loquebamur : Qui est *omnibu'* princeps; non : *omnibus* princeps; et : Vita illa *dignu'* locoque; non : *dignus.* » In eodem, c. 45, 153 : « Sed quid ego vocales? sine vocalibus sæpe brevitatis causa contrahebant, ut ita dicerent : Multimodis, *vas'* argenteis, *palm'* et crinibus, *tecti'* fractis, etc. »

DIÆRESIS VEL DIALYSIS

537. Diæresis est cum syllaba una in duas dividitur, ut *aurai* trisyllabum pro *auræ* dissyllabo; *siluæ*, *evoluam*, *evoluisse*, *dissoluo*, *heu*, *persoluendus*, *suavis*, *jam* apud comicos dissyllabum. Virgilius, Æn. VI, v. 747 :

Ætherium sensum, atque *aurai* simplicis ignem.

Horatius, Epod., ode 13, v. 2 :

Nivesque deducunt Jovem : nunc mare, nunc *siluæ*.

Catullus, carm. 66, v. 74 :

Condita quin veri pectoris *evoluam*.

Ovidius, Epist. XII, v. 4 :

Debuerant fusos *evoluisse* suos.

Catullus, carm. 66, v. 38 :

Pristina vota novo munere *dissoluo*.

Ovidius, Consol. ad Liviam, v. 370 :

Vita data est utenda; data est sine fœnore nobis
Mutua, nec certa *persoluenda* die.

Martialis, l. VIII, epigr. 81, v. 10 :

Heu quam bene nunc, Papiriane (1).

Virgilius, de Livore, v. 12 :

Non lux, non cibus est *suavis* illi (2).

---

(1) Lemaire et Teubner : *Eheu* quam, etc.

(2) Invenitur epigramma illud in edit. Venet. 1552; Lemaire, Poet. Latin. minor. t. II, p. 443, illud attribuit Cœlio Firmiano Symposio.

Aurai, aquai, aulai, pictai, quibus Virgilius diversis locis utitur, non fiunt a genitivis *auræ, aquæ, aulæ, pictæ:* esset enim ultima *e*, non *i;* sed ab *aurai, aquai, aulai, pictai* dissyllabis; sic enim prisci casus interrogandi dandique primæ declinationis scribebant per *ai*, more Græcorum, non *æ*, ut post scripserunt posteri. Lege Quintilianum, l. I, c. 7, 18. Carmen Horatii, ut Priscianus, l. I, p. 546, docet, constat ex dimetro iambico, et penthemimeri heroica, hoc est, duobus dactylis et syllaba, quod ex cæteris ejusdem odæ facile intelligitur. *Jam,* teste Scauro, apud Plautum in Pseudolo, act. I, sc. 1, v. 116, dissyllabum legitur : *Nunc ĭăm.* « *Jam,* inquit, divisit in duas syllabas metri causa. » Lege Rufinum, de Metris comicis, p. 2711.

SYSTOLE

538. *Systole* est cum syllaba natura longa corripitur. Virgilius, Æn. I, v. 535 :

Cum subito assurgens fluctus nimbosus *Orion.*

Idem, Æn. VI, v. 827 :

Illæ autem paribus quas *fulgĕre* cernis in armis.

Idem, Æn. VIII, v. 676 :

. . . . . Totumque instructo Marte videres
Fervĕre Leucaten, auroque *effulgĕre* fluctus.

Silius, l. VIII, v. 631 :

Terruĕrunt pavidos accensa Ceraunia nautas.

Aut positione longa, sed altera consonante extrita, ut *obicis* pro *objicis, abici* pro *abjici.* Lucanus, Phars. VIII, v. 796 :

Cur *ŏbĭcis* Magno tumulum, manesque vagantes?

Ovidius, Pont. II, ep. 3, v. 37 :

Turpe putas *ăbĭci,* quia sit miserandus amicum (1).

Orion a Græcis per ω scribitur Ὠρίων. *Fulgere, effulgere* ait Probus, p. 1413, huc spectare; *fervere* vero negat, quod *fervo, fervis* tertiæ conjugationis apud veteres lectum sit. Συστέλλειν *corripere* significat, unde *systole.*

(1) Scribunt nunc : « Turpe putas *abigi,*.... » postquam edixit Heinsius « *Abigi* scribendum vel contra fidem membranarum. » Teubner autem, *abici.*

ECTASIS SIVE DIASTOLE

539. *Ectasis* est cum syllaba natura brevis simpliciter producitur. Virgilius, Æn. I, v. 2 :

Italiam fato profugus, Lavinaque venit
Littora.

Statius, Theb. II, v. 491 :

. . . . . Ceu castra subire
Apparet; aut celsum crebris *arietibus* urbis
Inclinare latus.

Aut cum eadem consonans geminatur, ut *relligio*, *relliquiæ*, *repperit*, *rettulit*, *reppulit*. Virgilius, Æn. II, v. 715 :

Rēlligione patrum multos servata per annos.

Idem, Æn. I, v. 30 :

Troas, *rēlliquias* Danaum atque immitis Achillei.

Ausonius, Edyll. XVI, de Viro bono, v. 1 :

Vir bonus et sapiens, qualem vix *rēpperit* unum.

Horatius, l. II, epist. 1, v. 234 :

Rēttulit acceptos, regale nomisma, Philippos.

Lucanus, Phars. I, v. 499 :

Rēppulit a Libycis immensum Syrtibus æquor.

Aut *i* et *u* vocales in consonantes mutantur. Virg., Æn. XI, v. 666 :

. . . . . Cujus apertum
Adversi longa transverberat *abiete* pectus.

Idem, Æn. XII, v. 706 :

Mœnia, quique imos pulsabant *ariete* muros.

Idem, Æn. IX, v. 674 :

Abietibus juvenes patriis, et montibus æquos.

Idem, Æn. II, v. 442 :

Hærent *parietibus* scalæ, postesque sub ipsos.

Silius, l. IV, v. 149 :

Arietat in primos, obicitque immania membra.

In his et similibus locis, *i* vocalis fit consonans; itaque *abiete, ariete,* dactyli sunt. — Virgilius, Georg. I, v. 397 :

Tenuia nec lanæ per cœlum vellera ferri.

Idem, Æn. V, v. 432 :

Genua labant, vastos quatit æger anhelitus artus.

In his *u* vocalis in consonantem migrat; quare *tenuia* dactylus est, itidem *Genua la.* Hæc est Probi sententia; sunt qui existiment esse proceleusmaticum. Neque mirari debes si vocales mutentur in consonantes; cum eædem literæ consonantes interdum in vocales vertantur, ut *dissoluo* pro *dissolvo,* et cætera quæ per diæresim in duas syllabas dividuntur.

Ἐκτείνω *producere, extendere* significat, unde ἔκτασις, *productio, extensio.* Διαστέλλω, *diduco, divido, laxo,* unde διαστολή.

Arietibus, cum quinque habeat breves, non poterat in quinta regione locum habere, nisi producta antepenultima. Versus ille Virgilii, Æn. XI, v. 890 :

Arietat in portas, et duros *obice* postes,

huc etiam spectat, si Macrobio credimus : ait enim, l. V, c. 14, λαγαρούς, *lagaros* appellari versus, qui in medio habent syllabas breves pro longis, ut :

. . . . . Et duros *obice* postes.

Gellius tamen, l. IV, c. 17, docet *objices, objicibus* gemino *ii* esse scribendum, ut verbum *objicio,* a quo facta sunt; primamque positione longam esse. Probus, Inst. art., p. 1432, ubi de decem modis positionis agit : « Decimus modus, inquit, est, si post vocalem subjecta sit consonanti vocalis *i* vel *u,* et correptam vocalem habeat consequentem, ut :

Parietibus textum cæcis.

In hoc versu quoniam prima pars orationis correptam habet, hoc genere positionis primam syllabam longam efficimus; secundam namque syllabam resecamus per medium, et præcedentem consonantem primæ syllabæ conglutinamus : vocalem autem ad tertiam revocamus, et loco consonantis defigimus. Hic sane modus positionis apud Virgilium non in superiore exemplo tantum, sed in multis versibus invenitur, ut :

Arietat in portas;

et :

Transtra per et remos et pictas *abiete* puppes.

Item :

Genua labant, vastos quatit æger anhelitus artus;

et :

Tenuis ubi argillæ dumosis calculus arvis. »

Hæc ille. Cujus verba, quoniam fortasse alicui obscuriora videbuntur, planius explicemus posito exemplo : *Abiete,* post vocalem *a, i* vocalis subjecta sive postposita est consonanti *b,* et habet consequentem vocalem nimirum *e* brevem; quoniam igitur in *abiete a* prima syllaba corripitur, resecamus secundam syllabam, nempe *bi,* per medium, et præcedentem consonantem, hoc est, *b,* damus primæ vocali *a,* ut fiat syllaba *ab;* ipsam vero vocalem *i* loco consonantis defigimus, revocamusque ad tertiam vocalem *e,* ut sint hoc modo distributæ syllabæ : *ab-je-te;* sic *ten-vis, gen-va,* atque cætera eodem modo. Plura hujus generis reperias apud alios poetas. Silius, l. I, v. 529 :

Genua labant, fessique humeri gestamina laxant.

Idem, l. VI, v. 226 :

Cætera *sinuatis* glomerat sub pectore gyris.

Idem, l. VII, v. 503 :

Ducit *sinuato* captivum ad littora lino.

Macrobius, l. V, c. 14, ait versus qui in principio habent breves pro longis appellari ἀκεφάλους, *acephalos*, quasi sine capite; nam heroici a longis incipiunt; hujus generis sunt aliquot apud Virgilium, Georg. IV, v. 297 :

*Parietibus*que premunt arctis, et quatuor addunt.

Idem, Æn. V, v. 589 :

Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque.

Idem, Æn. XI, v. 890 :

Arietat in portas, et duros obice postes.

« Ἀκέφαλοι, inquit, *Arietat* in portas; *Parietibus* textum cæcis iter, et similia ; λάγαροι autem qui in medio versu breves syllabas pro longis habent : Et duros *ŏbice* postes; et : Consilium ipse *patĕr*, et magna incœpta Latinus. » Idem docet Diomedes, l. III, p. 499, et Athenæus, l. XIV, 8.

Addit præterea idem Athenæus μειούρους, *miuros*, qui in fine habent brevem pro longa, ubi Homeri testimonia invenies. Quæ cum ita sint, Macrobius a Probo dissentit, cum primas breves esse in *arietat, parietibus* et similibus doceat. In illo Virgilii, Eclog. III, v. 96 :

Tityre, pascentes a flumine *reice* capellas;

aut *i* vocalis in consonantem migrat, aut *e* et *i* in syllabam coalescunt, ut *aureis*, *œrei*, *ferrei*, et cætera id genus, de quibus in Episynalœphe. Quid, si illud ejusdem Georg. I, v. 482 :

Fluviorum rex Eridanus, camposque per omnes,

huc etiam spectat, ut *fluvio* sit spondeus, *i* vocali in consonantem versa ?

DE CÆSURA

540. Si pedes, maxime versus heroici, e singulis verbis constent, ineptum et insulsum fit carmen, ut :

Aurea scribis carmina, Juli, maxime vatum.

Contra, si verba conciduntur ita ut mutuo amplexu pedes alii ex aliis pendeant, pulcherrimus efficitur versus. Virgilius, Æn. I, v. 609 :

Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.

Idem, ibidem, v. 630 .

Non ignara mali, miseris succurrere disco.

Idem, ibidem, v. 523 :

Justitiaque dedit gentes frænare superbas.

Idem, Æn. VI, v. 165 :

Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.

Syllaba quæ ex dictione cæditur, ac post quemvis pedem relinquitur, vulgo *cæsura* dicitur; cujus tanta est vis, ut ejus beneficio brevis syllaba producatur : est enim quoddam in ipsa divisione verborum latens tempus; nam, dum moramur atque ad alias transimus, intervallum unum spatiumque lucratur. Virgilius, Æn. IV, v. 64 :

Pectori*būs* inhians spirantia consulit exta.

Idem, Æn. V, v. 337 :

Emicat Eurya*lūs* et munere victor amici.

Idem, Æn. X, v. 487 :

Una eademque via san*guīs*, animusque sequuntur.

Idem, ibidem, v. 720 :

Graius homo infectos linquens profu*gūs* hymenæos.

Vides ut syllabæ natura breves post primum, secundum, tertium et quartum pedem producantur? Id beneficium cæsuræ acceptum referunt.

APPENDIX.

541. Anapæstici versus optimi putantur, si pedes singuli e singulis fiant verbis. Seneca, Thyest., act. IV, v. 799 :

Tertia misit buccina signum.

Idem, ibidem, v. 794 :

Nondum seræ nuntius horæ.

Idem, ibidem, v. 841 :

Curvo brevius limite currens.

Qui tamen perpauci sunt, si cum aliis conferantur. Idem, ibidem, act. V, v. 920 :

Pectora longis hebetata malis
Jam sollicitas ponite curas :
Fugiat mœror, fugiatque pavor.

Ne te illud prætereat anapæsticum versum nonnunquam pedem anapæstum habere nullum.

DE PENTHEMIMERI, HEPHTHEMIMERI, *etc.*

542. Veteres grammatici versum heroicum in quatuor partes secant, quas sectiones sive cæsuras appellant : *penthemimerim*, *trochaicam*, *hephthemimerim*, *bucolicam* sive *tetrapodiam*.

Penthemimeris, latine *semiquinaria*, constat ex duobus pedibus et syllaba quæ dictionem claudat, ut : Virgilius, Æn. VIII, v. 1 :

Ut belli signum.

Idem, Æn. X, v. 1 :

Panditur interea.

Idem, Æn. XII, v. 1 :

Turnus ut infractos.

Trochaica post duos pedes habet duas syllabas, longam et brevem, sive trochæum, qui dictionem terminet; ut : Virgilius, Eclog. IV, v. 2 :

Non omnes arbusta.

Idem, Æn. II, v. 3 :

Infandum, regina.

Idem, Æn. XII, v. 7 :

Excutiens cervice.

Hephthemimeris, latine *semiseptenaria*, continet tres pedes, et syllabam quæ dictionem finiat. Virgilius, Æn. I, v. 559 :

Talibus Ilioneus; cuncti.

Idem, ibidem, v. 750 :

Multa super Priamo rogitans.

Idem, ibidem, v. 107 :

Terram inter fluctus aperit.

Bucolica seu *tetrapodia*, si semiseptenariæ duas breves adjunxeris, ut :

Talibus Ilioneus; cuncti simul.
Multa super Priamo rogitans, super.
Terram inter fluctus aperit; furit.

Hanc tamen postremam aiunt propriam esse bucolici carminis, qua Theocritus plurimum est usus.

APPENDIX.

Versus qui heroico nomine digni censentur, modo cæsuram unam habent :

Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce.
Panditur interea domus omnipotentis Olympi.
Turnus ut infractos adverso Marte Latinos.

Omnes solam semiquinariam habent;

Modo duas, ut :

Non omnes arbusta juvant humilesque myricæ.
Infandum, regina, jubes renovare dolorem.
Excutiens cervice toros, fixumque latronis.

Omnes trochaica et semiseptenaria constant.

Modo tres, ut :

Talibus Ilioneus; cuncti simul ore fremebant.
Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.
Terram inter fluctus aperit; furit æstus arenis.

Omnes et semiquinariam, et semiseptenariam, et bucolicam habent.

Cæsura, si more veterum loquamur, non est syllaba quæ post pedes superest, sed pars carminis, simul cum syllaba aut syllabis quæ dictionem finiant. Itaque penthemimeris non significat syllabam quæ post duos pedes relinquitur, sed duos pedes simul cum syllaba ; quod Quintilianus, l. IX,

c. 4, 78, apertissime docet. « Et quod, inquit, duobus pedibus, et parte, πενθημιμερίς a Græcis dicitur. » Et grammatici cum dicunt versum aliquem constare penthemimeri heroica, duos pedes et partem intelligunt. Additur a nonnullis recentioribus τριημιμερίς, *triemimeris*, quæ pedem unum et syllabam habet, ut *Multa super*. Item εννεαμιμερίς, *enneamimeris*, quæ quatuor pedibus et syllaba constat. Virgilius, Æn. X, v. 720:

Graius homo infectos linquens profugus.

Sed a veteribus nulla de his, nisi me fallit memoria, fit mentio. Quod ad vocabulorum rationem attinet, πενθημιμερίς, *penthemineris*, a πέντε, *quinque*, et ἥμισυ, quod in compositione ἡμι dicitur, hoc est, *semis*, et μέρις, quod partem significat; sic enim video plerosque ultimam scribentes; sunt qui malint per η. Semiquinaria vocatur, inquit Diomedes, l. III, p. 496, quia quinque pedes dividit : habet enim duos pedes et semipedem, qui sunt dimidium quinque. Ἑφθημιμερίς, *hephthemimeris*, ab ἑπτά, hoc est, *septem*, et cæteris particulis, dicitur semiseptenaria, dividit enim septem.

Sunt qui hos numeros malint ad *arsin* et *thesin*, hoc est, sublationem et positionem pedum referre. Unusquisque enim pes sublationem et positionem habet. Nam ut animantes ingredientes vicissim pedes et attollunt et deponunt; ita metiendis versibus altera pars pedis attollitur, altera deprimitur; quæ attollitur græce ἄρσις, latine *sublatio* ; quæ deponitur θέσις, hoc est, *positio* vocatur : cum igitur pes in duo dividitur, *arsin* nimirum et *thesin*, duo pedes et semipes quinque partes, sive semipedes, efficiunt.

Quarta cæsura τετραποδία, *tetrapodia*, a Diomede eodem libro appellatur, quod quatuor pedes contineat. Βουκολική (*bucolice* seu *bucolica*), quod Theocritus, inquit idem, auctor carminis bucolici, hac plurimum esse usus creditur. Utitur quidem Theocritus ea frequentissime, ut ejus scripta docent ; sæpe tamen dactylus ex integra dictione constat ; reperitur eodem loco spondeus, sed rarius. Priscianus, l. I Exercitationum, p. 1216, tres tantum cæsuras admittit : « Commata, inquit, sunt tria : trochaica, semiquinaria et semiseptenaria ; quarta enim, bucolica, magis passio est, sicut semipes, et quarta trochaica, et quæ inveniuntur per singulos pedes. Cæsuræ vero cursum et rhythmum leviorem solent perficere, et necesse est vel unam vel duas cæsuras in versu inveniri ; nam tres rarissime possunt inveniri in eodem versu. » Lege si vacat.

543. Sed, utcumque sit, certe Virgilius vehementer hac cæsura delectabatur : nulla enim fere est pagina in qua non reperiatur semel, interdum ter, et quater, quinquies, idque in Æneide : I, v. 133 :

Jam cœlum terramque meo sine numine venti.

Ibidem, v. 145 :

Detrudunt naves scopulo; levat ipse tridenti.

Ibidem, v. 150 :

Jamque faces et saxa volant : furor arma ministrat.

Ibidem, v. 154 :

Sic cunctus pelagi cecidit fragor, æquora postquam.

Ibidem, v. 159 :

Est in secessu longo locus; insula portum
Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto.

Hæc omnia in pagina una Æneidos ; addunt quidem trochaicam quartam, cum quarto loco est trochæus partem orationis terminans, cujus exemplum affert Terentianus, p. 2420, v. 25 :

Quæ pax longa remiserat arma, novare parabant :

quæ cum rarissime reperiatur, a multis negligitur. Nonnulli eodem loco spondeum collocant, qui orationis partem terminet, ut Æneid., I, v. 7 :

Albanique patres, atque altæ mœnia Romæ.

Hac non raro utitur. Virgilius, Æn. VIII, v. 1 :

Ut belli signum, Laurenti Turnus ab arce
Extulit, et rauco strepuerunt cornua cantu.

Diomedes, cui quatuor cæsuræ quas amplexi sumus, placent, meminit etiam harum, ubi de Bucolica egit. « Sunt, inquit, l. III, v. 497, qui quartum trochæum in hac cæsura collocant, ut est :

Quæ pax longa remiserat arma, novare parabant ;

alii vero spondeum, ut est :

Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto. »

Sed hæc hactenus.

DE VERBIS POETICIS

544. Verborum licentia liberiores multo sunt poetæ quam oratores, quibus assidue accurateque legendis, non solum verba, sed etiam cætera ornamenta, iis qui poeticæ studio tenentur, diligentissime sunt observanda.

DE PATRONYMICIS NOMINIBUS

Propria eorum sunt quæ a grammaticis patronymica vocantur, quod a patrum majorumque nominibus facta, filium aut filiam, nepotem aut neptem, aut ex posteris aliquem significent. Hæc fere a græcis nominibus fiunt, atque vel in *des*, vel *as*, vel *is*, vel *ne* exeunt, quorum prima masculina sunt, et primæ declinationis, ut *Pelides*, Achilles, Pelei filius. Ovidius, epist. VIII, v. 83 :

> *Pelides* utinam vitasset Apollinis arcus!

Æacides, Achilles, Æaci nepos. Virgilius, Æn. I, v. 99 :

> Sævus ubi *Æacidæ* telo jacet Hector, ubi ingens
> Sarpedon.

Æacides, Pyrrhus, pronepos Æaci. Idem, Æn. III, v. 296 :

> Conjugio *Æacidæ* Pyrrhi, sceptrisque potitum.

Æacides, Pyrrhus, Epirotarum rex, ab Æaco originem trahens. Idem, Æn. VI, v. 838 :

> Eruet ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas,
> Ipsumque *Æaciden*, genus armipotentis Achillei.

Cætera feminina sunt et declinationis tertiæ, exceptis ultimis, quæ secundæ sunt Græcorum; ut *Thestias*, Althæa, Thestii filia. Ovidius, Metam. VIII, v. 473 :

> *Thestias* haud aliter dubiis affectibus errat.

Thaumantias, Iris, Thaumantis filia. Virgilius, Æn. IX, v. 5 :

> Ad quem sic roseo *Thaumantias* ore locuta est.

Æolis, Alcyone, Æoli filia. Ovidius, Metam. XI, v. 573 :

> *Æolis* interea tantorum ignara malorum.

Atlantis, Atlantidis, Electra, Atlantis filia. Virgilius, Æn. VIII, v. 134 :

Dardanus Iliacæ primus pater urbis et auctor
Electra, ut Graii perhibent, *Atlantide* cretus.

Nerine, Nerines, Galatea, filia Nerei. Idem, Eclog. VII, v. 37 :

Nerine Galatea, etc.

APPENDIX I.

545. Patronymica non solum a patribus, avis, proavis, abavis, atavis, tritavis, aliisque majoribus deducuntur, sed etiam a matribus, ut *Iliades*, Romulus, ab Ilia; *Phillyrides,* Chiron centaurus, a Philyra; *Latois, idis* vel *idos*, Diana, a Λητῶ, hoc est, Latona. Ovidius, Metam. XIV, v. 780 :

Invadunt, portasque petunt, quas objice firma
Clauserat *Iliades.*

Idem, Am. I, v. 11 :

Phillyrides puerum cithara perfecit Achillem.

Idem, Metam. VIII, v. 278 :

Præteritæ cessasse ferunt *Latoidos* aras.

Item a fratribus, ut *Phoronis*, Io seu Isis, Phoronei soror; *Phaetontias*, soror Phaetontis. Ovidius, Metam. I, v. 668 :

Nec superum rector mala tanta *Phoronidos* ultra
Ferre potest.

Virgilius, Eclog. VI, v. 62 :

Tum *Phaetontiadas* musco circumdat amaræ
Corticis.

A regibus præterea et conditoribus, ut : *Romulidæ*, Romani, a Romulo; *Dardanidæ*, Trojani, a Dardano; *Æneadæ*, ab Ænea; *Cecropidæ*, Athenienses, a Cecrope; iidem *Thesidæ* a Theseo. Persius, Sat. I, v. 30 :

. . . . . Inter pocula quærunt
Romulidæ saturi, quid dia poemata narrent.

Virgilius, Æn. V, v. 45 :

Dardanidæ magni, genus alto a sanguine Divum.

Idem, Æn. III, v. 18 :

*Æneadas*que meo nomen de nomine fingo.

Ovidius, Metam. VII, v. 670 :

> Phocus in interius spatium, pulchrosque recessus
> *Cecropidas* ducit.

Virgilius, Georg. II, v. 382 :

> Præmiaque ingeniis pagos, et compita circum
> *Thesidæ* posuere.

APPENDIX II.

546. Multa a regionibus, urbibus, montibus, fontibus, fluviis aliisque rebus fiunt, quæ formam quidem patronymicam habent; re autem vera gentilia sunt, aut pro possessivis adjectivisque nominibus ponuntur, ut *Asis*, *Libystis*, *Italis*, *Ausonis*, *Sarmatis*, *Colchis*, *Sithonis*, *Thessalis*, *Sicelis*, *Sidonis*, *Ilias*, *Troas*, *Erymantis*, *Mænalis*, *Pireis*, *Tritonis*, *Pegasis*, *Phasis*, *Phœbas*. Ovidius, Metam. IX, v. 446 :

> . . . . . Celerique carina
> Ægæas metiris aquas, et in *Aside* terra
> Mœnia constituis.

Silius, l. VII, v. 428 :

> Ad quæ Cymodoce Nympharum maxima natu
> *Italidum*.

Virgilius, Æn. V, v. 36 :

> . . . . . Occurrit Acestes
> Horridus in jaculis, et pelle *Libystidis* ursæ.

Ovidius, Fast. II, v. 93 :

> Nomen Arionium Siculas impleverat urbes;
> Captaque erat lyricis *Ausonis* ora sonis.

Idem, Trist. I, eleg. 2, v. 82 :

> *Sarmatis* est tellus quam mea vota petunt.

Idem, Epist. 2, v. 6 :

> Nec vehit Actæas *Sithonis* unda rates.

Virgilius, Æn. I, v. 479 :

> Interea ad templum non æquæ Palladis ibant
> Crinibus *Iliades* passis.

Ovidius, Metam. XIII, v. 538 :

> *Troades* exclamant; obmutuit illa dolore.

Idem, Trist. III, eleg. 11, v. 8 :

> Cumque suo Borea *Mænalis* ursa videt.

Idem, Epist. V, v. 3 :

> *Pegasis* Œnone Phrygiis celeberrima silvis.

Idem, Fast. II, v. 41 :

> Vectam frenatis per inane draconibus Ægeus
> Credulus immerita *Phasida* juvit ope.

Lucanus, Phars. V, v. 128 :

> Limine terrifico metuens consistere *Phœbas*.

PATRONYMICA MASCULINA QUO PACTO FORMENTUR

PRÆCEPTUM I.

547. Nomina *a* finita assumunt *des* syllabam, ut *Ilia*, *Iliades*.

As terminata assumunt *de* syllabam ante *s*, ut *Æneas*, *Æneades; Pherætias*, *Pherætiades*. Ovidius, Metam. VIII, v. 310 :

> Cumque *Pherætiade*, et Hyantheo Iolao.

EXCEPTIO.

A finita aliquando ipsum *a* mutant in *i*, ut *Philyra*, *Philyrides*.

As terminata interdum *i* ante *a* assumunt, ut *Amyntas*, *Amyntiades*, Philippus, Amyntæ filius. Ovidius, in Ibin, v. 297 :

> Aut ut *Amyntiaden*.....

Ænειdes, Iulus, Æneæ filius, fit a græco 'Αίνειας, *Æneas*, sublato *a; Ænειαdes*, *Ænειdes*. Virgilius, Æn. IX, v. 50 :

> Atque his ardentem dictis affatur Iulum :
> Sit satis, *Æneida*, telis impune Numanum
> Oppetiisse tuis.

PRÆCEPTUM II.

548. *Es* finita mutant *es* in *ades*, ut *Hippotes*, *Hippotades*, Æolus, Hippotæ filius. Ovidius, Metam. IV, v. 662 :

> Clauserat *Hippotades* æterno carcere ventos.

EXCEPTIO.

Hæc sæpe *i* ante *a* admittunt, ut *Anchises*, *Anchisiades; Laertes*, *Laertiades.* Virgilius, Æn. VIII, v. 521 :

Æneas *Anchisiades* et fidus Achates.

Ovidius, Metam. XIII, v. 48 :

Saxa moves gemitu, *Laertiadæ*que precaris.

PRÆCEPTUM III.

549. Nomina secundæ declinationis *us* finita, in genitivo assumunt *des* syllabam, penultima brevi. *Æacus*, *Æaci*, *Æacĭdes;* sic *Priamĭdes*, *Æolĭdes*, *Tantalĭdes*, a *Priamo*, *Æolo*, *Tantalo.* Virgilius, Æn. VI, v. 164 :

Misenum *Æoliden,* quo non præstantior alter.

Ovidius, Metam. XIII, v. 99 :

*Priamiden*que Helenum rapta cum Pallade captum.

Idem, in Ibin, v. 436 :

Tantalides tu sis, *Tereides*que puer.

EXCEPTIO I.

Nonnulla penultimam habent longam, ut *Belīdes*, *Lycurgīdes*, *Amphiaraīdes*. Virgilius, Æn. II, v. 81 :

. . . . . Si forte tuas pervenit ad aures
Belīdæ nomen Palamedis.

Ovidius, in Ibin, v. 505 :

Quique *Lycurgīden* letavit et arbore natum.

Idem, Fast. II, v. 43 :

Amphiaraīdes Naupactoo Acheloo
Solve nefas, dixit, solvit et ille nefas.

EXCEPTIO II.

Quæ a nominibus secundæ declinationis fiunt, interdum etiam ante *des* syllabam *a* literam recipiunt, maxime quæ in *ius* exeunt, ut *Battus*, *Battiades*; *Asopus*,

Asopiades; Menœtius, Menœtiades; Thestius, Thestiades; Nauplius, Naupliades; hæc in *ius* posterius *i* genitivi mutant in *a* : *Thestii, Thestiades.* Ovidius, in Ibin, v. 55 :

> Nunc quo *Battiades* inimicum devovet Ibin,
> Hoc ego devoveo teque tuosque modo.

Idem, Metam. VII, v. 484 :

> Huic *Asopiades :* petis irrita, dixit et urbi.

Idem, Epist. I, v. 17 :

> Sive *Menœtiaden* falsis cecidisse sub armis.

Idem, Metam. VIII, v. 433 :

> . . . . . Nec titulos intercipe, femina, nostros,
> *Thestiadæ* clamant.

Idem, Metam. XIII, v. 310 :

> Sed neque *Naupliades* facinus defendere tantum.

Iapetionides ab Iapeto pro *Iapetides* longius a norma recessit. Ovidius, Metam. IV, v. 630 :

> Hic hominum cunctos ingenti corpore præstans,
> *Iapetionides* Atlas fuit.

PRÆCEPTUM IV.

550. Genitivus nominum in *eus* assumit *des* syllabam penultima longa : *e* enim et *i* vocales in *i* longum vel *ei* diphthongum contrahuntur, vel ει more Græcorum, ut a multis scribitur, ut : *Atreus, Atrei, Atrīdes* seu *Atrειdes;* sic *Pelīdes, Alcīdes, Achillειdes, Thesīdes, Tydides,* et sexcenta alia. Ovidius, Metam. XIII, v. 230 :

> Convocat *Atrīdes* socios terrore paventes.

Virgilius, Æn. X, v. 461 :

> Te precor, *Alcīde,* cœptis ingentibus.....

Ovidius, Epist. VIII, v. 3 :

> Pyrrhus *Achillειdes* animosus imagine patris.

APPENDIX.

Hæc rarius *a* ante *des* syllabam habent. Virgilius, Æn. II, v. 319

> Panthus *Otryades,* arcis Phœbique sacerdos.

PRÆCEPTUM V.

551. Si nomina sint tertiæ declinationis, patronymica fiunt a dativo, addita *des* syllaba, ut *Agenor*, *Agenoris*, *Agenori*, *Agenorides*, Cadmus, filius Agenoris; *Thestorides*, Calchas, filius *Thestoris*; *Actorides*, Patroclus, nepos *Actoris*; *Æsonides*, Jason, filius *Æsonis*. Ovidius, Metam. III, v. 90:

> Donec *Agenorides* conjectum in gutture ferrum.

Idem, Metam. XII, v. 18:

> . . . . . At veri providus augur
> *Thestorides*: Vincemus, ait.

Idem, Metam. XIII, v. 273:

> Reppulit *Actorides* sub imagine tutus Achillis
> Troas ab arsuris cum defensore carinis.

Valerius Flaccus, l. VI, v. 655:

> Advolat *Æsonides* mortemque cadentis acerbat.

EXCEPTIO.

Nomina *as* finita, quorum genitivus exit in *antis*, *a* literam ante *des* syllabam petunt, ut *Abas*, *Abantis*, *Abanti*, *Abantiades*; sic *Atlantiades*, *Pœantiades*, *Athamantiades*, *Dryantiades*, et alia id genus. Ovidius, Metam. V, v. 236:

> Victor *Abantiades* patrios cum conjuge muros
> Intrat.

Idem, Metam. VIII, v. 627:

> Venit *Atlantiades* positis caducifer alis.

Eodem fere modo formantur, quæ a nominibus in *on* fiunt: *Telamon*, *Telamonis*, *Telamoni*, *Telamoniades*; *Amphitryoniades*, *Laomedontiades*. A *Scipione* tamen, non *Scipionades*, sed *Scipiades* imminuto verbo nascitur. Ovidius, Metam. XIII, v. 231:

> Nec *Telamoniades* etiam nunc hiscere quicquam
> Ausit.

Virgilius, Æn. VIII, v. 213:

> Interea cum jam stabulis saturata moveret
> *Amphitryoniades* armenta.

Idem, Æn. VIII, v. 158 :

Laomedontiaden Priamum Salamina petentem.

Idem, Georg. II, v. 169 :

. . . . . Decios, Marios, magnosque Camillos,
Scipiadas duros bello, et te, maxime Cæsar.

Silius, l. VII, v. 106 :

En ubi nunc, Gracchi ? atque ubi nunc sunt fulmina gentis
Scipiadæ?

PATRONYMICA FEMININA UNDE FORMENTUR.

PRÆCEPTUM I.

552. Patronymica feminea quæ in *as* et *is* exeunt, fiunt a masculinis, *de* syllaba sublata, ut *Thestiades*, *Thestias*, *Thestiadis*; *Æetiades*, *Æetias*; *Thaumantiades*, *Thaumantias*; *Phaethontiades*, *Phaethontias*; *Æolides*, *Æolis*, *Æolidis*; *Tantalides*, *Tantalis*; *Œbalides*, *Œbalis*; *Latoides*, *Latois*; *Dardanides*, *Dardanis*, *idis*; *Cecropides*, *Cecropis*; *Belides*, *Belis*, *idis*. Multa præterea sunt quæ passim apud poetas leguntur. Ovidius, Metam. VII, v. 326 :

. . . . . Rapido fallax *Æetias* igni
Imponit purum laticem.

Idem, Metam. XI, v. 444 :

Talibus *Æolidos* dictis lacrymisque movetur.

Idem, Epist. XII, v. 122 :

Aut ego Tantalidæ *Tantalis* uxor ero.

Idem, Metam. IV, v. 462 :

Assidue repetunt, quas perdant *Belides* undas.

APPENDIX I.

Quædam tum in *as*, tum in *is* exeunt, ut *Æetias* et *Æetis*; *Atlantias* et *Atlantis*. Valerius Flaccus, l. VII, v. 183 :

. . . . . Nec me *Æetis*, quin audeat opto (1).

Idem, l. VI, v. 481 :

. . . . . Ingens *Æetida* perculit horror.

---

(1) Lemaire :
Impediat ne cœpta time : quin audeat opto.
Notat vero alios, in primis Mascrum, habuisse quæ Alvarus.

Virgilius, Georg. I, v. 221 :

> Ante tibi Eoæ *Atlantides* abscondantur.

Silius, l. XVI, v. 137 :

> Vixque *Atlantiadum* rubefecerat ora sororum.

APPENDIX II.

Feminina quæ a masculinis fiunt penultima longa in *eis* desinunt, soluta diphthongo atque *e* brevi in longum verso, ut : *Æneides*, *Ænēis*, *Ænēidos*; *Achilleides*, *Achillēis*. *Achillēidos*; *Theseides*, *Thesēis*, *Thesēidos*. Ovidius, Trist. II, v. 533 :

> Et tamen ille tuæ felix *Ænēidos* auctor.

Statius, Theb. XII, v. 816 :

> Vive, precor; nec tu divinam *Ænēida* tenta.

Juvenalis, Sat. I, v. 1 :

> Semper ego auditor tantum ? nunquamne reponam
> Vexatus toties rauci *Thesēide* Codri ?

EXCEPTIO.

Nonnunquam penultima manet brevis. Ovidius, Pont. III, ep. 4, v. 83 :

> Res quoque tanta fuit, quantæ subsistere summo
> *Æneĭdos* (2) vati grande fuisset onus.

PRÆCEPTUM II.

553. *Ne* finita a genitivo fiunt addita *ne* syllaba, penultima longa, ut : *Neptunus*, *Neptuni*, *Neptunīne*; sic *Adrastīne*, *Nerīne*, a genitivis *Adrasti*, *Nerei*, *e* et *i* mutatis in *i* longum. Quod si primigenium *i* ante *os* habeat, mutabitur *os* in *ōne*, penultima producta, ut : *Acrisios*, Ἀκρισιώνη, *Acrisiōne*, Danae, Acrisii filia. Catullus, carm. LXIV, v. 28 :

> Tene, Thetis tenuit pulcherrima *Neptunīne* ?

---

(2) Post Heinsium scribunt *Iliados*; atque illi cur mutandum sit, argumento est quod *e* corriperetur contra communem usum. Teubner tamen servavit *Æneidos*.

APPENDIX.

A muliebri *Acrisione* finxit Ovidius virile *Acrisioniades*, Metam. V, v. 69:

> Vertit in hunc harpen, spectatam cæde Medusæ
> *Acrisioniades*, adigitque in pectus; at ille.....

Oratores raro patronymicis utuntur. Cicero, Offic., l. I, c. 12, 38: « Regalis sane et digna *Æacidarum* genere. »

Phasis Cholcorum fluvius est, unde poetæ *Phasida* Medeam vocant. *Phœbas*, *Phœbados*, fatidica, fatiloqua Phœbi sacerdos. *Pelides* etiam *Peliades*, interjecta vocali *a*, a Græcis dicitur Πηλειάδης, unde *Pelias*, patronymicum femineum Πηλειάς, ε ex diphthongo rejecto. Ovidius, Epist. III, v. 126:

> Transeat Hectoreum *Pelias* hasta latus;

ubi patronymicum pro possessivo positum est, *Pelias hasta*, hoc est, *Achillea*. — *Pœantiadem* invenies apud Ovidium, Metam. XIII, v. 313; *Athamantiadem*, ibid., v. 919; et *Dryantiadem* (1) apud eumdem in Ibin, v. 347. — *Latois*, Diana, a *Latoides* fit; *Latoides* vero a Λητώ, hoc est, *Latona*; τῆς Λητόος, ος versa in ίδης more Græcorum, Λητοΐδης, vel more Latinorum a dativo Λητοῖ, adjecta δης syllaba.

Patronymica *ne* syllaba finita, quæ ait Priscianus, l. II, p. 585, propria esse Ionum, rara sunt. *Adrastinen* et *Acrisionem* nondum apud Latinos poetas, quod meminerim, legi.

(1) Lemaire, Oxon., Teubner habent *Dryantidem*.

DE METAPLASMO

554. Proprium itidem poetarum est verbis, quibus oratores utuntur, aliquid interdum addere vel detrahere; nonnunquam literas alias aliis permutare; aliquando e proprio loco in alienum transferre; quod quidem cum in soluta oratione vitium sit, barbarismusque nominetur, in carmine tamen non barbarismus, sed *metaplasmus* appellatur: datur enim venia poetis, quia plerumque coguntur metro servire. Metaplasmus vero dicitur, quod vetus verborum forma, necessitate metri, vel ornandi poematis causa, a poetis in novam figuram faciemque sermonis mutetur.

PROTHESIS (ΠΡΟΘΕΣΙΣ).

555. Litera vel syllaba principio dictionis addita, vocatur *prothesis*, ut *gnatus* pro *natus*, *tetulissem* pro *tulissem*. Terentius, Andr. act. I, sc. 1, v. 49:

> Eo pacto, et *gnati* vitam, et consilium meum
> Cognosces.

Idem, Andr. act. IV, sc. 8, v. 809:

> Nam pol, si id scissem, nunquam huc *tetulissem* pedem.

EPENTHESIS (ʼΕΠΕΝΘΕΣΙΣ).

556. *Epenthesis* est cum medio dictionis litera aut syllaba interjicitur, ut *relliquias* pro *reliquias*, *Mavors* pro *Mars*, *navita* pro *nauta*. Virgilius, Æn. I, v. 34 :

> Troas, *relliquias* Danaum atque immitis Achillei.

Idem, Æn. VIII, v. 630 :

> Fecerat et viridi fœtam *Mavortis* in antro
> Procubuisse lupam.

Ovidius, Fast. II, v. 101 :

> Quid tibi cum gladio? dubiam rege, *navita*, pinum.

PARAGOGE (ΠΑΡΑΓΩΓΗ) *seu* PROPARALEPSIS (ΠΡΟΠΑΡΑΛΗΨΙΣ).

557. *Paragoge* seu *proparalepsis* dicitur, cum extremæ syllabæ aliquid adjungitur, ut *deludier* pro *deludi*, *admittier* pro *admitti*. Terentius, Andr. act. I, sc. 3, v. 203 :

> Ubivis facilius passus sim, quam in hac re, me *deludier*.

Virgilius, Æn. IX, v. 230 :

> . . . . . Tum Nisus et una
> Euryalus confestim alacres *admittier* orant.

APHÆRESIS (ʼΑΦΑΙΡΕΣΙΣ).

558. Litera vel syllaba principio dictionis subtracta, *aphæresis* appellatur, ut *ruo* pro *eruo*, *temno* pro *contemno*. Virgilius, Æn. XII, v. 453 :

> Dabit ille ruinas
> Arboribus, stragemque satis, *ruet* omnia late.

SYNCOPE (ΣΥΓΚΟΠΗ).

559. *Syncope* literam vel syllabam e medio dictionis subtrahit, ut *gubernaclo* pro *gubernaculo*, *periclis* pro *periculis*, *vixet* pro *vixisset*, *extinxem* pro *extinxissem*. Virgilius, Æn. V, v. 859 :

> Cumque *gubernaclo* liquidas projecit in undas
> Præcipitem.

Item, Æn. III, v. 710 :

. . . . . Hic me, pater optime, fessum
Deseris, heu ! tantis nequicquam erepte *periclis*.

Idem, Æn. XI, v. 118 :

Vixet cui vitam Deus, aut sua dextra dedisset.

Idem, Æn. IV, v. 605 :

. . . . . Natumque patremque
Cum genere *extinxem*, memet super ipsa dedissem.

APOCOPE ('ΑΠΟΚΟΠΗ).

560. *Apocope* fini dictionis aliquid detrahit, ut *tuguri* pro *tugurii*, *oti* pro *otii*. Virgilius, Eclog. I, v. 69 :

Pauperis et *tuguri* congestum cespite culmen.

Idem, Georg. IV, v. 563 :

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studiis florentem ignobilis *oti*.

ANTITHESIS ('ΑΝΤΙΘΕΣΙΣ).

561. *Antithesis* est literæ commutatio, ut *olli* pro *illi*. Virgilius, Æneid. V, v. 10 :

Olli cæruleus supra caput astitit imber.

METATHESIS (ΜΕΤΑΘΕΣΙΣ).

562. *Metathesis* est literarum ordo immutatus, ut *Thymbre* pro *Thymber*. Virgilius, Æn. X, v. 394 :

Nam tibi, *Thymbre*, caput Evandrius abstulit ensis.

Nisi quis putet nominandi casu tum *Thymber*, tum *Thymbrus* dici, ut *Evander* et *Evandrus*.

APPENDIX.

Synalœphe, episynalœphe, diæresis, ecthlipsis, systole, diastole, sunt etiam metaplasmi species, de quibus supra egimus.

Probus de metaplasmo Inst. art. agit, p. 1437; Diomedes l. II, p. 435, ejusdem meminit. Quintilianus, l. I, c. 8, 12 : « Cum, inquit, grammatices amor et usus lectionis, non scholarum temporibus, sed vitæ spatio terminentur, in prælegendo grammaticus et illa quidem minora præstare debebit, ut partes orationis reddi sibi soluto versu desideret, et pedum proprietates; quæ adeo debent esse notæ in carminibus, ut etiam in oratoria compositione desiderentur; deprehendatque quæ barbara, quæ impropria, quæ contra legem loquendi sunt posita : non ut ex his utique improbentur poetæ (quibus, quia plerumque metro servire coguntur, adeo ignoscitur, ut vitia ipsa aliis in carmine appellationibus nominentur : *metaplasmos* enim et *schematismos* et *schemata*, ut dixi, vocamus, et laudem virtutis necessitati damus), sed ut commoneat artificialium, et memoriam agitet. » Probus, l. I, p. 1438, *prosparalepsin* vocat, quam Donatus, p. 1772, *paragogen*. Diomedes, l. II, p. 436, ait esse nescio quid discriminis, ut videtur, necessarii inter utramque figuram. Probus et Diomedes carmine Virgilii probant literarum ordinem immutatum; apud quem paulo ante *Thymber* recto casu legitur, Æn. X, v. 391 :

Daucia, Laride, *Thymber*que simillima proles.

DE PROSODIA

563. Græci προσῳδίας, Latini *accentus*, *tenores* et interdum *tonos* vocant.

Accentus rector est ac moderator pronuntiationis : eo enim vel attollitur, vel dejicitur vox; vel partim attollitur, partim dejicitur. Unde ipsum non immerito quidam *vocis animam* appellarunt.

ACCENTUS TRES.

Tres sunt tenores, *acutus*, *gravis*, *circumflexus*. Acuto attollitur syllaba, gravi deprimitur, ut *pópùlùs :* antepenultima acuitur, penultima vero et ultima deprimuntur gradatimque descendunt. Acuti nota e sinistra in dextram oblique ascendit; gravis a summo in dextram oblique descendit. Accentu circumflexo partim attollitur, partim dejicitur syllaba, ut *Românus ;* ejus nota ex acuto et gravi constat : sonus hodie incertus est, siquidem latinæ linguæ hospites, veterisque pronuntiationis ignari, eodem penitus sono tum acutas tum flexas voces efferimus.

Acutus in penultima vel antepenultima locum habet; circumflexus in penultima tantum; gravis ubi uterque abest.

PRÆCEPTUM I.

564. Nullius verbi latini ultima syllaba, auctore Quintiliano, l. I, c. 5, 31, et l. XII, c. 10, 33, aut acuitur, aut circumflectitur. Quare *pálam*, *úna*, *álìas*, et cætera id genus adverbia, prima acuta sunt pronuntianda. Nec te moveat quod ultimæ a typographis gravi accentu notentur; id enim tantum fit, ut adverbia esse intelligas.

PRÆCEPTUM II.

Dictio unius syllabæ natura brevis, aut positione solum longa, acuitur, ut *át*, *ást*, *fáx*, *dúx*.

PRÆCEPTUM III.

Dictio unius syllabæ natura longa, aut positione simul et natura, flectitur, ut *môs*, *rôs*, *lûx*.

PRÆCEPTUM IV.

In dissyllabis, prior natura longa, aut positione simul et natura, flectitur, dummodo posterior sit brevis, ut *cæcus*, *aûdit*, *æstus*, *mæstus*, *mâtris*, *frâtris*. Alioquin acuitur, ut *æstas*, *árma*, *fúror*.

PRÆCEPTUM V.

In polysyllabis, semper observanda est penultima, quæ flectitur, si longa fuerit natura, aut natura simul et positione, dummodo ultima sit brevis, ut *amîcus*, *afflîgit*, *arâtrum*, *palæstra*, *anapæstus*. Alioquin acuitur, ut *Romános*, *victóres*, *Marcéllus*.

PRÆCEPTUM VI.

In polysyllabis, semper acuitur antepenultima, si penultima sit brevis, ut *dóminus*, *areópagus*.

DE PRÆPOSITIONUM TONO.

565. Præpositiones suis casibus præpositæ uno eodemque tenore simul cum ipsis efferuntur, ac si una tantum esset vox, auctore Quintiliano, l. I, c. 5, 27, ut *pèr fórum*, *àb éo*, *àd Déum*, *prætèr môrem*, *contrà fœdus*. Vides ut præpositiones gravi tono pronuntientur?

DE GRÆCIS VERBIS.

566. Verba plane græca græco accentu pronuntiantur, ut Παραλιπομένων, *Paralipoménon*, penultima acuta; λιθόςρωτος, *lithóstrotos*, acuta antepenultima; Κύριε, *Kyrie*, eadem acuta; ἐλέησον, *eléison*, verbum est quatuor syllabarum, cujus non ultima, sed antepenultima acuitur.

APPENDIX.

In græca lectione, si duæ vocales concurrunt, ne in carmine quidem eliditur

prior, nisi in ipsis libris ante extrita per apostrophon fuerit. Quare, cum Κύριε ἐλέησον septem syllabis constat, totidemque vocalibus salvis et integris scribatur, nulla prorsus est omittenda.

DE HEBRÆIS VOCIBUS.

567. Quæ hebræa omnino sunt, neque latinitate donata, hebræo tono pronuntiantur, ut *Amén*, *Cherubím*, *Seraphím*, quæ acuta extrema, ut pleraque alia, efferuntur.

EXCEPTIO.

Abel, *Cáin*, *Lámech*, *Nóe*, *Abigáil*, *Báal*, *Édem*, *Ephráta*, *Ephráim*, *Gómor*. *Isbóseth*, *Pháse*, *Sibbóleth*, et quæ in *ezer*, *sedec*, *melec*, *ai* exeunt, ut *Eliézer*, *Melchisédec*, *Abimélec*, *Sarái*, *Sinái*, *Abisái*, penultima acuta pronuntiantur. Alia præterea sunt hujus classis, quæ consulto prætermitto.

APPENDIX.

Quæ a Græcis et Hebræis ad Latinos defecerunt, Latinorum norma metienda sunt, ut *idôlum*, media flexa, cum a Græcis εἴδωλον, *ídolon*, antepenultima acuta pronuntietur.

Sára a Latinis priore acuta effertur, quia declinatur ut *musa*, cum ab Hebræis *Sará* posterior acuatur.

Sed hæc hactenus.

568. Accentus varie a veteribus appellantur. Quintilianus, l. I, c. 5, 22, ubi de barbarismo agit : « Adhuc, inquit, difficilior observatio est per *tenores*, quos quidem ab antiquis dictos *tonores* comperi, ut videlicet declinato a Græcis verbo, qui τόνους dicunt, vel *accentus*, quos Græci προσῳδίας vocant, etc. » P. Nigidius, Ciceronis æqualis, accentum *voculationem* nominat; tenorem vero *tonum* more Græcorum. Gellius, l. XIII, c. 25: « P. Nigidii verba sunt ex Commentariorum grammaticorum XXIV, hominis in disciplinis doctrinarum omnium præcellentis; deinde, inquit, voculatio qui poterit servari, si non sciemus in nominibus, ut *Valeri*, utrum interrogandi an vocandi sint? Nam interrogandi secunda syllaba superiore tono est quam prima, deinde novissima dejicitur. At in casu vocandi summo tono est prima, deinde gradatim descendunt. Sic quidem Nigidius dici præcipit. Sed si quis nunc Valerium appellans, in casu vocandi, secundum id præceptum Nigidii acuerit primam, non aberit quin rideatur. Summum autem tonum προσῳδίαν acutam dicit; et quem *accentum* nos dicimus, *voculationem* appellat. » Hactenus Gellius. Idem in eodem cap. 6 : « Quas Græci προσῳδίας dicunt, eas veteres docti tum *notas vocum*, tum *moderamenta*, tum *accentiunculas*, tum *voculationes* appellabant. » Diomedes, l. II, p. 425 : « Accentus dictus est ab *accinendo*, quod sit quasi quidam cujusque syllabæ cantus; apud Græcos ideo προσῳδία dicitur, quod προσάδεται ταῖς συλλαβαῖς. » Idem, ibidem : « Accentus quidam *fastigia* vocaverunt, quod capitibus literarum apponerentur; alii *tenores* vel *tonos* appellant; nonnulli *acumina* definire maluerunt. Sunt

vero tres : acutus, gravis, et qui ex duobus factus est, circumflexus. Ex his acutus in correptis semper, interdum productis syllabis versatur; inflexus in his quæ producuntur. Gravis autem per se nunquam consistere in ullo verbo potest, sed in his in quibus inflexus est aut acutus, cæteras syllabas obtinet. » Ibidem : « Ut nulla vox sine vocali, ita sine accentu nulla est; et est accentus, ut quidam recte putaverunt, velut *anima vocis.* »

Idem Diomedes modo *inflexum*, modo *circumflexum* accentum vocat, et syllabas modo *flecti*, modo *inflecti*, modo *circumflecti*. Gellius, l. IV, c. 7, verbo *circumflectendi*, et adverbio *circumflexe* utitur : « Valerius, inquit, Probus grammaticus inter suam ætatem præstanti scientia fuit. Is Annibâlem et Asdrubâlem et Hamilcârem ita pronuntiabat, ut penultimam *circumflecteret*, ut testis est epistola ejus scripta ad Marcellum; in qua Plautum et Ennium, multosque alios veteres eo modo pronuntiasse affirmat; solius tamen Ennii versum unum ponit, ex libro qui *Scipio* inscribitur. Eum versum quadrato numero factum subjecimus, in quo nisi tertia syllaba de Annibalis nomine *circumflexe* ponatur, numerus clausurus est. » Versus Ennii quem dixit, ita est :

Qui propter Annibalis copias considerant.

Probus, l. 1, p. 1426, eodem verbo usus est de *ergo*, cum pro *causa* ponitur, agens : « Hæc sane sola conjunctio contra rationem latinitatis ultimam syllabam *circumflectit*. » Quintilianus simplex verbum *flectendi*, participiumque *flexus* crebro usurpat, cum de tenoribus agit, qui l. I, c. 5, 31, apertissime docet nullius verbi latini ultimam syllabam acutam aut flexam esse : « Est autem, inquit, in omni voce utique acuta; sed nunquam plus una, nec ultima unquam; ideoque in dissyllabis prior. Præterea nunquam in eadem *flexa* et acuta, quoniam eadem *flexa* et acuta; itaque neutra claudet vocem latinam. Ea vero quæ sunt syllabæ unius, erunt acuta aut *flexa*, ne sit aliqua vox sine acuta. » Idem, l. XII, c. 10, 33 : « Sed accentus quoque, cum rigore quodam, tum similitudine ipsa minus suaves habemus, quia ultima syllaba nec acuta unquam excitatur, nec *flexa* circumducitur, sed in gravem vel duas graves cadit semper. »

Ex his Fabii locis, luce meridiana clarius est nullum esse verbum latinum sine acuto aut flexo tenore, ut vocant, prædominante. Quod vero quidam aiunt gravem tonum etiam in verbis dominari, ut *pàx*, neque syllabicum solum esse, seu syllabæ accentum, sed etiam dictionis, apertissime contra Quintilianum faciunt; mitto grammaticorum coryphæum Diomedem, qui hanc ipsam vocem acutam esse affirmat, l. II, p. 426. « Omnis, inquit, vox monosyllaba aliquid significans, si brevis est, acuetur, ut *mél*, *fél*. Et si positione longa fuerit, acutum similiter tenorem habebit, ut *árs*, *párs*, *píx*, *níx*, *fáx*. Sin autem longa natura fuerit, flectetur, ut *lûx*, *spês*, *flôs*, *sôl*, *môns*, *môs*, *fôns*, *lîs*. »

Atréus, *Orphéus*, et alia quorum ultima acuitur, merito a Græcis ὀξύτονα, hoc est, quorum ultima acuitur, nominantur; neque sonum acutum amittunt, etiamsi in consequentia, ut vocant, contextuque orationis acuti signum in gravis notam mutetur; auditur enim acutus sonus, non gravis, cum verba oxytona in ipso orationis cursu enuntiantur; quam rationem notandi verba videntur librarii, aliqua opportunitate nobis incognita ducti, primum excogitasse. Quod si oxytona in clausulis duntaxat acuto sono excitanda sunt, potius βαρύτονα fuerunt appellanda. Certe Quintilianus, l. I, c. 5, 24, eos qui acuto tenore concludebant *circúm*, id in cursu orationis fecisse docet :

. . . . . Quæ *circúm* littora, *circúm*
Piscosos scopulos.

Item *quantum*, *quale* comparantes, id sane nisi in cursu orationis fieri non potest, ut : *Tale est mancipium, qualis est herus. Tanta est turris, quantus est mons. Atreus*, ætate Quintiliani, ultima acuta, more Græcorum pronuntiabatur : « Quem, inquit idem, l. I, c. 5, 24, nobis juvenibus doctissimi senes acuta prima dicere solebant, ut necessario secunda gravis esset. » Perinde ac si diceret ultimam ante acutam in gravem necessario fuisse mutatam : agit enim de barbarismo qui tenore fit, suaque ætate barbarismum fecisse qui *Atreus* ultima gravi pro acuta pronuntiassent, quamvis doctissimi senes superioribus annis ita fuissent locuti.

Si quempiam adverbia *pené*, *feré*, *uná*, ultima acuta audieris pronuntiantem, ne inscitiæ damnaveris : fuerunt enim non modo grammatici, sed etiam viri docti, ætate Quintiliani, qui adverbia,

propter quædam vocum discrimina, docuerint extrema syllaba acuta pronuntianda esse. « Cæterum, inquit Quintilianus, l. I, c. 5, 25, jam scio quosdam eruditos, nonnullos etiam grammaticos, sic docere ac loqui, ut propter quædam vocum discrimina, verbum interim acuto sono finiant, ut in illis Virg., Æn. IV, v. 254 :

. . . . . Quæ *circúm littora, circúm*
Piscosos scopulos;

ne si gravem posuerint secundam, *circus* dici videatur, non *circuitus*. Item *quantum, quale* interrogantes, gravi; comparantes, acuto tenore concludunt; quod tamen in adverbiis fere solis ac pronominibus vindicant; in cæteris veterem legem sequuntur. » Hæc ille. Pronomina vocat Fabius more veterum *quantus, qualis*.

Deinde, proinde, exinde, si Quintiliano credimus, mediam acutam habent. Sunt qui putent antepenultimam acuendam, ne videantur duæ partes orationis. Probus, ut Gellius refert, l. VII, c. 7, putavit *exadversum* secundam syllabam, hoc est, antepenultimam habere acutam, quod una, non duæ essent orationis partes. Quod si quis Probum velit sequi, opus est ut ita antepenultimam acuat, ne penultimam corripiat, quod qui fieri possit, viderint qui ejus sententiæ accedunt.

Valeri, Ovidi, Virgili vocandi casu pronuntiabant Romani prima acuta, Nigidii atque Ciceronis ætate; sed Aulus Gellius cæterique ejus æquales penultimam acuebant. Vide Gellium, l. XIII, c. 25. Mutatur itaque accentus ratio progrediente tempore, nemoque miretur si hodie *Ambrósi, Gregóri, Gervási, Protási* eadem penultima longa efferunt viri pii.

Areopagus, Ἄρειος πάγος penultimam habet brevem; πάγος (*pagos*) enim, hoc est, collis locusque editus unde hoc nomen componitur, priorem corripit; neque enim ex *pagus* vocabulo latino copulatur, cujus prior producitur; l. I, epigr. 2, v. 1, εἰς Ἄμπελον :

Τίς σε πάγος δυσέρημος, ἀνήλιος ἐξέθρεψεν;

Euripides, Iphig. in Taurid., v. 1470, ubi Minerva Orestem a furiis in Areopago de cæde matris accusatum, a se absolutum alloquitur :

Γνώμης δικαίας οὕνεκ' ἐκσώσασα σέ,
Καὶ πρὶν γ' Ἀρειοῖς ἐν πάγοις ψήφους ἴσας
Κρίνας', Ὀρέστα.

Versus est senarius iambicus : πάγοις quartum locum obtinet, qui necessario est iambus. Ne vero putes πάγον significare vicum aut pagum; audi eumdem poetam in eadem tragœdia, ubi sorori Iphigeniæ narrat Orestes quemadmodum in Areopagum venerit, ibique a Furiis fuerit accusatus, testimonioque Apollinis a Pallade absolutus, v. 962 :

Ὡς δ' εἰς Ἄρειον ὄχθον ἧκον, ἐς δίκην
Τ' ἔστην.

Postquam ad Martium collem veni, etc. Ὄχθος tumulum seu collem, non pagum aut vicum significat. Itaque Ἄρειος ὄχθος et Ἄρειος πάγος idem prorsus significant. Pausanias in Atticis, c. 28, Hesychius, Suidas, Magnum Etymologicum docent *Areopagum* in loco edito fuisse. Suidas : « Ἐκλήθη δὲ καὶ Ἄρειος πάγος, ἤτοι ὅτι ἐν τῷ παγῳ ἐστὶ καὶ ἐν ὕψει τὸ δικαστήριον. Ἄρειος δε, ἐπεὶ τὰ φονικὰ δικάζει, ὁ δὲ Ἄρης ἐπὶ τῶν φόνων. » Utriusque vocabuli rationem explicat : πάγον (*pagon*) ait dictum fuisse, quod in loco edito esset forum : πάγος enim collis seu tumulus est; *Martium* vero, quod capitalia gravioraque judicia in eo exercerentur, et de cædibus, quibus præest Mars, ab Areopagitis judicaretur. Addit idem, multique alii vel Martium fuisse appellatum, quod Mars primus, interfecto Neptuni filio, accusatus ibidem causam dixerit. Quod Varroni, ut refert D. Augustinus, de Civitate Dei, l. XVIII, c. 10, non probatur, ne deos suos traducere videatur.

569. Græci non spectant penultimam, ut Latini; sæpissime enim acuitur, cum sit brevis, ut Ανδρέας, Μαρία, φιλοσοφία, *Andréas, María, philosophía;* quam rationem pronuntiandi sequuntur Latini, cum ea vel longo usu recepta est, vel aures eorum offendit quibuscum vivunt. Malunt enim Græcorum more pronuntiare, quam nova pronuntiatione amicorum aut piorum hominum aures offendere. Quare cavendum est ne decipiamur græco tono : etsi enim recte, verbi causa, græco ritu *María, Andréas*, penultima acuta efferuntur, barbarismus tamen fiet, si in carmine penultima producatur; aliud enim est quantitas syllabæ,

aliud accentus : quantitas in longitudine et brevitate syllabæ posita est ; at accentus in moderanda voce ac pronuntiatione versatur. Sunt qui *Andream* per ει a Græcis putent scribendum ; ego in correctissimis libris per ε semper memini legisse.

Si cui otium fuerit, colligat literarum ordine omnia hebræa (quæ non ita multa sunt) quorum penultima acuitur ; atque deinde in universum præcipiat cætera omnia extrema acuta esse pronuntianda.

FINIS.

INDEX RERUM MEMORABILIUM

NUMERI QUIBUS DIVIDITUR GRAMMATICA, NON AUTEM PAGINÆ INDICANTUR.

A

A litera finita cujus generis sint, 148, 150 et seqq. — *A*, *ia*, termiuationes neutrorum in tertia declinatione, 193.

A incrementum tertiæ declinationis, 465; — verborum, 474. — *A* in fine dictionum, cujus quantitatis, 481, 482; — græcorum nominum, 483.

A, *ab*, *abs* præpositio, 386, 388; nominibus etiam urbium adjuncta in quæstione *unde*, 333.

Abus, terminatio dativi plur. primæ declin., 183.

Æ diphthongus varie scribebatur, 437.

Ai, *as* in genitivo sing. primæ declin., 182.

An syllaba terminata cujus generis, 156; — *ar*, 158; — *as*, 143, 161; — *ax*, 170.

As in fine, cujus quantitatis, 497.

Ablativus post nomen substantivum laudis aut vituperationis, 246; — post adjectiva, 261, 263, 264; — laudis, partis, etc., 269, 270; — post verbum *sum*, 288; — post verba neutra, 289 et seqq.; — partis post neutra, ubi poetæ accusativum ponunt, 292; — sine præposit., præter accusat., post verba activa, 315, 316; — cum præposit., 317 et seqq. —In qua construct., quomodo activa passivis permutentur, 322. — Ablativus indicans sive spatium temporis, sive speciem, 337; — aliquando significat *intra*, ibid. — Ablativus distantiæ, 338; — absolutus, 339. — Particip. in ablat. absol. sine nomine, ibid. — Interdum ejusdem sunt personæ ablativus et nominativus verbi, ibid.; — instrumenti, causæ, modi, 340; — excessus, 341; — pretii, 342; — post adverbia, 397, 398.

Absolutum nomen, 109.

Accentus seu prosodia, quid et quotuplex, 563. — Accentuum notæ, 564. — Quali accentu pronuntiandæ voces latinæ monosyllabæ, dissyllabæ, polysyllabæ, 564. — Accentu uno efferuntur præposit. cum suo casu sequente, 565. — Quo accentu dictiones græcæ efferendæ, 566; — quo hebrææ, 567. — De accent. doctrina veterum, 568; — de vocativis *Valeri*, *Virgili*, *Ambrosi*, *Gregori*, etc., ibid. — Discrimen inter quantitatem et accent. valde observandum in dictionibus græcis, 569.

Accidentia seu attributa partium orationis, 128, 480.

Accipiendi, *abstinendi*, *auferendi*... verba ablativum habent cum præposit. *a* vel *ab*, 319.

Accusandi, *absolvendi*, *damnandi*... verba, præter accusat., genitivum admittunt pœnæ vel criminis, 295; — non tamen omnia, 296; — pro genitivo aliquando ablat. cum præposit. *de*, 297. — Substantivum *crimen* in ablat. sine præpos., 298. — Eodem modo construuntur verba quædam quæ sua natura ablativum petunt, 299.

Accusativa verba, 293.

Accusativus cum impersonalibus, 302; — ante infinitum, 225; — et post, si fuerit ante, 241; — item, si præcesserit dativus cum verbo *licet*, 242; — post verba neutra, 293, 294; — geminus post certa verba, 313, 315. — Accusativi *hoc*, *illud*, *unum*, et similia, non quivis alii, adduntur verbis, 318. — Ex accusativi geminatione orta amphibolia quomodo solvenda, 351. — Accusat. post adverbia, 392, 395, 397. (*Vid.* ADVERBIA, MEMBRUM ORATIONIS.)

Actionem et *possessionem* significant genitivi *mis*, *tis*, *sis*. *nostrum*, *vestrum*, et possessiva *meus*, *tuus*, 375, 379, 381.

Activa verba ratione generis, 111; — pro passivis, 114; — ratione constructionis, 293. — Quomodo dividi possint, ibid. — Quo pacto in construct. mutentur passivis, 322.

Ad præpositio, 124; — post adjectiva, 259, 355, 369; — post verba, 275, 279, 355, 384; — in quæstione *quo*, nominibus etiam urbium adjuncta, 333.

Adjectiones syllabicæ *pte*, *ce*, *te*, 484.

Adjectiva, 8. — Quædam ab aliis adjectiva, ab aliis pronomina censentur, 9; — formæ aut figuræ, 10, 104; — definiuntur et dividuntur, 106; — communia trium generum, 142; — neutro plurali carentia, 143. — Eorum constructio intransitiva, 226 et seqq.; — post conjuncta subst., quo numero ponantur, 227; — quo genere, 228, 229; — aliquando diverso genere et numero, atque voces quibus junguntur, 234, 239, 424. — Substantive posita postulant genitivum, 245, 252; — quænam alia genitivum, 247, 248; — genitivum vel dativum, 257; — dativum, 258; — dativum aut accusat. cum *ad*, 259, 355, 369; — accusat. aut ablativum, 260; — ablativum sine aut cum præposit., 261, 263, 264; ex quibus sunt quæ genitivum etiam admittunt; — quænam construantur cum infinito, 350.

Adverbia comparantur, 109.—Adverbiorum varia genera, 125.—An et quid differant a conjunctione, 127;—constructio, 392, 394, 399; — in loco, de loco, ad locum, per locum, 399; — locum sive nominativi, sive accusativi tenent, 393, 419.

Æstimandi verba, præter accusat., certos assumunt genitivos, 303, 305, 307; — iis annumeratur quandoque *sum*, 306; — interdum habent ablativum, 304.

Agnomen, 105.

Alcaïcum carmen, 530.
Alphabetum latinum, 1.
Ambigua verba, seu quæ diversos casus admittunt, 285.
Amphibolia quomodo solvitur, 351.
Analogia et *anomalia*, 11, 198; — anomala verba, 78 et seqq.; — nomina, 197.
Anapæsticum carmen, 526.
Antithesis seu literæ mutatio, 561.
Aphæresis seu literæ aut syllabæ subtractio in principio dictionis, 558.
Apocope, in fine, 560.
Appellativa nomina, 104, 110.
Appositio, quid sit, 237.
Aptota nomina, 199.
Apuleius, qualis, 191, 203, 212.
Archaismus, 426; — quinam veteres Diomedi ejusque æqualibus, 86.
Articuli usus in declinationibus, 3. — De iis quid Varro, 12. — Ea quomodo dividat, 110.
Asclepiadeum carmen, 528.
Attributa. (*Vid.* ACCIDENTIA.)
Auctoritas fundamentum rectæ constructionis, 220. — A quibus petenda et quid valeat, 175, 418, 429, 432, 436.
Augustinus (*S.*) antiquitatis peritissimus, 202.

B

B litera finita, exceptis peregrinis, corripiuntur, 489.
Barbarismus, quid sit et quot modis fiat, 428. — Quid a solœcismo differat, 430; — a metaplasmo, 431, 554.
Bilis (In) terminata adjectiva, quem casum postulent, 258. — Utrum active an passive significent, ibid.
Breves, quid sint, 438. — Aliquando producuntur vi cæsuræ, 489, 508, 509.

C

C litera finita, cujus generis, 154. — Pleraque producuntur, 490.
Cæcilius, malus auctor latinitatis, 333.
Cæsura, quid sit atque ubi ponenda, 540. — Quomodo ratione cæsuræ dividerent veteres carmina, 542, 543. — Cæsura breves producit, 489, 508, 509.
Caper, grammaticus, 206.
Cardinale nomen, 106, 108.
Casus quot, 128. — Quibus nominibus vocati, 132.
Catholica nominum, quid, 142.
Chorei, varia significatio, 520.
Cognomen, 105. — Quomodo construitur, 420.
Collectivum nomen, 104. — Collectivorum constructio intransitiva, 235, 253.
Communis syllaba, 438, 489, 507 et seqq.
Communia verba, 111, 114, 121; — quibus temporibus utraque significatione usurpata, 115; — declinantur, 123. — Passiva significatione passivorum more construuntur, 326. — Multa olim fuere activa, ibid.
Comparativum nomen, 109; — post se ablativum habet, 265; — vel casum verbo congruentem post conjunct. *quam*, 266; — vel, si partitive accipitur, genitivum, sæpius ablat. cum *e*, *ex*; aut accusat. cum *inter*, 267; — item et casum positionis suæ et alios quosdam ablativos, 268. — Ex quibusdam participiis aliquando fit, 370. — Post se amat *quam ut*, 405; — rarissime *tam*, *quam*, 406; — adverbia in o et alias particulas, 408.
Composita nomina quomodo declinentur, 179, 181; — ex *color*, *decus*, *corpus*, 143. — Composita verba, quid, et quomodo fiant, 200. — Composita ex verbo *cubo*, 204; — ex *fero*, 216; — ex verbo neutro et præposit. *ad*, *ante*, *con*, *in*, *inter*, *ob*, *præ*, *sub*, quem casum postulent, 283, 284, 285; — ex activis et præposit. *ad*, *in*, *ob*, *præ*, *sub*, 311. — Quædam post se præpositionem repetunt, 320, 384. — Servant quantitatem simplicis, 455.
Con. Adjectiva ex hac particula composita quem casum regant, 258; — verba, 283.
Concertationes de Grammatica, 230.
Concessivus modus aut *permissivus*, 22, 55 *ad* 61.
Conjugatio aut *declinatio* verborum, 18; — verbi *sum*, 19. — Tres tantum apud veteres conjugationes, 24. — Prima, 28. — Secunda, 72. — Tertia, 74. — Quarta, 76. — Quomodo distinguantur, 130. — Quædam olim primæ et tertiæ fuerunt, 207. — Secundæ multa verba apud veteres fuerunt et tertiæ, 210. — Quartæ præteritum *ivi* vel *ii*, 218. — Periphrastica per participia et verbum *sum*, 371.
Conjunctio, 127. — Intercedens excludit usum reciproci, 383. — Ejus constructio, 410 et seqq. — Quænam eosdem casus connectant, 410. — Quemnam locum in sententia habeant, 411, 412. — Quænam, indicativum, 411. — Quænam, subjunctivum, 412, 413. — Quænam, modum utrumque, 414, 415.
Conjunctivus modus, 21, 44, 45, 46. — Ejus tempora inter se permutantur, 47.
Consonantes quo modo dividantur, 437. — Duæ continuæ vocalem longam faciunt, 442; — nisi sunt ambæ initio sequentis dictionis, 443; — aut si altera est liquida, 444.
Constructio. Persona constructionis, quid, 99. — De construct. præcepta aliquot tironibus, 138. — Constructio intransitiva, 221 *ad* 243; — transitiva, 244 et seqq. — Constructiones communes omnium verborum, 329 et seqq.
Continuata substantiva, 236.
Consuetudo optimorum auctorum, lex summa scribendi, 418, 429.
Cum. Voces ope ejus conjunctionis copulatæ, quo modo construantur, 224, 225, 227, 228. — *Cum* præcedit aliquando nomen *modi*, nunquam nomen *instrumenti*, 340.

D

D litera finita, cujus generis, 154; — corripiuntur, 489.

Dativus post infinitum *esse*, 242; — post adjectiva, 257; — post verba neutra quæ significant auxilium, favorem, obsequium, studium, eventum, etc., 279 et seqq. — Ejusmodi verba ordine literarum exponuntur, 284. — Quædam dativum aut accusat. habent, 285; — alia dativum simul cum accusat., 286. — Dativum, præter accusativum, admittunt multa activa, 308 et seqq.; — quædam geminum dativum, 312. — Dativus communis, 336. — Dativus post adverbia, 396.

Declinatio prima, 2, 182 et seqq.; — secunda, 4, 184 et seqq.; — tertia, 5, 187 et seqq.; — quarta, 6, 194; — quinta, 7, 195; — adjectivorum, 8, 9, 10; — anomalorum, 11; — pronominum, 12 et seqq.; — directa et obliqua, 8. — Declinatio dicitur et de verbis, 18, 134. — *Declinare* apud Varronem significat *derivare*, 109, 180. — Declinatus verborum distinguit Varro voluntarios et naturales, 112. — Declinationes nominum, quot et quales, 129, 179. — Declinatio voluntaria et naturalis, 180. — Declinatio nominum peregrinorum, 184. — Tertiæ declinationis nominativus et genitivus singul., 187, 188. — Accusativi variæ termin., 189; — vocativi, 190; — ablativi, 191; — genitivi plural., 192, 193. — Alii casus plurales, 193.

Deponentia verba, 114, 121. — Quo modo forment sua præterita et supina, 219. — Quænam habeant accusat., 291, 294. — Quædam fuere olim activa, 121, 360.

Derivata servant quantitatem originis suæ, 454.

Diæresis seu *dialysis*, syllabæ unius in duas divisio 537.

Dialectus Ionica amat hiatus, 189.

Diastole sive *ectasis* est syllabæ brevis productio, 539.

Dimensionis adjectiva quem casum postulent, 260. — Carminum dimensio, 531.

Diminutiva vel diminuta verba, 116.

Diomedes, coryphæus grammaticorum, 375, 479.

Diphthongi latinæ, 437; — longæ sunt, excepta *præ* ante vocalem, 441.

Distributiva nomina, 106; — usurpata pro cardinalibus, 108.

Diversitatis adjectiva quem casum postulent, 263. — Quænam ante se adverbia, 408.

Docendi, *monendi*, etc., verba duos accusativos habent, 313. — Aliquando alterum accusat. mutant ablativo cum præposit. *de*, 314.

Donati opera, 9.

Dualis an sit apud Latinos, 29.

Dus, *da*, *dum*. Circuitio ex his vocabulis et verbo *sum* officium potius quam futurum videtur significare, 71, 347, 349, 363, 371. — Vocari possunt gerundia passiva, et more adjectivorum construuntur, 358. — Sæpe admittunt ante se præpositiones, 359. — A verbis activis et deponentibus fiunt, 360. — Dici possunt nomina verbalia, 363. — Participia dicta sunt a Servio, Quintiliano, 363, 367. — Post se admittunt tum dativum, tum ablativum, more passivorum, 367. (*Vid.* PARTICIPIALE.)

E

E litera finita cujus sint generis, 152; — *en*, 157; — *er*, 159; — *es*, 162; — *ex*, 170. — *Es* finita tum primæ, tum secundæ declin. sunt, 182; — in *e*, genit. *es*, ad nullam latinam spectant, 183.

Ei pro *i* in verbis, 91. — *Ei* pro *i* terminatio nominat. plur. in secunda declin., 185, 186. — *Eis*, *is*, in plur. tertiæ declin., 193, 437. — *E*, *es*, in genit. sing. quintæ, 195. — *Eus* terminationis quantitas, 186.

E priorem partem compositi terminans, breve, 459. — Incrementum tertiæ declin., 466; — verborum, 475; — in fine dictionum, 484; — in græcis nominibus, 485. — *Es* in fine, 498, 499, 500.

Eclipsis, quam Quintil. synecdochen vocat, natura et exempla, 421. — Species ejus, zeugma, 422, et syllepsis, 423.

Ecthlipsis seu elisio literæ *m*, 535; — olim literæ *s*, 536.

Emendi et *vendendi* verba ablativum postulant significantem pretium, 342; — sed certos genitivos, 343.

Enallage fit quando pars una orationis pro alia ponitur, 419; — sive quando attributa partium orationis permutantur, 420.

Epenthesis fit cum litera aut syllaba medio dictionis interjicitur, 556.

Epicœnum sive promiscuum genus, 177. — Quid differat tum a communibus, tum a nominibus dubii generis, ibid. — In iis quo pacto mares a feminis discerni possint, 178.

Episynalœphe, quæ et *synecphonesis* et *synæresis*, quando una syllaba fit ex duabus, 532.

Exceptæ actionis verba, sive ad naturam pertinentia, ut *pluit*, 110, 421.

F

Feminina apud oratores quæ poetis *masculina*, 176. — An neutris anteponenda in constructione, 228.

Figura significat aliquando terminationem, 113.

Figuræ nominum, simplex et composita, 130, 137; — dimetiendis versibus utiles, 554 *ad* 562.

Figurata constructio, 416 et seqq. — Quid figura, 418. — Quid figurata constructio, ibid.

Finita nomina, quid Varroni, 104, 110; — dicuntur quædam verba impersonalia, 113.

Fluminum nomina cujus generis, 144; — in *er* et *us* quandonam veteres in *um* terminabant, ibid.

Fore junctum participiis in *rus*, *dus* et præteriti, 345. — *Fore*, *futurum esse ut*, 348. — *Futurum fuisse ut*, 349. — *Fore* jungitur participiali in *dum*, 361.

Forma significat aliquando terminationem, 113.

Formæ verborum, 112, 116.

Frequentativa verba, 116.

Futurum exactum, 19, 26, 28; — indicativi pro fut. conjunctivi, 30; — pertinet et ad imperativum, 33 et seqq.; — aliquando ad optativum, 43; — in *asso*, *esso*, *im*, 46, 92. — Fut. infiniti indeclinabile, item in *assere*, 64, 345; — anomalum in *ibo*, 91. — Constructio futuri infin. activ., 345; — passivi, 346 et seqq. — Quomodo supplendum, cum verba supinis carent, 348. — Circuitio ex præterito et futuro mixta, 349; — quæ non videtur posse suppleri, ibid. — Fut. infiniti quibus verbis jungendum, 358 et seqq.

G

Gellius, 193, 194.

Genera sive significationes verborum, 111, 114, 271; — nominum, 128, 133. — An pronomina genus habeant, 133. — Genera nomin. quæ ex significatione masculina cognoscuntur, 139, 172; — feminina, 140, 172. — Communia duorum generum, 5, 141; — trium generum, 142. — Ex communibus trium generum, ut *dives*, *pauper*,... quænam neutro plurali deficiant, 143. — Quæ genera habeant composita ex *color*, *decus*, *corpus*, ibid.; — quænam ex positione cognoscantur, 150 et seqq. — Genus sæpe a substantivo intellecto desumitur, 171; — interdum a nomine communi seu generali quo multa generis ejusdem comprehenduntur, 173. — Nomina incerti generis et communis gener. quomodo differant, 174. — Genus epicœnum, 177. — Nomina epicœni simul et dubii generis, 177. — Quo genere construatur adjectivum post conjuncta substant., 228, 229. — In hac constructione habetur interdum ratio solius significationis, 234, 235.

Genitivus pluralis imminutus, 10, 196; — post substantivum, 244, 421; — post adject. substantive posita, 245. — Gen. vel ablativus laudis, 246; — post adjectiva, 247, 248, 369; — post partitiva et numeralia, 249; — post superlativa, 250 et seqq.; — post verba neutra, 272, 276, 277, 290; — post verba accusandi et simil., 295 et seqq.; — monendi, 301; — post *pudet*, *tædet*, etc., 302; — post verba æstimandi, 303, 305 et seqq.; — post pronom. demonstrativa, 372; — possessiva, 374, 377. — Genitivi *ipsius*, *unius*, *solius*, etc., juncti pronominibus, 374 *ad* 380. — Genitivus *omnium* non jungendus possessivis, 374, 377, 378. — Si durior fit oratio, alio modo loquendum, 377. — Genit. post adverbia, 392 *ad* 396.

Gentile nomen, 106; — pronomen, 110; — simile patronymicis, unde et quomodo formetur, 546.

Gerundia, 65, 91, 352 et seqq. — Videntur esse verba modi infiniti, 352. — Unde dicta, 91, 352. — Ultimam vocalem habent ancipitem, 352. — Quæ passionem non significant, casus habent suorum verborum, 352. — Quæ causa nominis *gerundium*, 91, 352, 357. — Gerund. in *di* post nomina, 353; — juncta genitivo multitudinis, 354; — in *dum* post præpositiones; sed tunc raro sequitur casus, 355; — idem de gerund. in *do*, ibid. — Gerund. in *do* modo sine, modo cum præpositione, 356. — Passive accepta nullum post se casum admittunt, 357. — Quæ accusativo gaudent, elegantius more adjectivorum construuntur, 358. — Quomodo discernenda a participiis in *dus*, 359; — quandonam activa potius usurpanda quam passiva, 360.

Glyconium carmen, 527.

Græcæ terminationes veteribus reformidatæ, 182. — Græca nomina, quod ad quantitatem, 483 *ad* 487, 493, 494, 497, 500, 504, 506. — In iis, quomodo quantitas et accentus differant, 569.

Grammatica definitur et dividitur, 101. — Ejus leges minoris sunt quam doctorum usus, 418, 429, 432.

Grammatici officia, 101. — Inter virtutes ejus habetur aliqua nescire, 324.

H

H litera an nota, 428, 437.

H litera græca, *éta*, non *ita*, 438.

Hebraïca lingua, 31, 43.

Hellenismus, 427.

Hexametrum carmen, 521. — Ejus cæsuræ apud veteres grammaticos, 542.

Historici et poetæ aliter loquuntur, aliter oratores, 247. — Ad eos accedit Seneca, 248.

Hyperbaton, quid sit et quatenus liceat, 434.

I

I litera finita cujus sint generis, 153; — *in*, 156; — *ir*, 160; — *is* et *ys*, 163; — *ix* et *yx*, 170.

Ii in genit. sing. quintæ declin., 195.

I litera, 437. — Inter duas vocales, in compositis, simplex consonans est, ideoque recte corripitur vocalis præcedens, 448. — *I* vel *y* priorem compositi partem terminans, brevis est, 460. — *I* incrementum tertiæ declin., 467. — *I* in verbis breve, exceptis præteritis in *ivi*, et

primo incremento quartæ conjug. 476. —*Rimus*, *ritis* qua sint quantitate, 479.— *I* in fine dictionum, 486.— *Is* vel *ys* in fine, breve, 501, 503; — longum in plurali, in secunda pers. indicat. præs. quartæ conjug., et in nominibus quorum genitivus exit in *īnis*, *entis*, *ītis*, etc., 502, 503.

Im terminatio verborum anomala, cujus sit modi, 97.

Is, *eis*, accusat. plur. tertiæ declin., 193, 437.

Iambicus senarius, 523. — Dimetrum iambicum, 524. — Senarii Plautini et Terentiani, quales, 525.

Imminutiones in præter. perfecto, etc., 29, 489; — in genit. plurali nominum, 10, 196, 429.

Imperandi verba quomodo construantur, 310.

Imperativus modus, 31; — apud Hebræos, ibid.; — duo habet tempora, præsens et futurum, 32, 36. — Aliquando tamen reciprocantur, 33. — De secunda syllaba *to* finita, 34. — Ea delectantur scriptores rei rusticæ, 35. — Tertia persona fut. caute utendum, 35. — Caret præterito, 36. — Apud Græcos quid significent præterita hujus modi, 37. — Idonei auctores in imperando utuntur et aliis vocibus, 38. — Personæ passivæ in *or* minus usitatæ, 70. — Quomodo supplenda vox imperativi propria, ubi deficit, 81.

Imperfectum in *ibam*, 91.

Impersonale verbum in quot partes dividatur, et unde dictum, de Varronis potissimum sententia, 113, 221, 323, 324. — Possunt dici alia finita, alia infinita, 113; — neutra, activa, passiva, deponentia, 115, 294; — priscis temporibus integra, 113, 302. — Impersonalia antecedit vel nominandi casus, vel infinitum, vel membrum orationis, 221, 273, 281, 282, 294, 302. — Quænam dativum post se habeant, 281, 282; — *miseret*, *pudet*, etc., accusativum cum genitivo, 302. — Passiva quandonam qualisve nominativus præcedere possit, 323, 324. — Interdum tertiam personam plur. habent, 324. — Post se admittunt ablativum cum *a*, *ab*, et alios casus passivorum, 325. — Infinita impersonalium admittunt verba *solet*, *debet*, *potest*, etc., sine nominativo, 350.

Implendi, *onerandi*, *liberandi* et contraria cum ablativo construuntur, 316.

Improprium, quid, 430.

Inchoativa verba, quæ sint, quid significent, unde formentur, 116. — Supina non habent, 118.

Incrementum nominum, quid sit, 462; — primæ declinationis, 463; — secundæ, 464; — tertiæ, 465 *ad* 471; — nominum in plur., 472; — verborum, 473 *ad* 480.

Indicativus modus; varia ejus nomina, 27.

Infinita nomina, quid Varroni, 104, 110; — adjectiva aut pronomina, 106, 107; — quædam impersonalia, 113; — infinitæ declinationis verba, ibid.; — partitiva, 249.

Infinitæ particulæ quæ conjunctivum postulant, 44, 51.

Infinitus modus, 23, 62, 63, 64, 344. — Dicitur nomen verbi, 62. — Tempora habet conjuncta more Græcorum, præsens cum imperf., etc., 63. — Eorum significatio, ibid. — Ante se postulat accusat., 225. — Quandonam post se nominativum, 240; — post se accusativum, si ante habuerit, 241. — Aliquando post se aut accusat. aut dativ. potest habere, 242. — Constructio verbi infiniti, 344 et seqq. — Cum quibus verbis copuletur, 350; — etiam cum verbis motus, ibid.; — post nomina, ibid. — In his, *factum volo*, et similibus, videtur intelligi *esse*, 421. — Quibus verbis potissimum definiatur, 350, 352.

Intelligendi verba ablativ. habent cum præposit. *ex*, 320.

Interest et *refert* cum genitivo, 275; — cum *ad* et accusat., ibid.; — cum ablativis *mea*, *tua*, etc., 273; — cum genitivis *magni*, *parvi*, *tanti*, *quanti*, 275; — cum aliis adverbiis, ibid. — Habent nominativum aperte, aut infinitum, aut membrum orationis, 272. — Ablativis *mea*, *tua*, etc., possunt addi certi genitivi, 377.

Interjectio, 126. — Ejus constructio, 409.

Interrogativa nomina, sive substantiæ, sive accidentis, 106. — Quomodo ad ipsa respondeatur, 107.

Interrogationis et responsionis constructio, 243.

Ipse pronomen dicitur subjunctivum, 110.

Iri cum dictione simili supino in *um* exprimit futurum infinitum passivum; neque tamen ideo *ire* significat etiam futurum, 346. — Tempus hoc ex *iri* construitur more passivorum, ibid. et 364. — In hoc passivitas ex *iri* potissimum oritur, 364.

Josephi Judæi testimonium de Christo, 184.

L

L litera finita, cujus generis, 155. — Plerumque corripiuntur, 491.

Latinitas, quid, 333, 417.

Laudis et vituperationis nomina in genitivo vel ablativo, 246, 269; — etiam post verbum *sum*, sed cum delectu tamen, 288. — Laudandi verba an admittant genitivum, 300.

Legitimus modus, i. e., legibus ferendis aptus, 35.

Licentiæ poeticæ quo fundamento nitantur, 562.

Liquidæ quæ et unde dictæ, 437. — Quomodo syllabarum quantitatem afficiant, 444, 510. — Vim suam servant post *f*, 445. — Ad eamdem syllabam muta et liquida pertineant necesse est, 446. — Liquescunt aliquando *m* et *n*, 447.

Literarum nomen; figura, potestas, cognatio, ordo, 102, 437. — Literarum nomina, cujus sint generis, 149.

Literati iidem olim qui grammatici, 24.

Locus ubi ponitur, vel in genitivo, 329; — vel in ablativo, 330; — non vero in dativo, 330, 331. — Si proprium urbis sequitur commune nomen, quo in casu ponendum, 329. — In quæst. *quo*, ponitur accusativus, 332. — In quæst. *unde* aut *qua*, ablativus, 333, 335. — Propria sæpe præpositionem accipiunt, maxime in quæst. *unde* et *quo*, 333. — Etiam substantiva hos casus communes sibi jungunt, ibid. — Propriis majorum locorum aliquando præpositio detrahitur, 334.

Longa syllaba, quid, 438. — Illa et diphthongus breves aliquando fiunt, cum vocalem diversæ dictionis præcedunt, 507.

M

M ante vocalem non pronuntiabatur, 428.—*M* litera finita olim corripiebantur, sicut nunc in verbis compositis, 492.

Magistris admonitiones, 1, 2, 4, 6, 10, 19, 28, 44, 216, 221, 222, 224, 230, 233, 244, 249, 326, 509.

Masculina apud oratores quibus poetæ muliebri genere utuntur, 175. — In constructione adjectivorum cum substantivis, masculinum substantivum post alia collocatum, sibi apud Ciceronem adsciscit adjectivum, 229.

Mea, *tua*, *sua*, etc., in ablativo junguntur verbis *interest*, *refert*, 273.

Meditativa verba, 116. — Non habent supinum, 118.

Membrum orationis pro nominativo, 223, 272, 281, 282, 294, 302; — non sæpe verbis passivis, 223; — pro antecedente, 230; — pro accusativo, 317.

Memoriæ verba quos casus admittant, 277.

Mensium nomina cujus sint generis, 144; — qualem habeant ablativum in tertia declin., 191.

Mensuræ nomina quo casu construantur, 260.

Metaplasmus in carmine, qui in prosa barbarismus, 554.

Metathesis est ordo literarum immutatus, 562.

Mille, tum substantivum, tum adjectivum, 152.

Modi verborum, qui et status et qualitates et species vocantur, 25. — Quinam post adverbia *ut*, *priusquam*, *ne*, etc., 400 et seqq.

Monendi verba genitivum habent cum accusativo, aliquando ablativum cum *de*, 301, 314; — geminum accusativum, 313.

Monoptota, diptota, etc., nomina, 199.

Monosyllaba producta in versibus, 443.

Motus verba post se admittunt aliquando infinitum, 350; — gerundia in *dum* cum *ad*, 355; — gerundia in *do* cum *a*, *ab*, *in*, *ex*, 356; — supina in *um*, 364; — aliquando supina in *u*, 365.

Multitudinis numerus, 131.

Mutationes fieri solitæ in præpositionibus conjunctis, 124, 204, 216.

N

N quomodo pronuntietur, 1. — *N* litera finita pleraque producuntur, 493. — *On*, secundæ declin., corripitur; item quæ *n* habent in accusativo, veniuntque a nominativo cujus ultima brevis est, 494.

Naturalis declinatio, 180.

Neutra quos casus similes habeant, 4. — Quænam in tertia declin. faciant *a*; quænam, *ia*, 193. — Quandonam veteres *Rhenum*, *Rhodanum*, etc., in nominativo dixerint pro *Rhenus*, etc., 144. — Neutrum quando præferatur in construendo adjectivo cum substantivis conjunctis, 229, 230. — Verba neutra quomodo possint dividi, 271. — Habent aliquando participia in *tus* et *dus*, 120. — Neutro-activa, 293. — Neutro-passiva more passivorum construuntur, 327. — Aliqua melius carent præpositione, 328.

Nigidius, quis et qualis, 3, 18, 69, 194.

Nomina dicta aliquando *nominatus*, 9.— Quid differant a vocabulis, 12. — Anomala, 11, 197. — Nomina definiuntur et dividuntur, 104, 109, 110. — Infinitivus est nomen verbi, 62, 113. — Nominum genus ex significatione, 139 et seqq. — Nomen positum pro semetipso, excluso omni sensu, neutrum est, 149. — Peregrina quomodo declinentur, 184. — Aptota, monoptota, etc., 199. — Nomina substantiva casus communes admittunt, 333. — Nomina verbalia, 358, 363. — *Nomen est mihi*, quomodo construatur, 420.

Nominativus an præcedit impersonalia, 99, 221, 275, 281, 282, 294, 302. — Aliquando suppletur per verbum infinitum, aut per membrum orationis, 223; — per adverbia, 393. (*Vid.* Impersonalia.) — Ante et post verbum finitum, 238. Cum utro nominum in nominativo consentit verbum, 239. — Nominativus post infinitum, 240.

Numerus attributum nominum, 128, 131. — Quo numero ponendum adjectivum post substantiva conjuncta, 227.

Numerale nomen, 106. — Quænam indeclinabilia, 142. — Post se habent genitivum, aut concordant cum substantivo, 249; — aut ablativum cum *e*, *ex*, vel *de*, 254. — Numeralia ordinis habent ablativum cum *a*, *ab*, 263.

O

O litera finita, cujus sint generis, 153; — *on*, 156, 494; — *or*, 160; — *os*, 164, 166; — *ox*, 170.

O priorem partem compositi terminans in dictionibus græcis est breve; ω, longum, 461. — *O* incrementum tertiæ declin., 468, 469, 470; — in fine dictionum, 487.— *Os* in fine plerumque longum, nisi in Græcis quæ ο habent, 504.

Obliqui casus, 132.—Quod et de secunda et tertia persona verborum dicitur, 134.

Optativus modus, 20, 39; — qualis Diomedi, 47. — Optativi præsens et imperfectum una voce continentur, 40; — præteritum perfectum, 41; — plus quam perfectum, 42; — futurum, quod proprium formæ optandi, 43. — Optativus tempora habet conjuncta more Græcorum, præsens cum imperfecto, etc., 63.

Opus et *usus*, quomodo construantur, 262.

Oratio plena quæ sit in constructione relativorum, 231.— Orationis obscuræ vitia, 433; — inornatæ, 435. (*Vid.* Membrum.)

Oratores alia, alia historici et poetæ usurpant, 247.

Ordinale nomen, 106, 263. — Ei additur eleganter *quisque*, 408.

Orthographiæ præcepta quædam, 6, 102; — varietates in aliquot dictionibus: *autor*, *auctor*, *author*; *littera* et *litera*, etc., 432.

P

Pace tua dixerim, et similia, ad quem modum spectent, 54.

Paragoga verba quæ, 116. — *Paragoge* seu *proparalepsis*, qua quid ultimæ syllabæ additur, 557.

Pars generalis corporis aut animi non possessiva *meus*... admittit, sed primitiva *mei*, *tui*, 380.

Partes orationis quot et quæ admittendæ, 103. — Positæ loco nominis, quo genere censendæ, 149. — Partis nomen ablativo exprimitur, aliquando accusativo, 269, 270, 368.

Participialis modus, vel participialia, 352. — Cur sic vocata, ibid — Participiale in *dum*, accedente verbo substantivo, admittit et dativum communem et casum sui verbi, 361. — Quomodo a gerundiis differat, quidve significet, ibid. — Quandonam mutandum participiale in *dus*, *da*, *dum*, 362. — Non futurum tempus significat potius quam præsens aut præteritum, 361, 363. — Quibus aliis vocibus exprimi possit, 371.

Participium præsentis et imperfecti activi, 66; —futuri activi, 67, 122; —in *dus*, 71, 120, 358 et seqq.—Definitio et formatio participiorum, 117, 119. (*Vid.* PRÆTERITUM.)—Participia, v. g., *dictus*, *factus*, etc., inter duo substantiva cum utro consentiant, 226. — Significatio et constructio participiorum, 366; — quædam voce passiva, significatione activa, ibid. — Passiva præteriti et futuri dativum aliquando admittunt, 367. — Quædam in *us* habent accusativum, 368. — Facta nomina genitivum adsciscunt, 369.—Possunt quædam comparari, 370. — Nomina participiis similia quomodo construantur, 369. — In his et similibus, *Volo datum*, utrum participium sit an supinum, 421.

Particulæ additæ conjugationi subjunctivi, 21. — Nomine particularum veniunt et adverbia atque conjunctiones, 127; — infinitæ quæ conjunctivum postulant, 44, 51.

Partitivum nomen, 106, 249. — In constructione intransitiva, ratio habetur potius sensus quam verborum, 234, 235. — Quæ maxime sint partitiva, quemve casum post se habeant, 249. — Eamdem constructionem admittunt aliquando substantiva, ibid. — In multis partitiva sequuntur superlativorum constructionem, 251 *ad* 256. — Ad illa pertinent et comparativa, 267.

Passionem significant genitivi *mei*, *tui*, *sui*, 375 et seqq. (*Vid.* PRONOMINA.)

Passivum olim pro activo usurpatum, 114; — an habeat participium præsentis, 120, 358, 359. — Interdum loco nominativi habet membrum orationis, 223. — Post se admittit præpositionem *a* vel *ab*, aliquando *per*, aliquando etiam dativum, 322. — Passivis quomodo activa mutentur, ibid.; — impersonalia, 323, 324.

Patrium nomen, 106; — in *as* cujus generis, 143.

Patronymica nomina fiunt a nomine parentum, majorum, regum, etc., 544, 545. — Similia fiunt a regionibus, montibus, fluviis, etc., 546. — Masculina quomodo formentur, 547 *ad* 551. — Exeunt in *ades*, *iades*, *ides*: ibid.; — feminina quæ exeunt in *as*, *is*, *ine*, *ione*, quomodo formentur, 552, 553.

Pentametrum carmen, 522.

Per præpositio post verba passiva, 322. — Melius in quæstione *qua* aliquando ablativo suppletur, 335.

Peregrina nomina quamnam habeant quantitatem, 489, 490, 491.

Periphrastica conjugatio, 371.

Permissivus modus. (*Vid.* CONCESSIVUS.)

Persona sermonis, constructionis, quid, 99; — infinita, 110. — Persona impersonalium quomodo possit definiri, 113. — Personæ verborum, 130, 136. — Prima et secunda quandonam explicentur, 222. — Si diversæ personæ, quomodo construitur verbum, 225. — An spectandæ in relativis, 230.

Pes, quid sit, 514. — Pedes duarum syllabarum, 515; — trium, 516; — quatuor, 517, 518, 519; — quinque, 520.

Petendi et *percontandi* verba aliquando duos accusativos admittunt, 313; — aliquando ablativum cum præpositione, 317.

Phaleucium carmen, 529.

Phocas, grammaticus, 208.

Piget, *pœnitet*, *tædet*, etc., quam constructionem habeant, quam naturam, 302.

Plinii propria, 249, 329.

Poetæ et historici aliter loquuntur atque oratores, 247.

Porcius Latro, vir eloquens, 79, 345.

Positio idem valet atque nominativus; 132. — Prima verbi persona, 134; — terminatio, 150; — aliquando positivum in adjectivis, 256. — Quid sit, quod ad dimensionem syllabarum attinet, 442.

Positivum nomen, 109. — Positivis adduntur *per*, *perquam*, *sane*, *valde*, etc., 404; — item *tam*, *quam*, 406; — item adverbia in *um*, 407.

Possessionem significant possessiva *meus*, *tuus*... et genitivi *mis*, *tis*, *sis*, *nostrum*, *vestrum*, 375 et seqq. — (*Vid.* PRONOMEN.)

Possessivum nomen, 106; — pronomen, 110. — Post se admittunt possessiva genitivum, tum substantivi, tum adjectivi, tum participii, 374. — Genitivum participii fere mutant oratores in verbum cum relativo *qui*, *quæ*, *quod*, ibid. — Possessiva in locum venerunt genitivorum *mis*, *tis*, *sis*, 375. — Concordant cum substantivis, quando possessio vel actio significatur, 379; — si passio, sæpe adhibentur genitivi *mei*, *tui*, etc., 381. — Eadem significatione aliquando et possessiva adhibentur, ibid.

Potentialis modus, 22, 48 *ad* 54. — Significat dubitationem, comprobationem, possibilitatem, debitum, 48. — Ad conjunctivum aliquando spectat, 51. — Plus quam perfectum indicativi aliquando ponitur pro plus quam perfecto potentialis, 52.

Prænomen, 105.

Præpositiones, 124; — quos casus, quem locum habeant, ibid.; — separatæ aut conjunctæ, sive casuales et loquelares, ibid.; — sæpe mutantur in verborum compositione, 201. — Adjectiva composita ex præposit. *con*, quem casum habeant, 258. — Verba composita ex verbis neutris et præpositione dativum habent, 283. — Aliquando repetuntur post verba in quorum compositionem veniunt, 286, 320, 384. — In quæstionibus loci, nominibus etiam propriis urbium adduntur, 333. — Majoribus locis interdum detrahuntur,

334. — Earum ope omnia verba in casus transire possunt, sive repetitur præpositio, sive non, 384. — Quænam accusativo jungantur, 385; — ablativo, 386. — Casui postpositæ 385, 387. — Quædam pro varia significatione varios casus habent, 389. — Præpositiones versæ in adverbium, 390; — aliis præpositionibus præpositæ, 391; — pronuntiandæ uno tenore cum suis casibus, 391, 565, 568. — Quænam in compositione breves, 456; — longæ, 457.

Pro modo brevis, modo longa, 458.

Præteritum plus quam perfectum indicativi pro potentiali, 52. — Quomodo *amatus sum* et similia significent præteritum, 69. — Præteritum propinquius *amatus sum*, et ulterius *amatus fui*, quid differant, ibid. — De præteritis et supinis, 200 et seqq. — Ubi geminatur prima syllaba, 202. — Verba quæ carent præteritis, et supinis carent, ibid. — Præteritum in verbis inchoativis et meditativis, 203; — primæ conjugationis, 204 *ad* 207; — secundæ, 208 *ad* 210; — tertiæ, 211 *ad* 217; — quartæ, 218; — deponentium et communium, 219. — Præteritorum dissyllaborum quantitas, 449; — geminantium primam syllabam, 450.

Præverbia, idem quod præpositiones, 124.

Pretium ablativo exprimitur, 342. — Certa tamen adjectiva genitivo efferuntur, sine substantivo, 343.

Priscianus quo tempore vixerit, 16, 32; — cujus sit auctoritatis, 359.

Proæretica verba post se amant infinitum, 350.

Probus, 12, 32, 479.

Prolepsis, cum dictio aliqua totum significans præcessit, quæ rursus in partibus intelligitur neque explicatur, 425.

Pronomina a Varrone distributa, 12; — primitiva, 13, 110. — Genus an habeant, 13, 133; — derivata, 14, 110; — relativa, 15; — interrogativa sive infinita, 16; — composita, 17; — demonstrativa, 110; — possessiva, ibid.; — gentilia sive patria, ibid.; — reciproca, ibid. — Subjunctivum pronomen, ibid. — Pronominum constructio transitiva, 372. — Possessiva loco genitivorum *mis*, *tis*, *sis* usurpata, 375; — *nostrum*, *vestrum* ex *nostrorum*, *vestrorum*, ibid. — Discrimen inter genitivos *nostri*, *vestri* et *nostrum*, *vestrum*, ibid. et 377; — inter genitivos *mei*, *tui*, etc., et possessiva, quod ad significationem, 381. — Genitivi *mei*, *tui*... ponuntur post verba et adjectiva, 376; — item ad designandam partem aliquam generalem corporis aut animi, 380. — Cum iis copulari possunt participia, 376. — Ablativi *mea*, *tua*... junguntur verbis *interest*, *refert*, iisque adjungi possunt certi genitivi, 377. — Genitivi *nostrum*, *vestrum* ponuntur post numeralia, partitiva, comparativa et superlativa, 378. — His Cicero sæpe addit *omnium*, ibid.; — primitiva pro derivatis aliquando ponuntur, 379.

Pronuntiationis cura commendatur, 1. — Varia vitia, 1, 428. (*Vid.* ACCENTUS.)

Prosodia. (*Vid.* ACCENTUS.)

Propria nomina, 104, 105. — In tertia declin. quem habeant in singulari ablativum, 191. — Si ex substantivis continuatis unum sit proprium hominis, cum eo consentiunt omnia, 237.

Prothesis, syllaba principio dictionis addita, 555.

Πρωτότυπον quid Græcis, 109.

Provocabulum, 12, 110.

Q

Quæstiones finitæ, infinitæ apud rhetores, 104; — loci, 329 *ad* 335; — temporis, 337.

Quantitas syllabarum olim vulgo ipsi nota, 437; — sono signabatur, 442; — temporibus dimetienda, 438. — Undenam cognosci possit, 480; — non facile ex Plautinis versibus, 273, 491. — Mutatur interdum necessitate metrica, 512; — aut licentia poetica, 513.

R

R litera finita pleraque corripiuntur, 495. — Quædam sunt longa, 496.

Reciprocum pronomen, 110. — *Sui*, *sibi*, *se* adhibentur cum tertia persona transit in se ipsam, etiam accedente vel obliquo vel alio verbo, 382. — Origo vocis *reciprocum*, ibid. — Aliquando pro reciprocis adhibentur demonstrativa, ibid. — *Suus*, *sua*, *suum* adhibentur, cum tertia persona transit in rem a se possessam, aut vice versa, etiam quando accedit obliquus tertiæ personæ aut alterum verbum, 383. — Quid, si intercedit conjunctio *et*, ibid.; — si oratio fuerit ambigua, ibid. — Invenitur aliquando *suus* pro *ejus*, *illius*, ibid.

Rectus casus in nominibus, 132; — in verbis, 134.

Redditiva tantus, *talis*, *tot*, etc., quæ relativis, interrogativis, etc., redduntur, 106, 399.

Reduplicatio præteriti per *e*, more Græcorum, 202.

Relativum sive substantiæ sive accidentis, 106, 233. — Relativorum substantiæ constructio, 230 et seqq. — Quando præponitur antecedenti, 231, 423. — Quando inter duo substantiva, 232. — Relativorum accidentis constructio, 233. — Aliquando genere et numero differt ab antecedente, 234, 235. — Aliquando desideratur, 421. — Syllepsis relativi varia, 423.

Rimus, *ritis* syllabæ verborum, quam habeant quantitatem, 46, 476, 479.

Rudimenta, 8, 100 et seqq.

S

S litera olim elidebatur, simulque vocalis eam præcedens, 536. — Terminata in *ps*, cujus generis, 169.

Sallustius est antiquarius, 202.

Sapphicum carmen et adonium, 530.

Scazon seu *choliambus* versus, 525.
Seneca cujus sit auctoritatis, 248.
Sergius, grammaticus, 9.
Sermonis persona, quid, 99.
Sidonius non est classicus, 482.
Solinus cujus sit auctoritatis, 205, 229, 289, 298.
Solœcismus, quid sit et quot modis fiat, 417, 418, 434. — Quomodo differat a barbarismo, 430; — a solœcophane, 431.
Spatium loci accusativo sæpius quam ablativo exprimitur, 338; — item *temporis*, 337.
Species nominum duæ, primitiva et derivativa, 130; — item verborum, 137. — Species temporis ablativo exprimitur, 337.
Sub, in compositione, quid significet, 177. — Ejus constructio sive cum ablativo, sive cum accusativo, 389.
Substantivum, 104. — Quid conjuncta substantiva, et quomodo sibi adjectivum copulent, 227, 228, 229. — Quid substantiva continuata, et qua lege construantur, 236. — Quandonam quæve potissimum substantiva habeant post se genitivum, 244; — quandonam genitivum aut ablativum, 246. — Aliquando admittunt constructionem partitivorum, 249.
Substantivi verbi constructio intransitiva, 238, 239; — transitiva, 272 et seqq. (*Vid.* SUM.)
Sum cum genitivo, 272; — cum pronominibus *meum*, *tuum*, etc., 274; — cum dativo uno aut cum duobus, 278. Ejus beneficio multa adjectiva dativum admittunt, ibid. — Composita ex eo dativum habent aut alios casus cum præpositione, 280. — *Sum* cum ablativo vel genitivo laudis aut vituperationis, 288; — pro *æstimor*, 306. — *Futurum* cum ablativo vel dativo, 328.
Super cum ablativo aut accusativo, 389.
Superlativum nomen, 109; — aliquando Plautus a substantivis fingit, ibid. — Superlativorum constructio, 250 et seqq. — Admittunt genitivum pluralem, 250; — etiam singularem, 251; — ablativum cum præposit. *e*, *ex*, *de*, 254; — accusativum cum *inter*, *ante*, 255; — insuper casum positionis suæ, 256; — et genitivum partitionis, ibid. — Quandonam potissimum adhibendæ præpositiones post superl., 255; — adjungit sibi genitivum *omnium*, 250. — Ab utro nomine genus petant, sequentine an præcedenti, 252, 253. — Quænam ipsis cognatio cum partitivis, 256. — Adverbium *quam* ipsis adjungitur, 405; — sed tunc casum post se vix admittunt, 406. — Aliis particulis adjuvantur, v. g. *multo*, *longe*, *quisque*, *omnis*, 408.
Supina. Quæ verba iis careant, 118, 202, 203. — Eadem verba aliis deficiunt, ibid. (*Vid.* PRÆTERITUM.) — Supina verba quænam, 271. — Vocis *supinum* etymon, 352. — Constructio supinorum in *um*, 364; — in *u*, 365. — In his, *Velo datum*, et similibus, estne participium an supinum, 421. — Quantitas supinorum dissyllaborum, 451; — polysyllaborum in *itum*, *utum*, 452, 453.
Suppositum orationis ad se verbum trahit, 239.
Syllaba, 437; — aliæ breves, aliæ longæ, aliæ communes, 438. — De communi syllaba, 507; — talis est ultima versus, 511. — Una ex duabus facta, 532. — Una in duas divisa, 537.
Syllepsis, cum id quod in oratione deest e proximo assumitur, mutato aliquo accidente; unde syllepsis *per genera*, *per casus*, etc., 423. — Pro syllepsi juniores dixerunt *synthesin;* veteres aliquando *enallagen* aut *eclipsin*, 424.
Synalœphe, sive elisio vocalis aut diphthongi, 533. — Aliquando omittitur, aliquando fit in diversis carminibus, 534.
Syncope. (*Vid.* IMMINUTIONES.) — Figura dimensionis, quando litera vel syllaba e medio dictionis subtrahitur, 559.
Syntaxis, tum transitiva, tum intransitiva; justa vel figurata, 220; — intransitiva, 221 *ad* 243. — Sensum aliquando potius quam voces ipsas spectat, 234, 235. — Transitiva, 244 et seqq.
Synthesis, figura veteribus inaudita, 235.
Synecdoche ubi accusativum partis ponunt, 270. — Sumitur aliquando pro syllepsi, 424; — pro hellenismo, 427.
Systole est syllabæ natura longæ correptio, 538; — contrarium *diastole*, 539.

T

T litera finita, cujus generis, 155; — brevia, 489.
Tempora verborum, 26; — quomodo conjungenda, 47, 54. — Eorum in infinito significatio, 63. — Eorum nomina apud veteres, 135. — *Ulteriora*, quid, 69.
Tempus accusativo aut ablativo effertur, cum interrogatio fit per *quandiu*, 337; — cum per *quando*, ablativo, qui casus interdum significat *intra*, ibid.
Tempus, quod spectat ad syllabarum dimensionem, 438.
Terentius magnæ est auctoritatis, 333.
Terminationes nominum genus indicant, 150 et seqq.
Timendi verba duos casus admittunt, 286; — quasnam conjunctiones, 413.
Trochæum vocat Cicero, quem alii *tribrachym*, 520.

U

U litera finita, cujus sint generis, 154; — *ur*, 160; — *us*, 164 *ad* 168; — *ubus* in dativo plurali quartæ declin., 194.
U litera sive vocalis sive consonans, 437; — incrementum tertiæ declin., 471; — in fine dictionum, 488. — *U* in terminatione *urio* verborum meditativorum, 203. — *Us* in fine breve, 505; — longum in monosyllabis, in iis quæ crescunt penultima longa, etc., 506.
Um quandonam terminet nomina fluviorum, 144. — Hac syllaba terminata neutra sunt, exceptis nominibus virorum et feminarum, 147.
Undi, *undo*, *undum*, terminationes gerundiorum, 91.
Ut post *jubeo*, *impero*, 310; — post *oro*, *exoro*, etc., 318.

V

Varro, quis aut qualis, 3, 12, 32, 103, 194, 323.

Verbum substantivum, 19, 79, 80. — Activa et passiva verba conjugantur, 28 *ad* 78; — anomala, 8 *ad* 93; — defectiva, 93 *ad* 98; — impersonalia, 98, 99. — Verbum personale, casuale, etc., 103; — exceptæ actionis, 110. — Verbum definitur, 111. — Quid personale, impersonale; activum, passivum, neutrum, commune, deponens, ibid. et 271; — inchoativum, perfectum, meditativum, frequentativum, diminutivum, 112; — declinationis finitæ, infinitæ, 113. — Verba perfecta, infecta, 26, 113. — Constructio verbi intransitiva, 221 *ad* 225. — Verbum aliquando diverso numero atque vox quæ est pro nominativo, 234, 235, 424. — Vocativum quid, et quomodo construatur, 238, 239. — Constructio verbi transitiva, 271 et seqq. — Genera et significationes verborum, 271. — Verbum ratione constructionis dividitur in intransitivum et transitivum, ibid. — Syntaxis verborum vix locis communibus definiri potest, 283. — Sunt verba quæ varios casus pro varia significatione admittunt; alia, eadem manente significatione, varios tamen casus habent, 285. — Verba quæ post se amant infinitum, 350.

Verbalia nomina, 363.

Versus, quid, 521. — Varia versuum genera, 521 *ad* 531.

Verrius Flaccus, 10, 191.

Veteres quinam sint Diomedi et aliis grammaticis, 86.

Vocabulum quid sit, quidve differat a nomine, 12, 104, 110.

Vocalis ante vocalem in eadem dictione brevis est, 439; — in vocibus græcæ originis modo longa, modo brevis, 440. — Longæ sunt vocales aut natura aut positione, 442.

Vocativa verba, 238, 239.

Voces copulatæ, quid, 224. — Quomodo cum iis consentiat verbum, ibid.

Voluntaria declinatio, 180.

Vox activa et passiva, 99.

Z

Zeugma, cum id quod in oratione desideratur, e proximo assumitur, manentibus attributis, 422. — Dividitur in protozeugma, mesozeugma et hypozeugma.

INDEX VERBORUM NOTABILIUM

A

A, ab, abs, 124, 201, 263, 286, 317, 319, 321, 325, 326, 327, 333, 355, 356, 384, 386, 388, 456, 457.
Abaddir, 160.
Abalieno, 319.
Abantiades, 551.
Abax, 465.
Abdico, 316.
Abdita montium, 245.
Abduco, 319, 384.
Abel, 567.
Abeo, iturum esse, 90, 289.
Abhinc, 397.
Abies, etis, ietibus, abjete, 499, 539.
Abigail, 491, 567.
Abimelech, 490, 567.
Abisai, 567.
Abjicio, eci; abicio, 448, 538.
Abligurio, 203.
Abluo, 446.
Aboleo, evi, itum, *et* esco, 210.
Abominor, 115, 121, 294, 326.
Abrado, 319.
Abraham, æ, um *et* us, 184.
Abripio, 319.
Abscidi, 449.
Abscondo, condi, ditum, 206.
Absens, 81, 121.
Absente nobis, 426.
Absinthites, 162.
Absolvo, 295, 297, 299.
Absonus, 258.
Absorbeo, ui, ere, 208.
Absque, 124, 386.
Abstergeo, si, sum, 209.
Absterreo, 319.
Abstineo, 316, 319, 427.
Abstraho, 319.
Absum, 80, 81, 121, 280, 284, 286.
Abunde, 393, 419.
Abundo, 289.
Abusque, 391.
Abusus, 115.
Abutor, 115, 291.
Abydon *et* Abydos, 145, 186.
Abyssus, 166.
Ac, 127.
Accedo tibi, 279, 284, 397.
Accedit, 282.
Acceptus, 367.
Accerso *et* io, 116, 216, 295.
Accidens, 171.
Accidit, 281, 284.
Accingor, 315.
Accio, 209.
Accipio, 201, 319.
Acclamo, 283, 284.
Accommodatus, 259.
Accresco, 283, 284.
Accubatio, itio, 204.
Accubo, accumbo, ui, itum, 204, 283, 284.
Accuso, 295 *et seq.*
Acer, cris, *acc. pl.* es *et* is, 10, 193.
Acer, eris, 146, 187, 188.
Achab, 489.
Achilleis, eidos, 552.
Achilles, *voc.* e, 182, 186, 190, 485, 532.
Achilleus, a, um, 186, 440.
Achillides, 550, 552.
Acinaces, is, 163, 485.
Acquiesco, 284.
Acragas, 173.
Acrisios, one, oniades, 553.
Acriter, 125.
Actito, 116.
Actorides, 551.
Acus, eris, i, us, 165, 194.
Ad, 124, 201, 259, 275, 279, 283, 286, 311, 333, 355, 384, 385, 446, 456.
Adam, æ, Adamus, 184.
Adamas, 161.
Addico, 311, 342.
Addo, 311.
Adduce, 89.
Adedo, edi, esum, 213.
Adeibam, 91.
Ademo, 311.
Adeo, 90, 384.
Adeo, 400, 487, 532.
Adeps, 174.
Adequito, 284.
Ades, 500.
Adfremo, 286.
Adhæreo, 284, 286.
Adhæresco, 284, 286.
Adhibeo fidem, 311.
Adhortor, 115.
Adimo, 215, 311.
Adipiscor, adeptus sum, 115, 121, 219, 294, 326, 360.
Adjaceo, 283.
Adjicio, adicio, 311, 448.
Adjudico, 311.
Adjungo, 311.
Adjutatur, 426.
Adjuvo, utum, 205.
Admetior, 294, 311.
Adminiculor, 115.
Admiror, 115, 121, 294, 300.
Admisceo, 311.
Admittier, 557.
Admodum, 404.
Admoneo, 301, 313, 314.
Admoveo, 311.
Adnascor, 283, 284.
Adnato, 284.
Adnitor, ixus, isus sum, 86, 219, 446.
Adno, 284.
Adoleo, evi, adultum; esco, 210.
Adolescens, 141.
Ador, 160, 469.
Adorior, 115, 294.
Adrastine, 553.
Adria, 151.
Adsis, 502.
Adspiro, 201.
Adstipulor, 279, 284.
Adsto, 201.
Adsum, 80, 280, 284.
Adulor, 115, 279, 284, 285.
Advena, 141, 142.
Adversariûm, 196.
Adversor, 280.
Adversum *et* adversus, 124, 385.
Advigilo, 286.
Æacides, 544, 549, 553.
Ædepol, 125.
Ædifico, 271.
Ædilis, *abl.* i, 139, 191.
Aëdon, 156.
Æetes, *voc.* a, 485.
Æetias, ades, is, 552.
Ægina, *acc.* an, 182, 494.
Ægyptus, 145.
Æmulor, 294.
Ænea, 182, 482, 483.
Æneadæ, ûm, 196, 545.
Æneades, ides, 547, 552.
Æneas, æ, an, 182, 493, 497.
Æneis, idos, 145, 552.
Æolides, 540, 552.
Æolis, 544.
Æqualis, 258.
Æqui bonique, 307.

Æquo, 268.
Æquor, 160.
Aer, 189, 440, 466, 496.
Ærei, 532.
Æripedem, 532.
Æsonides, 551.
Æstimo, 303, 304, 305, 342.
Æstuo, 122.
Ætas, 251.
Ætatis (hoc), 372.
Æther, 189, 466, 496.
Æthiops, 470.
Ætna, 173.
Affatim, 393.
Affector, 115.
Affero, attuli, allatum, afferre, 210.
Afficio, 201, 316.
Affinis, 141, 191.
Affirmo, 348, 350.
Affluo, 289.
Affulgeo, 284.
Agamemno *et* on, 468.
Age, agedum, 125.
Agenorides, 551.
Ager, 444.
Aggredior, 115, 121, 201, 294, 326, 350.
Agillimus, 109.
Agite, 125.
Agito, 116.
Agnitum, 452.
Agnosco, ovi, agnitum, 201, 212, 320.
Ago, egi, actum, *et compos.*, 200, 214, 296, 310.
Agon, 156, 468.
Agrestûm, 196.
Agricola, 141.
Ah! Ah ah! 126, 490, 533.
Ain' *pro* aisne? 84.
Aio, 96, 97, 202, 240, 503, 532.
Ajax, 145, 442.
Alabaster *et* alabastrum, 166.
Albula, 172.
Alcæus, 186.
Alcides, *voc.* e, 485, 550.
Alcyon, 156.
Alcyonis, idis; es, 163.
Alec *et* alex *vel* halec, ecis, 154, 170.
Alecto, us, *acc.* o, 187, 189, 487.
Ales, 143, 176.
Aletrinas, atis, 14.
Alexandrea, dria, 440.
Algeo, si, gere, 118, 209.
Alia, ius *et* æ, 182.
Alibi, alicubi, 399.
Alicui, 532.
Alicunde, 399.
Alienigenæ, 142.
Alienus, 261, 263.
Alio, aliorsum, 399.
Alipes, 500.
Aliqua, aliquo, 399.
Aliquanto, aliquantum, 407, 408.
Aliquantulum, 275.
Aliquid, 275, 318.
Aliquis, 17, 106, 199, 235, 240, 425.
Aliter, 125, 408.
Aliter atque, 127.
Alituum, 429.
Aliunde, 399.
Alius, 9, 186, 197, 233, 235, 249.
Allabor, 286.
Allaboro, 284
Allatro, 285.
Alleluia, 483.
Allia, 172.
Allicio, exi, ectum, 200, 211.
Allido, 200.
Alligo, 295, 299, 316.
Alloquor, 294.
Almus, 109.
Alo, alui, altum *vel* alitum, 215.
Aloe, 152.
Alpes, 193.
Alter, 9, 233, 235, 249, 439.
Altera, ius *et* æ, 182.
Alteruter, 9, 179, 181, 249.
Altus, 260.
Alveare, ia; alvēō, 532.
Alvus, 165, 176.
Am (*in composit.*), 124, 201.
Amabilis, 258.
Amaltea, 483.
Amaminor, antor, ator, 70.
Amans, tior, tissimus, 142, 369, 370.
Amaryllis, idis, *acc.* a, *voc.* i, 189, 190.
Amassem, asti, 29.
Amasso, ssere, 46, 64, 92, 345.
Amathus, untis, 187, 506.
Amatior, issimus, 370.
Amatum ire, amatum iri, 346.
Amatur, 324.
Amazónes, 468.
Ambabus, 182.
Ambages, 124, 201.
Ambedo, edi, esum, 213.
Ambesus, 124, 201.
Ambigo, 118, 201, 202.
Ambiguus, 248.
Ambio, 201.
Ambitus (*part. et subst.*), 124, 455.
Ambo, 9, 11, 179.
Ambrosi, 568.
Ambulacrum, 454.
Ambulo, 271.
Amburo, ustus, 124, 201.
Amen, 567.
Ames, 162.
Amicio, xi, ctum, 218, 315.
Amicus, *nom. pl.* ei, 186, 278.
Amilcar, Amilcarem, 465, 568.
Aminadab, 489.
Ámisti, 29.
Amitto, 201.
Amnis, *abl.* e *vel* i, 124, 163, 191.
Amo, avi, 28 *ad* 68, 350.
Amor (*passiv.*), 68 *ad* 72.
Amor (*subst.*), 381.
Amoveo, 319.
Ἀμφί, 124.
Amphiaraides, 549.
Amphitryonades, 551.
Amplector, 115, 271, 326.
Amplius, 398.
Amplus, 355.
Amyntiades, 547.
An, 44, 410, 493.
Ἀν (*partic. græca*), 48 *et seqq.*
Anas, 178, 465.
Anceps, ipitis; *gen. pl.* itium *et* itûm, 124, 187, 188, 192.
Anchises, æ, *acc.* en, *voc.* a, 182, 483, 493, 494.
Anchisiades, 484, 548.
Ancillor, 280, 284.
Ancipes, 188.
Ancisus, 124.
Andreas, 410, 569.
Androgeos, ei, eo, 185, 186, 487.
Anfractus, 124.
Angiportus, i *et* us, ûs, 181.
Ango, xi, gere, 118, 214.
Anguimanus, i, 181.
Anguis, *abl.* e *et* i, 163, 169, 178, 191.
Anhelo, us, 200, 291, 456.
Anien, io, 187, 188.
Animabus, 183.
Animal, *abl.* i, *gen. pl.* ium, 147, 191.
Animans, 176.
Annalis, *abl.* i, 191.
Annibal, 465.
Annibālem, 568.
Annitor, ixus *et* isus sum, 86, 219.
Annuo, ui, ere, *et compos.*, 118, 211.
Anquiro, 124, 201.
Anthæus, 185, 186.
Ante (*ex*), 391,
Ante (*præpos.*), 124, 255, 355, 385, 390, 399, 408, 456.
Antea, antehac, 481, 482, 532.
Anteambulo, 532.
Antecedo, 284, 285.
Antecello, ui, ere, 118, 215, 284, 285, 408.
Antēīt, 532.
Anteeo, 284, 285.
Antefero, 308.
Antepono, 308, 408.
Antequam, 401.
Antesto, 284, 285.
Antevenio, anteverto, 285.
Anthrax, 465.
Antiochia, 440.
Antistes, 141.
Antonius, *voc.* i, 185.
Anxius, 248.
Anxur, i *vel* e *in ablativo*, 174, 331.
Apage, apagesis, 126.
Aperio, ui, ertum, 201, 218, 308.
Apertus sit *vel* esto, apertum, 37.
Apes *et* apis, *gen. pl.* ium *et* um, 181, 196.
Apiscor, 219.
Aplustre, 193.
Apollo, os, inis, onis, 186.
Appareo, 284.
Apparet, 223.
Appello, 226, 297, 298.
Appellor, 238.
Appetens, 369.
Applaudo, 284.
Applico, ui, avi; atum, itum, 205, 311, 384.

Appono, 201, 311.
Appositus, 259.
Apprime, 404.
Appropinquo, 284, 286.
Aptus, 259, 355, 360.
Apud, 124, 384, 385.
Apus, odis, 168.
Aquaï, 537.
Aqualis, 163, 189.
Aquila, 140, 177.
Ἄρα, 49 *et seqq.*
Arabia, 512.
Arabs, 465.
Aratrum, 454.
Aratur, 324.
Arbitror, 115, 121.
Arbor, oris, arbos, 146, 160, 164, 469.
Arcades, 500.
Arcas, adis, 188, 497.
Arceo *et compos.*, 122, 200, 208, 319.
Arcesso, 116, 295.
Archetypus, 459.
Architector, 294.
Arctophylax, 465.
Arctos, 166, 186, 504.
Arcus, us, *abl.* ubus, 164, 194.
Ardeo, si, sum, 209, 340.
Arduus, nissimus, 109.
Areopagus, 568.
Argonauta, 461.
Argos, *gen.* i, 145, 164, 197, 504.
Arguo, 295 *et seqq.*
Argutus, 366.
Aries, 139, 499, 500, 539.
Arietat, 539.
Arista, 454.
Aristides, is, 182.
Arithmetice, es, 182.
Armûm, 196.
Aromatites, 162.
Ἅρπαξ, αγος, 153.
Arpinas, Arpinatis, 14, 133, 143.
Arrideo, 279, 284.
Arrodo, 201.
Ars, *gen. plur.* ium, 192, 353.
Artifex, *abl.* i, e, 191.
Artus, us, *abl. pl.* ubus, 194.
As, assis, 161, 192.
Ascendo, 201.
Asdrubälem, 568.
Asinabus, 183.
Asis, idis, 546.
Asopiades, 549.
Asper, 186.
Aspergo, 321.
Aspernor, 115, 294, 326.
Aspicio, 200, 211.
Aspiro, 201, 384.
Asporto, 201.
Assensio, assentior, 114, 279, 284, 286.
Assentor, 279, 284.
Assequor, 294.
Assero (affirmo), ui, ertum, 216, 311.
Assero (semino), sevi, itum, 216.
Asservio, 284.
Assideo, 201, 283, 284.
Assiduus, ior, issimus, 109.
Assis, *gen. pl.* ium, 163, 169, 192, 305.
Assisto, 283, 284.
Assuesco, 283, 284.
Assurgo, 283, 284.
Ast, 127.
Asto, titi, itum, 201, 206.
Astringo, 295, 299, 316.
At, 127.
At at! 126.
Atax, 465.
Athamantiades, 551, 553.
Athos, on, o, 185, 186, 487.
Atla, 482, 483.
Atlantis, idis; ias, iades, 544, 552.
Atlas, antis, 497.
Atomus, 174, 456.
Atque, 127, 410.
Atrax, 465.
Atreides, 550.
Atreus, 568.
Atrida, es, 183, 483.
Atriplex, 170.
Attagen, 157.
Attendo, 86, 285.
Attigi, 455.
Atys, 189.
Auceps, cupis, 187.
Auctor, author, autor, 133, 141, 142, 432.
Aucupo, aucupor, 114, 294, 326, 426.
Audeo, ausus sum, dere, 210, 270, 350.
Audibis, 91.
Audin', 494.
Audio *et compos.*, 76, 106, 200, 319.
Audior, 77.
Auditior, issimus, 370.
Audito, 339.
Auditum velim, 421.
Audivi, ii, 29, 489.
Aufero, 201, 319, 321.
Augeo, auxi, auctum; *et* esco, 116, 209, 316.
Augur, 141.
Auguriûm, 196.
Auguror, 294, 350.
Aulai, 182, 442, 463, 537.
Aureïs, 532, 539.
Aureus, 109.
Auriga, 141.
Aurum, 197.
Ausculto, 280, 284, 285.
Ausim, 97.
Ausonidum, 196.
Ausonis, idis, 546.
Auspicor, 294, 426.
Ausus, 366.
Aut, 127, 410.
Autem, 127.
Αὐτότατος, 109.
Auxilior, 115, 121, 279, 284.
Avarus, 248.
Ave, ete, 97.
Avello, avelli, ulsi, ulsum, 319.
Aveo, 202.
Averro, 216.
Aversor, 294.
Averto, 319, 384.
Avidus, 248.
Avis, *abl.* e, i, 140, 173, 191.
Avoco, 319.
Axim *pro* egerim, 46, 97.
Axis, 163, 443.
Axones, 468.

B

Baal, 491, 567.
Bacchar, 158, 465.
Bætis, *abl.* e *et* i, 191.
Balteus, i; *pl.* a, 197.
Barbiton *et* os, 156, 166.
Bardocucullus, 461.
Basilius, 440.
Battiades, 549.
Batuo, ui, ere, 118, 211.
Bebryx, 467.
Belides, Belis, 549, 552.
Belli, 329.
Bello (*verb.*), 286, 427.
Bene, 343, 419, 484.
Benecupio, benedico, benefacio, benevolo, 279, 284, 285.
Beneficissimus, 109.
Bene sit tibi, 284.
Benevertit, 281, 284.
Benevolus, entior, entissimus, 109.
Benignefacio, 279, 284, 285.
Benignus, 247.
Bestia, 178.
Bibendus, 120.
Bibliopola, 139.
Bibo, bibi, 212, 449.
Biceps, ipitis, ipes, 187, 188, 462.
Bicolor, bicorpor, 143, 469.
Bidens, 169, 171.
Biduo, biduum, 337, 460.
Bigæ, 460.
Bijugus, 448.
Bimestris, *abl.* e *et* i, 191.
Bini, æ, a, 106, 108.
Bibitur, 324.
Bipennis, *abl.* i, 171, 189, 191.
Bipes, 500.
Biremis, 171.
Bis, 125.
Blandior, 115, 279, 284, 326.
Bobus, 193, 462.
Bombyx, 170, 467.

Boni, 307.
Bonus, a, um, 8, 109.
Bootes, 162.
Bos, ŏvis, 141, 193, 469.
Bravium, 440.
Brevis, ior, ius, 10, 191.
Brito, onis, 468.
Bubo, 173, 175.
Bubus, 193.
Buris, *acc.* im, 189.
Busiris, idos, 188.
Buxum, 147.
Byrrhia, 182.
Byser, 466.

C

Cacoethes, 162.
Cadit, 281, 284.
Cado, cecidi, casum, *et compos.*, 200, 213, 292.
Cadûm, 196.
Cædo, cecidi, cæsum, *et compos.*, 200, 213.
Cædûm, 196.
Cære, 145, 172, 191.
Cætera, um, 233, 270.
Cai, 439,
Caïn, 567.
Calcar, *abl.* i, 191.
Calceo, 315.
Calcha, *gen.* æ, 188, 482.
Calchas, antis, 187, 188, 189, 190, 497.
Calefac *et* face, 89.
Calefacio, fio, 88, 200, 271.
Caleo, ui, itum; *et* esco, 116, 208.
Caletur, 99.
Calix, yx, 170, 467.
Callidus, 247.
Calliope, eia, 442, 484, 485, 493, 494.
Callis, 163.
Callisto, us, 187.
Calumnior, 115, 121, 294.
Calx, 175.
Calypso, *gen.* us, onis, *acc.* o, 187, 188, 189.
Cambio, psi *vel* bsi, 218.
Canalis, *abl.* i, 163, 191.
Cancer, 159, 178.
Candax, ace, 465.
Cani, orum, 197.
Canis, 141.
Cannabis, *abl.* e *et* i, 191.
Cano, cecini, cantum, *et compos.*, 200, 215.
Capax, 248.
Capenas, atis, 14, 133, 143.
Capesso, sivi, situm, 116, 216.
Capio *et compos.*, 200, 211.
Cappadox, 470.
Capricornus, i, 181.
Capsis, 84.
Captivus, *nom. pl.* ei, 185.
Captus, 261.
Caput (*Composita ex*), 462
Capys, yis, 187, 189, 503.
Carbasus, *nom. pl.* a, 165, 197.
Cardo, 153.
Care (o), ius, issime, 125, 342, 343.
Carco, ui, itum, 208, 289, 324, 426.
Cares, 465.
Carex, 170.
Caritas, 381.
Caro, *gen.* ium, 153, 192, 342.
Carpo, psi, ptum, *et compos.*, 200, 215.
Carpophorus, 461.
Cassinas, atis, 14.
Cassis, 163.
Cassus, 261.
Castigo, 296.
Caulis, 163.
Causa, 353, 381.
Causidicus, 455, 460.
Cautus, 366.
Cave, 484.
Caveo, cavi, cautum; caveto, 210, 279, 284, 285.
Cecidi *a* cado *et* cædo, 450.
Cecidit, 281.
Cecini, 450.
Cecropidæ, 545.
Cecropis, idis, 552.
Cedit, 284.
Cedo (da *vel* dic), 97, 409, 487.
Cedo, cessi, cessum, 213, 280, 284, 285, 289, 334.
Cello, 215.
Celo, 313, 314.
Celox, 170, 470.
Celsus, 215.
Celtiber, Celtiberus, 464, 496.
Cenchris, is *vel* idis, 163.
Censeo, ui, censum, 208, 350.
Centies, 125, 421.
Centimanus, i, 181.
Centussis, 163.
Ceras, adis, 161.
Cercops, 470.
Ceres, 499.
Cerno, crevi, cernere, 118, 122, 215.
Certe, 125.
Certiorem facio, 247.
Certo, 286, 426, 427.
Certus, 247, 350.
Cespes, 162.
Cessatus, 120.
Cesso, 350.
Cete *a* Κήτεα, 152, 484, 485.
Chalybs, 169, 467.
Chaos, 164, 504.
Charybdis, 187, 189, 191.
Cherubim, 567.
Chlamys, 187, 190, 467.
Chœnyx, 467.
Chorea, choreus, 440, 520.
Chremes, is *et* etis; *voc.* ē, 182, 187, 190, 485.
Chytropus, 168.
Cicer *et* cicur, 131, 159.
Ciceromastix, 170.
Cieo, civi, citum, 209.
Cilix, 467.
Cimmerion, 493, 494.
Cingo, 315.
Cinis, 163.
Circa, circiter, circum, 124, 385, 390, 456, 568.
Circumago, 456.
Circumdatum, 455.
Circumdo, 206, 474.
Circumfluo, 289.
Circumsero, sevi, satum *et* situm, 216.
Circumspectus, 366.
Cis, 124, 385.
Citer, 109.
Cito, 487.
Citra, citerior, citimus, 109, 124, 385, 390.
Citum, 451.
Civis, 141, 191.
Civitatium, 196.
Clades, ium, um, 192, 196.
Clam, 124, 386.
Classis, 191.
Claudo *vel* cludo, si, sum, *et compos.*, 200, 213.
Clavis, 189.
Cleopatra, 510.
Cliens, 141.
Climax, 465.
Clio, us, 487, 506.
Cluo, 211.
Coaleo, ui, itum, 208.
Coarguo, 295.
Coccyx, 170, 467.
Cocles, 139, 141.
Cœlestis, 191.
Cœnaturio, 116, 203.
Cœnatus, 207, 366.
Coemo, 201, 342.
Coeo, 201.
Cœpi, 95, 116, 117, 211, 271, 350.
Cœpit, 350, 421.
Cœpturus, cœptus, 95, 211.
Coerceo, ui, itum, 208.
Cognatus, 278.
Cognitus, um, 367, 452.
Cognosco, 201, 212, 320.
Cogo, 201, 214, 350, 456.
Cohæreo, 201, 456.
Cohibeo, 319, 456.
Cohors, tis, 192.
Cohortor, 294,
Colax, 465.
Colchis, idis, 546.
Collibet, 284.
Collido, 455.

Colligo, 200, 201, 319.
Collis, ium, 163.
Colludo, 200, 286, 384.
Colo, 215.
Color *et compos.*, 143.
Columbus, a, 178.
Colus, 165.
Comedim, *pro* comedam, 97.
Comedo, 86, 87, 213, 456.
Comedo, onis, 139.
Comes, 141, 142.
Comesum, 86.
Cometa, 151.
Cominus, 399.
Comitium, 455.
Comitor, 115, 294, 326.
Commendatior, issimus, 109, 370.
Commendo, 200, 300, 308.
Commentor, 294.
Commereor, 294.
Commilito, 278.
Comminiscor, 219, 294.
Committo, 308.
Commodo *pro* prosum, 279, 284, 285, 308, 309.
Commoneo, efacio, 301, 313, 314.
Commorit, osset, 29, 52.
Communis, 257.
Commuto, 316.
Como, psi, ptum, 215.
Compar, 496.
Comparo, 384.
Comperio, 218.
Compertus, 367.
Compesco, 118, 212.
Competit, 282, 284.
Compingo, egi, actum, 214.
Complector, 115, 123, 326.
Compleo, evi, etum, 209, 316.
Complexus, 115.
Complico, 205.
Complus, uris, 193.
Compos, 247, 469, 503.
Con (*præpos.*), 124, 201, 283, 384.
Concedo, 242, 308.
Concessit, 124.
Concido *a* cado, 292.
— *a* cædo, 455.
Concino, 215.
Concio, 209.
Concitus, 451.
Concluditur, 223.
Concolor, 258.
Concors, *gen.* dis, 258.
Concurro, 286.
Condemno, 295 *et seqq.*
Condiscipulus, 278.
Condo, 206.
Conducit, 282, 284.
Conduco, 319, 342.
Confero, 216, 384.
Confert, 282, 284.
Confido, 283, 284, 350.
Confinis, 258.
Confiteor, 114, 115, 294, 326.
Confluens, 171.
Congruenter, 396.
Congruo, ui, ere, 118, 211, 384.
Conjicio, 320.
Conjux, 141.
Conloquor, 201.
Connecto, 201.
Connitor, 219.
Conniveo, vi *et* xi, ere, 118, 210.
Connixus, 86.
Connubium, 455.
Conops, 470.
Conor, 294.
Conqueror, 294.
Conquinisco, quexi, 212.
Conrado, 201.
Conscius, 248, 258.
Consector, 115, 121, 294.
Consentaneus, 258.
Consentio, 279, 283, 284, 384.
Consequens, 171.
Consequor, 115, 121, 294.
Consero (pugno), ui, ertum, 216.
Consero (semino), evi, itum, 216.
Conservabus, 183.
Conservus, 278.
Consideratus, 366, 370.
Consolor, 114, 115, 294, 326.
Consonans, 171.
Consors, 192, 247.
Conspicio, 211.
Conspicor, 115, 294.
Constat, 282, 284.
Constaturus, 451.
Consto, 206, 289, 342.
Constrepo, 286.
Consuesco, 283, 284, 427.
Consul, 139.
Consulo, 215, 279, 285, 307, 318.
Consulto, 284.
Consultus, 369.
Contemplo, contemplor, 114, 294, 326, 426.
Contemptus, 367.
Contendo, 213, 286, 317, 427.
Contentus, 261, 366.
Conterminus, 258.
Contestor, 294.
Conticeo, 208.
Continens, *abl.* i, 171, 191.
Contineo, 319.
Contingit, 242, 281, 284.
Contra, 124, 385, 390, 482.
Contremisco, 292.
Controversia, or, us, 461.
Contudi, 450.
Contueor, 294.
Convalesco, 116.
Conveniens, 171.
Convenienter, 396.
Convenit, 282.
Converro, 216.
Convertor, 426.
Convestio, 315.
Convinco, 295, 296, 298.
Conviva, 141.
Copia, 353.
Coquo, coxi, coctum, 215.
Cŏr, 160, 495, 496.
Coram, 124, 386.
Corax, 465.
Corbis, 174.
Cordax, 465.
Cornipes, 171, 499.
Cornu, 199, 488.
Corpus, ŏris, *et compos.*, 143, 469.
Corripio, 201, 296.
Cortex, 175.
Corvus, 178.
Cos, 164, 192.
Costos *et* costus, 166.
Cotys, yis, 187, 189.
Coxendix, 467.
Cras, 125.
Crassus, 260.
Crater, eris, 193, 466, 496.
Crebro, 487.
Credo, 226, 308, 350.
Crenis, idis, 467.
Crepo, aturus, atio, 204, 215.
Crimen, 296, 297, 298.
Criminor, 296, 326.
Crystallus *et* um, 166.
Cubatio, atus, itus, 204.
Cubo, as, 204.
Cucumer *et* is, 159, 163, 189, 191.
Cudo (*nom.*), 153.
Cudo (*verb.*), 213.
Cui, 16, 486, 532, 533.
Cuicui, *gen.* cuicuimodi, 16.
Cuilibet, cuique, cuivis, 486, 532.
Cujas; us, a, um, 16, 106, 107, 233, 273.
Culpo, 296.
Cum (*conjunctio*), 21, 44.
Cum (*præpositio*), 124, 201, 224, 225, 227, 228, 340, 356, 384, 386.
Cumulo, 316.
Cunctus, 106.
Cuniculus, 178.
Cupido, 176.
Cupidus, 248, 353.
Cupio, 211, 350.
Cupressus, 146, 176.
Cur, 44, 125, 496.
Cura, 381.
Curiosus, 248.
Curritur, 111, 324.
Curro, 202, 215, 271.
Currûm, 196.
Cursari, 324.
Curso, 116.
Cutio *terminata*, 211.
Cyclops, 444, 470.
Cycnus, 447.
Cyprus, 145.
Cytherea, 440.

D

Da, 97.
Dama, 176.
Damnatior, 370.
Damno, or, *et compos.*, 200, 295 *et seq.*
Daniel, 491.
Daphnis, *voc.* ĭ, 189, 486.
Dardanis, ides, æ, 545, 552.
Dares, is, etis, 182.
Darius, 440.
Datum, 451.
David, 467, 489.
De (*præpositio*), 124, 254, 277, 286, 289, 297, 301, 314, 316, 319, 328, 355, 356, 384, 386, 421, 457.
Dea, 182, 183.
Debeo, 48, 350, 371.
Decapolis, 187.
Decedo, 124, 334.
December, bris, 191, 193.
Decens, 171.
Decerno, 215, 350.
Decet, 285, 294.
Decies, 421.
Declare, 308.
Decor, us, *et compos.*, 143, 469.
Decumbo, 204.
Decurro, 202.
Decursa sunt, 324.
Dedecet, 294.
Dedecor, 143, 469.
Dederunt, 475, 513.
Dedi, 449.
Dedo, 308.
Deduc, 89.
Deesse, 457, 532.
Defatiscor, defetiscor, 219.
Defendo, 213.
Defero, 295, 297.
Deficio, 284, 285.
Defit, deficri, 97.
Defrico, 204.
Degener, 191, 192.
Dego, 118, 200, 214.
Dehinc, 391, 532.
Dehisco, 457.
Dei, dii, dī, 185, 186, 532
Dein, deinceps, deinde, 125, 532, 568.
Deiopeia, 442.
Dejero, 200, 455.
Dejicio, 384.
Delargior, 115.
Delectat, 294.
Delector, 289, 340.
Delos, 185, 186.
Delphin, phis, 156, 163, 193, 467, 497.
Delucto, 426.
Demea, 182.
Demereor, 294.
Demetior, 294, 326.
Demetitus, 115.
Demiror, 294.
Demo, 215.
Demolior, 115, 121, 294.
Demonstro, 308.
Demoror, 294.
Denariīs, 532.
Dens *et compos.*, 169.
Deorsum, sursum, 391, 399, 532.
Depaciscor, depactus sum, 219.
Depeculor, 115, 294.
Depello, 384.
Depopulor, 115, 294, 326.
Deprecor, 294, 317.
Derepente, 391.
Desero, 216.
Deservio, 284.
Desiderium, 381.
Desidero, 350.
Desino, 350.
Desipio, 211.
Desitum, 455.
Despectus, 367.
Despero, 284, 285, 286.
Desubito, 391.
Desum, 80, 280, 284.
Deterior, rimus, 109.
Deterreo, 319.
Detestor, 115, 121, 294.
Detraho, 279, 284, 285, 286, 384.
Detrudo, 384.
Deturbo, 384.
Deunx, 170.
Deus (o), *voc.*, 185.
Devius, 248.
Dexo, Dexon, 188.
Dexter, erior, rimus, 109, 186.
Dextrorsum, 399.
Dī et dis, 124, 186, 201, 457.
Dialectice, cs, 182.
Diametros, 166.
Dic, dice, 89, 97, 490.
Dicendus, 226.
Dicerem (Hæc habui quæ), 37.
Dico, 212, 308.
Dicor, 238.
Dicturio, 203.
Dictus, 226.
Dies, 7, 141, 174, 195.
Differo, 216.
Difficilis, ior, illimus, 355.
Diffido, idi, 201, 284, 455.
Diffiteor, 294.
Diffluo, 289.
Diffundo, 201.
Dignor, 114, 115, 271, 294, 316, 326.
Dignus, 261, 350.
Dilargior, 115, 294.
Dilectus, 367.
Diligens, 191.
Diligo, 201, 214.
Diluo, is, ui, utum, 205, 211.
Dimetior, 115, 326.
Dimico, avi, atum, 205.
Dinacium, 147.
Diœcesis, 192.
Diphthongus, 166.
Diploma, 193.
Dirimo, 457.
Diruo, ui, utum, 211, 451.
Dis, itis, 143, 467.
Discalceo, 315.
Discingo, 315.
Disciplina, 353.
Disco, 118, 202, 212, 320, 350.
Discrepo, as, 204.
Discumbo, ui, itum, 201, 204.
Discutio, ussi, ussum, 211.
Disertus, 366, 457.
Disjicio, 201.
Dispar, 496.
Dispartior, 294.
Dispesco, 118, 212.
Displiceo, 279, 284.
Disraro, 201.
Dissentio, 284.
Dissero (*utraque significatione*), 216.
Dissideo, 201, 286.
Dissimilis, ior, illimus, 257.
Dissolvo, 537, 539.
Distraho, 342.
Divendo, 342.
Diversus, 263.
Dives, 143, 247, 261, 499.
Divido, 213.
Dixti, 29.
Do (*Composita ex*), 202, 206, 242, 308, 312, 332, 449, 474, 487.
Doceo, doceor, 72, 73, 208, 313, 314, 322.
Docillimus, 109.
Doctrina, 353.
Doctus, 247, 350, 369.
Doleo, 208, 209, 279.
Dolet, 282, 284.
Dolops, 470.
Dolor, 160.
Domatio, itio, 204.
Domi, 329.
Dominor, atus, 115, 286.
Dominus, 4.
Domitor, 204.
Domo (*abl.*), 333.
Domo, as, 122, 204.
Domus, 11, 165, 332, 333.
Donec, 490.
Dono, 321.
Do operam ut, 81, 83.
Dormitur, 99, 323, 325.
Dorothea, Dorotheus, 440.
Dos, 164, 192.
Dropax, 465.
Dryantiades, 551, 553.
Dubius, 248.
Duc, duce, 89, 490.
Duco, 212, 303, 305, 312.
Duim, *pro* dem *aut* dederim, 46, 97.
Dum, dummodo, 44, 487.
Dumus, 146.
Duo, 11, 106, 179, 374, 487.
Duplico, as, 205.
Durus, 269.
Dux, 141, 471.

E

E, ex (*præp.*), 124, 200, 201, 254, 289, 317, 320, 356, 384, 386, 457.
Eadem, *dissyllab.*, 483, 532.
Ebibi, 455.
Ebur, oris, 469.
Ecastor, 125.
Ecce, en, 125, 392.
Ecquis, ecquisnam, 17.
Edax, 248.
Edice *pro* edic, 89.
Ἐδίδαξα ἄν, 48.
Edim *pro* edam, 46, 97.
Edo, 78, 86, 213.
Edoceo, 313, 314.
Edomatio, 204.
Educo, 384.
Eduim, 97.
Effero, 216.
Efficiens, 369.
Efficio, 88, 89, 201.
Efflagito, 317.
Effulgere, o, 210, 538.
Effundo, 201.
Egentior, 370.
Egenus, 247.
Egeo, 208, 209, 289, 290, 324.
Egetur, 99, 324.
Ego, 13, 110, 133, 222, 487.
Egredior, 384.
Egregius, ior, issimus, 109, 186, 248.
Eho, 125.
Ei, eidem, 13.
Ei, 532.
Eia, 125, 482.
Ejicio, 201, 320, 384.
Elargitus, 326.
Elegans, 191.
Eleganter, 125.
Elegeia, 440.
Eleison, 566.
Elephas, antus, 161, 178.
Elias, 440, 497.
Elicio, 200, 211.
Eloquor, 294.
Emblema, 193.
Ementior, 115, 294, 326.
Emergo, 384.
Emetior, 294.
Emico, 205.
Emigro, 384.
Emineo, 118, 209, 384.
Eminus, 399.
Emitto, 384.
Emmanuel, 471.
Emo *et compos.*, 200, 215, 319, 342.
Empturio, 203.
Emungo, 316.
Eneco, 204.
Enim, 127.
Enitor, 219.
Ens (*particip.*), 23.
Ensis, 163.
Eo (*adv.*), 394, 399, 408.
Eo (*verb.*), 78, 90.
Eodem (*adv.*), 372, 399, 532.
Epigrammaton, 192, 493.
Epos, 164.
Equa, 183.
Eques, 139, 141, 499.
Equidem, 127.
Erectus, 369.
Eremus, 166.
Erga, 124, 385.
Ergo, 127, 393, 487.
Eripio, 319, 320, 321.
Erix, 170.
Erotion, 494.
Erratus, 120.
Erudio, 313, 314.
Eruditus, 369.
Erutum, 122, 451.
Erymanthis, idos, 187, 188.
Erymantis, idis, 546.
Eryx, 170, 467.
Es, este, estis, estote, esse, 87, 500.
Esse, 23, 78, 79, 344, 345, 347.
Essendi, o, um, 23.
Est, 115, 271, 272, 274.
Estur, 87.
Esum, 79, 86.
Esurio, 116, 122, 203.
Et, 127, 410, 508.
Etenim, 127.
Etiam, 125, 421.
Etiamsi, 412.
Etsi, 127, 411.
Etymologia, 440.
Euge, 126.
Euphrates, æ, 485.
Euripides, 182, 186.
Evax, 126.
Evenit, 281, 284.
Everto, 316.
Evigilatus, andus, 120.
Evigilo, 324.
Evoco, 384.
Evolo, 384.
Evolvam, 537.
Exadversum, 391, 568.
Exadversus, 385.
Excalceo, 315.
Excedo, 384.
Excellens, 191.
Excello, 118, 215, 284, 285.
Excelsus, 215.
Excĭdo, 455.
Excīdo, 200, 455.
Excio, 209.
Excitus, 451.
Excubo, 204.
Excudo, udi, usum, 213.
Excurro, 202.
Excuso, 296, 300.
Excutio, 200, 211.
Execror, 115, 121, 294.
Exeo, 90, 384.
Exerceo, itus, 208.
Exero, 216.
Exest *pro* exedit, 87.
Exhaurio, 316.
Exhibeo, 200, 308.
Exhortor, 294.
Exigo, 200, 313, 317.
Exiguus, uissimus, 109.
Exinde, 391, 568.
Existimo, 305, 350.
Exitus, 454.
Exoleo, 210.
Exonero, 316.
Exordior, 115, 294.
Exoro, 317, 318.
Exos, 504.
Exosus, 94, 368.
Expedio, itus, 316, 355, 426.
Expedit, 242, 282, 284.
Expello, 320, 384.
Expergefacio, 459.
Expergiscor, 219.
Experior, ertus, 115, 326, 369.
Expers, 247, 264.
Expetesso, 116.
Expleo, 209, 316.
Explico, atum, itum, 205, 308.
Exploratus, 367.
Expono, 308.
Expugnassere, 64, 345.
Expungo, 214.
Exquiro, 200, 455.
Exsanguis, 181.
Exsequor *vel* exequor, 294.
Exsolvo, 316.
Exsorbeo, ui, ere, 208.
Exsors, 192, 247.
Exspes, 197.
Exsto, 206.
Extendo, 202, 213.
Extensus *et* tus, 213.
Exter, 109, 186.
Extinguo, 214.
Extinxem, 29, 52, 559.
Extorris, 261, 264.
Extra, erior, imus *et* extremus, 109, 124, 385, 390, 399.
Extremum, 245, 253.
Extrinsecus, 399.
Extudi, 450.
Exturbo, 384.
Exubero, 289.
Exul, 139, 141.
Exulo, 327.
Exundo, 289.
Exuo, 315, 321.

F

Fabricor, 294.
Fabrûm, 196.
Fabulor, 294.
Fac, face, 38, 89, 490.
Fac possis, sis, velis, 38, 81, 83.
Facesso, 116, 216.
Facile, 408, 484.
Facilis, ior, limus, 109, 355.
Facio, *et compos.*, 88, 200, 211, 226, 271, 285, 303, 305, 307, 310, 328.
Facit (*amo* facit *amavi*), 180, 202.
Factito, 116.
Factum volo, 421.
Facultas, 353.
Fallit, 223.
Fallo, sus, *et compos.*, 200, 215, 366, 369.
Fames, fame, 195, 484, 485.
Familiaris, 278.
Famulor, 280, 284.
Far, 191, 496.
Farcio *et compos.*, 200, 218, 316.
Faris, fatur, 115, 122, 294.
Fascis, 163.
Fastidio, 218, 426.
Fateor *et compos.*, 200, 219, 294.
Fatidicus, 455.
Fatigor, 219.
Fatisco, 118, 202.
Fatiscor, 219.
Fauces, ium, 192.
Faveo, 29, 210, 279, 284.
Fax, 465.
Faxim, xo, 46, 97.
Febris, febricula, 189, 198.
Fecundus, 247.
Felix, 10, 191, 467.
Ferax, 248.
Fere, 125, 484, 568.
Ferens, 369.
Ferio, 118, 202.
Ferme (*adv.*), 125, 484.
Fero, 78, 82, 216, 319.
Ferrum, i, 197.
Fertilis, 247.
Fertur, 223.
Ferveo, 118, 210.
Fervere, o, is, 210, 538.
Fervidus, 248.
Fessus, 248.
Festinatus, 120.
Festino, 324.
Ficus, 165, 194.
Fidelis, 258.
Fidem habeo, 311.
Fides, ei, 439.
Fido, fidi, fisus sum, fidere, 210, 271, 284.
Fidi (*a* findo), 449.
Fidus, issimus, 258.
Figo, 214.
Filix, 467.
Fingo, 213, 214.
Finis, 174, 191, 353.
Fio, 78, 88, 121, 210, 271, 327, 328, 439.
Fisus, 366.
Flagito, 313, 317.
Flaveo, 118, 210.
Flecto, 217.
Fleo, evi, etum, 209.
Flocci, 305.
Floresco, 116.
Floridus, 248.
Flos, 164.
Fluo, 211, 289.
Fluvius, 185, 186, 539.
Fluxurus, 122.
Fluxus, 366.
Fodio, 211.
Fœneror, 294, 319.
Follis, 163.
Fomes, 162, 454.
Fons, 169, 193.
Foras, 399.
Forceps, 169.
Fore, rem, 23, 79, 97, 345, 361.
Fore ut, 348.
Forfex, 170.
Foris, forinsecus, 399.
Formidabilis, 258, 480.
Formido, 285.
Fornax, 170, 192.
Fornix, 170, 467.
Fors, 199.
Forsan, forsitan, fortasse, fortassis, forte, 125, 199, 493.
Fortius, 125.
Fortuito, 125.
Foveo, 210.
Frango *et compos.*, 200, 214.
Frater, 444.
Fraudo, 316.
Frendo, 208, 213.
Frequens, 419.
Fretus, 261.
Frico, atio, 122, 204, 205.
Frigeo, 118, 209.
Frigo, 214.
Frit, 155.
Frons, tis, 169, 176.
Fructus, perfructus est, 121.
Fruens, dus, 121.
Frugi (*indecl.*), 142, 153, 197, 199.
Frugifer, 109.
Frugis, 471.
Fruniscor, 219.
Fruor, 121, 219, 289, 294, 360.
Frustra, 482.
Frustror, 115, 294.
Fuat, 79.
Fugiens, itans, 369.
Fugio, 211.
Fugit, 223.
Fui, fuo, 79.
Fulcio, 218.
Fulginas, atis, 14.
Fulgeo, si, 209.
Fulgere, o, 210, 538.
Fulget, 118.
Fundito, 116.
Funditus, 399.
Fundo, 213.
Funebris, 446, 510.
Fungor, 289, 291.
Funis, iculus, 198.
Fur, 139, 141, 471, 496.
Furfur, 160.
Furio, 118, 202.
Furo, 202, 216.
Furor, 319, 321.
Fustis, 163, 191.
Futurum, 328, 426.
Futurum fuisse, 349.
Futurum ut, 348.
Futurus, 328.

G

Gadir, iris, 172, 173, 467.
Gaudeo, 210, 271, 340, 350.
Gausape, 191.
Gavisus, 366.
Gelu, 199, 488.
Genesis, 189.
Gens, 251.
Gentium (ubique), *etc.*, 394, 436.
Genu, 6, 199, 488.
Genua, 539.
Geolophus, geometra, geomorus, 461.
Gerenda, gerundia, 91.
Gerens, 369.
Gero, gessi, gestum, 215.
Geros, 190.
Gervasi, 568.
Geta, 182.
Gibber, eri, 186.
Gigno, 215.
Git, 155.
Glis, 163, 192, 467, 502
Glisco, 118, 202.
Glorior, 289.
Glycerium, 133, 147, 150.
Gnarus, 201, 247.
Gnatus *pro* natus, 201, 555.
Gnosco, gnotus, 201.
Gomor, 567.
Gracilis, illimus, 109.
Gradior *et compos.*, 200,219.

Grajugenûm, 196.
Grammatica, e, es, 182.
Grandesco, 116.
Grandiloquus, 109.
Grandinat, 421.
Gratia, 353.
Gratificor, grator, gratulor, 284, 286.
Gratus, 258.
Gregori, 568.
Grex, 170.
Grossus, 174.
Grus, 141, 176.
Gryps, iphis, 187, 467.
Gummi, 153.
Gurges, 162.

H

Habeo *et compos.*, 200, 303, 305.
Habere fidem, 311.
Habilis, 259.
Hac, 125, 399.
Hæreo, si, sum, 209, 283, 284.
Hæres, 141, 466.
Hæreseon, 192.
Hæsitans, 269.
Halec, halex, 466.
Halo (*Composita ex*), 200.
Halys, 189.
Harpago, 153.
Haud, haudquaquam, 125.
Haurio, 218.
Hector, 189.
Hei! 126, 409, 533.
Helluor, 294.
Hepar, 187, 188, 191, 465.
Herbesco, 203.
Hercle, 125.
Heri *vel* here, 125.
Hermagoras *et* ora, 182, 483, 497.
Hermus, 485.
Heros, 187.
Heu! heus! 125, 126, 409, 533, 537.
Hic, hæc, hoc, 3, 13, 110, 133, 230, 490.
Hic, 125, 399.
Hierax, 465.
Hinc, 399.
Hippomanes, 162.
Hippotades, 548.
Hisco, 118, 202.
Hispal, 172, 191.
Histrix, 467.
Hoc, 318, 372, 408.
Hodie, 125, 461, 484.
Hoi! 126.
Homeromastix, 170.
Homicida, 141.
Homo, 139, 141.
Horrendum, 419.
Horreo, 208, 209, 293.
Horridus, 269.
Horsum, 125, 399.
Hortor, 114, 115, 294, 318, 326.
Hospes, 139, 141, 499.
Hostis, 141.
Huc, 125, 394, 399.
Hui, 126, 533.
Huic, 532.
Hujus, 305.
Humi, 329.
Humilis, ior, limus, 109.
Humor, 147.
Humus, 165, 332.
Hydrops, 169, 470.
Hymen, 157, 466, 494.

I

Iader, 173.
Iapetionides, 549.
Iason, 468.
Ibam, 476.
Iber, i, *et* Iberus, 144, 186, 464, 466, 496.
Ibi, ibidem, 318, 399, 460, 486.
Ichneumon, 447.
Ico, 212.
Icon, onis, 156.
Id, 318, 372.
Ida, 173.
Id ætatis, 418.
Idea, 440.
Idem, 13, 110, 230, 318, 372, 373, 460.
Ideo, 487.
Idololatria, 440.
Idolum, 567.
Idomenea, 186.
Idoneus, 109, 259, 355, 360.
Idus, 165.
Ierax, 465.
Igitur, 127.
Ignarus, ignavus, 201, 247, 353.
Ignis, igniculus, 191, 198.
Ignosco, otus, 201, 284.
Ii, iidem, *etc.*, 13, 532.
Ilias, Iliades, 545, 546, 547.
Ilicet, 460.
Ilion, os, um, 145, 156, 186, 494, 504.
Ilionea, 186.
Illabor, 284.
Illac, 399.
Illacrymo, or, 276, 283, 284.
Illaqueo, 316.
Ille, 13, 110, 199, 230, 382, 383, 439.
Illic, 399.
Illicio, 211.
Illico, 487.
Illo, illinc, illuc, illorsum, 399.
Illuceo, 283, 284.
Illud, 318.
Illudo, 201, 279, 284, 285, 286.
Imbecillis, imus, issimus, 109.
Imber, 159, 191, 193.
Imbuo, 313.
Imitor, 294, 360.
Immemor, 191, 248.
Immineo, 209, 283, 284.
Immodicus, 248.
Immorior, 286.
Immoror, 284.
Immunis, 247, 261.
Immurmuro, 286.
Imo *et* immo, 125, 127, 432, 487.
Impar, 258, 496.
Impatiens, 369.
Impedio, 316.
Impendeo, 283, 284.
Impendo, 308.
Imperito, 116.
Imperitus, 353, 369.
Impero, 310.
Impertio *et* impartio, or, 200, 294, 321.
Impingo, egi, actum, 214.
Impleo, 209, 316.
Implico, atum, itum, 205, 316.
Impono, 279, 284, 285, 311.
Importo, 311.
Impos, otis, 247, 469, 504.
Impotens, 369.
Imprecor, 294.
Imprimis, 404.
Imprudens, 247.
Impuber, bes, 181.
Imus, 109.
In, 124, 201, 279, 283, 286, 289, 311, 333, 334, 355, 356, 384, 389, 456, 493.
Inanis, 247, 261.
Inauditus, 367.
Incalesco, lui, 203.
Incertus, 247.
Incessit, 282, 284, 285.
Incesso, 122, 216.
Incidit, 281.
Incido, 200, 213, 384, 455.
Incipio, 350.
Incognitus, 367.
Incommodo, 279, 284.
Increpo, 204, 296.
Incubo, atio, itio, *etc.*, 204, 283, 284.
Incudo, udi, sum, 213.
Incultus, 269.
Incumbo, 204, 279, 283, 284, 285.
Incuriosus, 248.
Incurro, 384.
Incus, udis, 168.
Incuso, 295.
Incutio, 211, 311.

Inde, 399.
Indecor, oris, 143, 469.
Index, 141.
Indico, 308.
Indidem, 399.
Indigena, 142.
Indigeo, 289, 290.
Indignor, 285.
Indignus, 261.
Indigus, 247.
Indipiscor, indeptus sum, 219.
Indo, 311.
Indoctus, 247, 369.
Indoleo, 286.
Indormio, 283, 284.
Indulgeo, 209, 280, 284, 324, 426.
Induo, 315, 321.
Industrior, 109.
Infamo, 295.
Iufandum (*interj.*), 126.
Infans, 141.
Inferne, 399.
Infero, 216, 311.
Infestus, 258.
Inficias, 197.
Inficior, 294.
Infidus, 258.
Iufigo, 311.
Infinitum, 275.
Iufio, infit, 97, 202.
Informo, 313.
Infra, inferior, infimus, 109, 124, 385, 399.
Infrico, 204.
Ingemisco, 283, 284.
Ingens, tis, 191, 193.
Ingero, 311.
Inglorius, 248.
Ingravesco, 116, 203.
Ingredior, 384.
Ingruo, ui, ere, 118, 211.
Inhæreo, 284, 286.
Inhio, 283, 284.
Inibi, 399.
Inimico, or, 200.
Injicio, 311, 384.
Injungo, 311.
Innecto, ui, exum, 207.
Innitor, 219, 284.
Inno, as, 284.
Innoxius, ior, 109.
Innuba, 455.
Innuo, 211.
Inoleo, esco, 210.
Inops, opis, 192, 247, 261, 264.
Inquam, 96, 97, 202.
Inquies, 97, 500.
Insalio, 200.
Inscius, 247, 353.
Insculpo, 200.
Insector, insequor, 294
Insero, 216, 311.
Inserpo, 286.
Inservio, 280, 284.
Insideo, 283 *et seqq.*, 384.
Insidior, 279.
Insignibam, 91.
Insilio, 218.
Insimulo, 295, 296.
Insisto, 217, 284.
Insitum, 455.
Insolens, 247, 369.
Insons, 247.
Inspergo, 321.
Inspicio, 211.
Instar, 393.
Insterno, 315, 427.
Instituo, 313, 350.
Insto, 284.
Instruo, 313.
Insuesco, 283, 284.
Insuetus, 247, 353, 369.
Insulto, 279, 283 *et seqq.*
Insum, infui, 80, 280, 284, 286.
Insurgo, 286.
Insusurro, 284.
Integer, 248.
Integrasco, 116.
Intelligo, 106, 201, 214, 320.
Intendo, 213.
Inter, 124, 201, 255, 267, 283, 355, 385, 389.
Intercedo, 284.
Intercludo, 321.
Intercurro, 286.
Interdico, 284, 285, 287, 310.
Interea, 482.
Interest, 115, 272, 273, 275, 377.
Interjaceo, 283, 284.
Interneco, 204.
Interpretor, atus, 114, 326.
Interrogasso, 92.
Interrogo, 296, 313, 314, 317.
Intersum, 80, 280, 284.
Intervenio, 283, 284.
Intolerans, 369.
Intono, 204.
Intra, erior, imus, 109, 124, 337, 385, 390.
Intro, intrinsecus, introrsum, introrsus, 384, 399.
Introduco, 461.
Intubum *et* intubus, 164.
Intueor, 294, 384.
Intus, 399.
Inuro, 311.
Inutilis, 259.
Invado, 213, 384.
Invideo, 284, 286.
Invigilo, 286.
Invisus, 258, 367.
Involucrum, 454.
Ionia, 440.
Ionis *et* us, 188.
Iphygenia, 440.
Ipse, 13, 110, 230, 374, 376, 377, 383.
Ipsissimus, 109.
Ipsud, ipsus, 13.
Ir, 159.
Irascor, 279, 284.
Iratior, issimus, 370.
Iri, 346.
Iris, 189, 190.
Irrauceo, 218.
Irretio, 316.
Irrideo, 201.
Irritasso, 46, 92, 345.
Is, 13, 110, 230, 382, 383.
Isaias, 440.
Isboseth, 567.
Isis, Isios, 189.
Istac, 399.
Iste, 13, 110, 230.
Ister, 144.
Isthmos, 166.
Istic, istinc, istuc, istorsum, istorsus, 372, 399.
Istud, 318.
Ita, 43, 125, 406, 482.
Italia, 512, 539.
Italis, 546.
Itaque, 127.
Iter, itineris *et* iteris, 187, 188, 462.
Itin, 494.
Itiner, 188.
Itum, 451.
Itur, 99, 324.
Itys, 494.

J

Jaceo, 208, 271.
Jacio *et compos.*, 200, 211.
Jacob, 489.
Jaculor, 294.
Jam, 537.
Jason, 468.
Jecur, oris, inoris, 187, 188.
Jesus, 184, 506.
Job, 489.
Jocinus, oris, 188.
Josaphat, 489.
Joseph, 184, 490.
Jovis, 197, 199.
Jubar, 176, 191, 465.
Jubeo, ssi, ssum, 209, 310, 350.
Jucundus, 258.
Judex, 141, 142.
Judicasso, asse, 29, 46, 92, 345.
Judico, 350.
Jugerum, i; *pl.* jugera, um, 197, 199.
Jupiter, 197, 199.
Juratus, 207.
Jurisperitus, 179.
Juro, 200, 207.
Jusjurandum, 179.
Justo, 268.
Juvat, 294.
Juvenalis, 191.
Juvenis, 141
Juventus, 168.
Juvo, 205.
Juxta, 124, 385.

K

Κηρύλλοι, 156.
Kyrie, 566.

L

Labor, lapsus, sum, 219.
Laboro, atus, 81, 120, 289.
Laburnum, 147.
Lac, 490.
Lacesso, ivi, itum; *et* lacessio, 116, 216.
Laches, *voc.* e; is, etis, 182, 187, 188, 485.
Lacio, cto, *et compos.*, 200.
Lacrymo *et* lacrimo, 432.
Lacto (*Composita ex*), 200.
Lacus, us, *abl.* ŭbus, 194, 472.
Laërtes, *acc.* en, 182.
Laërtiades, 548.
Lædo *et compos.*, 200, 213.
Lætor, 289, 340, 350.
Lævorsum, 399.
Lagopus, 168, 461.
Lambo, 118, 212.
Lamech, 567.
Lamentor, 294.
Lampas, adis, 188.
Lanista, 139.
Laodicea, 440.
Laomedontiades, 551.
Lapidesco, 116.
Lapis, 163.
Lar, aris, 187, 465, 496.
Largior, 114, 308.
Largitus, 115, 326.
Largus, 247.
Larix, 467.
Lars, artis, 187, 188.
Larynx, 170.
Laser, 159.
Latebræ, 446.
Lateo *et compos.*, 200, 208, 223, 286.
Laterna, 454.
Latex, 170.
Latois, idis, *vel* idos, ides, 545, 552, 553.
Latonas, 182.
Latria, 440.
Latro, 139, 141.
Latus, 260.
Laudo, laudor, 300.
Lavacrum, 454.
Laver, 159.
Lavo, as, lavi *vel* lavavi, lautum *vel* lavatum, 29, 205, 207.
Lebes, 162.
Lectito, 116.
Lecythus, 166.
Lego (*Composita ex*), legi, lectum, 74, 200, 214.
Legor, 75.
Lenocinor, 279, 284.
Lens, dis, tis, 187.
Lepus, oris, 139, 168, 178, 469.
Lesbon, Lesbos, 145, 186.
Letum *et* lethum, 432.
Leucopetra, 461.
Levo, 316.
Lex, 466.
Λίβανος, 146.
Libens, 121, 191.
Liber, 261, 264.
Liberalis, 247.
Libero, 299, 316.
Liberûm, 196, 429.
Libet, uit *et* itum est, 115, 210, 271, 282, 284.
Libya *et* e, es; *voc.* e, 182, 485.
Libys, 503.
Libystis, 546.
Liceo, or, itor, 202, 219, 327, 342.
Licet (*conj.*), 44, 412.
Licet (*verb.*), uit, itum est, 99, 115, 122, 210, 242, 282, 284.
Lichen, 157.
Licio (*Composita ex*), 211.
Liciturus, 122, 210.
Lien, 157.
Liger, *abl.* i, 186, 191.
Ligo, 153.
Ligurio, 203.
Ligustrum, 147.
Limax, 174.
Limes, 162.
Lingo, xi, ctum, 214.
Lingones, 468.
Lino, livi, levi, litum, 215, 451.
Linquo, liqui, lictum, 118, 122, 215.
Linter, *gen. pl.* ium, 176, 192.
Liquefacio, fio, 88, 459.
Liquet, 282, 284.
Liquor, 118, 202.
Lis, itis, *gen. pl.* itium, *acc. pl.* es *et* is, 192, 193, 467.
Litania, 440.
Litera *et* littera, 432.
Lithostrotos, 566.
Littus *et* litus, 432.
Litum (*verb.*), 451.
Liveo, vi, vere, 118, 210.
Lixa, 139.
Loco, 342.
Locuples, *gen. pl.* ium, um, 143, 196, 261, 466.
Longe, longius, 394, 399, 408.
Longus, 260.
Loquor, locutus sum, 219, 294, 308.
Lot, 489.
Lucar, 158, 465.
Luceo, uxi, cere, 118, 209.
Lucerna, 454.
Lucrifacio, eci, 460.
Lucror, 294.
Luctum, 122.
Lucus, 186.
Ludificor, 294.
Luditur, 324.
Ludo, si, sum, 213.
Lugeo, luxi, 118, 122, 198, 209.
Lugubris, 446, 510.
Luit, 439.
Luo, ui, ere, 118, 211.
Lutum, 197.
Lux, 471.
Lybie, 485.
Lycurgides, 549.
Lynx, cis, *gen. pl.* um, 170, 176, 187, 192.

M

Macedo, onis, 468.
Macedûm, 196.
Machinor, 115, 121, 294.
Madefacio, fio, 88.
Mænalis, idis, 546.
Magis, 109, 116, 125, 275.
Magister, tra, 142.
Magnei, 186.
Magnes, 162.
Magni, 303, 306.
Magni (refert), 275.
Magnificus, centior, centissimus, 109.
Magniloquus, 109.
Magno, 304, 342.
Magnopere (refert), 275.
Magnus, 109.
Magog, 490.
Maïa, *acc.* an, Maya, 182, 442, 448, 494, 532.
Majori pretio, 343.
Majoris, 303, 343.

Majus, oris, 469.
Male, 343, 419, 484.
Malea, 483.
Malecupio, maledico, malefacio, *etc.*, 279, 284, 285.
Maledicus, centior, centissimus, 109, 455.
Malevertit, 281, 284.
Malo, ui, malle, 84, 85, 118, 121, 215, 350.
Malum! (*interj.*), 126, 419.
Malus (*adj.*), 109.
Mammona *et* as, 151, 161.
Mancipi (*indecl.*), 153.
Mancipium, 147.
Mando, mansi, *et compos.*, 200, 213, 308.
Manco, mansi, mansum, *et compos.*, 200, 209, 324.
Manes, ium, *acc. pl.* is, 193.
Manna, 151.
Mano, 289.
Mansues, 466.
Mansum (*a* mando, is), 122.
Manto, us, *acc.* o *et* us, i, 187, 189, 506.
Manus, 165.
Marcipor, 469.
Mare, *abl.* e *et* i, 191, 335.
Margo, 175.
Maria, 440, 569.
Marmor, oris, 160, 469.
Mas, 465.
Mastiche, es, 182.
Mastix, īgis, 170, 467.
Matricida, 460.
Matris, matrem, 444.
Matur, issimus, rimus, 109.
Maturesco, 116.
Mavolo, 85.
Mavors, 556.
Maxime (refert), 125, 275, 393.
Maximi, 303, 306.
Maximus, 109.
Me, 484.
Mea (causa), 381.
Mea (interest), 273, 377.
Mecastor, 125,
Medea, 440.
Medeor, 118, 121, 202, 279, 284.
Medicor, 279, 284, 285.
Mediocris, ius, 109.
Meditor, 115, 294, 326.
Medius, 109.
Medius fidius, 125.
Mehercule, 125.
Mei, 375, 376, 379, 380, 381.
Meio, minxi, mictum, 215.
Μελαμπούς, Melampus, odis; *voc.* u, 187, 190, 506.
Melchisedech, 490, 567.
Mele, Μηλέα, η, 152, 485.
Melior, 109, 191.
Meliphyllon, 460.
Melius, 343.
Melos, 447, 504.
Memento, 37, 38, 94.
Memini, 94, 117, 271, 277.
Memor, ŏris, *gen. pl.* um, 143, 191, 192, 248, 469.
Memoria, 381.
Menætiades, 549.
Menelaos, 185, 494.
Meninx, 170.
Mentior, 294.
Merces, 466.
Mercor, 294, 319, 342.
Mereor, 294.
Merges, 162.
Mergo, si, sum, 214.
Meridies, meridianus, 162, 460.
Meridior, 460.
Merops, 169.
Merx, mercis; *acc. pl.* ium, 187, 192.
Metamorphosis, eos, 187.
Metaurus, 144.
Metior, mensus sum, 219, 294.
Meto, messui, messum, 216, 217.
Metuo, ui, ere, 118, 211, 279, 284, 285, 286, 413.
Metus, *dat.* u, 194.
Meum est, 274.
Meus, 14, 110, 197, 374, 375, 379, 381.
Meus (o), 185.
Michael, 466.
Michol, 491.
Mico, ui, 118, 122, 205, 292.
Mihi, 486.
Miles, 141.
Militiæ, am, 329, 332.
Mille, 152, 235.
Millies, 125.
Mingo, xi, ictum, 215.
Minime, 125, 275, 484.
Minimi, 303.
Minimo, 342.
Minimum, 245.
Minimus, 109.
Ministro, 308.
Minitor, minor, 294, 310.
Minor (*adj*)., 109.
Minoris, 303, 343.
Minos, *gen.* ois, 186, 187.
Minus, 125, 245, 249, 275, 398.
Minus, oris, 109, 469.
Mirificus, issimus, 109.
Miror, 300.
Mis, 13, 374, 375.
Misceo, misti, 29, 208, 478.
Misereor, misertus tum, 115, 219, 276.
Miseret, escit, ertum est, 210, 302.
Miseror, 294.
Mitesco, 203.
Mitto, isi, issum, 217, 310.
Miuros, 539.
Mius, mi, 14.
Mobilis, 454.
Moderor, 284, 285, 294.
Modicus, 109.
Modo *pro* dummodo, 44, 487.
Mœris, *voc.* i, 190.
Mœreo, 202, 210.
Molaris, 171.
Molestum, molestus, 258.
Molior, 294.
Molo, ui, itum, 215.
Molos, 164.
Moly, 486.
Mone, moneo, moneor, 208, 313, 314.
Monile, *abl.* i, 152, 191.
Monitum, 453.
Mons, tis, *acc. pl.* es *et* is, 169, 193.
Morbus, 165.
Mordeo, momordi, morsum, 202, 209.
Morigeror, 280, 284.
Morior, mortuus sum, 117, 122, 219.
Moror, 294.
Moses, Moyses, 184.
Motum (*sup.*), 451.
Moveo, vi, tum, motus, 29, 210.
Mugil, mugilis, 155, 163, 191.
Mulceo, geo, mulsi, sum, 209.
Mulciber, eris, *item* eri, ri, 187, 188.
Mulcto, 296, 299.
Multa, 318.
Multimodis, 536.
Multiplico, avi, atum, 205.
Multo, 408, 487.
Multum, multum interest, 125, 245, 275, 393, 407.
Multus, 109, 249, 378.
Muneror, munero, 114, 294, 316.
Municeps, 141.
Municipium, 251.
Munio, ivi, ii, 29.
Murena, 150, 177.
Mus, uris, *gen. pl.* ium, 139, 168, 178, 192.
Musa, musæ, 2.
Musice, es, 182, 183.
Muthul, 172.
Muto, mutor, 114, 316.
Mutuo, 487.
Mutuo (*verb.*), 309.
Mutuor, mutuo, 294, 319.
Mutuum dare, 309.
Myops, 470.
Myrmex, 466.
Myrtites, 162.

N

Nabal, 491.
Næ, 403.
Nam, namque, 127.
Nanciscor, nactus sum, 219, 294.
Nar, 174, 465, 496.
Narbo, 172.
Nardus, 166.
Narro, atur, 308.
Nascor, natus sum, 122, 219.
Natalis, *abl.* e *et* i, 171, 191.
Nato, 116.
Natrix, 170, 467.

Natu, 197.
Natus, 226, 259.
Nauci, 153, 305.
Nauta, 139.
Navi, gnavi, 201.
Navis, 189, 191, 192, 193, 198.
Navita, nauta, 556.
Ne, 21, 125, 127, 402, 413, 484.
Ne non, ut ne, 413.
Neapolis, 189.
Nec, 127, 490.
Neco, 204.
Nectar, 191, 465.
Necto, ui *et* xi, xum, 217.
Necubi, necunde, 399.
Nefas, 126.
Neglectus, negligens, 367, 369.
Negligo, exi, ectum, 214.
Nego, 350.
Nemea, 483.
Nemo, 106, 141, 197, 249, 266, 436.
Nemon', 494.
Neo, evi, etum, 209.
Nepete, 145, 172, 191.
Nepos, otis, *abl.* e *et* i, 191.
Nepte, 191.
Neptunine, 553.
Nequam (*indecl.*), 142, 459.
Nequando, 459.
Nequaquam, 125, 459.
Neque, 127.
Nequeo, 84, 91.
Nequicquam, 459.
Nequior, nequissimus, 109.
Nequire, 84.
Nequis, 17, 459.
Nequitia, 459.
Nequitum *et* nequitur, 91.
Nerienes, 188.
Nerine, es, 544, 553.
Nerio, ienis, 187.
Nescio, 106, 487.
Nescio quid, 324.
Nescius, 247.
Nesis, idis, 467.
Nestor, oris, 469.
Neuter, 9, 182, 186, 235, 249.
Neutro, 399.
Nexo, as, 207, 217.
Ni, 44, 414.
Nicomedia, 440.
Nictycorax, 465.
Nideo, 202.
Niger, 269.
Nihil, 275, 318.
Nihili, 142, 153, 197, 305.
Nihilo, 305.
Nihilum, 455.
Nil, 491.
Nilus, 440.
Nimio, 408.
Nimirum, 125.
Nimium, 125, 407.
Ningo, ningit, 122.
Nisi, 44, 45, 127, 410, 414, 486.
Nitor, nixus *et* nisus sum, 219, 289.
Nix, nivis, *gen. pl.* ium, 192, 467.
Nobilis, 269.
Noceo, ui, itum, 208, 279, 284, 285, 324, 426, 432.
Noctua, 177.
Noe, 567.
Nolo, nolui, nolle, 84, 118, 121, 215, 461, 476.
Nominor, 238.
Non, 125, 413.
Nonnullus, 106.
Non solum, 250.
Nos, 13, 222.
Nosco, novi, notum, 212.
Noster, 14, 110, 197, 374, 375, 379, 381.
Nostin', 494.
Nostra (refert), 273, 377.
Nostras, 14, 110, 133, 197.
Nostri, um, 374, 375, 376, 377, 378, 380, 381.
Nostrum est, 274.
Noto, 296.
Notus, gnotus, 201.
November, 191.
Novi, 94, 117, 271.
Novisse, nosse, 29.
Novissimus, 109.
Nox, noctis, *gen. pl.* ium, 192.
Noxius, 109.
Nubo, nupsi, nuptum, 212, 283, 284, 285.
Nudiustertius, quartus, 125.
Nudo, 316.
Nudus, 247, 261, 264.
Nullus, 9, 106, 182, 197, 249, 266, 419.
Nuncubi, 399.
Nuncupor, 238.
Nundinor, 294.
Nuntio, 332.
Nupturio, 203.
Nusquam, 394, 399.
Nutricor, 294.

O

O (*interj.*), 39, 125, 126, 409, 487, 533.
O si, utinam, 39, 125.
Ob, 124, 201, 283, 311, 355, 385, 446, 456.
Obambulo, 286.
Obduresco, 116.
Obedio, 280, 284, 455.
Obeo, 90.
Obequito, 283, 284.
Obeundus, 120.
Obex, 170, 539.
Obirascor, 284.
Obitus, 120.
Objicio, obicio, 311, 448, 538.
Objurgo, 86.
Oblector, 289, 340.
Obligo, 299, 316.
Obligurio, 203.
Oblĭtum, itum, 455.
Obliviscor, oblitus sum, 115, 219, 277, 294.
Obloquor, 284.
Obluctor, 284.
Obminor, 294.
Obmurmuro, 286.
Obnitor, 219, 284.
Obnoxius, 258.
Oboleo, ui, itum, 210.
Oborior, 283, 284.
Obrepo, 283, 284.
Obruo, 211, 446.
Obrutum, 451.
Obsecro, 317, 318.
Obsecundo, 280, 284.
Obsequor, 280, 284.
Obsero, evi, satum *et* situm, 216.
Observans, 369.
Obsisto, stiti, stitum, 217, 280, 284.
Obsoleo *et* esco, 210.
Obsto, 206, 280, 284.
Obstrepo, 280.
Obstringo, 299.
Obsum, 80, 271, 280, 284.
Obtempero, 280, 284.
Obtestor, 294, 318.
Obtingit, 281, 284.
Obtrecto, 279, 284.
Obvenit, 281, 284.
Obversor, 283, 284.
Obviam, 396.
Obvio, 316.
Obvius, 258.
Occasio, 353.
Occĭdo, *a* cado, cidi, cisum, 213.
Occīdo, *a* cædo, 455.
Occipio, 200.
Occulo, ui, ultum, 215.
Occumbo, cubui, cubitum, 204, 286.
Occupo, 200.
Occurro, 201, 283, 284.
Occurso, 283, 284.
October, *abl.* i, 144, 191, 444.
Ocyor, issimus, 109.
Oderis, rit, 38, 94.
Odi, 94, 117, 271.
Œbali, 190.
Œbalis, ides, 552.
Œta, 173.
Offero, 311.
Officio, 279, 284.
Offundo, 201, 311.
Ogganio, 201.
Oh! 126.
Ohe! 439, 484.
Oleaster, 146.
Oleo, ui, itum, 210.
Oleum, 197.
Olli *pro* illi, 561.
Olmius, 186.

Ominor, 350.
Omitto, 201, 456.
Omnes, is, eis, 193, 502.
Omnipotens, 109.
Omnis, 9, 106, 199, 249, 408.
Omnium, 250, 374, 377, 378.
Onero, 316.
Onustus, 261.
Onyx, 176, 467.
Opere, 140.
Operio, or, 201, 218, 294, 456.
Opinione majus, 268.
Opinor, opino, 294, 350, 426.
Opis, 197.
Opitulor, 279, 284.
Oportet, 271, 294, 346.
Opperior, ertus sum, 202, 219.
Oppido, 404, 432.
Oppono, 201, 311.
Opprimo, 316.
Ops, is, 197.
Ὄψει (συ), tu videris, 61.
Optabilis, 258.
Optime, 343.
Optimum, optimus, 109.
Opto, 350.
Opus, eris, 262.
Opus, untis, 187, 506.
Orbo, 316.
Orbus, 261, 264.
Ordior, orsus sum, 219, 294.
Orestes, is, i, a, 145, 182, 485, 486.
Oribasus, 506.
Oriens, 171.
Orion, ônis, 468, 538.
Orior, ortus sum, 122, 219.
Ornatus, 194, 355.
Orno, 315.
Oro, 317, 318.
Orontes, is *et* i, 186.
Orphes, eus, 182, 186, 188, 568.
Orthographia, 440.
Oryx, 170.
Os, oris, 164, 469, 504.
Os, ossis, *gen. pl.* ium, 164, 192, 504.
Oscitanter, 125.
Ossa, 173.
Ostendo, ostendito, nsus, 213, 308, 350.
Osurus, osus, 94, 368.
Othryades, Othrys, 163, 173, 550.
Otî *pro* otii, 560.
Ovans, ovat, 97.
Ovidi, 568.
Ovis, *abl.* i *et* e, 191.

P

Pace tua dixerim, 54.
Paciscor, pactus sum, 214, 219, 294.
Pæan, 156.
Pæantiades, 551, 553.
Pægnium, 147.
Pago (*priscum*), pepigi, pactum, 95, 214.
Palæmon, 188, 468.
Palam, 124, 386.
Palînurus, 460.
Pallados, 504.
Pallas, adis, 187, 190, 465, 482, 486, 497.
Pallas, antis, 187, 497.
Palmes, 162.
Palpo, 285.
Palpor, 279, 284.
Palumbes, 175, 178.
Palus, udis, *gen.* ium *et* um, 168, 192, 471, 506.
Pamphagus, 506.
Pampinus, 164.
Panaces, 162.
Panax, 465.
Pando, di, passum, 213.
Pango, panxi *vel* pegi, pactum, *et compos.*, 200, 214.
Panis, 163, 192.
Panthus, *voc.* ū, 185, 488, 506.
Papaver, 159.
Papæ! 126.
Papyrus, 166.
Par, 158, 258, 465, 496.
Paradisus, 166.
Paralipomenon, 566.
Paratus, 350, 351, 355.
Parco, parsi *et* peperci, parsum *et* parcitum, 212, 284.
Parcus, 247.
Pardi, 150.
Parens, 5, 141, 192.
Pareo, 208, 280, 284.
Paries, 162, 499, 500, 539.
Pario, peperi, partum, *et compos.*, 200, 211, 218.
Paris, idis, 187, 189, 190.
Pariter, 125.
Pariturus, 122.
Paro, 350.
Parricida, 141, 460.
Pars, 192, 234, 380.
Particeps, *gen. pl.* ipum, 192, 247.
Partim, 393, 419.
Partio (*Composita ex*), 200.
Parturio, 116, 203.
Partus, us, *abl. pl.* ubus, 194.
Parum, 125, 275, 393, 407.
Parvi, 275, 303.
Parvo, 304, 342.
Parvus, 109.
Pascha, 151.
Pasco, pavi, pastum, ere, 212.
Passim, 399.
Pastum, 122.
Patefacio, fio, 459.
Pateo, ui, ere, 208.
Pater, tris, 444.
Paterfamilias, 179, 182.
Patet, 282, 284.
Patiens, 369.
Patior (*Composita ex*), 200, 294.
Patro (*Composita ex*), 200.
Patrocinor, 279, 284.
Patroclus, 510.
Patruelis, 141.
Patruissimus, 109.
Pauci, 249.
Paucorum, 374, 377, 378.
Paulo, paululo, paululum, paulum, 275, 342, 393, 408.
Pauper, 143, 191, 247.
Paveo, avi, ere, 118, 210.
Peccatur, antur, 324, 325.
Pecco, 296.
Pecten, 157.
Pecto, ui *et* xi, xum, 217.
Peculi, 429.
Pecus, oris, 168.
Pecus, udis, 140, 168, 471.
Pedes, 499.
Pedisequus, 142.
Pedo, pepedi, pedere, 213.
Pegasis, idis, 546.
Pejero, 200, 455.
Pejor, us, 11, 109, 343.
Pelagus, 167.
Pelia, 182, 483.
Peliades, ias, 553.
Pelides, 544, 550.
Pelion, 494.
Pellex, 170.
Pellicio, exi, ectum, 201, 211.
Pello, pepuli, pulsum, 215, 316.
Pelluceo, 201.
Pelvis, *acc.* im, 189.
Penates, *gen. plur.* ium, 192, 197.
Pendeo, o, pependi, pensum, 209, 213, 292, 303, 305.
Pene, 568.
Penelope, 485.
Penes, 124, 385, 500.
Penetrabilis, 258.
Peneus, 186.
Penitus, ior, issimus, 109.
Pentheus, a, um, 186.
Penus, us, *et* us, oris, 176.
Pepedi, 450.
Pepigi, 95, 214.
Per, 124, 201, 322, 333, 385, 389, 456.
Per (*adv.*), 404.
Percello, uli, ulsi, ulsum, 215.
Percontor, 294, 317, 318.
Percudo, 213.
Perditissimus, 370.
Perdix, 178.
Perdo, 299.
Perduim, perduint *pro* perdant, 46, 97.
Peredo, edi, esum, 213.
Peregre, 399.
Perendie, 125.
Perennis, *abl.* e *et* i, 191.
Perepexditus, 404.
Perfacilis, 404.

Perfrico, as, 204.
Pergo, perrexi, ectum, 214, 350.
Periclitor, 289, 294.
Periclum, 559.
Periodus, 166.
Peripetasma, 193.
Perite, 125.
Peritus, 247, 350, 353, 369.
Permagno, 304, 342.
Permultum, 275.
Permuto, 316.
Pernicies, 195.
Perniciosus, 258.
Peroleo, ui, itum, 210.
Perosus, 94, 368.
Perpaucus, 406.
Perpetuius, uissimus, 109.
Perplurimus, 406.
Perquam, 404, 406.
Persequor, 294.
Perseus, 186.
Persisto, stiti, stitum, 217.
Persolvendus, 537.
Perspectus, 367.
Perspicio, exi, ectum, 211.
Persuadeo, 310.
Pertædet, pertæsum est, 210, 302.
Pertæsus, 368.
Pervigil, 141.
Pervius, 258.
Pes, 162, 499, 500.
Pessumdo, dedi, datum, 206.
Petitum, 452.
Peto, ivi, itum, 217, 313, 317, 334.
Phæax, 465.
Phaetontias, ades, 545, 552.
Phalec, 471.
Pharias, 161.
Pharnax, 465.
Pharos *et* us, 166.
Pharinx, 170.
Phase, 567.
Phaselus, 174.
Phasis, idis, 546, 553.
Pheretiades, 547.
Pheton *pro* Phaeton, 533.
Philemon, 468.
Philosophia, 440, 569.
Philyrides, 545, 547.
Phœbas, ades, 546, 553.
Phœnix, 170.
Phorcyn, 467.
Phoronis, idos, 188, 545.
Phylax, 465.
Pictaï, 182, 463, 537.
Piget, itum, 99, 115, 121, 210, 221, 302.
Pigneror, 294.
Piissimus, 109.
Pili, 305.
Pingo, is, inxi, ictum, 214.
Pinso, ui, pinsitum, pinsum *et* pistum, 217.
Pinus, 146, 176.
Piper, 159.
Piræis, idis, 546.
Piræus, 333.
Piscis, 163, 178.
Pistris, 145.
Pix, 467.
Placeo, ui itum, *et compos.*, 200, 208, 280, 284.
Placet, uit, *et* itum est, 210, 282.
Placide, 484.
Planeta, 151.
Plango, xi, ctum, 214.
Platanon, us, 146.
Platea, 440.
Plato, 188.
Plaudo, si, sum, *et compos.*, 200, 213.
Plautinissimus, 109.
Plebs, 466.
Plecto, xi, xum, 217, 296, 298.
Plenus, 247, 261, 269.
Pleo, evi, etum, 209.
Plico, as, ui, itum, 205.
Pluit, 289, 291, 421, 439.
Pluo, ui, ere, 118, 211.
Pluraliter, pluralis, plurativus, 5, 131.
Plures, 256.
Pluri pretio, 343.
Plurimi, 256, 303, 306.
Plurimo, 342.
Plurimum, 245, 275.
Plurimus, 109.
Pluris, 303, 306, 343.
Plus, uris, 11, 109, 191, 193, 245, 268, 275, 398, 506.
Poema, atis, 193, 465.
Pœnitendus, 99.
Pœnitet, 98, 121, 271, 302.
Pœniturus, endus, 99, 122, 210.
Poeta, 182.
Pol, 125, 491.
Polibam, cibam, iebam, 91.
Polio, ivi, itum, 218.
Politia, 440.
Pollen, inis, *et* is, inis, 163.
Polleo, 202.
Polliceor, 115, 294, 308, 348, 350, 360.
Polluceo, 209.
Pollux, 471.
Polydorus, 460.
Polymneia, ia, 447.
Polypus, 178, 506.
Pompei, 439.
Pompeius, *voc.* ei, 185.
Pondo (*indecl.*) 153, 197.
Pone, 124, 385, 390, 484.
Pono, posui, positum, 215.
Pons, 169.
Poples, 162.
Populor, 115, 294.
Populus, *voc.* e *et* us, 185, 186, 235, 251.
Porticus, 165.
Portus, us, *abl.* ibus *et* ubus, 194.
Posco (*Composita ex*), poposci, poscitum, 118, 202, 212, 313, 317.
Possetur, itur, poteratur, *etc.*, 81, 91.
Possimus, 476.
Possum, 48, 80, 81, 280, 289, 350, 406.
Post, 109, 124, 385, 390, 399, 408.
Postea, 482.
Posterior, postremus, 109, 191.
Postfero, 308.
Posthabeo, 308.
Postis, *abl.* e *et* i, 163, 191.
Postmodo, 487.
Postpono, 308.
Postremo, 125.
Postremum, 245.
Postremissimus, 109.
Postridie, 395, 460.
Postulo, 295 *et seq.*, 317.
Potens, 81, 121, 261, 369.
Potior, 289, 290, 291.
Potis, ior, issimus, 109.
Potius, 125, 127.
Poto, as, avi *vel* potus sum, atum *vel* tum, 205, 210.
Potus, 207.
Præ, 124, 283, 311, 386, 441, 457.
Præbeo, 308.
Præcedo, 285.
Præcello, 118, 215, 284.
Præceps, ipitis, 188, 248
Præcipio, 310, 311.
Præclare facio, 285.
Præcludo, 311.
Præcox, 470.
Præcurro, cucurri, 202, 283, 284, 285.
Prædic, 89.
Præditus, 261.
Prædo, 139.
Prædor, 294.
Præeo, 283, 284, 285, 441.
Præfero, 308.
Præficio, 311.
Præfinio, 311.
Præluceo, 283, 284.
Præmeditor, 294.
Præneste, *abl.* e, 145, 172, 191.
Præopto, 308.
Præparo, 311.
Præpono, 308.
Præs, ædis, 139.
Præsagio, 426.
Præscribo, 311.
Præsens, *abl.* e, *gen. pl.* ium, 81, 121, 171.
Præsepe, 191.
Præsideo, 283, 284.
Præsilio, 286.
Præstat, 282, 284.
Præsto (*indecl.*), 142.
Præsto, stiti, atum, itum, 206, 255, 284, 285, 408, 451.
Præstolor, 284, 285, 294.
Præsul, 139, 141.
Præsum, 80, 81, 121, 280, 284.
Prætendo, 213.
Præter, 124, 385.
Præterea, 482.
Præterit, 223.
Præterquam, 410.
Prandeo, di, sum, 209, 210.
Pransus, 207, 366, 368.
Precor, 294, 317.

Prehendo, so, 299, 532.
Premo, pressi, pressum, *et compos.*, 200, 215, 316.
Pretio, 304.
Priamides, 459, 512, 549.
Pridie, pridianus, 391, 395, 460.
Primum, 125.
Primus, 106.
Princeps, 141.
Priusquam, 401.
Privernas, atis, 14, 133, 143.
Privo, 316.
Pro, 124, 201, 356, 386, 458.
Pro (*præp. apud Græcos*), 458.
Probatus, 367.
Probo, 300.
Procella, 458.
Procello, 458.
Procio, 458.
Procne, 447.
Procul, 124, 386.
Procumbo, cubui, cubitum, 204.
Procuro, 458.
Procurro, 202.
Prodeo, 201.
Prodigo, egi, 118, 201, 214.
Prodigus, 247.
Proemineo, 209.
Profanus, 458.
Profari, 458.
Profecto, 125, 458, 487.
Profestus, 458.
Proficio, profecturus, 88, 283, 284, 458.
Proficiscor, profectus sum, 123, 219, 458.
Profiteor, 294, 458.
Profligatissimus, 370.
Profluxus, 366.
Profuerunt, 478.
Profugio, profugo, profugus, 458.
Profundo, 458.
Profundus, 260, 458.
Progne, 447.
Proh! 126, 409.
Prohibeo, 316, 458.
Prohibesso, 46, 92.
Proinde, 568.
Promineo, ui, ere, 209.
Promitto, misti, 29, 308, 350.
Promo, psi, ptum, 215.
Promptus, 355.
Pronepos, ptis, 458.
Pronuba, 455.
Propago, 458.
Prope, propior, proximus, 109, 124, 385, 390, 391.
Propello, 458.
Properatus, andus, 120.
Propero, 324, 458.
Propino, 458.
Propinquus, 278.
Propitius, 258.
Propius, 397.
Propontis, 458.
Proprius, 257.
Propter, 124, 384, 385.
Propterea quod, 127.
Propulso, 458.
Prorsum, 399.
Prosequor, 294, 316.
Prosper *et* prosperus, prosperrimus, 186.
Prospicio, 279, 284, 285.
Prosum, 80, 271, 280, 284.
Protendo, 213.
Protervus, 458.
Provideo, 279, 284, 285.
Providus, 248.
Proxime, 397.
Proximo, 284.
Proximus, ior, 109, 278.
Prudens, 191, 247.
Prudenter, 125.
Psallo, 118, 215.
Psophis, idis, 467.
Pte, 484.
Ptolemæus, *voc.* æe, 185, 186.
Puber, es, eris, 181.
Pubis, is, 181.
Publipor, 469.
Pudendus, 99.
Pudens, 121.
Pudet, itum, iturus, 99, 111, 115, 121, 122, 210, 221, 271, 302.
Pugil, 139, 141, 191.
Pugio, 153.
Pugnatur, 99, 111, 113, 115, 323, 324.
Pugnatus, 120.
Pugno, pugnor, 286, 427.
Pulso, 116.
Pulvis, 163, 175.
Pumex, 175.
Pungo, pupugi, punctum, 202, 214.
Punio, 296, 298, 432.
Punus, *pro* pœnus, 109.
Puppis, *acc.* em *et* im, 189.
Purgo, 296.
Purus, 248, 264.
Pus (*Composita ex*), 168, 469, 506.
Puta (*adv.*), 482.
Puto, 240, 303, 305, 348, 350.
Pylades, is, Pyladi, 485, 486.
Pylos, 494.
Pyrois, oentis, 187.
Pytho *et* Python, 156.

Q

Qua, quacumque, 333, 399.
Quadrans, 169.
Quadrigæ, 460.
Quadrijugus, 448.
Quadriremis, 191.
Quadrupes, 500.
Quadruplico, avi, atum, 205.
Quærito, 116.
Quæro, ivi, itum, *et compos.*, 200, 215, 317.
Quæso, 97, 202, 317.
Quale, 568.
Qualibet, 399.
Qualis, 16, 106, 107, 110, 233.
Quam, 39, 266, 410.
Quam, quam ut, 405, 406.
Quamobrem, 125, 127.
Quamvis, 44, 127, 412, 502.
Quando, 337, 338.
Quandocumque, quandoque, quandoquidem, 461.
Quandiu, 337, 338.
Quanquam, 127, 411.
Quanti, quanticumque, quantilibet, quantivis, 243, 275, 303, 343.
Quantum, 245, 275, 393, 407, 568.
Quantus, 16, 106, 107, 233.
Quapropter, quare, 125, 127, 484.
Quasi, 486.
Quaterni, 106, 108.
Quatio, quassi, quassum, *et compos.*, 200, 211.
Que (*conjunctio*), 127, 436, 443, 484, 508.
Queis, 16, 503.
Queo, queibam, 78, 91.
Quercus, us, 194.
Queror, questus sum, 219, 294.
Questus, ibus, ubus, 194.
Qui *pro* quis, 16, 44.
Qui, quæ, quod, 15, 44, 106, 138, 230, 231, 232, 245, 266, 318, 374, 408, 421, 503.
Quia, 127, 415, 482.
Quicumque, quidcumque, quilibet, quivis, 17, 106, 245, 249, 460.
Quid (*cum conjunctivo*), 44, 107, 125, 318.
Quidam, 17, 106, 197, 249, 460.
Quidem, 127.
Quidni, 125.
Quies, 466.
Quiesco, evi, etum, 212.
Quietus (*animo*), 269.
Quinarii, ni, 108.
Quincunx, 170.
Quinquaginta, gena, 481, 482.
Quinquiremis, 191.
Ques *pro* qui, 503.
Quiris, ites, 196, 467.
Quis, 16, 106, 107, 110, 197, 243, 249, 273, 408.
Quisnam, quispiam, quisquam, 17, 106, 249.
Quisque, 17, 235, 249, 374, 408.
Quisquis, cuicui, 16, 17, 249.
Quitum, 451.
Quitur, quitus sum, 91.
Quo *pro* ut, 44, 408.

Quo (*loci*), 332, 333, 399.
Quocirca, 127.
Quocumque, quolibet, quoquo, quovis, 394, 399.
Quod, 127, 415.
Quod (*cum conjunctivo*), 44.
Quomodo, 340, 187.
Quoniam, 127.
Quopiam, 399.
Quoque, 127.
Quoquoversum, *vel* versus, 399.
Quorsum, 399.
Quot, quoteni, quotennis, 16, 106, 107, 233.
Quotidie, quotidianus, 116, 460.
Quotuplex, quotuplus, quotus, 16, 106, 107, 233, 408.

R

Rabula, 139.
Radicitus, 399.
Rado, si, sum, 213.
Ramex, 170.
Rana, 178.
Rapax, 248.
Rapio, rapui, raptum, *et compos.*, 200, 211.
Rapto, 116.
Rarefacio, rarefio, 459.
Ratio, 353.
Ratum, 451.
Raucio, 218.
Ravis, *acc.* im, 189.
Re (*abl.*), 485.
Re (*præpos.*), 124, 201, 456.
Reate, 145, 172, 191.
Recado, casum, cidi, 213.
Reccido, 456.
Recens, *abl.* i, 191, 419.
Recensitus, 208.
Recīdo, *a* cædo, 200, 213, 455.
Recīdo, *a* cæsum, 455.
Recimer, 466.
Recipio, 284, 285.
Reciprocare, 382.
Reclamo, 280, 284.
Recolo tui, 276.
Recordor, 277, 294.
Rectus, 248.
Recumbo, cubui, cubitum, 204.
Reddo, 308.
Redduco, 456.
Redeo, 90, 201, 271.
Redimo, 201, 342.
Reditus, 333, 454.
Redoleo, ui, itum, ere, 210.
Redundo, atus, 120, 289.
Redux, 471.
Refello, 118, 215.
Refercio, 316.
Refero, 240, 308.
Refert, 115, 272, 273, 275, 377, 456.
Refertus, 247, 261.
Refficio, 456.
Refragor, 280, 284.
Refreno, 319.
Refrico, as, aturus, 204.
Refrigesco, 203.
Regnantur, 324.
Regnatus, 120.
Rego (*Composita ex*), 200.
Regula, 454.
Rei, 439.
Reiicio, rejicio, reicio, 200, 448, 456, 539.
Relinquo, liqui, lictum, 215.
Reliquus, 236.
Rellatus, 456.
Relligio, 539.
Relliquiæ, 429, 539, 556.
Reluctor, 280, 284.
Remetior, 308.
Reminiscor, 118, 202, 277.
Remisse, 125.
Remoror, 294.
Removeo, 319.
Remunero, 308.
Remurmuro, 286.
Ren, 157, 466.
Renideo, 202.
Renuntio, 284.
Renuo, ui, ere, 211.
Reor, ratus sum, 121, 122, 219, 294, 478.
Repello, 319.
Rependo, 308.
Reperio, 218, 476.
Repetundarum, is, 197, 199.
Repleo, evi, etum, 209, 316.
Replico, avi *et* ui, atum, 205.
Reporto, 319.
Reposco, 313, 317.
Repperi, reppuli, rettuli, 456, 539.
Reprehendo, 296.
Repugno, 280, 284.
Repungo, pupugi, 202.
Requies, 181.
Requiro, 455.
Rescidi, 455.
Resipio, 211.
Resisto, stiti, stitum, 217, 280, 284.
Resono, 207.
Respicio, exi, ectum, 211.
Respondeo, 284, 285.
Respuo, ui, ere, 118, 211.
Restat, 282.
Restis, *acc.* em *et* im, 189.
Restituo, 308.
Restituturus, 122.
Rete, 191.
Reticeo, ui, ere, 208.
Retinens, 369.
Retrorsum *vel* retrorsus, 399.
Retroversus, 461.
Retudi, 450.
Retundo, tudi, tunsum, 213.
Reus, 244, 300.
Rex, 142, 466.
Rhamnes, 466.
Rhenus, Rhenum, Rhodanum, *etc.*, 144.
Rhetorice, es, *abl.* e, 182, 183.
Rhinoceros, otis, 187.
Rhodope, 152.
Rideo, si, sum, 209.
Rien, 157.
Rigeo, ui, ere, 209.
Rimor, 294.
Ringo, or, 118, 202, 214.
Rivalis, *abl.* i, 191.
Robur (*arbor*), 146.
Rodo, si, sum, 213.
Rogel, 491.
Rogito, 116.
Rogo ut, 81, 313, 317.
Romulidæ, 545.
Roratus, roro, 293.
Ros, 164.
Rubeo, ui, ere, 209.
Ruber, 269.
Rubus, 174.
Rudens, 169.
Ruder, 159.
Rudis, *abl.* e, 191, 247.
Rudo, is, rudere, 118, 213.
Rugo *pro* rugor, 114.
Ruitum, utum, 451.
Rumpo, rupi, ruptum, 215.
Ruo *pro* eruo, 211, 558.
Rure, ruri, 331, 333.
Ruricola, 142.
Rursum, 399.
Rus, 332, 506.

S

Sacerdos, 141.
Sacro (*Composita ex*), 200.
Sacrosanctus, 461.
Sadoc, 490.
Sæpe, 125.
Saguntum, 145.
Sal, 155, 465, 491.
Salamis, 467.
Salio (condio sale), sallo, is, 215.
Salio (salto), ii, ui, saltum, *et compos.*, 200, 218.
Salix, 467.

Salto (*Composita ex*), 200.
Saltum, 122.
Saluber, bris, *acc. pl.*, es *et* is, errimus, 109, 193.
Salus, 168, 506.
Salutaris, 258.
Salve, salveto, 97.
Samaria, 440.
Samnis, 467.
Samnites, *gen. pl.* ium, 192.
Sancio, xi, ctum *et* citum, 218.
Sandyx, 170.
Sane, 125, 404.
Santones, 468.
Sapio, ivi, *et* ii, ere, itum, *et compos.*, 118, 122, 200, 211.
Sara, Sarai, 567.
Sarcio, sarsi, sartum, 218.
Sardis, 193.
Sardonyx, ychos, 176.
Sarmata, 182, 467.
Sarmatis, idis, 546.
Sas *pro* suas, 375.
Sat, satis, 125, 393, 419.
Satago, egi, 118, 202, 276.
Satio, 316.
Satisdo, dedi, datum, 206.
Satisfacio, 280, 284.
Satum, urus, 122, 451.
Satur, 160.
Saturo, 316.
Saül, ulis, 471, 491.
Scabo, i, ere, 118, 212.
Scalpo, psi, ptum, *et compos.*, 200, 215.
Scandix, 170, 467.
Scando *et compos.*, 118, 122, 200, 213.
Scateo, 289.
Scaturio, 203.
Scelus, 234.
Scibam, scibo, scibit, 91.
Scidi, 449.
Sciens, 353, 369.
Scilicet, 460.
Scin', 494.
Scindo, scidi, scissum, 213, 449.
Scio, 106, 348.
Scipiades, 182, 551.
Sciscitor, scitor, 294, 317.
Scitonis, idis, 546.
Scitum, 122.
Scitus, 366, 369.
Scorpiŏn, 494.
Scriba, 139.
Scribo, psi, ptum, 212, 310, 421.
Scriptito, 116.
Scrobs, 174, 470.
Scrutor, 294.
Sculpo, 200.
Scurra, 139, 142.
Scyphus, 166.
Se, 382, 484.
Se (*præpos.*), 124, 457.
Secatio *vel* sectio, 204.
Secaturus, 122.
Seco, as, ui, ectum, 204, 205.
Sector, 204.
Secubo, 204.
Secundum, 124, 385.
Secundus, 106, 263.
Securis, *acc.* im, 189.
Securus, 248, 264.
Secus, 124, 125, 385, 408.
Sedeo, sedi, sessum, *et compos.*, 200, 209, 271.
Sedet (placet), 282.
Sedulo, 487.
Segnis, 355.
Segniter, 125.
Seligo, 455.
Semel, 125.
Semianimis, 532.
Semisopio, semisopitus, 455.
Senatus, us, 194.
Senatusconsultum, 179.
Senium, 234.
Senones, 468.
Sensus, 6, 164, 194.
Sentio, si, sum, 218.
Sentis, 163.
Seorsum, 125, 532.
Separatim, 125.
Sepelio, ivi, sepultum, 218.
Sepio, sepsi *et* sepivi, septum, 218.
Seps, *gen. pl.* ium, 169, 192, 466.
September, *abl.* i, 191.
Septunx, 170.
Sequendus, 117.
Sequor, secutus sum, 219, 271, 294.
Ser, 466.
Seraphim, 567.
Seritur, 324.
Sermo, 5.
Sero, 216.
Serŏ, 487.
Serpens, 174, 196.
Servio, ens, iturus, 280, 284.
Servire, servitutem, servitur, 99, 324.
Sestertium, 196, 421, 429.
Seu, 127.
Sexaginta, 482.
Sexus, 167.
Si, 21, 39, 44 *et seq.* 414, 427.
Sibi, 382, 486.
Sibila, us, 197.
Sic, 39, 400, 490.
Sicelis, idis, 546.
Sicubi, sicunde, 399.
Sicut, sicuti, 125, 486.
Sido, 118, 213.
Sidon, 468.
Sidonis, idis, 546.
Siem, 79.
Significo *et* or, 114, 308.
Sileo, 118.
Siler, 146.
Silex, 175.
Siligo, 342.
Silüæ (*pro* silvæ), 537.
Similis, limus, 109, 257, 427.
Simois, entis, *voc.* oi, 187, 190, 503.
Simon, 468.
Simul, 125.
Simulacrum, 454.
Sinai, 567.
Sinapi et sinapis, 153.
Sindon, 156, 468.
Sine, 124, 386.
Singiberi, 159.
Singulariter, aris, 5, 131.
Singuli, 106, 108, 378.
Singultio, ti, tum, 218.
Sinister, erior, istimus, 109.
Sinistrorsum, 399.
Sino, sivi, situm, 215.
Sinuatus, 539.
Siquidem, 127, 460.
Siquis, siqua, siquo, 17, 399, 460.
Siren, 466.
Sis (*verb.*), 502.
Sis (*pronom.*), 374, 375, 377.
Sis *pro* si vis, 84.
Siser, 159.
Sisto, stiti, statum, 217.
Sitiens, 369.
Sititurus, 122.
Situs, situm, 451.
Sive, 127.
Smaragdos *et* us, 166, 447.
Smilax, 170, 465.
Soccus, 163.
Socius, 278.
Socrates, *voc.* e, 182, 190.
Sodalis, *abl.* e *et* i, 191.
Sodes *pro* si audes, 84.
Sodoma, 471.
Sol, 155, 468, 491.
Soleo, solitus sum, ere, 210, 271, 350, 366.
Solito (*melius*), 278.
Solitum, 122.
Solœcophanes, 162.
Solon, 468.
Solor, 294.
Solum, 125.
Solus, 9, 199, 249, 374, 376, 377, 379.
Solvendo non esse, 360.
Solvo, solvi, solutum, 29, 217, 308, 316.
Sonandus, aturus, 122.
Sonipes, 499, 500.
Sono, as, itum, atio, 204, 207.
Sophia, 440.
Sophistes, 183.
Sopio, sopitus, 455.
Sopor, 454.
Soracte, *abl.* e, 191.
Sorbeo, ui, ere; itum, ptum, 118, 122, 208.
Sorbo, ptum, 122, 212.
Sors, 169.
Sosia, 182.
Sospes, *gen.* itis, 143.
Sotularis, 163.
Spadix, 170.
Spargo, si, sum, *et compos.*, 200, 214.
Species, ei, *gen. pl.* erum? *abl. pl.* ebus? 195.
Specio, spicio *et compos.*, 200, 211.
Spectatus, 367.
Speculor, 294.

Specus, us, *abl.* ubus, 175, 194.
Spei, 439.
Spelynx, 170.
Sperchius, 186.
Sperno, sprevi, spretum, 215.
Spero, 348.
Spes, 268, 439.
Spinther, 159.
Spinus, 146.
Splen, 157.
Spoliatus, tior, 370.
Spolio, 316.
Spondeo, spopondi, sponsum, 202, 209, 308.
Spondeus, 440.
Sponte, 197, 199.
St (*interj.*), 126.
Stat, 282, 284.
Statuo *et compos.*, 200, 350.
Statur, 99, 325.
Stăturus, status, statum, 122, 451.
Stemma, 465.
Sterilis, 247.
Sterilesco, 116.
Sterno, stravi, stratum, 215.
Sterto, ui, ere, 118, 217.
Stětěrunt, 475.
Stipes, 162.
Stirpitus, 399.
Stirps, *gen.* stirpis, 176.
Sto, steti, statum (*Composita ex*), 202, 206, 217, 271, 289, 292, 342, 449, 487.
Stomachor, 293.
Storax, 170.
Strata viarum, 245.
Strenuus, issimus, 109.
Strepo, ui, itum, 215.
Strideo, di, dere, do, 118, 209, 213.
Strigil, ilis, *abl.* i, 191, 192.
Stringo, xi, ctum, 214.
Struo, xi, ctum, 211.
Studeo, 118, 279, 284.
Studiose, 125.
Studiosus, 248, 353, 369.
Studium, 353.
Stupefacio, 459.
Styrax, 465.
Sua (*interest*), 273, 377.
Sua unius, 377.
Suadeo, suasi, suasum, 209, 310, 350.
Suapte, 484.
Suavis, 537.
Sub, 124, 201, 283, 311, 389, 446, 456.
Subduco, 311.
Subeo, 90, 285.
Suber, 146.
Subito, 487.
Subjaceo, 283, 284.
Subjicio, subicio, 310, 448, 456.
Subjungo, 311.
Sublevo, 446.
Sublime, 419.
Suboleo, ui, itum, 210, 283, 284.
Subparasito, 279.
Subrepo, 283, 284.
Subscribo, 279, 284, 311.
Subscus, 168.
Subservio, 284.
Subsido, sedi, sessum, 213.
Subsisto, stiti, stitum, 217.
Subsum, 80, 280, 284.
Subtel, 466.
Subter, 124, 389, 399.
Subtraho, 311.
Subvenio, 279.
Succedit, essit, 281.
Succedo, 284, 285.
Successus (*part.*), 120.
Succlamo, 283, 284.
Succresco, 283, 284.
Succumbo, 204, 283, 284.
Succurro, 201, 279, 284.
Sucrex, 466.
Suesco, suevi, suetum, 212.
Sufficio, 201, 283, 284, 285.
Suffragor, 279, 284.
Suggero, 201, 311.
Sugillo, 296.
Sugo, uxi, uctum, 118, 214.
Sui, 13, 110, 354, 375, 376, 379, 380, 381, 382.
Sulmo, 172.
Sum, 19, 79, 121, 239, 242, 271, 272, 274, 278, 288, 306, 342, 476.
Summe (*adv.*), 484.
Summitto, 201.
Summum, 245, 253.
Summus, 109.
Sumo, sumpsi, sumptum, 215, 319.
Supellex, ectilis, 170, 187, 188, 191, 462.
Super, 124, 389, 456.
Superat, 282, 284, 285.
Supercubo, 204.
Superne, 399.
Supersedeo, 289.
Superstes, 143.
Supersum, 80, 280, 284.
Suppeditat, suppetit, 282, 284, 285.
Suppedito, 308.
Suppeto, 201.
Suppleo, evi, etum, 209.
Supplex, icis, *gen. pl.* um, 192, 258.
Supplico, avi, atum, 205, 284, 317.
Suppono, 311.
Supra, 124, 385, 399.
Supremum, 253.
Surgo, surrexi, ectum, 214.
Surripio, 201, 319, 321.
Sursum, 399.
Sus, 141.
Suspicor, 294, 348, 350.
Suthul, 145, 172.
Suum est, 274.
Suus, 14, 110, 374, 375, 379, 381, 383.
Sylvesco, 116, 203.
Symphonia, 440.
Synodus, 166.
Syphax, 465.
Syrinx, 140, 170.
Syron, 186.
Syrtis, *acc.* im, *gen. pl.* ium, 192, 193.

T

Taceo *et compos.* 200, 208.
Tacitus, 366.
Tædet, tæsum est, 99, 115, 210, 302.
Talis, 16, 106, 400.
Talpa, 176.
Tam, 400.
Tam, quam, 406.
Tamen, 493.
Tametsi, 127, 411.
Tanaquil, 491.
Tango, tetigi, tactum, *et compos.*, 200, 214.
Tanis, eos, 187.
Tantalides, Tantalis, 549, 552.
Tanti, tantivis, 275, 303, 343.
Tantidem, 197, 303, 343, 460.
Tanto, 408.
Tantopere, tantulum, 275.
Tantum, 245, 275, 393, 407.
Tantum (*adv.*), 125.
Tantumdem, 197.
Tantus, 16, 106, 400.
Tapes, 162, 466.
Taxo, 296, 342.
Te (*pron.*), te (*adject. syllab.*), 484.
Tecmessa, 447.
Tectior, 370.
Tegea, 482.
Tego, 315.
Telamoniades, 551.
Tellus, uris, 471, 506.
Temno *pro* contemno, tempsi, temptum, 215, 558.
Tempe, 152, 484, 485.
Tempero, 284.
Templum, 4.
Tempus, 5, 353.
Tenax, 248.
Tendo, 202, 206, 213.
Tenebræ, 446.
Tenedos, *acc.* on, 186.
Teneo, or, *et compos.*, 200, 208, 296, 299.
Tener, errimus, 109.
Tenuia, 539.
Tenuis, ior, issimus, 109, 248, 539.
Tenus, 124, 387.
Tepefacio, fio, 459.
Tepesco, 116, 203.
Ter, 125.
Tereo, 186, 532.
Tereos, 504.
Teres, 143, 500.
Tereus, eos, *acc.* ea, 185.

Tergeo, si, sum, 209.
Tergo, si, sum, 214.
Termes, 162.
Terni, 106, 108.
Tero, trivi, itum, 215.
Terra, 335, 442.
Terrarum ubique, *etc.*, 394, 436.
Terruerunt, 475, 538.
Tertius, 106.
Teruntii, 305.
Testificor, 294.
Testis, 141, 142.
Testor, 114, 115, 294, 326.
Testorides, 551.
Testudo, 178.
Tethin, 494, 503.
Tethyos, 504.
Tethys, yos, 187, 188, 189, 190, 503.
Tetigi, 455.
Tetuli, 82, 555.
Teutones *et* Teutoni, 468.
Texo, ui, tum, 217.
Thaumantias, 544, 552.
Thelamo, 188.
Theologia, 440.
Theophilus, a, 461.
Theramnæ, Therapnæ, æus, 447.
Theseis, eidos, 552.
Theseus, eos, *voc.* eu, 186.
Thesidæ, 545.
Thesides, 550, 552.
Thessalis, idis, 546.
Thestiades, 549, 552.
Thestias, 544.
Thetis, *acc.* in, 494.
Thomex, thominx, thomix, 170.
Thorax, 170, 465.
Thucydides, is *et* i, 186.
Thus, 146, 506.
Thyestes, *voc.* a, *acc.* a, 485, 504.
Thymbre, us, 562.
Thyrsis, 189.
Tiara *et* as, 161.
Tibi *per pleonasmum*, 392.
Tibi, 486.
Tibicen, 460.
Tibur, urtes, 145, 172, 180, 331.
Tigris, 178.
Timarchides, is, i, 182, 186.
Timeo, ui, ere, 118, 208, 279, 284, 285, 286, 350, 413.
Timidus, 248, 350.
Timotheus, 185.
Tis, 13, 374, 375, 377.
Titan, *gen.* idis, *acc.* ida, 189.
Tollo, sustuli, sublatum, 215.
Tomex *et* ix, 170.
Tonans, 171.
Tondeo, totondi, tonsum, 209.
Tono, atio, 204.
Torpeo, 292.
Torqueo, 209.
Torquis, 174.
Torrens, 171.
Torreo, 208.
Torris, 163.
Tot, 16, 106, 400.
Tota, æ, 182.
Totidem, 106.
Totus, 9, 16.
Trabs, 465.
Tracto (*Composita ex*), 200.
Traditur, 223.
Trado, didi, itum, 201, 206, 308, 457.
Traduco, 296, 457.
Tradux, ucis, 471.
Tragœdia, 440.
Traho, 215.
Trajicio, 201.
Trallis, 193.
Trames, 162.
Trano, 201, 457.
Trans, 124, 201, 385, 457.
Transduco, 201.
Transfuga, 141.
Transjectus, 201.
Tremo, 118, 215, 292.
Trepidari, 324.
Trepidus, 248.
Tres, trium, treis, tris, 106, 193, 374.
Tribuo, 308.
Tribus, ubus, 165, 194.
Tricorpor, 143, 469.
Tridens, *abl.* e *vel* i, 169, 191.
Triduo, 337.
Triduum, 338, 460.
Triens, 169.
Triginta, 481, 482.
Trinacria, 460.
Tripes, 500.
Triplico, as, avi, atum, 205.
Tripus, odis, 168, 460, 469, 506.
Triremis, *abl.* i, 171, 191.
Tristor, 289, 340.
Triticum, i, 197.
Tritonis, idis, 546.
Tros, *gen.* ois, *acc. pl.* as, 187, 193, 497, 500, 546.
Trudo, 213.
Truncus, 247.
Tu, 13, 110, 133, 222.
Tua (interest), 273, 377.
Tuber, 159.
Tubicen, 139.
Tudes, 162.
Tueor, 115, 219, 294, 326, 360.
Tui, 375, 376, 379, 380.
Tuli, tulerunt, 82, 449, 479, 513.
Tunc temporis, 395.
Tundo, 213.
Turba, 235.
Turbatum est, 324.
Turbo, inis, onis, 187, 188.
Turdus, 178.
Turgeo, 118, 209.
Turia, 173.
Turris, em, im, 189, 193.
Turtur, 139, 160, 177.
Tussis, *acc.* im, 189.
Tute, 484.
Tutor, 294, 360.
Tutus, 366.
Tuum est, 274.
Tuus, 14, 110, 374, 375, 379, 381.
Tydes, eus, 182, 185, 190.
Tydides, 550.
Tymbræus, *voc.* æe, 185.
Typhoea, typhoeo, typhoeus, eos, 186, 504, 532.
Tyrinthius, 186.
Tyros, 504.

U

Uber, 143, 159, 191, 192.
Ubertas, 353.
Ubi, 329, 330, 394, 399, 486.
Ubi terrarum, 436.
Ubicumque, ubilibet, 394, 399, 460.
Ubinam, 394.
Ubique, ubi, 399, 460.
Ubivis, 394, 399, 460.
Udo, onis, 153.
Ulciscor, 219, 294.
Ulciscendus, 117.
Ullus, 9, 106, 182, 249.
Ultimum, 245, 253.
Ultra, 109, 124, 385, 390, 481, 482.
Ultrix, 170, 191.
Ulysses, æus, 182, 186, 190, 485, 532.
Una, 125.
Una, ius, æ, 182.
Unde, 333 *et seq.*, 399.
Undecumque, undelibet, undequaque, 399.
Undeunde, undique, undevis, 399.
Unedo, inis, 187.
Unguis, 163, 191.
Unimanus, 181.
Unio, 153.
Unquam, 51.
Unus, 9, 106, 199, 254, 318, 374, 376, 377, 379, 439.
Unusquisque, 17, 249.
Urania, 440.
Urbes, is, eis, 193, 502.
Urgeo, 118, 209, 296.
Uro, 216.
Uspiam, usquam, 399.
Usque, 124, 385, 390, 391.
Usqueadeo, 532.
Usus *pro* opus, 262, 353.
Usuvenit, 281, 284.
Ut, 21, 39, 44, 47, 125, 310, 400, 406, 412, 413.
Uter, 9, 106, 192, 235, 249.
Uterque, utercumque, uterlibet, utervis, 9, 235, 249, 378.
Uti, 125, 486.

Utilis, 259.
Utinam, 39, 125.
Ut ita dicam, 49.
Ut ne, ut non, 44, 413, 436.
Utor, usus sum, 114, 121, 219, 289, 291, 326.
Utrinque, utrobique, utroque, 399.

V

Vacat, 242, 282, 284.
Vaco, 279, 284, 289.
Vacuus, 247, 261, 264.
Vado, 118, 122, 202, 213.
Vadum, 454.
Væ! 126, 409.
Vagor, 335.
Vah! 126, 490.
Valde, 404, 485.
Vale, 485.
Valeo, 208, 289, 342.
Valeri, 568.
Validus, 248.
Vangiones, 468.
Vaniloquus, 109.
Vannus, 165.
Vapulans, aturus, 120.
Vapulatum, 364.
Vapulo, 271, 327.
Varix, 170, 467.
Vas, vadis, 139, 192, 465.
Vas, vasis, 161, 197, 199, 465.
Vascones, 468.
Vastus, 269.
Vates, 141.
Ve, vel, 127, 484.
Vectis, 163, 191.
Vectones, 468.
Vehemens, 191, 355.
Vehementer, 125, 275, 404.
Veho, 215.
Veienti, 191.
Velis, it, 40, 43, 502.
Vello, 215.
Vendo, 206, 342.
Veneficus, 459.
Veneo, 218, 271, 327, 342.
Veneror, 114, 115, 294.
Venio, 218, 271.
Venit in mentem, 284, 302.
Venter, 192.
Venum, 364.
Venundo, 206, 342, 474.
Vepres, 162.
Ver, 159, 466, 496.
Verber, 159.
Verberor, 271.
Veridicus, 455.
Vereor, itus sum, itum, 114, 115, 219, 294, 302, 326, 413.
Vergo, 118, 202.
Veritum *et* veritus, 90, 113, 221.
Vermis, 163.
Verna, 142, 159.
Vero, 127, 487.
Verres, 139.
Verro, 216.
Versicolor, 143.
Versus (*præpos.*), 124, 385, 391.
Verto, 217, 312.
Veru, 194.
Vervex, 187, 466.
Vescendo sunt, 357.
Vescor, 115, 118, 202, 289, 291.
Vester, 14, 110, 374, 375, 379, 381.
Vestio, 315.
Vestra (interest), 273, 377.
Vestra omnium, 377.
Vestras, 14, 110, 133.
Vestri, 354, 375, 376, 377, 378, 380, 381.
Vestrum, 374, 375, 377, 378.
Vestrum est, 274.
Veter, errimus, 109.
Veto, as, ui, itum, aturus; vetatio, 204.
Vetus, eris, 192.
Via, 182, 335.
Vibex, ix, 170, 467.
Vicies, 421.
Victito, 289.
Victrix, 170, 191.
Victus (*part.*), 369.
Vide, 484, 485.
Videlicet, 459.
Viden, 493, 494.
Video, 106, 209, 350.
Videor, 212, 350, 415.
Videres, 538.
Videris, videro, 61.
Videtur, 223, 242, 432.
Viduo, 316.
Viduus, 261.
Vieo, evi, etum, 209.
Vigessis, 163.
Vigil, *abl.* e *et* i, 139, 141, 191.
Vigilandus, vigilatus, 120.
Vilius, ssime, 125, 342, 343.
Vincio, 218.
Vinco, 212.
Vindex, 141.
Virgili, 568.
Virtus, 471.
Virus, 167.
Vis, im, 353, 502.
Vis (*a* volo), 502.
Viso, 216.
Visus (*part.*), 226.
Vitupero, 296.
Vivitur, 99, 115, 323.
Vivo, 217, 289, 293.
Vocalis, 171.
Vocor, 238.
Volito, 116.
Volo, vis, 83, 118, 121, 215, 318, 350, 476.
Volo datum, 421.
Volucris, *abl.* e, *gen. pl.* inm, um, 176, 192, 444, 510.
Volutabrum, 454.
Volup, 494.
Volux, ucis, 471.
Volvo, 29, 217.
Volvox, 170.
Vometur, 324.
Vomis, 163.
Vomo, 215.
Vos, 13, 222.
Vulgo, 399.
Vulgus, 174.
Vulpes, 140, 178, 181.
Vultur, 160, 177.

X

Xeno, 188.

Z

Zacharias, 440.
Zeno, 188.
Zeugma, 145, 172.
Zingiber *et* Zimpiber, 159.

ERRATA

Pag. 121, vers. 23, linguo.'	*lege* linquo.
Pag. 124, vers. 37, supina non habent.	supina habent.
Pag. 138, vers. 8, Municipi.	*Municipi.*
Ibid., vers. 17, *proneptis*	proneptis.
Pag. 140, vers. 12, *æquo fœdere.*	æquo fœdere.
Ibid., vers. 13, memorque.	*memor*que.
Pag. 149, vers. 6, canalis.	caulis.
Pag. 182, vers. 9, 10, felix, clemens, melior.	Felix, Clemens, Melchior.
Pag. 188, vers. 28, quæstibus, quæror.	questibus, queror.
Pag. 189, vers. 10, si *veribus* esset legendum.	si *verubus*...
Pag. 211, vers. 22, *gravisi.*	*gavisi.*
Pag. 218, vers. 20, *fecessitum.*	*facessitum.*
Pag. 254, vers. 4, membris omnibus captus.	*membris omnibus captus.*
Pag. 498, vers. 29, Glau*co* et Panope*æ*.	Panope*æ*.
Pag. 502, vers. 11, fluctus nimbosus Orion.	fluctu nimbosus Orion.